

Compendium
- tabularis
- tractatus

Comparavit Fr. Josephus Knieps professor Heis:
Sorbacensis p. l. vicarius in Neustadt. 2 imperialibus
constat cum impatura 1718.





Invenit eum ignis. J. B. 1712.



In dextera ejus, ignea lex. Deut. 33.

E
 R
 NOV
 CON
 Quam
 pro
 F. G.
 Heu
 PRA
 In luv
 R. P.
 è
 Accedit auctorit
 Sump
 Viduz
 G

EXHORTATIONES
AD
RELIGIOSOS
TAM
NOVITIORUM MAGISTRIS,
ET
CONCIONATORIBUS DOMESTICIS,
IN SOCIETATE JESU;

Quàm Ordinum aliorum Religiosis, in Monasteriis

propriis, aut in Monialium Cœnobiis, ad perfectionem

Fr. Josephus Heiberbauer Religiosam exhortaturis: *Knieps professus Vicarius in n. d. b. t.*

PRÆLATIS AC SUPERIORIBUS,

In Investituris, Professionibusque, pro Concione dicturis, in
subsidium, concinnatæ,

ET TYPIS VULGATÆ

R. P. JOANNE DIRCKINCK
è SOCIETATE JESU,

Accedit auctarium de Festis Solemnioribus Christi, B. V. & SS. præcipuè

Fundatorum variorum Ordinum.

EDITIO SECUNDA.

COLONIÆ AGRIPPINÆ

Sumptibus Viduæ GODEFRIDI MEUCHERI Bibliopolæ Anno M. DCC. XVII.

Cum Privilegio Sac. Cæsar. Majestatis.

EXHORTATIONES

A D

T. 1785

E T

IN SOCIETATE IESU

Handwritten notes in a cursive script, likely Latin, covering the middle section of the page.

SOCIETATE IESU

10 239 332 01

Faint handwritten text at the bottom of the page, possibly a library or archival stamp.



DED
ET

Sanctissimis &
rum F



busnam aliis, E
vobis, Ordinum c
documentis & acroa
Exhortationes praele
quorum spirituales
fectionis studium p
ayemus? Quorum pro
digere conspicimus?
tationes, quas mox in
I. Auspicamur à vob
legis & prodigiis clari



DEDICATIO ET OBLATIO

OPERIS.

Sanctissimis & gloriosissimis Ordinum vario-
rum Fundatoribus ac Patriarchis.



Edicant alii, Patriarchæ gloriosissimi, lucubrations suas, Summis Pontificibus, Archiepiscopis, & Ecclesiarum Præsulibus: alii Maximis Imperatoribus, Regibus, Principibus, præcipuisve suis Meccænatibus; ut sub horum umbra & protectione, opera illorum lucem publicam aspiciant. Nos verò quibusnam aliis, Exhortatiunculas hæc inscriberemus, quàm vobis, Ordinum celebriorum Fundatores sanctissimi; quorum documentis & acroamatibus, exemplis, facinoribusque heroicis, Exhortationes præsentis, plurimis in locis illustravimus? Apud quorum spirituales filios ac filias iisdem fructum facere, perfectionis studium promovere, Deique gloriam amplificare avemus? Quorum proinde patrocinio ac favore, nos unice indigere conspiciamus? Præter alias tum communes tum privatas rationes, quas mox insinuabimus. Quare

I. Auspicamur à vobis Sancti, Elia & Elisæ, Prophetæ Domini, signis & prodigiis clarissimi; quos tanquam Patriarchas, antiquissima

E P I S T O L A

quissima veneratur Carmelitana familia ; cujus alumnos , Clemens VIII. Pontifex maximus , in diplomate anno 1600. dato , *Sanctorum Prophetarum Eliæ & Elisæi , aliorumque Sanctorum heredes & vestigiis insistentes* , pronuntiat. Vestro sub patrocinio ac tutela , Ordo hic , fulgentissima Sanctorum protulit sidera ; in quibus ante alios emicant S. Cyrillus Patriarcha Alexandrinus , S. Spiridion Cypri Episcopus . S. Hilarion , Sancti Anastasius , Gerardus , Thomas , Petrus , Angelus , Brocardus , Serapion , Avertanus , Albertus , Bertholdus , alter Albertus & Cyrillus , B. Simon Stock & S. Andreas Corsinus , cujus aram marmoream novam , Sancti corpus incorruptum continentem , vidimus ; Atque ex Virginibus , Sanctæ Eugenia , Euphrasia , Euphrosyna , & amore divino flagrantissima S. Maria Magdalena de Pazzis , cujus corpus etiamnum integrum & incorruptum , faciémque viventi similem , Florentiæ , non absque solatio conspeximus , in templo Parthenonis celeberrimi , nonaginta Prænobilium Virginum , hodiedum Societatis nostræ Patribus , & Exhortatoribus domesticis , & conscientiarum arbitris extraordinariis , ex ejusdem Virginis Sanctæ jussione , utentium ; quæ & insigni , in raptu , visione , de gloria B. Aloysii nostri , recreata fuit. Quidni igitur vobis Prophetæ sancti , totque affectis sanctis inclyti , tenuem opellam hanc , ad sanctimoniam & perfectionis studium collimantem , ac vestra quoque dicta & facta recensentem , quam demississimè dedicemus & consecremus ?

II. Deinde ad Te progredimur , magne Ecclesiæ Doctor & Doctorum aquila Augustine ; cujus doctrinæ luce , & sententiarum pondere allata à nobis in Exhortationibus , rationum momenta , creberrimè stabilivimus. Tu Ordinum duorum , scilicet Canonorum Regularium , & Eremitarum , auream conscripsisti regulam ; quam postmodum ultra quadraginta alii Ordines amplexi sunt : Nimirum Ordo Equitum Melitensium , Ordo Præmonstratensium , Ordo S. Trinitatis , Ordo S. Mariæ de Mercede , Ordo S. Dominici , Ordo S. Hieronymi , Ordo Servorum Mariæ , Ordo Jesuatorum , Ordo Ministrantium infirmis , Ordo Clericorum Minorum &c. Quot verò ex illis viri sanctimoniam & doctrinam illustres , vestigia tua legentes , regulæque tuæ ductum sequentes progesserint , quis enumeret ? Sanè ex solo Canonorum Regularium Ordine 54. Romanos Pontifices , 567. Cardinales , 16200.

Beatos

Beatos prodii
nam rextisse,
nici p. 2. Hist
encomii
qui , prater
Nova & S. I
miraculis cel
dibus , sangui
dum eadem
miratione
Eminentiss
Nuntio A
le , scripto
quadragesi
copiosa :
1594. 16
1645. 166
mus , ann
contagio
hodiedum
Sanctorum
nationi in
consecram
III. Nec
Orientis lu
rem , tum br
teruisti ; qua
semel deserv
mum , deinde it
legibusque tuis
Nazianzenus ,
etiam aliis prof
Monachorum :
de Agypto , P
agrestem , ador
qui deinde Reli

D E D I C A T O R I A.

Beatos prodiisse, & ampliùs quingentis annis Ecclesiam Romanam rexisse, testatur Ticinensis in Propugnaculo Ordinis Canonici p. 2. Hist. c. 1. 2. 3. &c. Breve elogium, sed prolixum ingentis encomii suffragium. Quid de Ordine Eremitarum tuorum dicam, qui, præter alios sanctos quàm plurimos, S. Thomam de Villa Nova & S. Nicolaum Tolentinatem produxit; assiduis quasi miraculis celeberrimum; dum ejus brachia in impendentibus claudibus, sanguinem diversis in locis copiosè effundunt; quemadmodum eadem sanguine tincta, & lintea plura cruenta, non sine admiratione, Tolentini vidimus. Et prout ante septennium ab Eminentissimo Domino PAULUCCIO, tunc ad tractum Rheni Nuntio Apostolico & Tolentini Episcopo, nunc S. R. E. Cardinale, scripto accepimus: *Obiit hic sanctus Anno 1305. & anno à die obitus quadragesimo brachia à corpore abscissa sunt, non sine sanguinis effusione copiosa: post hanc prima cepit à brachio dextro Anno 1510. deinde 1594. 1610. 1612. 1656. 1676. A brachio sinistro Anno 1641. 1645. 1669. 1671. sexies. 1676. bis.* Atque novissimè, ut intelleximus, anno proximè elapso. Sempèrque præfagium hoc, bellum, contagio, rebellio, terræmotus, aliæve clades subsecuta fuit: ut hodie dum experitur Italia. Jure igitur & tibi, Doctor Sanctæ & Sanctorum parens fœcunde, laborem nostrum, regularum explanationi impensum, doctrinæ tuæ radiis illustratum, humillimè consecramus.

III. Nec prætereundus es, in Dedicatione nostra, Basili Magne, Orientis lumen fulgidissimum: tu enim quoque regulam peculiarem, tum breviorē, tum fusiùs disputatam, alumnis tuis contexuisti; quarum doctrina, in hujus opusculi lucubratione, non semel deservit. Ad hæc, Religio tua antiquissima, in Græcia primùm, deinde in Italia, Russia, ac Lithuania amplissimè propagata, legibùsque tuis stabilita fuit. Tu enim (ut scribit de te S. Gregorius Nazianzenus, Orat. in laud. Basilii) quo non tibi duntaxat; verùm etiam aliis proficeres, primus cœnobia excogitasti, ritumque illum Monachorum antiquorum (id est, te antiquiorum, velut ipsemet de Ægypto, Palæstina & Mesopotamia refert, Epist. 63.) atque agrestem, ad ordinem ac formulam religioni propiorē redegisti; qui deinde Religiosis secuturis, nobis præsertim vitam activam

cum

E P I S T O L A

eum contemplativa copulantibus, facem prætulit. An non igitur & tibi, Doctor sancte, has paginas, jure consecratas cupimus?

IV. Tibi verò S. Benedicte Patriarcha gloriosissime, Libellum hunc variis de causis offerimus ac devovemus: Nam quemadmodum 1. Oriens Basilium, ita Occidens te, vitæ Religiosæ propagatorem agnoscit. Et ut S. Gregorius scribit L. 2. Dial. c. 8. *Omnium Religiosorum in Occidente Patriarcham*. Conscripta enim est à te regula peculiaris (quam idem S. Gregorius L. 2. Dial. c. 36. *Discretione præcipuam, sermone luculentam nuncupat*) quæ nobis quoque in Exhortationibus hisce concinnandis subsidio fuit. 2. Ordo tuus magno Ecclesiæ Dei emolumento, ubique terrarum, exitit; dum ab Anno 520. per te in Italia, per S. Maurum in Gallia, per S. Placidum in Sicilia, mirificè propagari cœpit; postmodum in Germania & alibi ad stuporem auctus: ut enim recenset Trithemius L. 1. de Viris Illust. c. 2. suo ævo (Anno circiter 1480.) in sola Provincia Moguntina 124. Abbatia extiterit: additque fuisse tempus, quo in Orbe universo 15000. Abbatiarum præter Præposituras, aliâque minora Cœnobia, & Monialium Monasteria numerarentur. 3. Ordo tuus quot viros sanctitate & eruditione, dignitatèque illustres protulit? Teste Trithemio Summos Pontifices 24. teste Genebrardo 28. Cardinales. 200. Archi-Episcopos 1600. Episcopos 4000. Abbates aliosque Scriptores eruditione & libris scriptis claros 35700. Imperatores numeravit 3. Imperatrices 11. Maximos & strenuos Reges 22. Reginas 41. Principes viros ac fœminas innumeros; Sanctorum Albo inscriptos 55700. Ut narrant Balduinus in Præfat. ad Reg. S. Bened. Arnoldus Wion in ligno vitæ & Trithemius L. 1. c. 55. L. 2. c. 21. 3. Celebrerrimi Ordinis tui, præter alias complures, propago est Cluniacensis Congregatio, sub Odone Abbate Cluniacensi Anno 953. fundata. Et Camaldulensis à S. Romualdo circa annum 1000. excitata. Nec non Cisterciensis à S. Roberto circa annum 1098. inchoata; atque à S. Bernardo illustrata & propagata. 4. S. Ignatius in monte Casinate, vitâ & sepulturâ tuâ nobilitato, animam Hozii, unius è Sociis suis defuncti, clarissimâ luce circumfusam in cœlum ferri vidit, Ribad. L. 2. vitæ c. 12. Quemadmodum tu in eodem loco, Germani Capuani Episcopi animam in sphaera ignea in cœlum deferri conspexisti. S. Gregor. L. 2. Dial. c. 35.

Nunquid

DE T

Nunquid igitur tibi Patriarcham Virorum. Ordine positiones, æquissimo iudicio. V. Ulterius ratione dicarum, oblatumque Societati nostræ, peculiari Fundator meritissime cordi fuit, & in exordium Desperare protectione aliquæ Claustrarii, toninus p. 2. Hist. mosque sanctitate nobis virtutum exercitæ, recenter nate, in necessitatibus manu propria S. Ig. servata, restantur. reus nosse Ignatium dandam, Deo rev. fiat. Et postquam, postquam quam Carthusien Societatis licenti diplomate stabiliti partibus ad te veniunt. V. Sedecim anni Cisterciensis, circa tus, & à te S. Bernar. atque illustratus, sibi in dignitate Abbatum. Hic Ordo veniunt, eamque virtutem merito à Gregorio reulicet: Cisterciensis viginti ceteras, Virginitatis, caritate, cana

D E D I C A T O R I A.

Nunquid igitur tibi Patriarcha sanctissime, tot Sanctorum & illustrium Virorum, Ordinumque Authori, exiguas regulæ nostræ expositiones, æquissimo jure, titulisque multiplicibus, devovemus?

V. Ulterius, rationes variæ suppetunt, cur & tibi Codicem hunc dicatum, oblatumque cupiamus, S. Bruno, Carthusiensis familiæ, Societati nostræ, peculiari amicitia & charitatis vinculo adstrictæ, Fundator meritissime. Nam 1. Ordo tuus sanctus, qui Deo semper cordi fuit, & in exordio, inter tempestates fluctuans, sub Virginis Deiparæ protectione, usque in hodiernum diem securè delituit; *aliisque Claustralibus, à primævo Instituto deslecentibus*, ut ait S. Antoninus p. 2. Hist. tit. 13. *in suo vigore ac flore perseveravit*: plurimosque sanctitate conspicuos, tum Generales, tum alios, produxit; nobis virutum exemplis prælucentes. 2. Ordo tuus Societati nostræ, recenter natæ, singularia benevolentia signa exhibuit, atque in necessitatibus persæpe succurrit; ut literæ gratiarum actoriæ manu propria S. Ignatii exarata, & in Carthusia Colonienâ piè aservata, testantur. 3. Ordinem tuum tanti fecit idem Sanctus Pater noster Ignatius, ut, antequam Societatem Jesu, à se fundandam, Deo revelante cognovisset; eundem ingredi & amplecti statuerit. Et postmodum, Societate jam fundatâ, sanxerit; ne ulli unquam, post vota emissa liceat transire ad alium Ordinem, præterquam Carthusiensium; nisi de expressâ Præpositi Generalis, aut Societatis licentiâ: quod etiam impetrato à Paulo III. Pontifice, diplomate stabilivit. Lancicius Opusc. 1. c. 19. Ex quibus liquet, pluribus ad te venerandum titulis, nos obligari.

V. Sedecim annis post S. Brunonis Ordinem; cœpit S. Ordo Cisterciensis, circa annum Domini 1098. à te, S. Roberte inchoatus, & à te S. Bernarde Doctor Melliflue plurimum propagatus atque illustratus, Alberico & Stephano Viris sanctitate claris, & sibi in dignitate Abbatiali succedentibus, vobis strenuè cooperantibus. Hic Ordo vester ab eo tempore constanter in Ecclesia Dei floruit, eamque viris sanctimoniâ vitæ præclarissimis replevit: ut meritò à Gregorio XI. Pontifice Maximo hoc encomium retulerit: *Cisterciensis Ordo divinis mancipatus obsequiis, & inter Religiones ceteras, Virgini (Deiparæ) singulari devotione adstrictus, rutilat charitate, candet castimoniâ, & pulchritudine conversationis*

)(

elucet.

E P I S T O L A

elucet. Deinde eos *Candidos Nazareos* nuncupat: Quia cum antè nigro uterentur habitu, is à B. Virgine in candidum commutatus est: S. enim Alberico Abbate Cisterciensi secundo, cum suis religiosis, Matutinas ac Laudes devotè canenti, Virgo beatissima, Spirituum cœlestium phalange stipata, candidam, ac nitidissimam Cucullam S. Alberici capiti imposuit, simulque aliorum in Choro cantantium cucullæ nigrorem in candorem prodigiôsè commutarunt. De hoc eodem Sacro Ordine sic in Bulla loquitur Clemens Papa IV. *Cisterciensis Ordo præluceus, est fons amœnus varietate virtutum, præclarus munditiæ puritate, pietate patens, indeficiens sanctitate:* & Benedictus XI. *Sicut stella matutina in medio nebulae, Sacer Cisterciensis Ordo, in Ecclesia militante, strenuè militat, operibus, exemplis* (in Bull. to. 1.) Quid ergo mirum, B. Alberico S. Roberti successori, orationi intento, Virginem Beatissimam, conspicuam, Ordinis tam sancti propagationem protectionemque fuisse pollicitam, & adjecto hoc acroamate: *Ego Ordinem istum usque in finem sæculi protegam atque defendam.* Britusto. 1. L. 1 Deinde alteri Cœnobitæ Cisterciensi ad Cœlestium Choros spectandos elevato, eandem Deiparam dixisse quis miretur: *Ita mihi dilecti sunt, qui de Ordine Cisterciensi sunt; ut eos etiam sub ulnis meis foveam.* Casari. L. 1. c. 60. Meritò igitur & tibi S. Roberte, & tibi S. Doctor melliflue, cujus mellea verba crebrò in his exhortationibus usurpavimus, exiguum hoc Opusculum dedicamus & consecramus.

VII. Nec Te præterire nos oportet S. Norberte, Magdeburgensis Archi-Episcopi, Præmonstrato tibi cœlitus à Beatissima Virgine Deipara, habitu candido, candidi Ordinis Præmonstratensis, sub D. Augustini Regula, Author celeberrime: cujus sepulchrum, in crypta templi Magdeburgensis, aliquando invisimus. Ordo enim tuus sanctus, quam plurimos sanctitate eximios, Episcopos, Abbates, Confessores, Martyres, & Sanctimoniales, Ecclesiæ Dei peperit; omni virtutum genere coruscantes. Ordo tuus sanctus, unà tecum, prædicatione Evangelicâ, hæresum oppugnatione, peccatorum conversione, aliisque functionibus ac laboribus Apostolicis Societati nostræ præfulsit; *Attendentes,* ait Adrianus Papa IV. *quomodo Ordo vester (cujus nos alumni, aliquando fuimus) multâ refulgens gloriâ meritorum, & gratiâ redolens sanctitatis, palmi-*

D E D I C A T O R I A.

palmites suos à mari usque ad mare extenderit, atque in vinea Domini strenue laborârit. Quid ni igitur, tibi quoque Fundator sanctissime, laborem nostrum dedicatum, consecratumque velimus?

VIII. S. Dominice Ordinis Prædicatorum, sub D. Augustini Regula, Fundator gloriosissime; (cujus sacra lipsana, magnifico, ex marmore candido, inclusa monumento, Bononiæ venerati sumus) pluribus quoque titulis præfens Opusculum Tibi quàm devotissimè offerimus & consecramus, Tu enim Author & caput es ejus Religionis, in qua tot Sanctorum lumina resplenduerunt: scilicet S. Antoninus, S. Petrus Martyr, S. Vincentius Ferrerius, S. Raymundus, S. Hyacinthus, S. Albertus M. S. Ludovicus Bertrandus Societatis nostræ amantissimus &c S. Agnes Politiana, S. Margaretha de Castello, S. Margaritha Regis Hungariæ filia, Martyrumque innumerabilis copia: Nec non S. Catharina Senensis, cujus domum in qua nata & educata, Christo que desponsata fuit, Senis intuiti sumus. Præ reliquis autem D. Thomas Aquinas, Doctor Angelicus refulsit; Sanè si ex Ordine tuo nulla alia derivata fuisset ut lita, quàm quòd Doctorem hunc protulisset, abundè satès, Ecclesiæ sanctæ profuisset: *E cujus Doctoris sapientiæ & doctrinæ scriptis, ut loquitur Clemens VI. Pontifex Maximus, Universalis Ecclesia multiplicis utilitatis spiritalis fructum colligit, ejusque odore incessanter reficitur.* Lib. Privil. Deinde S. Ignatius Ordinem hunc tuum sanctum mirificè coluit, & initio suæ ad Deum conversionis, dum sanctitatis fundamenta Manresæ jaceret, templum Religiosorum tuorum crebrò frequentavit, mirisque in eo revelationibus, de S. Trinitate, de Christi in Eucharistia præsentia, de Beatissima Virgine, recreatus multoties fuit. Dum Salmantica literis operam daret, ex Ordine tuo Sacerdote, conscientia arbitro, est usus. Ribad. L. 1. vitæ c. 7. Maffæus, Orlandinus &c. L. 1. n. 27. Ac denique Doctoris Angelici doctrinam, tanquam solidiorem, magisque probatam Societatis Doctoribus ac Professoribus in Theologicis sectandam commendavit.

IX. S. Pater Franciscæ Seraphice humilitatis, paupertatis, omniumque virtutum speculum lucidissimum: Tu Regulæ novæ es Conditor, cujus originale diploma confirmationis, ab Honorio Pontifice datum, ejusdemque sigillo munitum, Assisii vidimus,

E P I S T O L A

ibidémque ad aram corpori tuo sancto imminentem celebravimus; locúmque, in quo Regulam conscripsisti, in templo Portiunculæ venerabundi spectavimus, quàm non à te, sed à se inspiratam, compositam, dictatamque Christus Dominus noster S. Birgittæ revelavit L. 7. c. 20. Unde & tibi Regularum nostrarum expositiones meritò consecrandas, dicendasque censuimus. 2. Te etiamnum vivente, ad hujus Regulæ tuæ sanctæ amplexum, tantus fuit affluxus, ut in primo Conventu Generali, Assisii, 5000. Fratrum numerata fuerint, & eo ipso tempore 500. adjuncti. Numerus is postea adeò excrevit, ut in tres classes divisus sit, quorum singulæ, ordines bene magnos repræsentant, nimirum Conventuales, Observantes & Capucinos; atque alii tertii Ordinis, utriusque sexûs. De quibus affirmat Cornelius à Lapide in cap. 5. Matthæi: *Magni & continui instar est miraculi, videre tot Religiosos & Religiosas hujus sacræ familiæ tuæ (sunt facile toto orbe decies centena milia) paupertatem professos, sine censu, sine reditu, honestè tamen & commodè ex fidelium elemosynis vivere. Nimirum hic elucet divina erga suos pauperes providentia.* 3. Quot Sanctitate illustres Amplissimus hic Ordo genuit passim notos, in primis S. Antoninum Patavinum, ad cujus aram Paduæ fecimus & linguam ejus etiamnum incorruptam, ac rubentem, non sine admiratione conspeximus. Qui omnes unâ cum heroica paupertatis, humilitatis, charitatis Seraphicæ exempla ac specimina, in nostris quoque exhortationibus crebrius adducta, nobis reliquerunt. 4. Erga hunc Sanctissimum Ordinem, tanto affectu ferebatur S. Ignatius, ut post institutam Societatem, Ordinario Confessario Romæ uteretur P. Theodosio Ordinis Strictioris Observantiæ, viro sanctitate & prudentiâ singulari, cumque à Sociis in Præpositum Generalem electus esset, diu detrectans munus acceptare noluit, donec in Cœnobio S. Petri, dicto de monte aureo (ad quod orationis & recollectionis majoris gratiâ secesserat) ab eodem P. Theodosio, cui totam vitam suam in confessione aperuerat, jussus esset, illud acceptare, & vetitus, Spiritui sancto, hoc ei munus imponenti resistere. Lancelius Opus. l. c. 19. Vides igitur, Pater Seraphice, quòd laborem nostrum tibi consecrandi, titulum non unum reperiamus.

X. Neu-

X. Neutiqua
 S. Theresia de J
 efflorescens ca
 viola, charitat
 Virgini Deipa
 Seraphica, tot
 la. Forti pector
 dia, jaculo ign
 tis zeli, extin
 lum profecta
 dum viveres
 carrix, mar
 profecora;
 tris, spiritu
 dibus atto
 re solita fu
 ejus coeve
 benedictos
 quibus, pol
 cer, in vita
 Coloniz an
 tius tibi ram
 simi Ordinis
 tum hunc no
 dumque jure
 XI. Denique
 in Regulas tuas
 quam tibi, Sanct
 nostrum Con
 nium variorum
 do affante conse
 precibus, vel lac
 à Deo, luminum
 documenta prez
 strina & vita sacro
 verè prudentiz,

DEDICATORIA.

X. Neutiquam prætereunda es ô Seraphica Virgo & Mater S. Theresia de JESU, candidissimum in Sacro Carmeli viridario efflorescens castitatis liliū, sanctimoniam speculū, humilitatis viola, charitatis rosa, sapientiam cœlestis Magistra, Beatissimæ Virgini Deiparæ, ac S. JOSEPHO unice devota! Tu ô Virgo Seraphica, tot animarum sanctarum Parens inclita, ob adversa, forti pectore tolerata, martyr incruenta; cujus pura præcordia, jaculo ignito, à Seraphino transfixa; cujus vita, divini amoris actu, extincta; cujus anima, candidæ columbæ specie, in cœlum profecta, Tu, inquam, Virgo sanctissima, Societatis JESU, dum viveres, singularis amica, spiritualis filia, & eximia deprædicatrix, maximo eandem amore, veneratione & cultu semper es profecuta; utpote tredecim minimū, ex ea, conscientiam arbitris, spiritusque directoribus usa. Tu summis eam in cœlum laudibus attollere; atque, ut ita dicam, in album Sanctorum referre solita fuisti: nunc enim eam gentem sanctam; nunc sanctam ejus conversationem; nunc ejus personas sanctas; nunc Patres benedictos; nunc Patres tuos suavissimè nuncupare consueveras; quibus, post Deum, omne animæ tuæ bonum debeas. Ut videre licet, in vita Tua Italicè, Hispanicè ac Latinè, Romæ, Neapoli, & Colonia anno 1626. alibi que aliàs sæpius editâ. Quamobrem totius tibi tam dilectæ Societatis nomine, Tibi tanti ejusque sanctissimi Ordinis utriusque sexûs Gloriosissimæ Reformatrici, conatum hunc nostrum quàm demississimè inscribendum, dedicandumque jure optimo putavimus.

XI. Denique cuinam alii, potiori jure exhortatiunculas hæc, in Regulas tuas, inscriberemus, dedicaremus, & substerneremus, quàm tibi, Sancte Ignati Patriarcha beatissime, qui Regularum nostrarum Conditor & Legislator extitisti? Tu enim eas, ut Pontificum variorum Bullæ testantur, Deo inspirante ac Spiritu sancto afflante conscripsisti. Tu pro earum felici compositione, tot precibus, tot lacrymis, tot sacrificiis, operibusque pœnosis lumen à Deo, luminum fonte efflagitasti. Tu eas tanquam axiomata ac documenta præstantissima, è Domini nostri JESU Christi doctrina & vita sacrosancta excerptisti. Tu eas, ut rectæ rationi, veræ prudentiæ, divinæ & Evangelicæ legi congruerent, longâ

E P I S T O L A

decem annorum lucubratione ac meditatione expendisti. Tu multa eis inseruisti, ante hac inaudita, aliisque Ordinibus antiquioribus inusitata, Societati à te fundatæ propria (Venerabilis P. Lanciaus Opusc. 17. c. 17, Puncta ejusmodi ultra sexaginta enumerat) quæ ab alio nemine, nisi à Deo collustrante, haurire potuisti; quæque multis & admirandis revelationibus, visionibus ac raptibus irradiatus, posteritati tuæ consignasti. Tu eas denique triennio ante obitum tuum, anno 1553. per R. P. Hieronymum Natalem in Hispania, in aliis regnis, per alios, publicasti, omnibusque filiis tuis observandas proposuisti. Has regulas tuas, Sedes Apostolica & in primis Paulus III. anno 1540. Julius III. anno 1550. Gregorius XIII. & alii Pontifices comprobavêre. Quas Societas universa complexa, tot annorum usu constanti comprobavit, atque ad eas, tanquam ad cynosuram, vitæ suæ cursum feliciter hucusque direxit. Magno certè solatio nobis fuit, Pater Sancte, Romæ illud ipsummet tuum cubiculum lustrare, & in eo, in Sacellum converso, Missæ Sacrificium offerre; in quo Spiritu sancto inspirante & collustrante, Constitutiones ad eò sanctas, summosque perfectionis apices continentes, nobis consignasti; prout, diversis locis, appensæ ibidem tabellæ, aureis characteribus depictæ, testantur; hisce formalibus:

Hic S. Ignatio Constitutiones Societatis scribenti, sæpe divinæ Personæ apparent, eumque miris luminibus illustrent.

Hic S. Ignatius Constitutiones Societatis conscribens videt Deiparam, eas cœlitus approbantem.

Hic S. Ignatio oranti Spiritus sanctus, specie ignis, ut olim Apostolis, apparuit.

Hic S. P. Ignatius precationibus intentus, à P. Ludovico Confalvo, sæpissime beatâ quadam luce circumfusus conspectus est.

Hic S. Ignatius rem divinam faciebat: S. Trinitatis Personis, ei sæpenumero apparentibus.

Hic divina meditati S. Ignatio, Sanctorum in cœlis Chori se conspiciendos præbent.

Hic S. Ignatius migravit in cœlum pridie Kal. Augusti anno M. DLVI

Suscipe igitur, Patriarcha Sanctissime, Exhortatiunculas hæc, im-

impolitas, in
nis honoratas
tiarum action
cem tuam laud
crebris, & reg
annos quatuor
Opusculum, r
erte, velut fo
lectum, dictu
Suscipite
Sanctissimi,
amoris, ven
grati pign
omnigena
nobis præ
fructu fru
auditis
ltras, ear
tenere am
in sculptas
tissime obi
ltras pro
iterum
fec

DEDICATORIA.

impolitas, in Regulas tuas, tot visionibus & illustrationibus divinis honoratas & approbatas. In animi grati mnemosynon, & gratiarum actionis perpetuæ signum, quòd indignos nos, in Societatem tuam laudabilem admiseris, & non obstantibus negligentis crebris, & regularum tuarum sanctarum transgressionibus, ultra annos quatuor & quadraginta in eadem toleraveris. Suscipe hoc Opusculum, non tanquam nostrum, sed tuum; quia quidquid est, ex te, velut fonte, Legislatore, Doctore, Duce ac Luce haustum, lectum, dictum, scriptum, concinnatumque est.

Suscipite & vos reliqui Ordinum prædictorum Fundatores Sanctissimi, lucubrationem hanc nostram, in perpetuam honoris, amoris, venerationis, & observantiæ tesseram, simulque in animi grati pignus, quod doctrinâ vestrâ saluberrimâ, virtutumque omnigenarum exemplis, quibus scripta hæc nostra illustravimus, nobis præfulseritis. Ne verò tenuis hic labor noster sine suo & fructu frustetur, gratiam uberem nobis, omnibusque lectoris & auditoris à Patre luminum exorate, ut Regulas alii suas, nos nostras, earumque expositiones, probè intelligamus, intellectas tenerè amemus, amatas seriò in praxin redigamus; cordibusque insculptas, usque ad supremum vitæ mortalis halitum constantissimè observemus. Quâ fiduciâ freti finimus atque ad aras vestras prostrati, Opusculum præsens, uti & nos ipsos totos, iterum, iterumque, quàm possumus demississimè offerimus, dicamus & consecramus. Treviris

Anno 1703. 17. Junii.



P R Æ F A T I O

Ad Lectorem benevolum.



Quoniam Exhortationes præsentæ, in omnes Summarii Constitutionum, Societatis nostræ Regulas, ad Tyrones (ordinariè Tre viris quinquaginta numeramus) aliòsque Patres ac Fratres, in Domino probationis degentes habuerimus; ita tamen eas concinnavimus, ut paucis mutatis, aliorum quoque Ordinum Religiosis deservire valeant: quò fructus laboris sese explicaret latius, atque ad plures uberius dimanaret. Quemadmodum disertè S. Parens noster Ignacius nos docuit p. 7. Constit. cap. 2. dum ait: Spirituale auxilium impensum multis, anteponendum est illi, quod præstatur paucis: causamque mox subdit: quia bonum quò universalius, eò divinius. Ac proinde, ut confidimus, tenuis hæc opella nostra,

I. Serviet Tyronum Magistris, nonnunquam aut debilitate & infirmitate, aut negotiis aliis, temporisve angustia pressis, dum illis interea, binis in hebdomadæ diebus, juxta præscriptum Regule, dicendum est: quos labor hinc noster, nonnihil sublevare poterit.

II. Serviet Concionatoribus nostris, domesticos intra parietes, singulis aut alternis hebdomadibus Collegas ad perfectionem excitantibus, atque in materia apta, mox reperienda, aut seligenda, quandoque herentibus; quibus plurima usus futura suggerimus.

III. Serviet Ordinum aliorum Religiosis, vel in Monasteriis propriis, vel in Monialium Asceteriis, perorantibus, quibus quanto subsidio omnes ferè hæc Exhortationes futuræ sint, Index abunde ostendet.

IV. Serviet Prælati ac Superioribus, in Religiosorum suorum, aut Virginum Sacrarum Investitura pansoyrin habituris; quibus tum in præliminaribus, tum in fine de Religiosi Status privilegiis ac favoribus, varia suppeditamus.

V. Ser-

Præfatio ad Lectorem benevolum;

V. Serviet iisdem, in professionibus solemnibus, ad proficientes, aut professos, parænesin instituturis; quibus quàm plurima, de paupertate, castitate, obedientia, Regulari observantia, aliisque virtutibus Religiosis insinuamus.

VI. Serviet quoque Tyronibus illis, ad quos diximus (fuere universim hæctenus 180.) qui post fata nostra diu superstites, exhortationes olim auditas legere ac relegere, & lac, quo in vita Religiosa infantia pasti, educati que sunt, denudò ruminare, gustumque inde & spiritus nutrimentum percipere poterunt.

VII. Serviet postremò Religiosis quibuscunque, vel pro privata, vel pro publica super mensam, lectione; cum de perfectione, omnibusque virtutibus Religioso consentaneis tractet. Neque enim prædicatio duntaxat, sed etiam lectio spiritualis animam nutrit, dum quis escas spiritus delibat, gustat, & ut cum Magno Augustino, loquar, in ventrem memoria demittit; ut postmodum intellectum pascat, voluntatem reficiat & spiritum aliàs flaccescentem, robores, atque confortet.

Atque hic, scopus est & intentio nostra. Quisquis verò hæc legerit, ea pro sua prudentia & ingenio gustui ac Instituto suo, nullo negotio, attemperabit. In ventis namque facile est addere aut demere: facile est, quæ de Regula nostra adducta sunt, simili Ordinis alterius Regulæ, ut de oratione, de devotione, de tentatione, de exhomologesi, de synaxi sacra, de modestia, humilitate, charitate, zelo animarum, aliisque virtutibus Religiosorum, applicare. Facile est, historiis & exemplis (quibus non rarò usi sumus, quòd iis juvenus Religiosa delectetur) è penu nostro depromptis propria religionis exempla illustraque facinora substituere; Ac proinde miretur nemo, eandem nos escam diversis ad eò Religionibus proponere: siquidem ex eadem mensa, bene instructa, puer & senex, vir & femina, debilis ac robustus alimentum conveniens nanciscitur. In eodem prato, ut scribit Seneca Epist. 107. Bos herbam, canis leporem, ciconia lacertam captat. Pari proinde ratione, eadem Exhortationum mensa diversis Religiosis pabulum congruens dispescere valebit. Idèoque.

Conceptus non admodum sublimes, aut vix ingeniorum aquilis perceptibiles; sed faciles, ac Tyronum captui accommodatos, communiterque è sacris paginis decerptos, selegimus.

Diximus linguâ germanicâ, latinâ scripsimus, doctus lectu gratiore, & faciliore pro memoria exercitio. In hac autem barbariem, quantum licuit, fugere studuimus, latinatatem amavimus; sed verborum phaleris

Præfatio ad Lectorem benevolam.

& lenocinia sectati non sumus: neque enim hujusmodi verba querenda esse duximus, ubi de salute & perfectione agitur. Suspectum redditur, ait Cardinalis Baronius, Tom. 3. ad Annum 306. quidquid fucō & pigmentis obducitur; pulchriorque enitescit ipsâ suâ puritate simplicitas, præsertim in spiritualibus & asceticis. Rerum prima mihi, verborum cura secunda, agebat Cæspianus Historicus in Frid. III. Et sane viri prudentes, ac spirituales, fructus in Libris quærunt, non folia; flores, non pappos volaticos desiderant.

Exhortationes etiam, multâ, variâque rerum farragine, non farsumus, quod hodie dum, nonnullis in more est positum, sed verbi divini, Sanctorum Patrum, Ascetarumque probatissimorum testimoniis, ac rationibus solidis, proposita stabilivimus. Neque enim Auditorum curiositatem pascere, atque oblectare; sed eorum animos ad virtutum solidarum studium ac perfectionem exstimulare & promovere, pro modulo nostro, studuimus, quemadmodum lex Christiana, & Regula sanctæ imperat.

Thema duplex præfiximus, alterum è paginis Sacris, è Societatis nostræ Regulis alterum: hoc nostris, illud Religiosis aliis deservire poterit, aut pro beneplacito, ejus loco, aliud aptum substitui.

Habes Lector benevole, mentem & intentionem nostram, quam æqui bonique consulere dignare. Quod si vel unica Exhortatio, aut punctum ejus, tibi, alterive, ad Dei gloriam, proximi ædificationem, & vel ad unum gratiæ ac gloriæ gradum, omnibus mundi thesauris infinite præstantiorem, acquirendum, servierit; omnem laborem nostrum, abundè compensatum, existimabimus. Ad extremum, id unum, te demisse rogatum velimus, ut corde, ore, opere, & majoris gloriæ divinæ intentione cuncti, quotquot valemus, ad vitam JESU Christi Domini nostri, imitandam, perfectionemque in Regulis Religiosis contentam, omni studio & conatu sectandam, ope divinæ gratiæ, excitare atque inflammare satagemus. Vale mi Lector, & nos sive vivos, sive mortuos, domumque æternitatis jam ingressos, in Sacrificiis ac Precibus tuis Sanctis Deo omnipotentis commenda. Treviris Anno 1703. 18. Junii.

APPROBATIO R. P. V. PROVINCIALIS.



Go infra scriptus Societatis JESU per Provinciam Rheni inferioris Præpositus V. Provincialis & Visi-
tator, potestate mihi factâ à P. Nostro Thyrsô Gon-
zalez Societatis JESU Præposito Generali typis
madari permitto Librum cui titulus: EXHORTA-
TIONES AD RELIGIOSOS, à R. P. Joanne Dirckinck So-
cietatis ejusdem Sacerdote, Concinnatum; atque à deputatis ad
id Censoribus ejusdem Societatis perlectum & approbatum. In cujus
rei fidem hæce litoras, manu propriâ & consueto officii sigillo mu-
nitas dedi. Treviris Anno 1704. 17. Februarii.

ALBERTUS MECHTL m. p.

PRIVILEGIUM CÆSAREUM



Go infra scriptus Societatis JESU per Provinciam Rheni inferioris Præpositus
Provincialis, potestate mihi ab Adm. R. P.
nostro Michaële Angelo Tamburino
Præposito Generali ad id factâ concedo Viduæ
GODEFRIDI MEUCHER Bibliopolæ Colonien-
sis facultatem ad decennium recudendi Librum, cui
titulus est: Exhortationes ad Religiosos, Authore
R. P. JOANNE DIRCKINCK: Eidemque jus
Cæsarei privilegii usurpandi eatenus indulgeo, ut
Librum hunc sive in toto sive in parte nemo alius
intra decennium recudere, nemo intra S. R. Imperij
fines & hæreditarias S. Cæs. Majestatis Provincias
importare aut venum exponere audeat. In cujus
rei fidem has literas manu propriâ subscriptas &
officii Sigillo munitas dedi. Coloniae 1714. 14. Julii.

PETRUS SCHMITMAN S. J.

SYNOPSIS

ET SERIES EXHORTATIONUM AD RELIGIOSOS.
Præmittuntur 15. Exhortationes præliminares, Stimulos & motiva,
Regulas observandi continententes.

1. DE Fundatore & Conditorum Regula.

Thema. *Et vidi alterum Angelum descendentem de caelo.* Apoc. 10. 1.

2. De præstantia Libri Regularum.

Thema. *Accipe Librum & devora illum.* Apocal. 10. 9.

3. Regula est phar: s tenebras dissipans.

Thema. *Mandatum Domini lucerna, & lex lux.* Proverb. 6. 23.

4. Regula Religiosa est columna nubis & ignis.

Thema. *Dominus precedebat eos ad ostendendam viam, per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis.* Exodi 13. 21.

5. Regula est antemurale & propugnaculum Religionis.

Thema. *Urbis fortitudinis nostra Sion, Salvator; Murus ponetur in ea & antemurale.* Ilaia 26.

6. Regula est seps vineam protegens.

Thema. *Plantavit vineam, & sepem circumdedit ei.* Matth. 21. 33.

7. Regula est speculum Religiosorum.

Thema. *Si ignoraste, o pulcherrima mulierum, egredere & abi post vestigia gregum inorum.* Cant. 1. 8.

8. Regula est scala Jacob.

Thema. *Viditq; in somnis scalam, & cacumen illius tangens calu.* Gen. 28. 12.

9. Prædestinatio Divina est Stimulus observandi regulam. (Rom. 8. 29.

Thema. *Quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imagini Filii sui.*

10. Signa prædestinationis & reprobationis Stimulant ad observantiam Regularum.

Thema. *Quos præscivit & prædestinavit conformes fieri Sc.*

11. Beneficium ingens vocationis Religiosæ Stimulus est ad observantiam Regularum.

Thema. *Quos autem prædestinavit, hos & vocavit.* Rom. 8.

12. Fructus excellentes Religiosæ vocationis Stimulos addunt ad observantiam Regularum.

Thema. *Quos autem prædestinavit, hos & vocavit.* Rom. 8.

13. Beneficium justificationis, Stimulus est ad observantiam Regularum.

Thema. *Quos autem vocavit, & justificavit.* Rom. 8.

14. Beneficium glorificationis, Stimulus est observantiæ Regularis.

Thema. *Et quos justificavit, illos & glorificavit.* Rom. 8.

15. Singularis cura & industria Religionis, Tyrones suos informandi, Stimulus est observantiæ Regularis.

Thema. *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.*

Ad Gal. 4. 19.

SY-

S
RELIGIOSOS.
mulus & motiva,
Apoc. in. 1.
6. 23.
er diem in co-
22.
antur in ea
21. 11. 11.
re & abi post
Gen. 28. 11.
Rom. 8. 29
ni Filij
servantiam
vantiam
vantiam
gularum.
Sci-
vobis.
SY-

SYNOPSIS

ET SERIES EXHORTATIONUM

In Regulas Societatis JESU, quæ aliorum Ordinum Regulis
aut moribus, facîle accommodantur.

Regula 1. 1. De conservatone, gubernatone & promotone Societatis, aut
alterius Religionis.

Thema. *Fidelis Deus, per quem vocati estis in Societatem Filij ejus
JESU Christi Domini nostri.* 1. Corinth. 1.

2. De Societate JESU, minima.

Thema idem. *Fidelis Deus &c.*

3. De necessitate Regularum.

Thema. *Quicumque hanc Regulam secuti fuerint fax super illos.* Ad Gal. 6.

4. De interna lege charitatis ad Regularum observantiam necessaria.

Thema. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum,
qui datus est nobis.* Rom. 5.

5. De necessaria, Legis internæ & externæ conjunctione.

Thema. *In dextera ejus ignea lex.* Deut. 33.

Regula 2. 1. De fine Religiosi Statûs.

Thema. *Nunc verò liberati à peccato, servi autem facti Dei, habetis fru-
ctum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam aeternam.* Rom. 6.

2. De fine & medijs Religiosi Statûs.

Thema. *Habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam
aeternam.* Rom. 6.

3. De præstantia zeli animarum.

Thema. *Obsecro ut fiat in me duplex spiritus tuus.* 4. Reg. 2.

4. De actibus zeli animarum.

Thema. *Zelus domus tua comedit me.* Joan. 2.

5. De præstantia Ordinum, zelum animarum exercentium.

Thema. *Tu autem vado & annuntia regnum Dei.* Lucæ 9.

6. De impedimentis per S. Ignatium, à Societate remotis, & medijs aptis,
eidem suppeditatis.

Thema. *Quis putas est fidelis servus & prudens, quem Constituit Domi-
nus super familiam suam.* Matth. 24.

Reg. 3. 1. De indifferentia locorum.

Thema. *Euntes in mundum universum.* Marci 16.

2. Exempla varia hujus indifferentiæ.

Thema. *Posuit eos, quasi equos gloriæ suæ in bello.* Zachar. 10.

Reg. 4. 1. De nobilissimis fructibus vitæ communis in religione.

Thema. *Erant illis omnia communia.* Actor. 4.

S Y N O P S I S.

2. De causis vitæ communis in Societate.
Thema. *Omnis gloria Filia Regis ab intus.* Psal. 44.
3. De operibus pœnolis seu pœnitentiis.
Thema. *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo.* 1. Corinth. 9.
- Reg. 5. 1. De utilitate exercitiorum spiritualium.
Thema. *Ecce ego lactabo eam, & ducam in solitudinem & loquar ad cor ejus.* Olee 2.
2. De confessione generali, ejusque requisitis
Thema. *Statue tibi speculam, pone tibi amaritudines, dirige cor tuum in viam rectam.* Jeremix 31.
3. De fructibus Confessionis generalis.
Thema. *Confitebor injustitiam meam Domino, & tu remisisti, impietatem peccati mei.* Psal. 31.
4. De confessione annua & semestri.
Thema. *Negotiamini dum venio.* Lucæ 19.
- Reg. 6. 1. De examine conscientie quotidiano.
Thema. *Scrutemur vias nostras, & queramus & revertamur ad Dominum.* Thren. 3.
2. De tribus partibus pœnitentie; contritione, confessione & satisfactione.
Thema. *Confitemini alterutrum peccata vestra.* Rom. 10.
3. De emolumentis crebræ confessionis.
Thema. *Si confiteamur peccata nostra, Deus fidelis est & justus, ut remissat nobis peccata nostra.* 1. Joan. 1.
4. De dispositione ad Sacram Communionem.
Thema. *Qui manducat meam Carnem & bibit meum Sanguinem, in me manet, & ego in eo.* Joan. 6.
5. De fructibus Communionis & unionis Eucharisticæ.
Thema. *Lignum vite afferens fructus 12. per menses singulos.* Apoc. 22.
- Reg. 7. 1. De sincera manifestatione conscientie apud itabilem Confessarium.
Thema. *Qui abscondit scelera sua non dirigitur.* Proverb. 28.
- Reg. 8. 1. De sancto parentum & consanguineorum odio.
Thema. *Non veni pacem mittere, sed gladium.* Matth. 10.
2. De spirituali eorundem amore.
Thema. *Si quis venit ad me, & non odit Patrem suum & matrem suam, non potest meus esse discipulus.* Lucæ 14.
3. De causis & motivis parentes & mundum relinquendi.
Thema. *Mortui estis & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Ad Coloss. 3.
- Reg. 9. De utilitatibus ex defectuum manifestatione promanantibus.
Thema.

E
Thema. No
Reg. 10. De corre
Thema. P
Reg. 11. 1. De ca
Thema. M
2. De causis que
Thema. N
3. De causis fugi
Thema. S
4. De periculi
Thema.
5. De induen
Thema.
Reg. 12. 1. De
Thema.
2. De accu
Thema.
Reg. 13. 1. De
Thema.
2. De implec
Thema.
Reg. 14. 1. De
Thema. F
2. De remedi
Thema. Fran
Reg. 15. 1. De accu
Thema. Inspi
2. De recta Regula
Thema. Qui
Reg. 16. 1. De stud
Thema. Quasi
2. De prudentia vi

EXHORTATIONUM.

Thema. *Ne reverearis proximum in casu suo, nec retineas verbum tuum tempore salutis.* Eccli. 4.

Reg. 10. De correctione fraterna.

Thema. *Vos qui spiritualis estis, huiusmodi instruite, in spiritu lenitatis.* Ad Gal. 6.

Reg. 11. 1. De causis abhorrendi ab omnibus quæ mundus amat.

Thema. *Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Ad Gal. 6.

2. De causis querendi, & amandi contemptum, contumelias &c.

Thema. *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt.* 1. Joan. 2.

3. De causis fugiendi honores.

Thema. *Qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur.* Matth. 23.

4. De periculis dignitatum & munerum honorificorum.

Thema. *Judicium durissimum, his, qui presunt, fiet.* Sap. 6.

5. De induendis Christi insignibus & vestimentis.

Thema. *Induimini Dominum JESUM Christum.* Rom. 13.

Reg. 12. 1. De mortificatione interna & externa Religiosis necessaria.

Thema. *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum.* Matth. 16.

2. De mortificatione continua Religiosorum.

Thema. *Semper mortificationem JESU in corpore nostro circumferentes.* 2. Corint. 4.

Reg. 13. 1. De exercitio operum humilium, Religiosis conveniendum.

Thema. *Vilior sum plus, quam factus sum; & ero humilis in oculis meis.* 2. Reg. 6.

2. De amplectenda sui confusione.

Thema. *Proposito sibi gaudio sustinuit crucem, & confusione contempnã.* Hebr. 12.

Reg. 14. 1. De natura & varietate tentationum.

Thema. *Fili accedens ad servitutem Dei, stans in iustitia, & timore, & prepara animam tuam ad tentationem.* Eccli. 2.

2. De remediis tentationum.

Thema. *Prepara animam tuam ad tentationem.* Eccli. 2.

Reg. 15. 1. De accurata observatione Regularum.

Thema. *Inspice & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* Exodi 25.

2. De exacta Regularum etiam minimarum observantia.

Thema. *Qui in minimo fidelis est, & in majori fidelis erit.* Lucæ 16.

Reg. 16. 1. De studio virtutum solidarum.

Thema. *Quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso.* Eccli. 50.

2. De præstantia virtutis, præ doctrina & donis naturalibus.

Thema.

S Y N O P S I S

Thema. *Quando sursum est sapientia, plena est misericordia & fructibus bonis.* Jacobi c. 3.

3. De virtutibus virorum Apostolicorum.

Thema. *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare, adversus insidias Diaboli,* Ad Ephes. 6.

Reg. 17. De recta intentione operum.

Thema. *Omnia in gloriam Dei facite.* 1. Corinth. 10.

2. De intentione simplici & multiplici.

Thema. *Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit,* Matth. 6.

Reg. 18. 1. De exhortationibus domesticis.

Thema. *Quasi tuba exalta vocem tuam.* Isaiæ 58.

2. In iis potissimum agendum de fraterna charitate.

Thema. *Soliciti sitis servare unitatem spiritus in vinculo pacis.* Ad Ephes. 4.

3. De bonitate & jucunditate charitatis fraternæ.

Thema. *Ecce quam bonum, & quam jucundum, habitare fratres in unum.* Psal. 132.

Reg. 19. 1. De operibus humilitatis & charitatis.

Thema. *Induite vos ergo sicut electi Dei, viscera misericordiae, benignitatem, humilitatem; super omnia autem charitatem habere.* Ad Coloss. 3.

2. Deum liberalem esse erga liberales

Thema. *Qui dat omnibus affluenter & non improperat.* Jacobi 1.

3. Deum non sinere se vinci liberalitate, ab homine.

Thema. *Date & dabitur vobis; mensuram bonum & confertam & coagitatam & superfluentem, dabunt in sinum vestrum.* Lucæ 6.

Reg. 20. 1. Acquiescendum esse cui, bet gradu suo,

Thema. *Unusquisque in quo vocatus est, Fratres in eo permaneat.* 1. Corinth. 7.

2. Religiosus in suo gradu se perficiat, totumque se gloriæ divinæ impendat.

Thema. *Estote perfecti.* Matth. 5.

Reg. 21. 1. De tempore & ordine rerum spiritualium.

Thema. *Omnia tempus habent.* Eccles. 3.

2. De tempore congruo & statuto rebus spiritualibus impendendo.

Thema. *Fili conserva tempus.* Eccli. 4.

3. De devotione substantiali & solida.

Thema. *Obtulerunt mente promptissimâ atque devotâ primitias Domino.* Exodi 35.

4. De devotione accidentali seu sensibili.

Thema.

E X H O R T A T I O N U M.

- Thema. *Unxit te Deus, Deus tuus, oleo latitiae.* Psal. 44.
5. De causis & remediis ariditatis.
Thema. *Anima mea, sicut terra sine aqua tibi.* Psal. 141.
- Reg. 22. De illusionibus Dæmonis.
Thema. *Resistite diabolo & fugiet à vobis.* Jacobi 4.
- Reg. 23. 1. De paupertate, tanquam muro Religionis infirmo.
Thema. *Et erat structura muri, ex lapide fasside.* Apoc. 21.
2. De paupertate Religiosa, tanquam fundamento perfectionis.
Thema. *Beati pauperes spiritu.* Matth. 5.
- Reg. 24. 1. De amore paupertatis ceu matris.
Thema. *Ego mater pulchre dilectionis.* Eccli. 24.
2. De experimento peregrinationis & mendicationis.
Thema. *Proba me Domine & tenta me.* Psal. 25.
- Reg. 25. De victu & vestitu paupere.
Thema. *Habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti simus.* 1. Tim. 6.
- Reg. 26. Nihil dandum, aut accipiendum esse, absque venia.
Thema. *Simile est regnum cælorum thesauro abscondito in agro.* Matt. 13.
- Reg. 27. De spiritualibus ministeriis, proximo gratis exhibendis.
Thema. *Gratis accepistis, gratis date.* Matth. 10.
- Reg. 28. Religiosis ad angelicam castitatem enitendum esse.
Thema. *Erunt sicut Angeli Dei.* Matth. 22.
- Reg. 29. De diligenti sensuum custodia.
Thema. *Hortus conclusus Soror mea Sponsa.* Cant. 4.
- Reg. 30. De temperantia & modestia in refectioe corporis.
Thema. *Messui myrrham meam, cum aromatibus.* Cant. 5.
- Reg. 31. De perfectæ obedientiæ conditionibus.
Thema. *Produxit etiam Deus lignum vite in medio paradisi.* Gen. 2.
- Reg. 32. De integra sui manifestatione & subiectione.
Thema. *Unumquodque ante faciem gradiebarur.* Ezech. 1.
- Reg. 33. De obedientia charitatis.
Thema. *Castificantes animas vestras, in obedientia charitatis.* 1. Petri 1.
- Reg. 34. De obedientia prompta ad literam.
Thema. *Dico huc vade & vadit.* Lucæ 7.
- Reg. 35. De obedientia cæca.
Thema. *Surrexit autem Saulus de terra, apertisque oculis nihil videbat.*
Act. 9.
- Reg. 36. Obediens sit instar cadaveris & baculi senis.
Thema. *Ut iumentum factus sum à se.* Psal. 72.
- Reg. 37. De correctione & pœnitentiis libenter acceptandis.
Thema. *Corripies me iustus in misericordia.* Psal. 140.

)))))

Reg.

S Y N O P S I S

- Reg. 38. De obedientia erga subordinatos officiales præstanda.
Thema. *Quid est quod tenes in manu? Virga.* Exodi 4.
- Reg. 39. Literas absque venia, nec scribendas, nec accipiendas esse Religiosis.
Thema. *Hanc ecce vobis, Charissimi, secundam scribo Epistolam.* 2. Petri 3.
- Reg. 40. De reddenda ratione conscientie.
Thema. *Effundite coram illo corda vestra.* Psal. 41.
- Reg. 41. 1. De manifestatione sui apud Confessarios & Superiores.
Thema. *Effundo sicut aquam cor tuam.* Thren. 2.
2. De tentationibus Novitiorum.
Thema. *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas.* Cant. 2.
3. Tentationes minimas Tyronibus non minimi faciendas esse.
Thema idem - - -
4. De vitandis & eliminandis scrupulis.
Thema idem - - -
- Reg. 42. 1. De mediis conservandæ charitatis fraternæ.
Thema. *Idem sapite, pacem habete.* 2. Corinth. 13.
2. De motivis charitatis fraternæ, communibus.
Thema. *Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis.* Ad Ephes. 4.
3. De motivis fraternæ charitatis, Religiosis & Societati propriis.
Thema. *Sint unum, sicut & nos unum sumus.* Joan. 17.
4. De particularibus amicitii à Religione proscribendis.
Thema. *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dileximus vos.* Joan. 15.
- Reg. 43. De comuni & æquali affectu erga Principes dissidentes.
Thema. *Deum time, Regem honorificate.* 1. Petri 2.
- Reg. 44. De labore, & otio.
Thema. *Multam malitiam docuit otiositas.* Eccli. 33.
- Reg. 45. De vitandis à Religioso negotiis sæcularibus.
Thema. *Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus.* 2. ad Tim. 2.
- Reg. 46. 1. De moderata cura sanitatis.
Thema. *Ne solliciti sitis anima vestra, quid manducetis.* Matth. 6.
2. De temperantia, tanquam optimo medio conservandæ sanitatis.
Thema. *In multis escis erit infirmitas.* Eccli. 37.
- Reg. 47. De labore nimio vitando, moderato assumendo.
Thema. *Rationabile sit obsequium vestrum.* Rom. 12.
- Reg. 48. De discretione in castigatione corporis.
Thema. *Castigo corpus meum & in servitatem redigo.* 1. Corinth. 9.
- Reg. 49. De obedientia in morbo erga medicum spiritualem, & corporalem.
Thema. *Honora medicum propter necessitatem.* Eccli. 38.
- Reg. 50. De humilitate, patientia & ædificatione in morbo.
Thema. *Cum infirmus, tunc potens sum.* 2. Corinth. 2.

Reg.

E X H O R T A T I O N U M.

Reg. 51. De petenda pœnitentia ob transgressionem Regularum.

Thema. *Pœnitentiam agite.* Matth. 3.

Reg. 52. 1. De observantia exacta Regularum.

Thema. *Hæc est via, ambulate in ea.* Isaïæ 30.

2. De pace multiplici regulas observantium.

Thema. *Quicumque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos.* Ad Gal. 6.

De 9. beneficiis Religioforum, à S. Bernardo relatis.

1. Religiosus 1. vivit purius, 2. Cadit rariùs, 3. Surgit velociùs, 4. Incedit cautiùs.

Thema. *In omnibus gratias agite.* 1. Theff. 5.

2. Religiosus 5. Quiescit securiùs. 6. Irroratur frequentiùs. 7. Purgatur citiùs.

Thema. *Grati estote.* Ad Coloss. 3.

3. Religiosus 8. Moritur confidentiùs. 9. Remuneratur copiosiùs.

Thema. *Constebor tibi Domine in toto corde meo.* Psal. 110.

S Y N O P S I S
A C S E R I E S E X H O R T A T I O N U M

A U C T A R I I

De variis, solemnioribusque Festis.

P A R S I.

De Festis Christi Domini,

In Adventu.

1. **D**E directione rationis, intentionis, affectionis, locutionis, operis.

Thema. *Dirigite viam Domini.* Isaïæ 1.

2. Vallis pusillanimitatis implenda, mons superbiæ planandus, viæ pravitas corrigenda.

Thema. *Omnis mons & collis humiliabitur.* Isaïæ 40.

In festo Nativitatis Domini.

1. Causa cur Christus, infans parvulus natus sit, est major Dei gloria, per parva operantis magna

Thema. *Parvulus natus est nobis.* Isaïæ 9.

2. Altera causa, cur Christus infans natus sit, est, ut ab ipso disceremus simplicitatem puerorum.

Thema. *Invenietis infantem.* Lucæ 2.

In festo Circumcisionis Domini: Strena.

1. **J E S U S**, omnibus omnia. Admirabilis, consiliarius, Deus, &c.

Thema. *Vocatum est nomen ejus JESUS,* Lucæ 2,

)()()()(2

2. Con

S Y N O P S I S

2. Considerationes æternitatis incomprehensibilis.
Thema. *Annos æternos in mente habui.* Psal. 76.
3. De cura accurata temporis, pretiosissimi, brevis, irrevocabilis.
Thema. *Fili conserva tempus.* Eccli. 4.
De Passione Domini in Parasceve.
1. De tribus Christi Domini sociis, paupertate, contemptu & dolore.
Thema. *Pauper sum ego & in laboribus à juventute mea, exaltatus autem humiliatus sum.* Psal. 87.
2. De fructibus arboris S. Crucis. 1. Mortificatio vitiorum. 2. Exercitium virtutum. 3. Et charitatis.
Thema. *Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi, & fructus ejus dulcis gutturi meo.* Cant. 2.
In festo Paschatis.
3. Fides & gaudium Religiosorum de resurrectione Christi.
Thema. *Surrexit.* Marci 6.
2. Jonas figura Christi resurgentis.
Thema. *Surrexit, non est hic.* Marci 6.
In festo Pentecostes.
1. De præparatione ad Spiritum S. qui lux est.
Thema. *Lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem.* Joan. 3.
2. Linguae dispartitæ significant locutionem igneam cum Deo & cum proximo.
Thema. *Apparuerunt illis dispartita lingua tanquam ignis.* Act. 2.
In festo corporis Christi.
1. Domus Sapientiæ Eucharisticæ, innititur 4. columnis, Veritate Divinâ, Potentiâ, Sapentiâ & Benignitate.
Thema. *Caro mea verè est cibus.* Joan. 6.
2. Tres proprietates summi amoris ostendit Christus in Eucharistia, quæ sunt, summa conjunctio, summa communicatio, summa operatio.
Thema. *Cùm dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Joan. 13.

P A R S II.

De Festis B. V. Mariæ.

In festo Immaculatæ Conceptionis B. V.

1. **L**iber generationis Christi continet, væ peccatoribus, lamentationes penitentibus, carmen justis.
Thema. *Liber generationis IESU Christi.* Matth. 1.
2. B. Virgo est templum Salomonis. 1. Mundum. 2. Pacificum. 3. Ornatum.
Thema. *De qua natus est IESUS.* Matth. 2.

EXHORTATIONUM.

In festo Nativitatis B. V.

1. B. Virgo est aurora consurgens in Nativitate, in Conceptione Christi pulchra ut luna: in Assumptione, electa ut sol.

Thema. *Qua est ista, qua progreditur, quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol.* Cant. 6.

2. B. Virgo, Mater Societatis, aut Ordinis alterius.

Thema. *Ecce Mater tua.* Joan. 19.

In festo Annuntiationis B. V.

1. B. V. plena multiplici gratiâ, quâ & nos repleti oportet.

Thema. *Ave gratiâ plena.* Lucæ 1.

2. Dominus tecum, vox salutationis, vox affirmationis, vox conjunctionis.

Thema. *Dominus tecum.* Lucæ 1.

In festo Assumptionis B. V.

1. B. Virgo, in omnibus optimam partem elegit.

Thema. *Maria optimam partem elegit.* Lucæ 10.

2. Sicut B. Virgo, ita & anima Religiosa vocatur primò ad perfectionem, postea ad coronam.

Thema. *Veni de libano, sponsa mea, veni de libano, veni, coronaberis.* Cant. 4.

P A R S III.

EXHORTATIONES DE SANCTIS.

1. S. Angelus Custos 1. Præcedit. 2. Custodit. 3. In locum paratum introducit.

Thema. *Ecce ego mittam angelum meum, qui præcedat te, & custodiat in via, & introducat in locum, quem paravi.* Exodi 23.

2. De triplici obsequio S. Angelo Custodi exhibendo. 1. Est observandus. 2. Audiendus. 3. Non contemnendus.

Thema. *Observa eum, & audi vocem ejus, nec contemnendum putes.*

Exodi c. 23.

In festo S. Joannis Baptistæ.

1. S. Joannes fuit Angelus. 1. Missione. 2. Resignatione. 3. Castitate. 4. Contemplatione.

Thema. *Quis putas, puer iste erit?* Lucæ 1.

2. S. Joannes fuit Magnus 1. Gratiâ. 2. Vitæ innocentia. 3. Pœnitentiâ. 4. Officio. 5. Favoribus extraordinariis.

Thema. *Erit magnus coram Domino.* Lucæ 1.

In festo S. JOSEPHI.

1. Duodeni honores & gloriæ tituli S. JOSEPHI.

Thema. *Hoc honore dignus est, quem Rex voluerit honorare.* Esther. c. 8.

() () () (3

2. S.

S Y N O P S I S

2. S. JOSEPHUS peculiaris Societatis (vel Religiosorum) Patronus.
 Thema. *Cum esset desponsata Mater JESU MARIA JOSEPH.* Matth. 1.
 In festo S. Augustini Magni Doctoris Ecclesiæ.
1. Anima Religiosa, exemplo S. Augustini, deplorat serum suum erga Deum
 amorem. 1. *Serò.* 2. *Te.* 3. *Amavi.*
 Thema. *Serò te amavi pulchritudo tam antiqua.* Soliloq. c. 31.
2. Proponitur cor Augustini, vulneratum sagittâ timoris & amoris.
 Thema. *Vulnerasti cor meum.* Cant. 4.

D E

SS. ORDINUM FUNDATORIBUS.

- De uno ac multiplici SS. Fundatorum, Ordinumque Religiosorum spiritu.
 Thema. *Divisiones gratiarum sunt, idem autem spiritus.* 1. Corinth. 12.
1. De spiritu & virtute S. Eliæ Prophetæ, Sancti Ordinis Carmelitani Patriarchæ ac Patrôni.
 Thema. *Obsecro, ut fiat in me duplex spiritus tuus.* L. 4. Reg. c. 2.
2. De spiritu & virtute S. Eliæ Prophetæ, Christo Domino conformi ejusdemque typo.
 Thema. *Quem dicunt homines esse Filium hominis? Alii Joannem Baptistam, alii Eliam.* Matth. 16.
- De spiritu & virtute sancti Patris Augustini, Ecclesiæ Doctoris & Fundatoris Canoniorum Regularium atque Eremitarum, dolentis, quòd serò Deum amare cœperit.
 Thema. *Serò te amavi, pulchritudo tam antiqua, pulchritudo tam nova; serò te amavi!* Soliloq. c. 31.
- De spiritu & virtute S. Basilii Cappadociæ Episcopi, S. Ordinis Basiliani Fundatoris, cum Moyse collati.
 Thema. *Dilectus Deo & hominibus Moses, cujus memoria in benedictione est. Similem illum fecit in gloria Sanctorum.* Eccli. c. 45.
- De spiritu & virtute sancti Patriarchæ Benedicti, & sancti Ordinis Benedictini Fundatoris cum lilio comparati.
 Thema. *Sicut lilius inter spinas.* Cant. 2. 1.
- De spiritu & virtute sancti Brunonis, S. Carthusiani Ordinis Authoris ac Fundatoris, in palma adumbrati.
 Thema. *Justus ut palma florebit.* Psal. 91. 12.
- De spiritu & virtute sancti Bernardi Doctoris Mellisui, S. Ordinis Cisterciensis Propagatoris celeberrimi, cum ape collati.
 Thema. *Brevis in volatilibus est apis, & initium dulcoris habet fructus ejus.* Eccli. 11. 7.

De

E X H O R T A T I O N U M.

De spiritu & virtute S. Norberti Archi-Episcopi Magdeburgensis & S. Ordinis Præmonstratensis Fundatoris, cum Oliva fructifera comparati.

Thema. *Ego autem sicut oliva fructifera in domo Dei.* Psal. 51. 10.

De spiritu & virtute S. Dominici, S. Ordinis Prædicatorum Fundatoris; sub symbolo facis & ardentis & lucentis, mundum illuminantis & inflammantis proposita.

Thema. *Ipse erat lucerna ardens & lucens.* Joan. 5. 35.

De spiritu & virtute S. Francisci, Seraphici Ordinis Minorum Fundatoris, sub schemate Seraphini.

Thema. *Seraphim stabant... & volabant... & exclamabant.*

Isaia c. 6. v. 2. 3.

De spiritu & virtute Seraphicæ Virginis, Sanctæ Matris Theresiæ, Carmelitarum Discalced. Fundatricis, magnæ spiritûs Magistræ.

Thema. *Nunc ergo, Filii, audite me. Audite disciplinam, & estote sapientes, & nolite abjicere eam.* Proverb. 8. 32.

In festo S. IGNATII.

1. Spiritus S. Ignatii potissimum in propagandâ gloriâ divinâ proponitur.

Thema. *Qui spiritu Dei aguntur, ii sunt Filii Dei.* Rom. 8.

2. Proponitur Sapientia S. Ignatii.

Thema. *Si enim magnus Dominus voluerit, spiritu intelligentiæ replebit illum; & ipse tanquam imbres mittet eloquia sapientiæ suæ.* Eccli. 39.

In festo S. Francisci Xaverii.

1. S. Xaverius fuit stella matutina in medio nebulae.

Thema. *Quasi stella matutina, in medio nebulae, sic ille refulsit in templo Dei.* Eccli. 50.

2. S. Xaverius fuit vas electionis, S. Paulo non absimilis.

Thema. *Vas electionis est mihi iste.* Act. 9.

In festo S. Francisci Borgiæ.

1. Mors Imperatricis Isabellæ, mors mystica Borgiæ.

Thema. *Semper mortificationem IESU in corpore nostro circumferentes.* 2. Corinth. 4.

2. Mors Isabellæ, vita Borgiæ.

Thema. *Ut & vita IESU manifestetur in corporibus nostris.* 2. Corinth. 4.

In festo B. Aloysii Gonzagæ. Vel Confessoris alterius.

1. Vita B. Aloysii abscondita in sæculo.

Thema. *Vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Ad Coloss. 3.

2. Vita B. Aloysii abscondita in Societate, sub figura thesauri absconditi.

Thema. *Simile est regnum calorum thesauro abscondito.* Matth. 6.

In festo B. Stanislai Kostkæ vel alterius Confessoris.

1. Fons sanctitatis, gratia vocationis & cooperatio hominis.

SYNOPSIS EXHORTATIONUM.

- Thema. *Consummatus in brevi explevit tempora multa.* Sap. 4.
2. Exemplo B. Stanislai, suadetur triplex amor. 1. Dei. 2. Eucharistiz. 3. B. Virginis.
- Thema. *Et ego tres sagittas mittam, & jaciam quasi exercens me ad signum.*
1. Reg. 20.
- In festo BB. Pauli, Joannis & Jacobi Martyrum Japonensium,
Servit pro festo alicujus Martyris alterius.
1. De præstantia Martyrii cruenti.
Thema. *Abstine mihi gloriari: nisi in cruce D. N. J. C.* Ad Gal. 6.
2. De Martyrio incruento.
Thema. *Christo in carne passo, & vos eadem cogitatione armamini.*
1. Petri 4.

IN RENOVATIONE VOTORUM, HYEMALI ET ÆSTIVA.

1. Christus natus Doctor & exemplar paupertatis, castitatis & obedientiz.
Thema. *Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri erudiens nos, &c.* Ad Tit. 2.
2. Soli Deo offerendum cor totum per vota Religiosa.
Thema. *Soli Deo.* 1. Tim. 1.

IN OBITU RELIGIOSI.

1. Religiosi beati ante mortem, in morte, post mortem.
Thema. *Beati mortui qui in Domino moriuntur.* Apoc. 14.
2. Mors Religiosorum pretiosa.
Thema. *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus.* Plal. 115.

F I N I S.

EXHOR-



EX

De

Et r

Que facit
necesse Or
dine P
datorum
plicati po
est Subsi
tando ex
vita, virtu
tas sua
In spectaculo
ipse verba de





EXHORTATIONES PRÆLIMINARES.

De Stimulis ac motivis variis,
Regulas observandi.

Exhortatio I. præliminaris

De S. Ignatio, Constitutionum & Regularum Authore; per
Angelum Apocalypticum adumbrato.

T H E M A.

*Et vidi alium Angelum fortem, descendentem de caelo.
Apoc. 10. vers. 1.*

Quæ facile
alterius Or-
dinis Fun-
datori ap-
plicati po-
test Substi-
tuendo ex
vita, virtu-
tes aut



Anct. Joannes Evan-
gelistarum Aquila,
mentis suæ oculos
in cœli adyta inten-
dens, admirabili æ-
quæ, ac amabili fu-
it spectaculo recreatus; quod suis
ipse verbis describit: *Et vidi, in-*

quit, *alium Angelum fortem, descen-*
dentem de caelo, amictum nube, &
iris in capite ejus; & facies ejus e-
rat ut sol, & pedes ejus tanquam
columna ignis; & habebat in manu
sua libellum apertum; & posuit, pe-
dem suum dextrum super mare; sini-
strum autem super terram, & clama-

gesta, & ex
dedicatio-
ne nostra
prædictâ.

A vis

vix voce magna, quemadmodum leo rugit: Et cum clamasset, locuta sunt septem tonitrua voces suas. Apoc. 10. Angelus hic Venerabili Bedæ, Richardo & aliis, Christi Domini nostri est symbolum; qui in Incarnatione sua de cælo descendit: & humanitatis nostræ nube amictus, solis instar, sanctitatis suæ radios quaquaversum diffudit: itidem in capite gerit; quia pacis legatum agit: terræ & mari imperat, proindeque pedem unum terræ, mari alterum tanquam utriusque possessor ac Dominus imponit: librum apertum manu tenet: quia gratiæ & salutis mysteria pandit; rugit instar leonis, quia gehennæ supplicia impiis denuntiat: denique post vocem ejus septena tonitrua sonant, quia Apostoli, velut Boanerges, Evangelium toto orbe prædicant. Quod sanctis Patribus & voluminum Sacrorum Interpretibus, Christi Domini, Regis ac Ducis nostri supremi, (sub cujus Labaro Sacramentum diximus & militamus) in sensu principali, est symbolum; nobis non abs re, S. Ignatii Fundatoris, & Antesignani nostri, Strenui Christi Domini militis, in sensu minùs principali, est hieroglyphicum; quod ipsum dictione præsentis per partes, ordine declarabimus; ut Dictatoris & Conditoris legum nostrarum, perspectâ sanctitate ac præstantiâ, pluris eisdem æstimemus & exactius observare studeamus.

I.
S. Ignatius
Angelus.

I. *Et vidi alium Angelum, Si castitas de homine, Angelum facit, ut*

S. Bernardus, aliique Patres asserunt, S. Ignatius Angelus extitit: quia rarissimo & excellentissimo castitatis dono refulsit. Postquam enim, primo, à conversione sua, mense irrevocabili se se castitatis voto obstrinxit: & noctu vigilianti, clarissima beatissimæ Virginis Mariæ, unâ cum sancto puero JESU, species objecta est; ex ea mirificè recreatus, tantum vitæ præteritæ tedium cepit, maximeque earum rerum, quæ cum obscena delectatione conjunctæ sunt; ut omnium rerum impudicarum imagines ex animo ejus, effluere omnino videntur: ut Ribadeneira L. 1. vitæ. c. 2. testatur. Addit Lancicius opusc. 18. c. 8. Ignatium, quamvis indole ferventiore, ac quodammodo igneâ esset dotatus, vitamque sæcularem more militari traduxisset; ex eo tamen tempore, quo voto castitatem firmiter, omni prorsus sensu libidinis caruisse: quod, quàm excellens, rarumque Dei sit donum; etiam virorum sanctissimorum carnis rebellio, vel nivibus extincta, vel urticis, spinisve repressa, abundè demonstrat. Ex hoc autem, tam flagrantè castitatis angelicæ amore, scintillæ istæ ah Ignatio in Societatem universam sunt sparsæ; diffususque ac propagatus ardor quidam eximius & in se & in aliis servandæ ac propugnandæ castimonie, plus ferè, quàm ullius alterius virtutis, ut experientia comprobatur. An non igitur Ignatius, ob insignem ad eò puritatis prærogativam Angelus meritò nuncupatur?

II. Fortem. Si
nis, ut S. Albericus
tradit, est firmior
tione Dei & gratia
praxim: non
sa, ne terreatur
militiam: licet
semper corceat
quam, ut magis
Quis S. Ignatius
re: Etenim
illa præteritæ
veria. Qui
non in Dei
gis illo des
bar ment
In adver
nis prim
erant
ratis sui
patis, ob
tiones, c
animi sui
men tan
tiz, calum
tem ejus à
rent. Quæ
magnitudo e
terarum ignar
corus, nova
militum est? q
dignam esse vide
stolis quilibet
quod aut regi
conterit: m
& aggressus est i
ad finem feliciter
mirans religio
mas in Hispania

II.
Fortis

II. *Fortem.* Si officium fortitudinis, ut S. Albertus M. in Paradiso c. 9. tradit, est *firmare intellectum in cognitione Dei & affectum in dilectione Dei & proximi: roborare mentem inter adversa, ne terreatur; & inter prospera ne mulceatur. Item mentem animare, ut semper exerceatur in bonis & confortare ipsam, ne unquam vincatur in malis.* Quis S. Ignatium fortem fuisse negarit? Etenim quam præclare omnia ista præstiterit, vita ejus perhibet universa. Quis in Dei cognitione, nec non in Dei, proximi que amore magis illo defixus extitit? Quodnam robur mentis ejus, sive in prosperis, sive in adversis fuit? Quid à conversionis primordiis, tota ejus vita, nisi exercitium operum bonorum, & tolerantia fuit malorum? An non in Hispania, ob animarum salutem persecutiones, carceres & vincula, maximo animi sui gaudio sustinuit? nec ullæ tamen tantæ excogitari potuerunt, injuriæ, calumniæ, criminationes, ut mentem ejus à juvandis animis avocarent. Quanta animi fortitudo & magnitudo esse debuit, quæ homo literarum ignarus, in aula & armis educatus, novum Ordinem religiosum molitus est? quod haud absimile prodigium esse videtur, illi, quo Apollonius quisplam idiota, regnum aliquod aut regiones ad fidem Christi convertit; meditatus nihilominus & aggressus est illud Ignatius, atque ad finem feliciter perduxit: quod admirans religiosissimus & zelosissimus in Hispania Ecclesiastes M. Jo-

annes Avila (qui similes conceptus fuerat, sed a finem à se perducere posse, animum desponderat) se pigmæum, Ignatium verò gigantem vocitabat; utpote, qui pondus tantum sublevare valuisset. Angelus igitur fortis fuit Ignatius.

III. *Descendentem de cælo.* Si sæculo superiore, Germania ignorantia, scelerum colluvie, & Lutheri perfidiæ foedata; si Gallia Calvinii peste infecta, si Austria, Hungaria, Anglia, aliaque regna vitis & hæresibus corrupta, veritatem diffiteri noluisse; an non Ignatium tanquam Angelum de cælo lapsum, miseris suis medelam allaturum, pleno ore deprædicassent? Si India, si China & Japonia infidelitatis suæ tenebris involuta: si Ecclesiæ & templis; si academiæ & gymnasia, si Religiosorum asceteris Clerique collegiis, voce prædica fuissent, an non Ignatium tanquam virum de cælo descendente laudibus summis extulissent? Et nos ipsi ejus Filii, an non merito ut Genium cælestem suspicimus: qui de cælo Constitutiones & regulas nobis attulit, quas magna ex parte non nisi revelatione divinâ addidit, ut videre est apud Lancicium, L. c. & Ribadeneiram L. 5. vitæ c. 1. ubi ipse Patriarcha sanctus, Patri Layno fatetur, Ordinem Fundatoribus, præcipua religionis suæ capita, revelatione cælesti communicari. Ad hæc an non de cælo descendit vitæ ejus militaris in angelicam commutatio? An non de cælo descendit invicta ejus fortitudo, qua contra

III.
De cælo
veniens.

feriebat, ut eos Deo & Ecclesie reconciliaret. Iris ergo fuit in capite ejus, in ore manūque arcus & sagittæ corda penetrantes.

VI.
Solis instar fulgens.

VI. *Et facies ejus erat ut sol.* Quoties S. Fundatoris facies & caput eximio quodam fulgore coruscavit? Ejusmodi splendore radiantem vidit Barcinone Isabella Rosella? dum faci plebis immittus verbi divini prædicationi interest; simili claritate micantem, conspexit Joannes Paschalius, & Domestici, dum in hospitali domo æger decumbit, Romæ verò idem notavit Alexander Perronius, P. Oliverius Manaræus & in primis P. Ludovicus Gonzalvus, Minister Domūs Professæ, qui quotiescunque orantem S. Ignatium in cubiculo adit, adit autem sæpissimè, cælesti splendore radiante, n. semper observavit: quin & S. Philippus Neri vir eximie sanctitatis & S. Ignatio perquam familiaris, eâ sanctum Patrem vitæ sanctimonia præditum esse docere solitus erat, ut animi ejus pulchritudo foris promicaret & in cujus oculis, vultūque coruscantes lucis radios sæpe à se conspectos esse profitebatur. Sol igitur fuit S. Ignatius, cælesti fulgore radians, & Societatem universam, imò & mundum illuminans.

VII.
Librum manu præferens.

VII. *Et habebat in manu sua libellum apertum.* Artificiosus pictorum penicillus S. Patriarcham nostrum, manu librum apertum, præferentem delineat, cum epigraphæ: *Constitutiones Societatis JESU.* Et meritò quidem; ipse enim illas decennio & quod excurrit, magnâ industriâ & labore conscripsit. Apertus

autem est liber, ut omnibus, vocationis gratiam à Deo habentibus pateret. O quàm excellens, quàm admirandus liber! in decem partes distributus, tot cælestibus luminibus, & apparitionibus, dum scriberetur illustratus! Liber vel ipsorummet Hæreticorum judicio admirabilis, omni prudentiâ humanâ major, ideamque perfectissimæ ac numeris omnibus absolutæ Republicæ continens. Liber à sanctissimis, doctissimisque viris, ob reconditam in eo divinam sapientiam, ac plenissimam totius christianæ & religiosæ perfectionis doctrinam mirè æstimatus, summè laudatus, & à diversis summis Pontificibus approbatus.

Atque ut reliqua spauis perstringamus, ne justo prælixiores simus. VIII. *An non pedes ejus erant tanquam columna ignis?* qui in affectus ardentis toties erumpebat? qui sive mensæ benediceret, sive ad aram faceret, sive è flosculi aut vermiculi conspectu in Deum ascenderet, totus æstuabat, & ferventissimis charitatis affectibus totus flagrabat? IX. *Terra marique pedes imposuit:* quando viros Apostolicos in longinquas regiones, terra marique ablegavit; & continentem & Insulas, maria & terras suavi Christi jugo subjecit. X. *Instar leonis clamavit & rugiit.* Rugit leo dum vel esuriens escam quærit, Psal. 103. 22. *Catuli leonum, rugientes, & quærentes à Deo escam sibi,* vel prædam jam adeptus prægaudio, aut ex metu vel ira ne captâ præda spoliatur. *Nunquid leo rugiet in saltu nisi habuerit prædam?* Amos c. 3. 4. O quoties rugiit

VIII.
Leonis instar rugiens.

Angelus noster præfame & desiderio animarum JESU Christi sanguine pretioso redemptarum? Quoties preces ardentes ad Deum, quoties lacrymas, clamoresque validos emisit? Reportatâ verò prædâ animarum copiosâ, quoties in Dei laudes, & benedictiones erupit? XI. *Es cum clamasset, locuta sunt septem sonitrua voces suas clamante Christo, vel ut echo, respondere Apostoli: clamante Ignatio per orbem universum insonuere voces sociorum, catechizantium, prædicantium, docentium, in Europa, Asia, Africa & America: In omnem terram exiit sonus eorum.*

Quare, charissimi, abundè conspicitis Angeli nostri Apocalyptici, sancti, inquam, Ignatii, legum nostrarum Conditoris sanctimoniam & excellentiam, ac proinde, quanto in pretio Librum Constitutionum, ab ipso nobis apertum & porrectum habere debeamus. 1. *Angelus fuit* & angelicam castitatem in libro hoc, nobis æmulandam præscripsit. 2. *Fortis fuit*, & ad magnos labores pro animarum salute exantlandos, regulis suis nos animavit. 3. *De cælo descendit*, ut gratiam vocationis, Librum legum nostrarum, mediâque ad finem præscripta, tanquam de cælo allata complectamur. 4. *Nube amictus fuit Spiritus sancti*, eâdem nos obumbrari, & in omnibus dirigi cupiens. 5.

Iris in capite ejus, ob purissimam intentionem & hominum reconciliationem, quam utramque in regulis præscripsit. 6. *Facies ejus ut sol splenduit*, sanctimonix radiis ex animi interiore puritate foras promicantibus; quam si imitabimur, boni exempli & ædificationis radios in proximum diffundemus. 7. *Librum apertum*, manu præfert: qui ut magis magisque nobis aperiatur, sequentes exhortationes, veluti totidem expositiones, elucidationes ac declarationes plurimum juvabunt: opus duntaxat est, ut aviditate magnâ librum hunc devoremus, & in succum ac sanguinem nostrum convertamus. 8. *Peccat igneos habuit. Et terra marique imposuit*, ut ad portandum JESU Nomen coram Gentibus & Regibus, terâ marique prompti, & accincti semper stemus. 9. *Alcone*, leunculi rugire, clamare, catechizare, prædicare, docere, animasque ad Deum adducere discamus. 10. *Et tanquam Bonnerges ac Filii tonitruum*, æterna mortalibus inculcemus. Quæ si præstiterimus, cum S. Ignatio, Angeli apocalyptici, fortes, cælestes, puri, lucentes, ardentes, terræ marique imperantes, rugientes ac tonantes erimus; atque secundum Libri Constitutionum à S. Parente nobis aperti directionem, & instructionem, propriam, alienamque salutem ac perfectionem mirifice promovebimus.





EXHORTATIO II.

PRÆLIMINARIS

De Libro Constitutionum & Regularum ejusque præstantia, tanquam Stimulo secundo easdem observandi.

T H E M A.

Accipe Librum & devora illum. Apoc. 10. 9.

Facile applicabitur alterius ordinis libro regularum.



Anct. Evangelista Johannes, postquam Angelum illum apocalypticum conspexisset, librum manu præferentem, de quo exhortatione proximè præcedente, egimus, mox subjungit: *Et audiui vocem de caelo loquentem & dicentem: Vade & accipe librum apertum de manu Angeli, stantis supra mare & super terram. Et abis ad Angelum, dicens ei: ut daret mihi librum: & dixit mihi: Accipe librum, & devora illum; & faciet amaricari ventrem tuum, sed in ore tuo erit dulce tanquam mel. Et accipi librum de manu Angeli, & devoravi illum; & erat in ore meo tanquam mel dulce: & cum devorasssem eum, amaricatus est venter meus, Apoc. 10. 7. 8. 9. 10.*

Angelus ille; symbolum est S. Ignatii Fundatoris nostri, ut diximus (quemadmodum & alterius cujuscunque Fundatoris Ordinis, symbolum esse potest) qui tenet manu librum; à se conscriptum, Constitutiones & Regulas nostras complectentem, secundum quas, Societas universa dirigitur; & quotquot ad Societatem JESU vocamur, ad hunc librum, suscipiendum, legendum, devorandum invitamur; tanquam si S. Patriarcha nobis insurreret: *Accipi librum & devora illum.* Accipimus illum, dum in primis exercitiis, quæ Tyrocinium ingressi, obimus, librum regularum obtinemus, illum legimus, & quodammodo comidimus; videturque primâ fronte tanquam mel dulcis; at postmodum ad praxin venientes, experimur nonnunquam difficultatem.

Decla-

Declarabimus igitur præfenti exhortatione, quomodo hunc librum accipere, devorare, & amaritiam occurrentem superare debeamus; ut ejus dulcedinem degustemus, ejusque contenta cum jucunditate in praxia redigamus.

I.
Acceptatio
libri regula-
rum.

I. *Accipe librum.* Liber quem S. Joannes accipere jussit est, fuit Apocalypsis, plurima mysteria, documenta, revelationes, aliisque admiranda continens. Liber quem quisque nostrum Societatem ingrediens, de manu S. Ignatii, à Deo, accipere jubetur est Liber Constitutionum & Regularum nostrarum; tanquam si cuilibet per Inspirationem diceret: *Vade & accipe librum apertum de manu Angeli.* l. c. *Vade, ne moreris, & accipe librum,* multis aliis, licet te longè dignioribus, clausum, tibi verò ex infinita mea misericordia apertum, de manu Angeli, sancti scilicet Ignatii, neque enim alius liber, aliave regula, tibi aptior est & convenientior. *Vade igitur & accipe,* tanquam donum & clemelium præstantissimum, ab æterno tibi præparatum; ut ad salutem æternam, magnamque in cælo gloriam te perducatur. Atque ut promptius, alacriusque eum acceptes, juverit te nôsse ejus præstantiam.

Liber hic Constitutionum, ut conscriberetur, prima S. Ignatii & Sociorum ejus cura fuit; ut eo Societas tota dirigeretur: hoc in prima formula, seu regula, Paulo III. Pontifici Maximo oblata, ut facere ejus autoritate liceret, postularunt; hoc deinde,

confirmatâ ab eodem Christ. Vicario, Societate, & ipso Ignatio, Præposito ab iis electo, fieri quamprimum voluerunt: huic libro conscribendo S. Pater decennio toto & ultra incubuit; idque egit magno, non solum humanæ prudentiæ, sed divinæ potissimum sapientiæ lumine, nec sine eximii instantibus, inspirationibus & illustrationibus Spiritûs sancti, ut Bullæ Pontificum Summorum attestantur.

R. P. Petrus Ribadeneira, S. Ignatio familiaris, qui vitam ejus concinnavit, & juramento binis vicibus interposito, semel coram Camillo Patriarcha Alexandrino Anno 1595. ac deinde coram Archiepiscopo Toletano & Episcopo Trojano Anno 1606. testatus est, se nescire, quod, in vita S. Ignatii à se exarata, aliquid repertiatur falsi. Hic L. 4. vitæ c. 2. ea refert, quæ traxim opere Libri Constitutionum Authorem, ipsumque Codicem commendant, *Extat,* inquit, *Commentarius, ejus ipsius manu scriptus, in arcula quadam, post ejus mortem repertus, in quem dum constitutiones scriberet, assidua Dei beneficia, illustrationesque referebat.* In eo videre est (pergit idem) quam incensa & accurata oratio; quanta lacrymarum & continua penè effusio: quam sæpe consolationis magnitudo redundaret etiam in corpus; & vox intercluso spiritu hæreret, ac dari non posse, & totius corporis venæ sensibilibus moverentur. Illic cernitur, quam assiduis ejus mens, utque eximii de
sanctissima

sanctissima Tri-
bus implere
de processione,
nam Personarum
deque sacra-
rum occultis in-
ternis doceret
vero brevis illa
sed proluxa in-
& que in cubi-
toris illius co-
gnationis as-
berent. Ita
Quid re-
charissimi
jungit Rib-
quo loco
quâ ven-
carâque
ego Lib-
proctus in-
habe; al-
humanâ
tanquam
conscriptis
bus, & sub-
principio re-
his vitam mo-
formare.
II. Et de-
Quod præscrip-
Dicitur illud; id-
ge, & perspicue, et
motu recunde,
per partes expen-
xin redigere velle
Constitutionum,
bet de Societate di-
tam; lege, man-
getur penetrare

sanctissima Trinitate illustrationibus impleretur; de divina essentia, de processione, de proprietate Divinarum Personarum, & operatione, deque sacratissimo illo mysterio, tum occultis intelligentiis, tum externis doceretur imaginibus. Neque verò breves illæ erant, aut fugaces, sed proluxæ interdum ac diuturnæ, & quæ in cubiculo, in mensa, domi, foris illum comitarentur, & suæ magnitudinis æstu, quodammodo absorberent. Ita ille.

Quid verò ex his concludemus, charissimi, nisi illud, quod mox subjungit Ribadeneira: *Us intelligamus, quo loco constitutiones nostras habere, quâ veneratione suscipere, quo studio, curâque observare debeamus. Accipe, ergo Librum, & tanquam donum prorsus singulare, magno in precio habere; aspice illum non tanquam humanâ indutriâ compositum; sed tanquam Spiritu Sancto inspirante conscriptum; documentis salutariibus, & sublimibus vitæ perfectioris principiiis refertum; & pro viribus his vitam morisque tuos stude conformare.*

II.
Libri devoratio.

II. *Et devora illum.* Apoc. 10. Quod præscriptum fuit S. Joanni: *Devora illum;* id est avidè illum lege, & perspice, eumque inventæ memoriæ recunde, & eum ruminare & per partes expendere, atque in praxin redigere valeas. Idem de Libro Constitutionum, & regularum cuilibet de Societate dicitur: *Devora illum;* lege, manda memoriæ, intelligere ac penetrare satage: intellectus

enim, est quasi os animæ, dentes sunt indagines & scrutinia veritatis, per quæ veritas patet, & cognoscitur, ac deinde in ventrem, id est in cellam memoriæ trajicitur & reconditur: ut vitam nostram, omnèque actiones dirigat, atque ad perfectionem præfixam perducatur. O si libri hujus admirandi excellentiam, utilitatem, ac jucunditatem perspiceremus, quantâ aviditate devorarem.

Si librum doctum, doctrinamque desideres, devora hunc librum, in quo subtilissima Theologiæ placita reperies. Si Sapientiam optes, devora illum; eam enim continet sapientiam, quam vel sapientissimi stupeant; authoremque habet S. Ignatium quem S. Franciscus Xaverius, *hominem sapientissimum, donis à Deo singularibus exornatum, Deo plenum nuncupat.* L. I. Epist. nov. Epist. 1. Si virtutem, si perfectionem, si sanctimoniam cupias, excellentissimas virtutes, & sublimissimos perfectionis & sanctitatis apices in eo invenies; solum, devora illum; & invenies: si etiam, novarum avidus existas; devora illum; & multa nova, aliisque Ordinibus inusitata, ac nunquam in ulla religione audita reperies: qualia sunt de diversis gradibus, de dimissione & liberatione à votis, &c. & hujusmodi plura, quorum ultra sexaginta puncta enumerat R. P. Nicolaus Lancicinus Opusc. 17. c. 7. Si discretionem velis devora illum, & admirandam in eo discretionem & moderationem pro omni regimine & gubernatione perspicias.

Quare ab hac devoratione libri regularum, nemo se imitandum existimet: omnibus enim S. Ignatii Filiis devorandus est, omnibus tanquam viæ dux, tanquam consiliarius adhibendus ut ducat, instruat, & dirigat. Superior devoret, ut gubernare discat: subditus devoret, ut obedire sciat: Professus devoret, ut doctrinam & virtute eccellente fulgeat: Non professus devoret, ut functionibus proximo proficiis se occupet. Scholasticus devoret, ut discere & docere noverit. Coadjutor devoret, ut Marthæ munus acquiescat, iisdemque cum omni diligentia incumbat. Denique Tyro librum regularum devoret; ut vitæ bene religioſæ solida fundamenta in Tyrocinio jaciatur. Et de causa Tyrones indies nonnihil ex regulis memoriæ mandant, toties de iis exhortationes auscultant, toties in collationibus, seu conferentiis ut vocant, de iis tractant: ut clariùs explicentur, declarentur & intelligantur, exactiusque observentur. Devoraigitur charissime, & memoriæ bene imprime hunc librum: & quod Petrus Blessensis de scriptura sacra loquitur; regulis ex ea depromptis, aut in ea fundatis applica: *Discurre, inquit, Scripturarum, (Regularum) amoenissimos campos, lege tanquam apes, & reconde in alveolo memoria, suavissimi odoris flores, castitatis lilium, olivam charitatis, patientie rosam, novas spiritualium charismatum*, L. 3. Epist. 12.

III.
Ejusmodi
virtute.

III. *Et faciet amaricari ventrem*
illum, ait S. Joanni Angelus, de

Apocalypsi; sensus autem est: Apocalypsis hæc, seu revelatio, & prænotio futurorum sub Antichristo, in ore tuo, id est, primâ facie & primo gustu, erat tibi dulcis, mentemque pascet & oblectabit; quia erit mira, nova, arcana, & divina cognitio ac prophetia; sed ubi cœperis ruminare calamitates, persecutiones Ecclesiæ, defectionem fidelium, & multitudinem reproborum, amarorem senties. Quod & ipsi evenit: ait enim: *Et cum devorarem, amaricatus est venter meus*. L. c. id est intimè in animo & mente mea indolui, atque ingemui.

Simile quid accidit Tyronibus religiosis, librum regularum, primâ vice legentibus; quando eis omnia, quæ legunt, tanquam nova, rara, arcana, & ad perfectionem accommodata videntur, atque dulcescunt. *Erat in ore meo, tanquam mel dulce*. Sic dulcis videtur paupertas, omnibus caris libera, dulcis castitas, angelica, dulcis charitas & dilectio fraterniterna, dulcis oratio, dulcis spiritualis conversatio & sermocinatio; aliæque omnia. At cum postmodum devenitur ad praxin paupertatis, castitatis, obedientiæ, humilitatis, mortificationis, temperantiæ, laboris, missionis, doctriionis, non rarè amator succedit: videnturque regulæ nostræ non absimiles esse pilulis medicis, quæ foris deuratæ, vel saccharatæ, aut cinnamomo respersæ, deglutiuntur cum suavitate; sed cum in ventre dissolvuntur, ob aloen, myrrham, aliæque amara, quæ continent, amaricant

ven-

ventrem, & terram
elacerant. *Per
mas, dulce est
sensu
lira, ex vno D
delinque, dal
cum conveni
dum, aucto
maræ sunt
nate abnegat
quod si fix
quiritur hab
litans & do
IV. Sc
Enim
dulce.
religios
habitu
ter: ill
gule in
melli
illu
natus
nibus &
equis lap
quæ p
tia; quod
perem, solida
tia ad medic
quod suavit
tant; & de
impugnans ac
dine mysteriorum
mali & r
tumorem sanent
dedit pluri grat
non possent quon
quam gratiam sa
nem esse amari
perfectioris ac
siquæ: quam*

ventrem, & torminibus eum quasi dilacerant. *Verbum Dei*, ait D. Thomas, *dulce est rationi; sed amarum sensualitati*: sic quoque regulæ nostræ, ex verbo Dei & doctrina Christi desumptæ, dulces sunt rationi, quæcum convenient; & spiritûs profectum, æternæque præmia patiunt: sed amaræ sunt sensualitati. Sed hæc strenuè abneganda, est & suppressenda: quod si fiat, per frequentes actus, acquiritur habitus virtutis, omnia facilitans & dulcorans.

IV.
Ejusdem
dulcedo.

IV. *Sed in ore tuo erit tanquam mel dulce.* Verè hoc ipsum experiuntur religiosi ferventes, & ex virtutum habitu omnia sua exercitia obeuntes: illis enim regularum liber & regulæ ipsæ, carumque praxis instar mellis est d. lecis & amœna; adeoque illis aptare possumus, quod S. Bernardus seim. 67. in Cant. Dei sermonibus & eloquiis attribuit; dum ea epulis sapidis melleisque comparat: *quæ triplici emineant*, ut ipse ait, *gratiâ; quòd nempe sint, delitiosa ad saporem, solida ad nutrimentum, efficacia ad medicinam: quoniam & ex eo quod suaviter sonant, affectum mulceant; & de sensuum ubertate mentem impingent ac nutriant; & de altitudine mysteriorum, dum intellectum simul & exercent & terrent, miro modo, tumorem sanent instantis scientiæ.* Eâdem triplici gratiâ seu virtute, an non pallent quoque regulæ nostræ? quàm gratum saporem ac dulcedinem eas amantibus patiunt? quod perfectionis ac spiritûs nutrimentum adferunt? quàm efficacem, peccato-

rum vulneribus, & vitæ antea actæ morbis medicinam conficiunt? Tam suaves ex iis, fructus legimus, ut eas meritò, (quemadmodum S. Hieronymus Epist. 4. ad Rusticum scripturam divinam) pomario comparemus, & ejus verbis testemur: *ut ex eo quisque varia poma decerpant, his utatur deliciis, & harum complexu fruatur.*

Quis autem hæc delicias, has melleas voluptates, nisi expertus sit, & ex ipsa regularum accurata observatione degustât, mente concipiat, aut verbis expèimat? Quis non exclamet: *Quàm dulcea faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo!* Psalm. 118. *Quàm dulcia faucibus melle eloquia tua, ô S. Ignati!* Quàm dulces regulæ de paupertate! quæ si observentur, supra terrena nos elevant; curas, anxietatis, sollicitudines auferunt, nihil quidem habentes; sed omnia possidentes efficiunt; centuplum reddunt in tempore hoc, & in futuro vitam æternam promittunt! Quàm dulces regulæ de castitate? quæ jucundos, hilares, ab uxoriis amoribus, ac prolium molestiis immunes, Angelis similes reddunt; & cum S. Ephrem nos exclamare præ gaudio cogunt: *O castitas que mundo es corde, & dulci gutturo, hilarique aspectu!* *O castitas portus tranquillitatis, in summa pace & securitate constitutus!* *O castitas, qua cor te possidentibus letificas, & animam ad celestia alas adjungis!* *O castitas, qua spirituale gaudium paris & macerem auferis!* *O castitas, qua instar rose in medio cordis*

dis efflorescis! Serm. de cast. Quàm dulces & super mel amabiles sunt regulæ de obedientia? quæ plurimis molestiis & angoribus, in negotiis suscipiendis vel omittendis in omni penè re & in omni tempore nos liberat: quæ nos in manu Dei o. m. collocat: *qui est Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis.* 2. Corinth. 1. Eiusque paternis brachiis, gestandos, regendos ac fovendos committit: quàm dulces & super mel jucundæ regulæ de temperantia, morbos & gravedinem tollente, corporis & mentis sanitatem, alacritatemque conservante? Quàm dulces regulæ de oratione & familiaritate cum Deo, cor lætificante & spiritua libus consolationibus replente? *Lætificabo eos in domo orationis meæ.* Isaia 56. 7. de quo rectè S. Bernardus serm. 18. in Cant. *Orando bibitur vinum lætificans cor hominis, vinum spiritus quod inebriat; & carnalium voluptatum inducit oblivionem.* Et S. Augustinus in Psal. 127. *Dulciores sunt lacryma orantium, quàm gaudia theatrorum.* Similia de aliis regulis interpretare.

Quapropter, Charissimi, cum Librum Constitutionum & regularum, ex eo desumptarum, de manu S. Patriarchæ nostri, tanquam Angeli apocalyptici, jam volentes, libentesque acceptaveritis, 1. Mordicus illum retinete, & nunquam dimitte; sed potiùs sancto Fundatori, pro tam eximio munere, grates summas referte, & Spiritum San-

ctum, qui illum, Constitutiones ac regulas exarantem dixit, cælesti lumine complevit, visionibusque admirandis collustravit, pro viribus laudare: 2. Librum istum, tam sublimia, tam perfectæ, tam sancta, tam rara, inusitata atque ab aliorum Ordinum consuetudine aliena continentem, non solum retinere; sed etiam summo in pretio habere, nec unquam vilipendendum existimate; imò & devorate; id est, ut diximus, comedite & in ventre memoriæ recondite, ut eum meliùs ruminare, expendere, intelligere, & in praxin redigere valeatis; cælestemque ex eo doctrinam, sapienciam, ac perfectionem hauriatis, 3. Faciet quidem liber iste initio non nihil amaricari ventrem vestrum; sentietis fortasse, in paupertate difficultatem nonnulliam, assueti mundi deliciis; in castitate, fortè innutriti vitis, in obedientia, abusi libertate & voluntatibus propriis: sed usu, exercitioque assiduo, omnem paulatim difficultatem nullo negotio, superabitis. 4. Quin & appromitto, eum super mel dulcem vobis evasurum: ita ut dulcis & mellea paupertas, mellea castitas, mellea obedientia, mellea temperantia, mellea oratio, & cuncta exercitatio (utpote, cum tanta pace, serenitate, tranquillitate, animi lætitia, & æternitatis felicitis spe, conjuncta) mellia vobis esse videatur. *O quàm dulcia sancibus meis eloquia tua! super mel ori meo! Quàm magna dulcedo, quam abscondisti timentibus*

no. Psal. 30. *Psalmus*
in tabernaculo
Inedratum ad




EXH

P

Dece

Manda

Har. h. 6.
quere
pralimina-
res, in in-
vellitur
d. p. s. f.
scelus
levit. p. 2.
trau. s.



ventu concu-
omnia involu-
zili mare rumi-
lividum per in-
irundam, pr-
tiam, inquier-
molm per luxu-
gulam & gal-
mari inter h-
syres & charyb-
tales; quædam
cap. 9. *Dicit mei*

10! Psal. 30. *Vox exultationis & salu- tua, & torrente voluptatis potabis*
tis in tabernaculis iustorum. Psal. 117. *eos.* Psal. 35.
Inebriabuntur ab ubertate Domus



EXHORTATIO III.

PRÆLIMINARIS.

De tertio Stimulo observandi regulam : quia est
 Pharus nostra, mundi tenebras discutens.

T H E M A.

Mandatum Domini lucerna & lex, lux. Prov. 6. 23.

Hæc & se-
 quentes
 prælimina-
 res, in in-
 vestituris
 & profes-
 sionibus
 servare po-
 terunt.



Quid est mundus, nisi mare magnum & spatiosum; modò tranquillum & ad navigandum invitans; modò à ventis concitatum, & fluctibus omnia involvens? Quid est mundus nisi mare tumidum per superbiam, lividum per invidiam, fervidum per iracundiam, profundum per avaritiam, inquietum per acediam, spumofum per luxuriam, absorbens per regulam & gastrimargiam? In hoc mari inter fluctus & procellas, inter syrtis & charybdes, navigamus mortales; quemadmodum Job de se dixit cap. 9. *Dies mei pertransierunt tan-*

quam naves. At quo navigamus? duplex est portus, alter felicitatis perpetuæ; alter damnationis æternæ; & pro dolor magna mortalium pars ad scopulos & scyllas allisa, miserè naufragium facit; eò quod in tenebris naviget sine pharo, sine lucerna, sine luce, habent quidem lucernam & lucem Decalogi; *Mandatum enim Domini lucerna & lex, lux;* Proverb. 6. 23. Sed à ventorum turbine, à tentationum flatibus, lucerna illa facillè extinguitur, & lux obtenebratur. Ne verò id Religiosis accidat, alteram lucem, Internam & pharum obtinent, nimirum regulam suam. In Insula Pharo turtis erat, in petra locata, ab In-

sula, cognomine Phari nomen sortita, à Philadelpho Ptolomæo Rege, Sostriati Cnidii architecti operâ, extructa; quæ mari circumluebatur; & in qua noctu accensæ faces, navigantium cursum dirigebant.

Pharos nostra, regula nostra est, hæc tenebras mundi discutit, hæc scopulos & voragines ostendit; hæc prosperè navigationem nostram in portum felicitis æternitatis dirigit. Quod dictione præsentè declarabimus.

Vastissimum mundi mare septenos numerat scopulos famulos, tenebriolos & quæ ac periculosos; septena scilicet crimina capitalia; in quæ naves innumeræ, cæco impetu impactæ, dissiliunt. Ex his,

I.
Mundi scopulus superbia.

I. Primus scopulus est superbia: Vera scylla adeò nautis periculosa, Scylla ait Seneca Epist. 80. est saxum terribile navigantibus. Superbia mons & scylla obscura est, radios veri solis à corde prohibens; in qua Angelus sideribus clarior obtenebratus est. De quo S. Bernardus serm. 4. de Ascens. ait: *Nonne hic est mons, in quem Angelus ascendit, & Diabolus factus est.* Quotquot hanc scopulum amant, in tenebris navigant, in quos cadit illud S. Gregorii L. 32. Moral. c. 8. *Tantò à luce Dei longè sunt, quantò humiles non sunt.* O quot in obscuro mundi Oceano, ad hoc saxum naves allisere? *Superbia*, ais Innocentius Pontifex de vilit. condit. hum. *Prostravit Goliath, suspendit Aman, interfecit Nicanorem, peremit Antiochum, Pharaonem*

submersi, & Sennacherib interemit: præter innumeros alios.

Optatis Charissimi, cymbam vestram in hunc scopulum non implingi? Pharos vestra, regula vestra lucem præferat, ut videatis viam, quâ hanc scyllam declinetis, Regula præfertim, 9. 10. 11. 12. 13. summarii illuminabit & doc. bit: proprios defectus superiori aperire; errores, à foetis detegendos, libenter auscultare; mundo fastuoso contraria eligere; officia humilia promptè exercere; insurgentes & sese invicem collidentes tentationum superbiæ fluctus, assiduâ mortificatione retundere. Quæ si præstiteritis, nullo negotia superbiæ scyllam evadetis.

II. Secundus scopulus, in mari mundi procelloso & caliginoso navigantibus, obvians est Luxuria: quæ est insatiabilis illa charybdis, ad quam tot naves, tot animarum miliones alliduntur, naufragantur & fluctibus hauriuntur. De charybdi illa naturali, canit Virgilius *Aeneid.* 3. *Dextrum Scylla latus, levum implacata Charybdis,* occupat & Ovidius: *Evomet epotas sava Charybdis aquas.* Id est mare ibidem contrariis fluctuum cursibus collidit aquas, & raptâ quæque absorbet ac rejicit: *Dextrum scylla latus:* per has mundani, medias, navigant: & non ratò accidunt, ut incidat in scyllam cupiens vitare charybdim. O quot mortales rapacissima Libidinis charybdis absorbet & rejicit, non vivos, sed mortuos! sanè S. Remigius Remensis Episcopus in epist. ad Rom.

II.
Luxuria.

III. Scopulus re-
quas man. anov-
læ naufragum p-
rute, lyris admo-
mari lybio, ex-
cum propriè dict-
sinus est, perq- an-
gathibus mille cr-
quod vadefas lre-
nue, in quon

Rom. c. 1. de hac voragine asserere non dubitavit: *Demptis parvulis, ex adultis, propter carnis vitium, pauci salvantur.* Exceecat enim mentem, ac tenebris ita involvit, ut foveæ suæ profundum, animæque periculum non cernant. Hæc charybdis totum propè humanum genus in cataclysmi voraginem pertraxit & absorbit. Hæc charybdis, Pentapolim, civitates florentes; sed libidine fœdâ exceccatas, ex igne tul hæreo temporal, in eisdem ignis & sulphuris abyssu æternam dejecit. Hæc à condito mundo, ad hæc usque tempora, tot animarum myriadas vorticibus & fluctibus hausit.

Quâ ve. ò ratione, Dilectissimi, charybdis hanc declinabitis? In hos nostra, regula nostra viam monstrabit. Regula 29. de solerti sensuum custodia. Regula 48. de castigatione corporis & pœnitentia. Regula 28. De servanda castitate angelica. Harum ductum & lucem si sequemini, charybdis illam periculosissimam, abyssum illam profundissimam, ut vel ipsâ experienciâ didicistis hæcenus, per gratiam Dei haud difficulter evaditis.

III.
Avaritia.

III. Scopulus tertius in quem frequens mundanorum cymbæ impa-
ctæ naufragium patiuntur, est *avaritia*, syrtis admodum periculosa. In mari lybico, ex ea parte, quâ Atricam propriè dictam alluit, syrtis seu sinus est, perquam periculosus, navigantibus mille creans discrimina, eò quòd vadofus sit, & arenæ cumulos vehat, in quos naves infixæ hæreant,

& pereant. In syrtis hujusmodi impingunt avari; cum enim cupiditate nimiam oculi eorum velentur, & excœcentur, cæco impetu, in syrtis infernales ruunt. Si enim modicum arenæ aut pulveris terreni, visum oculi corporalis impediât; quid mirum, si visus cordis, magno terræ albæ ac flavæ cumulo, inordinatè amato, obscuretur? Si Tobias caldis stercoreibus hirundinis est excœcatus; quid mirum, si ardens amor temporalium, quæ Apostolus stercorea nuncupat, oculos cordis excœcent? Unde Salvator cœcum à nativitate illuminaturus Joan. 9. *Lutum posuit super oculos ejus*: Insinuans causam cœcitatæ spiritualis, esse lutum divitiarum. Hoc igitur lutum exceecat, hoc stercore maculat, hæc arenæ, hic limus, hæc syrtis vadofa navigantes innumeros detinet, perdit, atque à littore æternitatis felicitatis abstinet & repellit.

Ut navicula vestra, Charissimi, in has syrtis & vada non incidat; quis iter tutum ostendet? Pharos nostra, regula nostra, lucem præbebit, quâ vilitatem divitiarum detegat; radios emittet, quibus cymbam vestram periculis eximat. Sic Regula 24. de tenera dilectione paupertatis. Regula 25. de ratione paupertatis. Regula 26. de usu paupertatis. Aliæque de omnium terrenorum, exemplo Christi Domini, contemptu & abrenuntiatione, securo ducent itinere: quarum ductum si secuti fueritis, longè à syrtibus, earumque periculis distabitis.

IV. Quar-

IV.
Gula.

IV. Quartus scopulus, in mari germanico, magis periculosus, est *Gula, crapula, ebrietas*: de quibus iure Poëta quisquam cecinerit: *Ingentes scopulos, acroceraunia*: non sine ingenti voragine & abyfso, in quam mortales innumeri cupiditate plùs quàm brutali, excœcati devolvuntur. Quis enim nesciat, oculos cordis, non minùs atque oculos corporis, gravari & hebetari, crapulâ & ebrietate? *Cui enim suffusio oculorum: nonne his qui morantur in vino & student calicibus epotandis?* fumositates namque è nimio cibo potuq̃ue exurgentes visum spiritualement impediunt, obtenebrant, & insaniam, furoremque inducunt. Teste Osea c. 7. *Cœperunt furere Principes à vino.* Et quid est ebrietas nisi insaniam voluntaria?

Sed quis rursus, Dilectissimi, oculos vestros aperiet? quis fumos & fumositates dissipabit? quis insaniam arcebit? quis cursum diriget, ne ratis vestra in hanc rupem illidatur, aut in hanc præcipitetur voragine? Pharos nostra, regula nostra, si exactè servetur, iter tutum præbebit: præsertim Regula 25. de victu paupere, Regula 30. de temperantia & frugali refectione: quibus jungendæ regulæ ex libello Exercitiorum S. P. Ignatii, de cibi, potusque moderamine: ex his abundè illuminabimini, hujus vitii tenebras discutietis, ab hoc scopulo præcul recedatis, atque ad hanc voragine in fatiabilem, haudquaquam appropinquabitis.

V.
Ita.

V. Quintus scopulus est ira & odium, à quibus navigantibus tenebræ injiciuntur: *Turbatus est*, inquit David, à furore oculus meus. Psalm. 6. Et Job. c. 17. *Caligavit ad indignationem oculus meus.* Impedit ira animum ne possit cernere verum. Quid igitur mirum, si cœcutientes impingant, in voragine & scopulam, qualem in libro de mundo subterraneo, Athanasius Kircherus refert reperiri in mari siculo, qui monstra marina acutis dentibus armata nutriat? O quot monstra hic scopulus, quot belluas hæc vorago pascit? Aversionem, rancorem, vindictam, læsionem, mordacitatem, murmurationem, detractionem &c. Quæ omnia parit iræ cœcitas. Quem admodum Ægyptii, propter tenebras Fratres suos, id est alios Ægyptios, non videbant; sic propter tenebras iræ ac odii, improbi homines Fratres suos non vident; sed perinde ac si hostes essent, aspiciunt. Fratres Joseph Gen. 37. tenebris odii excœcati Fratrem suum non viderunt, illum perinde ac si frater non esset, sed hostis; in cisternam miserunt & tandem vendiderunt. Odium, sic Cain mentem obscuravit, ut Fratrem suum Abelem neci dederit. Odium sic Saulis oculos caligine oplevit, ut Davidis egregiam virtutem, meritaque non viderit, ei que mortem afferre conatus fuerit.

Quo autem medio tam horrendas tenebras propulsabimus? S. Fundator noster, nihil in particulari de ira præscripsit; nec mirum, cum omnem

VI.
Ita.

VI. Sextus
tissima, est à
nam Invidiam
orbem, Sap.
cunque dixit
ta (per Lu
enim ut pri
dam pui
ubi eximie
bona & don
chis mortu
votago: ut
at, quod Jo
est, sperni le
zitus (qui per
tur, in quo cap
aribus suis ob
tenebris est illi
cœcavit Judæos; E
pis eorum; ut Christ
prorem morti vade
tam de bono alieno a
dis suis obscuratur
in Cas. & subdit,
proximo læcet exterr
Et palpant invidi, q
quæ reprehendant,
Ipsi suat ut noxiæ

omnem etiam impatientiam à Societate proscripterit. 3. p. Const. c. 1. §. 4. Remedia tamen generalia Pharos nostra suppeditat : dum præscribit contraria contrariis curanda, judiciorum diversitatem cavendam, unionem animorum & charitatem fraternam studiosissimè conservandam &c. Quæ si præstiterimus, hunc scopulum, cum voragine & monstris marinis in ea latentibus, feliciter devitabimus.

VI.
Invidia.

VI. Sextus scopulus est vorago latissima, est à Diabolo primùm aperta: nam *Invidiam Diaboli mors introvit in orbem*, Sap. 2. 24. ut verè dixerit, quicumque dixit. Invidia in cælo concepta (per Luciferum) in aulis nata (hinc enim ars prima Regum est posse invidiam pati) in monasteriis educata (ubi maxima est occasio invidendi ob bona & dona spiritualia) in Xenodochiis mortua. Tam verò lata est hæc vorago: ut Diabolus fiduciam habeat, quod Jordanis inflat in os ejus, id est, sperat se omnes Christianos baptizatos (qui per Jordanem intelliguntur, in quo cæpit Baptismus Christi) artibus suis absorpturum. Denique tenebrosa est isthæc vorago: quæ excæcavit Judæos: *Excæcavit eos malitia eorum*: ut Christum mundi Redemptorem morti raderent. *Mens invidi cum de bono alieno affligitur, quasi de radio Solis obscuratur*, ait S. Greg. ser. 62. in Cant. & subdit, *Dies boni operis in proximo lucet exterius; sed quasi in nocte palpant invidi, qui livore cæci, aliqua quareprehendant, invenire satagunt. Ipsi sunt ut noctuæ, bonorum operum*

lucem odientes, & opera tenebrosa amantes.

Sed ad Pharum confugite, regulam ducem sequimini, scilicet de fraternâ charitate, de animi demissione, de solidarum virtutum prosecutione, & in barathrum hoc tenebrosum minimè incidetis.

VII.
Acedia.

VII. Septimus denique scopulus est Acedia, & torpor in Divino servitio ac virtutum studio. Et hæc rupes tenebrosam adjacens habet barathrum: Acedia enim quasi dormire facit hominem & oculos claudis: unde dicitur: *Usque quo piger dormies?* pigredo immittit soporem, ex sopore lapsus sequitur in abyssum. Hinc S. Bernardus serm. 65. in cant. *Hoc frigus si semel invaserit animam, subit quidam animi rigor, spiritus extinguitur, defervescit novitius fervor, & præsumitur ille temerarius saltus, de excelsis in abyssum, de cælo in cælum, de paradiso in infernum.*

Istud autem periculum ut evadamus, quid consilii? Pharum rursus nostram sequamur. Regulam 12. de mortificatione. Regulam 15. de constanti studio perfectionis. Item Regulam de zelo animarum, de otii fuga, de temporis & rerum spiritualium cura; denique ut nunquam in via perfectionis stemus; sed semper, etiam flumine adverso, ascendamus. In hoc quippe mundo, ait S. Gregorius 3. pasto. l. 35. *Anima quasi more navis est contra iclum fluminis descendens: quæ uno loco nequaquam stare permittitur, quia ad ima relabitur, nisi ad summa conetur.*

Quocirca, Charissimi, cum nobis per procellosum & obscurum mare ad portum

portum æternitatis sit navigandum : totque scopuli & voragine ut de firibus & piratis nihil dicam, occurrant : quid agendum sit , ut pericula devitetis naufragii , intellexistis, Pharus nostra , regula nostra est, hæc tenebras dissipabit , hæc scopulos mon-

strabit, hæc voragine detegit. Hujus lumine, scyllam superbiz, charybdim luxuriz, syrtem avaritiz, acroceraunia gulz, rupem iraz, abyssim invidiz, & acediaz barathrum, cursu felici declinabit, litusque æternitatis beatissimz prosperè attingetis.



EXHORTATIO IV. PRÆLIMINARIS

De quarto Stimulo observandi regulam ; quia est nobis
Columna nobis per diem , & columna ignis
per noctem.

T H E M A .

Dominus precedebat eos, ad ostendendam viam, per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis. Exodi 13. 21.



Uemadmodum admiranda Numinis supremi providentia , non solum Israeliticum populum miris modis ex Ægyptiaca servitute eduxit ; verum etiam postmodum in toto 40. annorum itinere, proficiscentes deduxit & præcessit , per diem in columna nubis, & in columna ignis per noctem : ita eadem amabilissima Domini Dei nostri

providentia , nos non solum ex Ægyptiacis mundi tenebris extraxit , & in religionis desertum introduxit ; verum etiam sub cura Moderatorum (qui nobis , Moysis, Aaronis & seniorum vices obeunt) deinceps constanter nos deduxit per viam perfectionis ; regulam nobis offerendo, quæ munus columnæ nubis & ignis suppleat. Regula enim Ordini nostro pro Columna est, ob similitudinem, quâ nos dirigit, & ob stabilitatem, quâ nos fulcit : *Nubes est,*

ut

II.
Ordinem
dei præ-
cedit.

II. Columna
rebat, jam quæ
movebatur, mo-
stra Hebræorum
Incubabat tibi
& castra Verbo
legi, tempus o-

Agit
columna
viam mo-
strat.

ut nos obumbrat &
est, ut tenebras pellat
dore illuminat.
Hujus igitur col-
ficia parallela, a
damus, ut in pere-
grinatione sublequar
I. Columna
viam ostendit
esset, ne per a-
precipitia in d-
terram prom-
eum via co-
Chanaan, te-
nemo tamen
Deus Hebræ-
lebat deduc-
torum suam
bantur. Co-
non similitu-
Chilo tamen
per vita he-
am monstr-
si maadoc-
lum nota sit
tis, mentem
regula planè
aberretas, &
ad sinistram de-
igitur, Divina
suis beneficiis
lumnæ, in via
concessit?

ut nos obumbret & protegat : *Ignis* est, ut tenebras pellat, & suo nos splendore illuminet.

Hujus igitur columnæ & regulæ officia parallela, ac proprietates expendamus, ut illi permoti, eam sedulitate majori subsequamur.

I.
Regulæ
columna
viam mon-
strat.

I. Columna nubis & ignis Israelitam ostendit, ut sciret, quæ eundam esset, ne per avia & devia, per saxa & præcipitia in deserto aberraret, donec terram promissionis attingeret. Licet enim via communis ex Ægypto in Chanaan, trita esset, & vulgò cognita; nemo tamen eam viam noverat, quæ Deus Hebræos per deserta Arabiæ volebat deducere, in qua, ob arenas ventorum flatibus agitata, viæ obliterabantur. Columna Regulæ nostræ an non similia nobis præstat? Hæc nobis Christo tanquam Josue cœlesti Duce; per vitæ hujus salebras & tenebras viam monstrat, hæc nos, ne erremus, quasi manuducit: & quamvis via in cœlum nota sit; passionibus tamen & vitiis, mentem caligine involventibus, regula planè nobis necessaria est, ne aberremus, & sive ad dexteram, sive ad sinistram declinemus. Quantum igitur, Divina Benignitas nobis præstitit beneficium, dum ejusmodi columnam, in viæ vitæque nostræ ducem concessit?

II.
Ordinem
dici præ-
scribit.

II. Columna nubis & ignis jam movebatur, jam quiescebat, cum autem movebatur, movebant se quoque castra Hebræorum, cum quiescebat & incubabat tabernaculo, quiescebant & castra. Verbo, erat illis instar horologii, tempus ordinatè patientis, &

vicissitudinem motûs & quietis indicantis. Simili modo regulæ nostræ columna, tempus quietis & motûs, laboris & vacationis, silendi & loquendi, orandi & studendi nobis insinuat; non secus ac in choro musico Præses tactum dat, quo dato sonat aut pausat musica. Hæc diei totius ordinem præscribit, omni religiosæ familiæ, omnino necessarium; ut præclare docet S. Laurentius Justinianus L. de Disciplina. cap. 10. *Singuli*, inquit, *Deo famulantes studeant proprias inerioris & exterioris hominis loco & tempore, dirigere actiones: ne anteponenda postponant, & agenda prætereant. Maxime procul dubio periculi res est, prout suggerit animus, velle agere. Propterea cunctis consulendum est, ut taliter unumquodque disponant opus, quatenus qualibet hora propriam habeat actionem. Sciant quando orationi, quando lectioni, quando operi manuum incumbendum sit, ne ex acedia spiritum, tempus suum inaniter consumant.* Sequamur ergo columnæ nostræ ductum, & nec laboribus fatigabimur, nec tædio frangemur, nec exercitiis minorabimur.

III.
Omnes
dirigit.

III. Columna ignis & nubis erat longa, lata & crassa instar magnæ turris, ut à rancis castris ubilibet conspici posset, nimirum à tricenis millibus hominum quæ, ut inquit Pererius, faciliè decem miliarium Italicorum spatium occuparent. Longa, lata & magna quoque est columna regulæ nostræ, quæ non tantum in Europa in amplissimis Italiæ, Germaniæ, Galliæ, Hispaniæ, Angliæ, Poloniæ regnis; verum etiam in Asia, Africa & America à So-

ciis cernitur; nec solum o&odecim sociorum millia, modò in Societate nostra degentium, viam dirigit; sed etiam Antecessores nostros, ultra se sequi sæculi spatium direxit successoresque, Deo favente, diriget, Ut communi, non proprio, domestico, non peregrino, vero, non falso, genuino, non degenero spiritu Societatis ducantur omnes, atque ad hanc columnam, tanquam ad lapidem lydium, aurum ab orichalco, laxitatem à disciplina, à rigore discretionem, zelum verum à falso probè norint discernere,

IV. Columna hæc per diem apparebat, ut *columna nubis*, per noctem ut *columna ignis*, idque vicissim & assidue singulis diebus & noctibus. Et quidem primò in columna nubis, ut non solum per diem viam monstraret; verum etiam, ut castra obumbraret & ab æstu Solis defenderet: cum enim Hebræi iter facerent per Arabiam, quæ Solis radiis & caloribus torretur, præsertim in vallibus, in quibus montium oppositorum objectu, radii Solis reflexi, calores ingentes excitant; molestissimum iter habuissent, radiis solaribus hoscæ temperassent, radiis solaribus hanc columnæ nubem opponendo. Insinuat id David Psal. 104. canens: *Expandit nubem in protectionem eorum: & Psal. 120. Dominus custodit te, Dominus protectio tua: per diem sol non uret te, neque luna per noctem.* Et Sapient 10. *Deduxit eos in viam mirabili, & fuit illis in velamento diei.* Et cap. 19. *Castra obumbrabat nubes.* Columnæ hujus æmula est regulæ nostræ columna; quam sequamur, & sub ejus umbra perma-

neamus, proteget nos, in die prosperitatis, ne superbix typhone extollamur; defendet nos in nocte adversitatis, ne pusillanimitate dejiciamur: custodiet nos contra æstum passionum ac tentationum, & contra ignea tela nequissimi tuebitur. Imò & nos columnas firmas efficiet, si difficultates, in observantia regulæ occurrere solitas, strenuè devicerimus, secundum illud Apocal. 3. 12. quod Angelo, id est Philadelphix Episcopo promittitur: *Qui vicerit, faciam illum columnam, in templo Dei mei.* Spondeo vobis Charissimi, quod si hæc in parte generosè vos superaveritis; Eritis aliquando columnæ Ecclesiæ: id est magni, firmi, gloriosi, tum in Ecclesia, tum in templo cœlesti. Eritis columnæ quales describit Richardus à S. Victore: *Firmi per fidem, recti per aequitatem, erecti per intentionem, sublimes per contemplationem, sustentantes alios, verbo consolationis, suffragio orationis, exemplo actionis.*

V. Columna ista per noctem fulgebatur ut ignis, tamen si eadem foret, quæ per diem præibat, ut *nubes*: noctu lucida ac splendida, velut flamma ignis; ut instar Solis aut Lunæ tenebras pelleret, Hebræosque illuminans, viam demonstraret. *Per noctem ut columna ignis.* L. c. An non, Dilectissimi, Regula nostra nobis est columna ignis per noctem? quid est obsecro vita nostra, nisi nox caliginosa, in qua duplices nos tenebræ peccatum scilicet & ignorantia, in qua nati sumus, involvunt? tenebræ sunt in memoria, vanis speciebus repleta; tenebræ in intellectu,

V.
Illuminat.

Intellectu, ad divina
da, obscurato; tene
rerum terrenarum
tenebræ in phantasia
hendentes; tenebræ
facultatibus nostris
patri? qui lucem
lemus in die & lo
prehendant, & n
nostri in via offe
gant? Respon
Columna ignis
Ræ lucida ignis
pæferet, cal
quæ incedam
milliam pecc
ostendit
nostri vici
quæ regulæ
toti illumina
accidit
claret tot
mirè illustra
Venit ali
legimus L. 6.
lacione ad S. An
bis Antonius B
mase veris, Et
rion: Pax trib
nerarum terrarum
ci & ignis fuit S
ocret Deum S. Ep
ri, qualis esset n
est fides colum
per tingebat ad
dicna: Epitem,
dum vidisti colum
est & magis Bap
phalochus in e
lucis & regis fuit

tellectu, ad divina cœlestiaque capienda, obscurato; tenebræ in voluntate rerum terrenarum amore fascinata; tenebræ in phantasia, umbras apprehendente; tenebræ in aliis omnibus facultatibus nostris. O quis eas dissipabit? quis lucem affunderet, ut ambulemus in die & luce, ne tenebræ nos apprehendant, & ne pedes, id est, affectus nostri in via offendant atque impingant? Responsio in promptu est: *Columna ignis per noctem.* Regulæ nostræ lucida igneaque columna faciem præferet, caliginem expellet, & viam, quâ incedamus, atque ad terram promissam pede inoffenso properemus, ostendet; quod innumeris è Societate nostra viris illustribus feliciter evenit, qui regulæ ductum & lucem sequentes toti illuminati, & instar columnæ igneæ inflammati resplenduerunt, & Societatem totam, quin & Ecclesiam Dei mirè illustrarunt.

Venit aliquando, ut in vitis Patrum legimus L. 5. Tract. 17. n. 4. Abbas Hilarion ad S. Antonium, & dicit ei Abbas Antonius *Bene venisti Lucifer, qui mane oreris.* Et respondit Abbas Hilarion: *Pax tibi columna lucis, qui sustines orbem terrarum.* Talis columna lucis & ignis fuit S. Basilus: dum enim oraret Deum S. Ephrem, ut sibi revelaret, qualis esset magnus Basilus; *In ecstasi vidisti columnam ignis, cuius caput pertingebat ad cœlum & vox desursum dicens: Ephrem, Ephrem, quemadmodum vidisti columnam hanc ignis, talis est & magnus Basilus.* Ut refert Amphiloehius in ejus vita. Talis columna lucis & ignis fuit S. Simon Stylita;

qui ut omnes traheret à terra ad cœlum; stetit in columna octoginta annos, vix comedens & dormiens, semperque vel ardens fundens preces, vel salutaria accedentibus monita impertiens. Talis columna ignis & lucis, erat S. Joannes Baptista, *Lucerna ardens & luccens:* uti & S. Petrus, S. Jacobus & S. Joannes, qui ut scribit S. Paulus ad Gal. 2. 9. *In Ecclesia videbantur esse columna.* Tales columnæ lucis & ignis è Societate nostra minima fuere S. Ignatius, S. Franciscus Xaverius, S. Franciscus Borgia & plures alii, igne charitatis ardentibus, & virtutum exemplo nobis prælucentes & viam perfectionis præeundo designantes.

Columnas hæc, Charissimi, imitari studeamus, & esse conemur columnæ altitudine, sublimia virtutum & perfectionis desideria concipiendo; firmitate & constantiâ, in via Dei & virtutis constanter progrediendo: colore igneo, & luce amoris Dei, fervoris & zelû radiando: ac denique rectitudine intentionis unam semper Dei majorem gloriam intuendo: ut enim ait S. Gregorius L. 17. Moralium c. 14. *Quisquis in Dei opere rectâ intentione firmatur columna in structura fabrica spiritalis erigitur: ut in hoc templo, quod est Ecclesia (& Societate) possit, & utilis assit & decori.*

VI. In hac columna lucis & ignis Deus sæpe apparebat ac loquebatur Moyli & Hebræis. Columnæ enim huic Angelus Domini, tanquam Naucerus navi, assistebat, & nunc eam in columnæ specie & figura extendebat in altum; nunc illam ad ter-

ram & tabernaculum demittebat, ac per eandem Dei nomine loquebatur. Num. 12. 5. Ideo David Psal. 98. 7. dixit: *In columna nubis loquebatur ad eos.* Angelus noster, (ut exhortatione primâ ostendimus) S. Ignatius est, qui Dei nomine in columna nubis, in regula scilicet, ad nos loquitur: dum jam finem Societatis, quem in omnibus spectare debeamus, præfigit. jam distractiones sæculi, illecebras mundi, voluptates carnis, cæterasque dæmonis fraudes, & divini servitii obstacula declinare docet: jam paupertatem, castitatem, obedientiam, rectum disciplinæ ordinem, amanda, sectandaque proponit. Solent nonnulli petere à viris sanctitatis opinione celebribus vitæ documenta: meliora non obtinebimus, quam ea quæ à columna nubis ad nos loquitur Angelus noster Apocalypiticus. Hæc sequamur, hæc expleamus, & præcipitia ac offendicula in via perfectionis occurrentia declinabimus.

VII.
Unit.

VII. Denique columna nubis & ignis ordinem & unionem inter tribus diversas conservabat. Tribus Juda præcedebat omnes, & Dux erat cæterarum (ut patet c. 10. Num. 7. 13. & 14.) reliquæ ordine sequebantur. Et ne ordo turbaretur, columna se sumique motum ita ad Hebræorum vires accommodabat, ut non celerius procederet, quam necesse, quo Senes, mulieres, parvuli, oves & agni subsequi possent: cum procedendum erat, columna præibat ante tribum Judæ; cum subsistendum & castra locanda, redibat ad tabernaculum, quod erat

in medio castrorum: hæc ratione servata fuit conjunctio tribuum, unio animorum, charitas omnium. Quid præstat columna regulæ nostræ; nisi ordinem, conjunctionem, unionem & charitatem, inter omnes tribus, id est, inter diversas nationes, apud quas degit Societas? Hæc columnâ præeunte & illuminante, & diversis nationibus discretè sese accommodante, statis horis surgimus, preces fundimus, studiis vacamus, laboribus intendimus, corpus reficimus, animum relaxamus, simul movemur, simul quiescimus: & licet per mundum universum dispersi degamus, maximisque terrarum spatiis disjungamur, concordés tamen & ubique gentium sumus, Itali, Galli, Hispani, Germani, Angli, Belgæ, Indi, Brasili, Peruviani, & licet discriminis nonnihil in habitu interveniat, cum nos modestis cujusvis regionis clericis, accommodare debeamus, in internis tamen spiritibus exercitiis, æquæ ac in externis, in modestia, in conversatione & vivendi methodo, inter nos conformitatem observamus.

Quapropter, Dilectissimi, agnoscamus gratiam summam, quam Divina Bonitas, nos ad hanc adeo præstantem regulam vocando, cuilibet nostrum præstitit: sicut enim magnum fuit beneficium Israëlitis exhibitum, in concedenda ejusmodi columna nubis & ignis; quæ iis per desertum ad terram promissam proficiscentibus, iter ostenderet, signum pergendi & sistendi daret, ab æstu solis protegeret, tenebras nocturnas discuteret, voluntatem Dei iis indicaret, ac denique

que unionem & conj
omnes servare tina pari
nobis Divina Provide
exhibuit, talem regul
nam nobis offerre
utem dirigeret. præ
ret, signum operum
ordinem laboris &
ib æstu passionum
ris, mentis tenebra
tem suam nobis p
omnibus, ubique



EX

De quinta
Ante

Urbs fortitudinis



Urbs fortitudinis

que unionem & conjunctionem sinter omnes servaret: ita pari modo summum nobis Divinâ Providentiâ beneficium exhibuit, talem regulæ nostræ columnam nobis offerendo; quæ totam Societatem dirigeret, præter, viam monstraret, signum operum omnium, tempus, ordinem laboris & quietis insinueret, ab æstu passionum & vitiorum protegeret, mentis tenebras dissiparet, voluntatem suam nobis patefaceret, atque ab omnibus, ubique terrarum conspecta,

omnes, licet diversissimarum nationum & regionum, socios, in pace, unione, charitate, & conformitate conservaret. Sequamur igitur hanc columnam nubis & ignis, tam in die prosperitatis, quàm in nocte adversitatis: non declinemus ad dexteram aut sinistram, sic illa nos per hujus mundi desertum felici itinere deducet, non in terram Chanaan hujus mundi, sed in Chanaan celestem, in terram lacte & melle divino manantem.



EXHORTATIO V. PRÆLIMINARIS

De quinto Stimulo regulam observandi, Quia est Antemurale & propugnaculum Religionis.

T H E M A.

*Urbs fortitudinis nostræ Sion, Salvator, murus ponetur in ea
& antemurale. Isaia 26.*



Anct. Hieronymus in exponendis Scripturis sacris Doctor maximus, citata Thematicis verba, hæc ratione explanat: *Urbs fortitudinis nostræ Sion, Salva-* sor: id est: Fortitudo nostra, proterio nostra, & habitatio, instar Urbis Sionis, quæ ac secura, est Christus Dominus Salvator noster. Quæ verba Societati nostræ minimæ (vel cuius Ordini religioso) non immeritò applicamus; illa enim sub Salvatoris Jesu

Jesu nomine tuta securaque delitescit, & tanquam in turri robusta conquiescit: *Turris fortissima nomen Domini*: De illa dici potest, quod Deus de Jeremia asseruit c. 1. 8. *Dedite in civitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æreum*; contra omnes adversarios tuos. In hac Societatis urbe, meo iudicio, Magistratus & Duces, sunt superiores; cives & milites subditi, fossa humilitas, Sacellum religio, specula fides, galea spes, lorica justitia, gladius verbum Dei, arma reliqua oratio, mortificatio, pœnitentia &c. Murus verò civitatis decalogus; sed antemurale, vallum & propugnaculum, sunt constitutiones, ordinationes & regulæ: *Murus ponetur in ea & antemurale*, l. c.

S. Hieronymo, murus Ecclesiæ est fides; antemurale bona opera: S. Bernardo serm. 5. de Ass. B. V. *Murus est continentia, antemurale patientia*. Nos non incongruè, ex Ascetarum mente, per Societatis nostræ (vel religionis cujuscvis) murum Decalogi Præcepta, per antemurale verò constitutiones & regulas intelligemus; quod in præfati exhortatione dilucidabimus.

I.
Murum
præcepto-
rum, ante-
murale re-
gularum
protegit.

I. Aristoteles L. 3. Rhet. refert, Alcidamum Philosophum statuisse, Philosophiam esse vallum & propugnaculum legum: quod Alcidamus de Philosophia; Ascetæ rectius sentiunt de regula, ac regulari disciplina: si enim Decalogus, murus est Ecclesiam, vel Religionem quamcunque circumdans ac muniens, charitatem Dei & proximi defendens; profectò vallum, propugnaculum & antemurale est regularum observantia; quæ si in Socie-

tate, aliave quovis ordine, facta testata custodiatur, stabit illæsus Decalogi murus: ex adverso, si illa pertundatur, lædatur, aut destruat; ad ipsum murum illico fit aditus, nulloque negotio, is impetitur, quatitur, & labefactatur: id quod ex partium enumeratione, sole clarius elucescit.

Nam quo pacto 1. Primum Decalogi præceptum de fide, religione, Deique cultu lædes; perficiam aut superstitionem committes, si regulam, de pietate, devotione, cultu divino, atque animarum zelo procurandis, sedulo observaveris? 2. Quâ ratione Caco-dæmon te ad murmurandum contra Deum, ad jurandum, ad blasphemandum, nomenque Domini in vanum assumendum; ac votorum vincula dirumpenda adducet; si regulam de passionibus domandis, de colloquiis spiritualibus miscendis, de votorum observantia, de silentio & oris vigilantia custodia, haut neglexeris? 3. Quo modo diem sabbathi violabis; si regulam de qualibet etiam feria orationibus quotidianis sacrificiis, aliisque operibus piis sanctificandâ, non antè violaveris? 4. Quo ausu quartum Domini præceptum de honore parentum transilies, si ex præscripto regulæ, eos perfectiore quàm antè amore profectus fueris, amorem carnalem aut naturalem, in spiritualem & supernaturalem mutaveris; & juxta ordinem charitatis, præ aliis, precibus, aliisque piis obsequiis, juveris, toveris, honoraris? 5. Quâ temeritate præceptum de homicidio vitando transgredieris, si juxta regulam proximum quem-

cunque

cunque sincerâ, purâque charitate dilexeris, cupiditates domueris & vel minimum iræ ac impatientiæ motum, assaultumve infregeris? 6. Quâ viâ, in adulterium, aliâve libidinem, horrendum ad eod præcipitium, devolvêris; quamdiu repagulum regulæ de stricta sensuum custodia, de mortificatione assidua, de constante temperantia, de puritate angelica steterit illæsum atque infractum? 7. Denique qui 7. & 10. Decalogi legem de furto cavendo, alienisque non appetendis prævaricaberis; si juxta regulam, omnia dimiseris, omnia in pauperes distribueris, nihil proprium possederis, nec possidere desideraveris; Ex quibus omnibus an non liquido constat, non dirui, evertive sacrosanctum Decalogi divini murum, nisi ante regulam antemurale lædatur, & perfringatur? E contrario autem, si regulas crebro, & absque remorsu violaveris, certus esto, te quoque ad Dei leges calcandas paulatim descensurum, Viola paupertatem, & furtum non aberit, viola silentium & in multiloquio peccatum non deerit; viola charitatem, humilitatem, patientiam castitatem, &c. turba ingens delictorum subsequetur: implebiturque Jeremiæ Prophetæ vaticinium, Thren. c. 2, *Luxitque antemurale, & murus pariter dissipatus est.*

II.
Antemurale
regularum
ab hostibus
defendit.

II. Quàm bene vallum, propugnaculum antemurale ab hostium incursum defendat, nōtrunt militares phalanges, quæ in campo sibi metuentes ab adversariis, mox aggeres perficiunt, valla & propugnacula, pro tutela ac

munitione erigunt. Oppugnata fuit hoc anno corrente 1702. Landavia urbs perquam munita, à Casariano milite, præsentè Josepho Romanorum Rege; dirigente Badenſi Marchione strenuè ille urbem est aggressus, & strenuè miles obsessus sese est tuitus; at ubi propugnaculum majus, armatâ manu interceptum fuit, statim candidum labarum expositum, paciscendi animum indicavit, urbiq; sese oppugnantium potestati permisit.

Quamdiu hostis tartareus, Indies nos oppugnans, regularum propugnaculum & antemurale superare nequit, invicta & inconcussa stat nostra munitio & murus civitatis: illud autem dum perstat illæsum, hoc ipso, ab hostibus, licet plurimis, præclare nos defendit: ut in exemplo populi Israelitici clarè elucescit. Proficiscebatur populus iste versus terram promissionis; eum quidam potens Rex Amorrhæorum Seon nomine, dubitans de fide tantæ multitudinis; quod forsan sub prætextu transitûs, terram suam occupare pararet; belli signum dari jussit, omnesq; quotquot hastam & gladium gestare possent, in campum exivit: *Congregavit Seon omnem populum suum & exiit configere adversus Israel.* Sed quid fecit Israel, quærit Origenes, hom. 12, in c. 21 Num? An forsan Deum oravit? an speciali studio sese armavit? non; sed venit in Issaâr: Quid autem quærit Origenes, c. significat mons iste Issaâr, in quem venientes Hebræi, non solum se defenderunt; sed ad eod singularem victoriam obtinuerunt.

nuerunt? *Issaas* non significat aliud, ait ipse, quam exactam obedientiam & executionem illius, quod præcipit Deus. *Issaar* interpretatur mandati adimpletio. Quomodo igitur triumphavit *Israel*? non aliter nisi recedendo in *Issaar*, id est, adimplendo legem: Hic mons, hæc adimplendo legum est firmissimum vallum, propugnaculum & antemurale contra hostiles acies.

Et nos, Charissimi, habemus *Seon* Regem *Amorrhæorum*, scilicet *Cacodæmonem*, qui contra nos movet tentationes, parat insultus, & omnes vires congregat, ut nos absumat; quâ ratione nos defendemus? an confugiemus ad Orationes? an duplicabimus jejunia? an frequentius adibimus mensam sacram? laudo ista; sed edico non suffectura, nisi ad unicum scutum propugnaculum & antemurale nostram confugiamus; & veniamus in *Issaar*, id est, impleamus quod vult Deus & regulas nostras exactè observemus. Volumus igitur securi esse de victoria, *Stemus*, ait *Origines*, in *Issaar*, & ad pedes nostros videbimus prostratos inimicos nostros, si mandata Dei impleamus, si regulæ ductum sequamur, & intra hoc propugnaculum nos contineamus.

III.
Antemurale regularum hostes ubigit.

III. Erigunt nonnunquam militares copiarum aggeres adeò sublimes, tamque alta propugnacula; ut hostibus insultare audeant. Divertit aliquando ad Regem *Abimelech*, Patriarcha *Abraham*, cujus uxorem eripere tentabat Rex, aliisque injuriis afficiebat & vexabat *Abraham*; ita ut vitæ suæ metueret. Vocatur *Abraham* à Deo &

rogatur: num timeat gentem hanc? *Nunquid justè eam timeo*, ait: *nos peregrini sumus, & longè illà inferiores numero & potentia*: *Numera eos*, respondit Deus. Respondet *Abraham*, tanta est multitudo, ut numerare nequeam. Respondit Deus: quot sunt capita, tot habebis pedibus tuis subiecta, *Daboque tibi & semini tuo terram peregrinationis tuæ, omnem terram Chanaan in possessionem æternam: eròque Deus eorum* Gen. 17. 8. At quâ conditione, *Abraham* facta à Deo est adeò ampla promissio? aut quænam illa? non alia nisi observatio mandatorum *Custodies pactum meum*. Quod si feceris, omnes qui modò te vexant ad pedes tuos prostratos videbis.

O si quis posset enumerare lamentationes & querelas Novitiorum! hic dolet de impatientia, alter ob tentationem continuam: alius naturam veluti semper reluctantem spiritui accusat: demum plerique adversarium habent, à quo molestantur. Hæ tentationes & passionis, *Chanaan* sunt, multum infestantes & venantes, sed nolite timere: Hi hostes vestri jacebunt prostrati ad pedes vestros, dominabiminique eis: *Omnem terram Chanaan dabo tibi, in possessionem æternam: tu autem custodies pactum meum*. Hoc unicum à te requiro, observa regulam, contine te intra hoc antemurale & propugnaculum; omnesque adversarios tuos, nullo negotio, detrumphabis.

At oggeritis: *Chanaan* nobis subijciuntur? quâ ratione id erit possibile? si in nobis interea sentiamus rebellionem, tam magam & gemamus ut

man-

mancia, sub ferula passionum? Non est impossibile, si modò observantes fueritis. Nam si vos non defueritis pacto, Deus certò non deerit promissioni: suæ vobis factæ. Audite quod observat Author Imperfecti, super verbis à S. Matthæo c. 7. recitatis: *Omnis qui audit verba mea hæc, & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui edificavit domum suam supra petram.* Miramur ait hic Author, videntes subinde commoventi quosdam, qui videbantur collinæ, & in terram collabi; ita ut Christum in pectore evellant, & locum dant Jovi aut Saturno. *Frequenter, ait miramur, quòd homines vel promissionibus flexi, vel terroribus fracti, vel persuasionibus circumventi relinquunt fidei veritatem.* Quomodo est possibile, ut prodeuntes è catacumbis Martyrum, accedant ad Gentilis? Si observaremus, inquit idem, non totum Evangelium; sed vel hanc unam Christi sententiam non stuperemus: quid autem loquitur: *Qui audit verba mea & facit ea, comparabitur viro sapienti, qui domum suam edificavit supra petram.* Quomodo autem, ait predictus Author, permaneat apud Christum, qui nunquam stetit in Christo? aut quomodo teneat eum Veritas, qui nunquam tenuis veritatem? aut quomodo servet eum justitia, qui justitiam non servaverit? Quid dixit Christus? cui promisit firmitatem? Qui se fundaret supra petram observantiæ præceptorum; & qui perstat intra antemurale regularum: non ædificat supra arenam; sed supra petram, & firmus ac Immotus perstat contra omnes tentationum

ventos & pluviz impetus. *Qui audit verba mea & facit ea: Quis ista custodivit & cecidit? sed si non adimpleatur conditio, quid mirum, si ruina & casus sequatur?*

Quid obsecro est causæ, cur juvenis iste, qui Angelo videbatur similis, postea transformatus est in Luciferum, lapsus è cælo religionis? Studia, inquit, aliquis, fervorem tepescere fecerunt, & spiritus evanuit in chartis. Ah! tu non cognoscis originem hujus mali. Ergo aliquis Sanchez mortuus in opinione sanctitatis, Suarez visus in oratione à terra elevari; Bellarminus cujus vita præclara edita est, aut non studuerunt, aut spiritum perdidit? Attende bene & advertes aliquam inobservantiam cujusdam regulæ, hujus ruinæ scaturiginem exit ille: Interrogo enim te, quisquis in hujusmodi periculo versaris: observastine regulam, de aperienda tentatione superiori? cur tanti nunc facis res sæculi, à quibus ante tantopere abhorrebas? permisi, inquis, me subinde cogitatione reduci domum paternam & detinui me aliquamdiu in memoria cognatorum: ergo non fuit odium, quod regula præscribit. Præterea hæc rebelliones, hi ardores qui repullulant in pectore tuo, unde nascuntur? aliquando furtivè aperui librum aliquem prohibitum: aperuisti infernum, fili mi; & simillimodo invenietis semper, quòd omnes miseriæ & præcipitiæ, principium duxerunt à transgressione regulæ cujusdam; nec unquam invenietis, regularum observantiæ deditum, & intra propugnaculum & antemurale sese

continentem, aut globo, aut telo lauciatum; nam *Quis ista custodivit, & cecidit?*

Quare, Dilectissimi, si Societatis nostræ arcem ac urbem defensam, securamque desideramus! si murum præceptorum Decalogi integrum & illæsum cupimus, integrum & illæsum servemus antemurale regularum: qui enim regulas exactè observaverit, nunquam eò malitiæ deveniet, ut ad præceptorum violentiam, longè gravio-rem, proruat: sicut è contra, regulas audacter transiliens & frequenter; eò tandem deveniet, ut præceptorum murum, transilire non formidet. Hæc regularum observantia, velut Issaïr Israëllem, nos contra hostes stygios tuebitur. Hæc observantia regularum, tanquam in petra nos solidabit, ac velut propugnaculo cinctos, proteget, atque à sagittis hostium, & casu ac ruina defendet: nullus enim è Societate ad mundum, è terra promissionis in Ægyptum revertitur, nisi lapsus, originem ducat à transgressione regularum. *Culpa vni Deum*, ait Author Imper-

fecti, *quia non custodivit: magis laudandus est, quam culpandus; quia hi soli pereunt, qui mandata Christi contemnunt.* Quare dum aliquem in Ægyptum, desertâ Societate, redisse intelligitis, ne lugeatis; sed potius Deum laudatis: non enim erat dignus à Christo protegi, qui se ab ipso separabat; meritò fulmina sensit, qui verba vitæ despexit, & consilia Salvatoris flocci-fecit: *Quia hi soli pereunt, qui mandata Christi contemnunt;* qui consilia aspernantur, regulas liberè & impudenter prævaricantur. Gratiâ ita que agotibi, Domine JESU, non solum pro his, quos in Societate tua conservasti; sed etiam pro his, quos ejecisti; quia justus es; nec illi merebantur, sub justissimarum legum tuarum protectione defendi ac conservari, qui illis sese accommodare noluerunt: neque digni erant, post murum civitatis securi delitescere, qui antemurale tantâ audaciâ, petulantiaque perforarunt, læserunt, ac destruxerunt.






EXHORTATIO VI. PRÆLIMINARIS.

De sexto Stimulo observandi Regulam:

Quia est seps, vineam animæ circumdans & protegens.

T H E M A.

Plantavit vineam, & sepe circumdedit ei. Matth. 21. 33.

CHRISTUS Redemptor noster tam veteris Legis Synagogam, quam novæ Legis Ecclesiam, jam horto, jam agro, jam vineæ assimilare dignitas est. *Paterfamilias plantavit vineam, & sepe circumdedit ei; & fodis in ea torcular; & edificavit turrin,* inquit Matth. 21. 33. De Synagoga id exponens Origenes, hom. 19. in Joann. ait: *Custodia Dei fuit sepes vineæ, Turris Templum, Torcular locus libationum;* sive altare in quo victimarum sanguis exprimitur. De Ecclesia explicat S. Irenæus L. 4. c. 10. cum aliis, sepeque ait esse legem Dei & præcepta; quæ Ecclesiam muniant, & fideles in officio & pietate contineant. Turris mysticè sunt Doctores & Pastores, tanquam è tutti populi speculatores. Tor-

cular crux Christi, cujus prælo Martyres, Virgines, omnesque ejus sequaces premuntur, & gaudii vinum exprimitur. Non ab simili quoque ratione videtur quemvis Ordinem religiosum, & in his Societatem nostram comparare poss. horto aut vineæ, sepe circumdatâ & bene munitâ; quam Paterfamilias cœlestis per S. Ignatium plantavit, Cujus sepes sunt leges, regulæ & constitutiones: *Turris fortissima nomen Domini,* nomen Jesu; sub cujus protectione laboramus & militamus: uti & ipsa oratio, meditatio ac providentia. Torcular est mortificatio, tribulatio, crux, quæ cuivis Christi discipulo & Religioso portanda est. Sed nunc aliis prætermittis, sepe Societatis, id est, regulam, ejusque utilitates expendamus; & quidem 1. Quod bestias noxias à vineæ arceat. 2. Quod vineam in flore conservet. 3. Quod

eandem fructuum copiam beet. Ut ex his ad observantiam regulæ exactiorem animemur.

I.
Seps vineæ
juvat ad
conserva-
tionem
vineæ.

I. Præcipuum seps officium & beneficium merito censetur, vineam circumdare, protegere, & animalia nociva arcere: unde ubi vulgata editio legit: *Sepem circumdedit ei.* Syrus habet: *Undequaque eam vallavit maceriam*, id est muro, absque calce, qualis circum vineas construi assolet: ut circumquaque munita sit & protecta. Quamdiu hoc sepimentum illæsum conservatur, quamdiu regularis viget observantia: nulla se a vineam nostram devastare poterit: huc facere videntur verba Isaïæ Prophetæ c. 35. 9. *Non erit ibi leo, nec mala bestia ascendet per eam, nec invenietur ibi.* Ad ejusmodi vineam tam munitam, non intrabunt serpentes, neque urso, neque alia fera animalia, ut eam destruant & evertant: ita ut ille ipse leo, qui per omnia undique clicuit, stragem faciendo, & absque ullo respectu ac reverentia loci, aut sanctitatis personæ cuiuscunque, ipsa templa ingredi, monasteria & cellas penetrare nititur; nullam tamen ratione in hanc vineam sese insinuare aut irrumpere, damnumque creare valeat: licet enim de longè possit aliquantum rugitu suo auditum pulsare, ungues tamen ac dentes infringere haudquaquam poterit. *Secuti ergo simus* (ait Guericus Abbas serm. 5. de adventu Domini) *(si de via regularum) non exorbitamus, potest leo, qui circummit, quarens quem devoret, viatores rugitu terrere; sed persistentes in via ledere non potest.* Rugiat ergo leo ex-

tra vineam, extra sepimentum; circumceant ursi maceriam, advigilantes, num te mordere queant; tu esto sine metu, modò sepem non infringas, eisque foramen aperias, per quod ingrediantur. *Non erit ibi leo, & mala bestia non ascendet per eam.* Nihil ergo time, nisi lædere sepem; nihil formidate, nisi recedere de via regularum; *Si es in via*, subdit Guericus, *hoc solum time ne devies.*

Dilectissimi mei, quoties vos monui; ut non amplius reflectatis animum ad annos præteritos, nec sollicitudinem geratis de peccatis sæculi; sed solum attendatis ad observantiam vestri instituti; omnis alius timor vanus est, & omnis alia anxietas inutilis; hic est timor sanctus & proficuus, singularem semper curam gerere, ne transiliatis sepem regulæ; sic nec inimicum, qui lædat; nec scorpionem, qui mordeat, nec leonem qui dentes infigat, timebitis. Ergo *si in via es, hoc solum time, ne devies*; si intra sepem es, hoc unum metue, ne transilias; alia omnia tericulamenta, contemne & irride. *Nam non erit ibi leo, & mala bestia, qua nocuum afferrat.* Licet sit Magister circumdatus numerosa juventute; aut Operarius, qui semper versetur in medio nationis pravæ, aut Ecclesiastes, innumeram stipatum Auditorum multitudine, non est quod metuat, modo intra sepimentum regulæ delitescat; si non agat cum proximo, nisi ob finem regulæ, nec converteretur nisi socio præsentem, nec recuset Superiori aperire interiora animæ. Hæc enim ratione,

ratione, ungues leonis infernalis apprehendere neminem valebunt. E contra verò, qui à via deviat, qui maceriam deserit, qui sepem diffringit ac dissolvit, in periculo est, ut mala bestia ascendat per eam: nam vetustissimum est dictum Sapientis: *Qui dissipat sepem, mordabit eum coluber.*

II.
Juvat ad
florem.

II. Alterum quod ex sepimento vineæ probè custodito beneficium enascitur, est flos & odor bonus ejusdem: si enim vinea sepi suæ peripheriâ circumquaque bene clausa & ab incurfu bestiarum noxiarum defensa, securaque existat, floret optimè; ita ut neam cadat illud Cant. 2. 13. *Vinea florentes, dederunt odorem suum.* Si enim in Ordinibus religiosis, exacta viget disciplina & regularum observantia, sunt verè, *vineæ florentes*; & in primavo flore constanter perseverant; quod si verò regularem disciplinam pessundent, flos, decor & gloria eorum marcescit, ac decidit; velut ordinum plurium exempla comprobant, qui vel tanquam flores veterascetes languent, vel omnino exaruerunt atque extincti sunt. Deinde ejusmodi Ordines non solum florent, in semetipsis, & conscientis suis; verum etiam suavem diffundunt odorem boni exempli, virtutis ac perfectionis in proximos: verèque cum Apostolo dicunt: *Christi bonus odor sumus.* 2. Corinth. 2. 15. id est, bonam Christi famam, verbis & exempla spargimus. Præclarè hanc in rem, S. Ambrosius, S. Anselmus & S. Bernardus serm. 17. in Cant. de spiritali colore & odore virtutum in illud: *Ego flos campi &*

lilium convallium: Habent, inquit, flores colores suos, habent & odores, odorem in fama, colorem in conscientia. Colorem operi tuo dat ejus bonitas, & cordis intentio, odorem modestia & virtutis exemplum. Justus lilium est, in se candidum; sed proximo odoratum: proximo enim famam, nobis debemus & providemus conscientiam. Ejusmodi famæ odorem suavem spirant vineæ religiosæ florentes intra maceriam regularum suarum; quæ si secus faxint, foetorem ingratum exhalant, & maculam dant in gloria sua.

Sicut Sponsa Cant. 6. 1. seipsam comparat areolis aromatum, suaviter redolentium; ita quævis religio his meritis assimilatur: in quibus videre est, venustatem, amœnitatem, & pulchrum ordinem vernantium herbarum, & florum odoratorum, ex quibus fragrantia spiritus exhalantur: Atque hoc est quod jubet Salvator Matth. 5. 16. cum ait: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona & glorificent Patrem vestrum;* ubi allâ metaphoriâ, gloriam & bonam famam appellat splendorem ex bonorum operum luce promanantem. Tales vineæ florentes erant Apostoli & Martyres, omnesque Ordines religiosi in ortu suo, primitias spiritus habentes, & magni fervoris, ac perfectionis ubique signa edentes; & velut areolæ aromatum, omnium visum, odoratumque misericè recreabant; Sicut aromata, quod magis conteruntur, eò majorem spirant fragrantiam; ita Christus Redemptor noster, Apostoli,

Mar-

Martyres, Ordinum Fundatores, & primi eorum affectæ, quò magis persecutionibus & tribulationibus pressi & quasi contriti fuerunt, eò suavio- rem virtutis suæ sparserunt odorem; intra regulæ suæ sapimenta sese continentes.

Eluxit id præclare in Doctore Gen- tium, qui quocunque deveniret, omnes amœnissimâ virtutum suaveolentiâ recreabat: unde verè S. Bernardus serm. 12. In Cant. de illo ait: *Paulus vas electionis, revera vas aromaticum, vas odoriferum, & refertum omni pul- vere pigmentario: Christi enim erat bonus odor in omni loco. Multa profectò suavitatis fragrantiam, longè lateque spargebat pectus illud, quod sic affecerat sollicitudo omnium Ecclesiarum. Vide enim, quales species & aromata coacer- vaverat sibi: Quotidie, inquit, merior propter vestram gloriam. Et rursus: Quis infirmatur & ego non infirmor?* Simili ratione, quem suavitatis odo- rem non diffudit longè lateque per Hispaniam, Italiam, Galliam S. Fun- dator noster, & primæva Societas; qui ita omnium mentes recreabat, ut ejusmodi fragrantia inescati, ægerimè eos à se divelli paterentur, & mox ad fundanda ubique Collegia excitaren- tur, quo stabiliter odore tam salutari pascerentur.

Si volumus, Charissimi, ut vineæ nostræ florentes, id est Provinciæ, Col- legia, Domus probationis & personæ Societatis singulæ, constanter flore- ant, & amabilem odorem ubique in proximos spargant; septa regularum,

sarta recta conservanda sunt; & in primis regula charitatis, ut nemo al- terius famam vel in minimo lædat, re- gulam temperantiæ; ut neminem sen- tualitate suâ offendat; regulam mo- destiæ, quæ mirificè omnes intuentes ædificat ac recreat. D. Basilii Epist. 175. refert aucupes quosdam colum- barum cicurum pennas consuevisse odore quodam inficere, qui columbis aliis gratissimus sit: quo pellectæ, pleiæque in decipulam inducuntur. Ita faciendum cuilibet personæ de So- cietate, ut suarum virtutum odore perditos ad Christum adducat; pro- bos ad virtutis incrementum, ac per- fectionem attrahat. Quemadmodum S. Cecilia Virgo Valerianum Spon- sum suum lucrata est Christo, cum ipse primâ nuptiarum nocte fragran- tissimum castitatis odorem, instar ro- sarum verarum, ac lillorum, in con- clavi Sponsæ suæ fuisset odoratus. Emulemur hæc charismata meliora: & vineæ florentes dabunt odorem suum.

III. Tertium beneficium, quod ex sepe probè custodita vineæ obvenit; Juvat ad fructum. est, ut non tantum à feris defendatur, & floreat, gratumque odorem diffan- dat; verum etiam, ut fructus maturos, & uvas dulces vineæ Domino profe- rat, huc è contra sepe destructâ, vi- nea quoque pessundatur ac dissipatur, omnisque spes fructuum tollitur. *Transi- sivi, inquit Salomou Proverb. 24. 30. per vineam viri stulti; & ecce totam repleverant urtica, & operuerant super- ficiem ejus spina, & maceria lapidum* (Syrus

(Syrus veritè
erat: quod ca
mor, & ex
homo delect
et, anim
tionibus, in
sibus hosti
quod fuit
dicit. Scilicet
ritum, &
eo repet
discipin
imponè
& dilic
zarius
Ep
c. 24
just
qu
sp
pr
E
tunc
Ma
dise
lura
quid e
& ex
mali on
tur quod
erat: rep
permis
rata & di
urice, h
macre;
Salom
disciplin
faciendum
vesceret, &
maceria, id

(Syrus vertit, spes lapidum) *destrueta erat: quod cum vidissem, posui in corde meo, & exemplo didici disciplinam.* Id est homo deses, & negligens vineæ suæ, id est, animæ, sepem, exponit eam tentationibus, infestationibus, atque incurribus hostium, bestiarum ac dæmonum quod fit ut in extremam sterilitatem incidat. Scatet enim spinis errorum, victorum, delictorum & scandalorum; ob sepem dirutam, id est, ob solutam disciplinam, & regularum neglectum; impund enim irruunt imperfectiones & dilicta, eamque vastant, & velut zizanias contaminant.

Egregiè S. Gregorius L. 30. Moral. c. 20. *Per vineam stulti transire est cuiuslibet vitam negligentis inspicere, ejusque opera considerare quam urtica vel spine replent, quia in corde negligentium prurientia terrena desideria, & punitiones pullulant vitiorum: quia scriptum est, in desideris est omnis otiosus. Maceria lapidum destrueta erat: id est, disciplina Patrum, ab ejus corde dissoluta erat: atque ideo protinus adunxit: quod cum vidissem, posui in corde meo, & exemplo didici disciplinam.* Omnis mali origo à S. Doctore in id refunditur quod *Disciplina Patrum dissoluta erat: regularis disciplina à Patribus primævis exactè observari solita, laxata & dissoluta erat.* Hinc spinæ, hinc urticæ, hinc sterilitas, hinc non uvæ maturæ; sed acerbæ labruscæ.

Salomon ex hac parabola, didicit disciplinam. Id est, cognovit quid sibi faciendum, ne animæ suæ vinea sylvesceret, & spinis repletur: destrueta maceria, id est, legum custodia. Disca-

mus & nos ex ista similitudine disciplinam & ponamus in cordibus nostris amorem regularum. Ne aliquando Christus Redemptor noster ac Judex, tanquam vineæ nostræ Dominus, à nobis rationem strictam exigat, ogeratque illud Isaia 5. 4. *Nunc ergo judicate: Quid est quod debui ultra facere vinea mea?* Ecquod vitioris officium neglexi? quid in vinea colenda neglexi? quid ei facere debui, quod non feci? fodi in ea torcular, supeditavi Sacramenta, posui turrim, Superiores & Inspectores, sepem circumdedi, constitutionum & regularum, deditorum gratiæ meæ, & Solem justitiæ, ut ad maturitatem uvæ perduceret: quid igitur ultra debui facere? in quo peccavi? An quod expectavi, ut faceret uvas, fecit autem labruscas? expectavi uvas suaves, & stomacho meo gratas; sed ecce inveni insuaves & amaras, quæ molestiam & nauseam creant, expectavi uvas dulces operum bonorum & virtutum, & vinum dulce charitatis & perfectionis; sed retuli omphacium & acetum sensualitatis, tepiditatis & omnigenæ imperfectionis. *Ego plantavi te vineam electam, omne semen verum; quomodo ergo conversa es in pravum vinea aliena?* Jeremia c. 2. 21. *Quid faciam? quid pœnæ infligam, spem sic negligentis, & omnem laborem ac industriam meam frustranti vineæ? hoc agam: Aufferam sepem ejus, Isaia 5. 5. Nudabo protectione meâ, Angelorumque custodiâ, & regularum gratiâ: Non putabitur & non fodietur.* l. c. Culturam ulteriorem subtraham ingratiæ vineæ atque indignæ:

indignæ: & Nubibus mandabo, ne pluant,
& gratiæ abundantis rorem affundant.

Quare, Charissimi, si vineam nostram, à Deo per S. Ignatium parentem nostrum plantatam, turri & torculari inructam, septuaginta circumdatam, illam cupiamus, ex parte nostra septem regularum infractam, integramque servemus; ne serpentibus, Jeonibus, uris, id est, tentationibus, vitiis, peccatis aditum patefaciamus: nam *Qui transiit septem, mordebit eum coluber.* Eccl. 1. 2. 5. minatur Deus: *Auferam septem & eris in direptionem.* Et Eccl. 36. *Ubi non est sepes, diripietur*

possessio. Si deinde Societatis nostræ florem, vigorem & exempli boni atque ædificationis odorem, in factorem gravolentem commutari nolimus: regularum septem probè custodiamus; ac denique si uvas dulces, id est, fructus bonorum operum & variarum virtutum solidos ac perfectos, producere desideremus, maceriem regularum nostrarum, vineam nostram conservantem, minimè lædi patiamur: aliàs non uvas dulces, sed acerbis, sed labruscas; non vinum dulce & Dei palato gratum, sed acetum insipidum proferemus.



EXHORTATIO VII. PRÆLIMINARIS

De septimo Stimulo observandi Regulam quia est
speculum nostrum.

T H E M A.

*Si ignoras te, o pulcherrima mulierum, egredere, & abi post
vestigia gregum tuorum.* Cant. 1. 8.



Uxlibet anima religiosa est Christi Jesu Sponsi cœlestis dilectissima Sponsa; à qua is inter cœtera monilia, & ornamenta cognitionem sui, & cognitionem Dei requirit; ex quibus multa præclarissima

decora & virtutum cimelia dependent. Nam cognitio sui ipsius, via est ad cognitionem Dei; sicut ignoratio sui, est ignoratio Dei; cognoscens enim infirmitatem & miseriam suam, Dei gratiam & omnipotentiam agnoscere, eamque supplex invocare cogitur. Unde Agapetus Diaconus admonitione ad Justinianum

an mm

annum Imp. ait: *Qui se novit, Deum noscet: Deum noscens, Deo assimilabitur. Assimilabitur Deo, qui dignus erit, qui nihil Deo indignum admittit, sed cogitat, quæ Dei sunt; & quæ cogitat, loquitur; & quæ loquitur, facit.* E contra seipsum ignorans, Deum ignorabit, & plurima Deo indigna committet. Hinc Sponsus cœlestis Cant. 1. 8. sponsam monet: *Si ignoras te, ô pulcherrima mulierum! egredere & abi post vestigia gregum tuorum.* S. Hieronymus ista exponens Epist. 22. ad Eustoch. *Sis licet pulchra, nisi te cognoveris, pasces hædos, qui staturi sunt ad sinistram, Pasce hædos tuos.* S. Ambrosius de anima & Isaac. c. 4. explicat, pasce, id est, rege seu coercere petulantiam & lasciviam corporis tui, edomare levis motus; mortifica passiones & effrœnes appetitus. Unde autem nos cognoscemus? unde colligemus, num pulchri simus, an fœdi? Inspeciendum, more Virgineum, speculum. At quodnam nostrum est speculum? Regula. Hâc enim aptissimâ metaphorâ S. Augustinus regulam suam appellat. In reg. cap. ult. Quæ in locum Hugo Victorinus in cap. ult. Reg. S. Aug. ait: *Et bene hunc libellum dicit speculum: quia in eo tanquam in speculo inspicere possumus, quales sumus; sive pulchri, sive fœdi; sive iusti, sive iniusti: utrum quisque nostrum regulariter vivat: utrum proficiat, an deficiat: utrum Deo placeat, an displiceat.*

Quomodo igitur hoc regularum speculum, bina nobis exhibeat; scilicet quæ maculas & imperfectiones ostendat, & ad ornatum perfectionis de-

serviat, exhortatione hac declarabimus.

I. Speculum materiale, maculas faciei detegit, ut eas abstergere valeamus. Nam ut seipse nosceret homo, qui suos in se, vultumque oculos inflectere non potest, homini speculum natura porrexit, ait L. Seneca L. 1. natur. quæst. c. 17. Sicut speculum dicitur id, quod inspiciamus; & speciem, id est, imaginem nostram contemplamur: ita S. Jacobus in Epist. sua c. 1. 23. Verbum Dei & legem speculum nuncupat, quia in eo nos inspiciamus, & speciem animæ contemplamur. Hinc S. Leo serm. 11. in Quadrag. *Artifex misericordie Dei, inquit, splendidissimum in mandatis suis condidit speculum in quo homo mentis faciem inspiceret, & quàm conformis imagini Dei, aut quàm dissimilis esset, agnosceret.* S. Leoni ad stipulatur Doctor mellissus serm. 1. de 7. panibus: *Evangelium, ait, speculum veritatis, nomini blanditur, nullum seducit, talem in eo se quisque reperiet, qualis fuerit! nec ibi timore trepidet, ubi non est timor; nec lateatur, cum malè fecerit.*

Quod S. Leo & S. Bernardus de lege Evangelicæ asserunt, idem nos, cum S. Augustino, rectè applicamus legi nostræ ac regulæ: nam & hæc speculum est splendidissimum, in quo animæ nostræ maculas intuentes, eas abstergimus, & quantum à virtutis perfectione distamus, perspicimus. Numeramus autem duplicis generis regulas, negativæ & affirmativæ: negativæ, quidpiam vetant, ut exire domo sine facultate Superioris; extraneorum mandata deferre ad domesticos, suscipere curam sæcularium negotiorum

I.
Speculum
regulæ
maculas
detegit.

rum : miscere colloquia de bellis Principum Christianorum inter se dissidentium ; dare mutuo aut accipere, absque licentia : tentationes celare ; otium sectari, nimiam corporis & sanitatis sollicitudine teneri ; nimis laboribus ac operibus pœnosis, corpus, animumque atterere : De aliis nationibus loqui sinistra & similia. Quæ omnia animæ faciem deturpant.

At quam ratione, maculas istas aut eluimus contractas, aut præcavebimus contrahendas ? Si fecerimus quod Moyse à Domino in tabernaculi constructione præscriptum : *Inspice & fac, secundum exemplum, quod tibi in monte monstratum est.* Inspice speculum, & vide quid veter, quidve requirat ; Inspice non semel, sed sæpius ; nec obiter, sed diligenter, & considera ac rumina, quam conveniens, quam piam, quam sanctum sit, quod præcipitur ; quam pravum & noxium, quod vetatur. Hujus rei symbolum legimus Exodi c. 38.8. Jussit Deus fieri labrum æneum, ex speculis mulierum ; ut in eo Sacerdotes sacrificaturi se lavantes inspicerent, & si quid in se maculatum, vel incompositum invenirent, detergerent & componerent. Nam ut ait S. Gregorius Hom. 17. in Evangelia : *Specula mulierum sunt præcepta Dei, in quibus se sancta anima semper aspiciunt ; & si qua in eis sunt scditates macula, deprehendunt. Cogitationum vitia corrigunt ; & quasi residentes vultus, velut ex reddita imagine componunt : quia dum præceptis Dominicis solerter intendunt ; in eis proculdubio, quid in se co-*

lesti viro placeas, vel quid displiceas, agnoscunt.

Sacerdotes veteres, imitandi sunt nobis, non solum in observantia præceptorum ; sed etiam regularum : dum peccata expiaturi, dum ad aram facturi, dum conscientie latebras scrutaturi sumus, Regulæ speculum intruemur ; & si quas scditatis maculas deprehenderit, detergamus ; cogitationum vitia corrigamus ; sermonum lapsus ac nos emendemus ; & omne virus actionum nostrarum expellamus. Scribit Ludovicus Vives in S. August. L. 18. Civit. c. 13. Basilicum hoc modo occidi : circumdant se Venatores undique speculis ; in quæ dum illi se intropicit, venenati specierum visualium radii, ex oculis egressi, vispeculi, ad ipsummet reflectuntur, atque cum interficiunt & enecant. Ita Religiosus tepidus & multis peccatis venialibus se inficiens, & regularum transgressionibus maculans ; easque in speculo regulæ intruas, & ad se reflectens, compunctus, interimit eos nos, quos tam pestilentes, scditosque conspicit, & novum fervorem induit.

Atque hoc est primum Speculi regularis officium, ac beneficium, quod maculas & imperfectiones nostras, regulæ repugnantes clarè detegat, ut eas cognoscamus, aboleamus, & imaginem animæ nostræ Deo & Christo majore puritate assimilemus.

II. Alterum speculi regularis officium & beneficium est, ut ad ornandam, & expoliendam, animæ nostræ faciem & vestimenta coordinanda atque

II.
Speculum
regulæ ad
ornandam
animam
servis.

atque aptanda subserviat. Sicut enim femine ac domicellæ nobiles, dum se comunt & ornant, studiosè se in speculo intuentur, ut non tantùm omne, quod in facie fœdum viderint, eluant; verùm etiam, eam pulchre per omale componant: ita Religiosum decet, assiduè regularum suarum speculum intuenti, ut juxta illud se totum conformet, mores corrigat, virtutum ornamenta inferat, & omnigenæ perfectionis decore sese exornet. Huc servit, quod asseruit S. Paulus 2. Corinth. 3. 18. *Nos verò omnes revelatâ facie, gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur, de claritate in claritatē, tanquam à Domini spiritu.* Nam ut ait S. Augustinus L. 35. de Trinit. c. 6. *Speculantes dixit, per speculum videntes, non ad specula prospicientes. Transformamur ergo dicit, de forma in formam mutamur, atque transimus de forma obscura in formam lucidam. Nam lucerna pedibus meis verbum enim & lumen semitis meis.* Psal. 118. 105. *Et mandatum lucerna est, & lex lux & via vita in repositio disciplina.* Proverb 6. 13.

Speculantes igitur nos in speculo nostro regulari, transformamur, de forma obscura, in formam lucidam ac pulchram? ut scilicet simus imago Dei enimque quasi exemplar & prototypum, ad quod creati sumus, repræsentemus, dum regulæ omnem perfectionem complectenti nos conformamus. Transformamur de forma obscura in lucidam: quàm obscura est forma, è sæculo hac allata? quot maculis deturpata; quantis teæbris & ignorantibus

involuta? quàm obscura est superbia, luxuria, invidia, vana gloria & ceteræ vitiorum caligines? has autem in speculo regulari contemplantibus paulatim dissipamus, & in formam lucidam transformamur: & *De claritate minori, pedereatim ad claritatem majorem pertingimus.*

Unde S. Augustinus librum conscripsit, quem *Speculum* nuncupavit, eò quod in eo Scripturæ Divinæ sententias morales de virtutibus & vitis collegerit; *Ut in eo credens, inquit, qui Deo obedire voluerit, se inspiciat, quantumque in bonis moribus operibusque profecerit, & quantum sibi desit, attendat.* Similem librum, simile speculum exhibet nobis S. Pater noster Ignatius (scilicet librum regularum) nihil nisi sententias morales, & documenta ex vita ac doctrina Christi decepta continens, ut ejus filii in eo se intueantur, & quantum sibi ad finem ab eo intentum, scilicet perfectionem propriam & alienam desit, attendant, & magis magisque ad eam aspirent. Idem S. Doctor in ps. 103. Conc. 1. *Vide, ait, si hoc es, quod dixit (Psalmes) si nondum es, gemit ut sis, renuntias tibi speculum faciem suam? sicut speculum non sentit adulatorem, sic nec te pelves.* Idem applicemus nobis: *Inspexisti speculum regulare, vide si hoc es, quod dixit; si nondum es, gemit, ut sis; conare, propone, rem cum gratia Dei aggredere, & pulcher Christoque ac S. Ignatio similior efficiaris.*

Quem in finem plurimum conducunt regulæ, quæ affirmatæ sunt, & quid ad animæ pulchritudinem conse-

quendam, nobis agendum sit, edocent:
 dum jubent matutino tempore cœle-
 stium meditationi insistere, peccata
 suo tempore per pœnitentiæ Sacra-
 mentum explere, bis in conscientiam
 diebus singulis Inquirere, paupertatem
 Evangelicam, castitatem Ange-
 licam, Obedientiam perfectam secta-
 ri; & Dei proximæ que sinceræ chari-
 tati operam dare. Has similesque re-
 gulas. *Inspice*, sæpe recole, expende, in-
 tellige; deinde *fac* & in praxin redi-
 ga, & ornabunt te, multisque gem-
 mis pretiosis condecorabunt. Nec sis
 similis viro, de quo S. Jacobus in epist.
 c. 1. *Quia si quis auditor est verbi* (re-
 gulæ) *& non factor: hic comparabitur*
viro, consideranti vultum natiuitatis sue
in speculo: consideravit enim se & abiit,
& statim oblitus est, qualis fuerit.

Quapropter, nos speculum regula-
 rum nostrarum, non obiter; sed sedulo
 & serido, sæpius inspiciamus, tum ut im-
 perfectionum nostrarum maculas ab-
 stergamus; tum ut animam nostram om-

nigenæ perfectionis pulchritudine &
 ornatu condecoremus; non imitemur
 viros sese intuentes in speculo, & mox
 abeuntes; sed Virgines Nobles, pul-
 chritudinis & ornatûs studiosas, quæ
 diu multumque se in speculis contem-
 plantur, omnesque nævos & maculas,
 etiam minimas, quas in iis cernunt, em-
 culant & extergunt, ac totam faciem,
 vestes, gestus ac mores ad speculum
 formant & componunt: sæpius de illis,
 illarumque præstantiâ, utilitate, fructu
 meditationes instituamus; hæc ratione,
 tanquam specula concava, radii solari-
 bus opposita, stupam, chartam, aliaque
 accendunt; ita regularum nostrarum
 speculum amore divino nos inflamma-
 bit, & perfectionis desiderium accen-
 det. *Ignitum eloquium tuum vehe-*
menter, & servus tuus dilexit illud Psal.
 118. 140. Quod illuminabit, aduret,
 & animam de forma obscura in luci-
 dam, de tepida in ferventem,
 de imperfecta in perfectam
 transmutabit.





EXHORTATIO VIII.

PRÆLIMINARIS

De octavo Stimulo observandi regulam ; quia est altera
scala Jacob, ad cœlum ducens.

T H E M A.

*Viditque in somnis scalam stantem super terram, & cacumen
illius tangens cœlum. Gen. 28. 12.*



Scala Patriarchæ Ja-
cob, quam vidit in
Bethel, Theodore-
to, Pererio, & He-
bræis, Divinæ Pro-
videntiæ est symbo-
lum ; cui Deus tanquam causa pri-
ma, primumque movens omnium,
innititur : per quam Angeli provi-
dentiæ hujus ministri & executores,
ascendunt & descendunt ; duo sca-
læ latera sunt suavitas & fortitudo :
Deus enim sapientiæ suæ in fide mun-
dum gubernans, *attingit à sine us-
que ad finem fortiter & disponit omnia
suaviter.*

Deinde scala hæc Tertulliano (in
fine L. 3. contra Marcionem) sym-
bolum est viæ, quâ justî ascensiones in

corde suo disponunt, in cœlestem pa-
triam : duo latera sunt fides & opera ;
vel verbum Dei & Sacramenta ; gradus
autem variarum legum & virtutum
ascensus indigitant.

Alii SS. Patres & Ascensæ, propin-
quius ad propositum nostrum acce-
dunt, & scalam hanc Jacob, regulæ
seu disciplinæ religiosæ symbolum
esse existimant ; quâ verò ratione id
intelligendum sit, præsentî exhorta-
tione indicabimus, ut tantò alacrius
Angelorum more, per hanc scalam
primò ad perfectionem, ac deinde in
cœlum ascendamus.

1. *Viditque (Jacob) in somnis sca-*
lam. l. c. S. Bernardus serm. in illud : Regula
Ecce nos te iquimus omnia : *Scala,*
ait, hac est disciplina religiosa, vel regula
Ordinæ

Ordinis v. g. quâ Dilectus Dei Benedictus ascendit ad cœlum; duo latera sunt humilitas & vitæ asperitas; gradus sunt varietate regulæ & virtutum actus: scala enim arcta, arctam disciplinæ viam, quæ ducit ad cœlum significat: nam ut ait S. Augustinus in Sentent. 19. *Angusta est via que ducit ad vitam, & tamen per ipsam, nisi dilatato corde non curritur: quia iter virtutum, quo gradiuntur pauperes Christi, amplius est fidelium spei, etsi arctum sis infidelium vanitati.*

S. Bernardo consentit S. Antoninus in Summa Theolog. p. 3. tit. 26. c. 10. §. 11. *Bonum, inquit, Religionis significatum est nobili illâ sculâ Jacob, cuius gradus nulli sunt alii, quàm lectio- nis; meditationis, mortificationis, aliarumque similium exercitationum, quibus Religio consistat. In hac ascendunt Angeli, ad hæc opera Dei offerenda; atque ad deferenda vicissim, ad religiosas animas, Sponsi munera, & beneficia descendunt. Et porro incumbit Deus; quia ejus gratiâ & auxilio, omnia nostra studia nituntur; quæ eo tenente cadere non possunt; ipseque est ascendentibus firmamentum; & perveniens in fine est præmium: unde de ea verè dicitur: *Non est hic aliud nisi domus Dei, & porta cœli.**

An non idem, Charissimi, de Regula à S. Ignatio, nobis porrecta, asserere poterimus: *Non est hic aliud nisi Domus Dei, & porta cœli, ad quam ipsa penetrat ac pertingit; si dilatato corde, & alacri ac generoso animo per eam ascendamus: & licet arcta*

videatur, vim tamen nobis inferendo, aditum nobis patefaciamus.

II. Latera hujus scalæ, quibus gradus inhærent: sunt, humilitas & asperitas per quarum medium, omnes alii gradus ascendendi sunt. Vel latera scalæ sunt *sustine, & abstine*. Patientia & abnegatio, intra quæ, tanquam inter repagula currendam est ad cœlum. Vel latera sunt oratio & mortificatio, quibus omnes aliarum regularum & virtutum gradus innuntur, & fulciuntur: sine quibus ad nullam virtutem pervenitur, nec pes à terra vel ad primum scalæ gradum elevatur. Orationi namque jungenda est mortificatio; quia mortificatio sine oratione est insipida & horrida: oratio sine mortificatione est sterilis & infructuosa. Mortificatio igitur fulciatur oratione, & oratio conditur mortificatione. Mortificatio, domat & jugulat concupiscentias, & passiones, scilicet cupidinem honoris, deliciarum, opum, commoditatum: oratio verò mentem mortificatam sustollit ad Deum: ab eoque cœlestes amores, sensus & spiritus haurit: quare mortificatio est quasi myrrha & sal putredinem à carne & mente nostra exurgens, eamque desiccans & à corruptione conservans: oratio verò est velut thus illam per fumum & ignem Deo adolens, offerens, & sacrificans. Ita Cassiodorus & Beda.

Quamobrem si per regularum gradus in cœlum conscendere cupimus, extra gemina hæc fulcra pedem non locemus: in omni gradu oratio & mortificatio latus nostrum stiper necesse

II.
Lateræ
scalæ.

III.
Grati-
scilicet.

S. Basilii
dicitur
regulæ
Scala, in
nem, cal-
decem g-

neesse est. Difficile est animam ascendere sursum, gravatam rebus terrenis & onustam carnalibus affectionibus, illam vehementer detinentibus, & deorsum semper impellentibus; quibus tamen per mortificationem ablatis, facile ad superna ascendit. Levat mortificatio & alleviat; oratio addit pennas. Mortificatio sustollit; nam ut inquit S. Augustinus serm. 171. de tempore ad Fratres. *Strenuus quisque subigere passiones sibi studeat, ac super eas stare consuescat; ex ipsis sibi gradum constituit, quo possit ad superiora conscendere, elevabunt nos, si fuerint infra nos, devitiis nostris scalam nobis facimus, si vitia ipsa calcamus.* Conculcatio ergo vitiorum, est incrementum virtutum, & passionum subjectio & abnegatio, cordis est sublevatio, & in sublimia erectio. Ex altera verò parte oratio, est adjutrix & succollatrix, sine qua ascensiones in corde suo nemo potest dispoere; nemo sese abnegare, nemo vitium vincere, nemo de hostibus triumphare: orante Moyse vincebat Israel, cessante illo vincebat Amalec. Hæc igitur duo fulcra omnino nobis necessaria sunt; intra quæ si ambulemus tuti evadimus, extra quæ si pedem figamus, deviamus, exorbitamus, & ad Deum, cælestemque patriam non ascendimus.

III. Gradus hujus scalæ. ex mente S. Basilii in Psalm. 1. sunt varæ abdicaciones & renuntiationes, quæ in regulis quoque nostris continentur: Scala, inquit, est ascensus ad perfectionem, culmen est charitas, gradus sunt decem gradus abrenuntiationis, quo-

rum primus est, abdicare terrena, ut cum Apostolis dicat, *Ecce nos reliquimus omnia.* Quid aliud petit à nobis Regula 8. Summatim; nisi ut ii, qui Societatem ingrediuntur, *existiment sibi, quidquid in mundo habebant, relinquentium?*

Secundus gradus est. Eadem terrena cuncta oblivisci secundum illud Psalmi 44. *Audi filia & vide & obliviscere populum tuum, & Domum Patris tui.* Quid aliud inquit prædicta 8. regula, dum jubet nos mundo & aiori proprio mori?

Tertius gradus est, eadem ut stercore odisse & averfari secundum Apostolum; *Omnia arbitror ut stercore.* An non idem regula exigit, omnem mundi affectum exuere, & mundo contraria totis viribus concupiscere, præcipiens.

Quintus gradus est. Odisse animam suam propter Christum: *Ut ne de vita quidem sua, quidquam affectus sit omnino, etiam si mortis habeat responsum;* ait S. Basilus. Quid aliud requirit dicta regula, dum ait: *Unusquisque sibi dictum existimet illud: Qui non odit animam suam, non potest meus esse discipulus?*

Sexius est, Abnegare suum iudicium & voluntatem; quod nobis mandat regula 31. dum vult: *veram nos abnegationem propria voluntatis & iudicii habere.*

Septimus est, semper mortificare suas cupiditates, ut impleat illud Christi: *Abneget semetipsum & tollat crucem suam & sequatur me.* Annon hoc regula 12. nobis præscribit, dum ait:

Majus ac impensius studium cuiusque sit, quare in Domino majorem sui abnegationem, & continuam in rebus omnibus mortificationem.

Octavus sequi Christum, & discere ab eo, quia mitis est & humilis corde. Quid aliud à nobis Regula 11. 13. & 19. postulat?

Non est Amare constanter & efficaciter proximos, etiam inimicos: quid Regulae 42. & toti instituto conformis, & intimus?

Decimus denique gradus est, in quo Dominus visus est, adherere Deo, illicque in uno spirito uniri. Quae est hominis perfectio quaeque primarius ex Regula 2. Est Societatis nostrae finis.

His addere possumus tot gradus, quod aliae in regulis nostris continentur virtutes; ut enim Batlaam Josaphatum instruebat: *Virtutes quasi scala quadam caeli sunt.* Teste Damasceno in hist. c. 20. Per quas è terra in caelum, ab exilio in patriam ascendendum est: Et S. Bernardus serm. de B. M. V. recenset duodecim humilitatis gradus 1. Est odium peccati. 2. Fuga delicti 3. Metus odii. 4. In omnibus his subesse Creatori. 5. Obedire meliori. 6. Obedire compari. 7. Obsequi inferiori. 8. Subesse sibi. 9. Finem suum jugiter meditari. 10. Opera sua semper vereri. 11. Cogitationes suas humiliter confiteri, 12. Per omnia ad nuntium Domini moveri. Per hos gradus, ascendunt Angeli & sublimant homines & in Domino Patris percipiunt lucidas mansiones. Atque omnes hos gradus, regula nostra complectitur, ut scrutanti patebit.

IV. *Angelos quoque Dei ascendentes & descendentes per eam,* vidit Jacob Gen. 28. 12. Quid per Angelos hoc significabimus, nisi Religiosos; praesertim vitae mixtae deditos, qui nunc per orationem ad Deum ascendunt, nunc per opem & auxilium descendunt ad proximos. Sic S. Romualdus, ut in eius vita legitur, visu scalae, ex ima terra in caelum vertice pertingentis, perquam ascendentes intus batur descendentesque Monachos albenti veste, Religionis perfectionem, ejusque habitum designari, mirabiliter agnovit. Quocirca eundem secum à nobili viro ejus domino cui nomen erat *Maldulo*, petiit & impetravit, ibidemque monasterium sui Ordinis primarium aedificavit, Anno Domini 1009. quod exinde *Camaldulium*, quasi campus Malduli, est nuncupatum; situm id est juxta Florentiam, in monte Apennino jam à sexcentis annis & ultra, sanctorum Eremitarum, Angelorum, inquam, terrestrium copia florens. Religiosi ergo sunt Angeli, angelicam praesertim castitate & animi puritate dotati.

Quemadmodum autem Societatis nostrae homines, ob castimoniam & vitae innocentiam oportet esse Angelos, ita quoque ut finem Societatis assequantur, & officio suo faciant satis, necesse est, ut sint Angeli *ascendentes & descendentes*. Ascendentes, per contemplationem, meditationem, orationem, & affectus anagogicos assidue Deum dirigentes, ut inderobur, vires, & spiritum hauriant; quo gratia & caelestibus donis impleantur: ac postea descendant ad proximum, & accepta à Deo

à Deo lumina ac dona eis communi-
cent. Ideo S. Bernardus serm. 1. in
Cant. & L. 2. de consid. c. 3. necessarium
esse docet, ut il qui alios Deo lucrari
conantur, prius sint *concha quam cana-
les*: id est prius ad Deum ascendant, ut
cœlestibus thesauris ditentur, quos
deinde in alios profundant. Et S. Dio-
nysius Areopagita c. 3. Ecclesiasticæ
Hierarchiæ tradit: Decentissimus, di-
vinarum rerum ordo est, ut primus
communicet atque impleatur sanctus
Præsul his, quæ per illum distribuenda
sunt cæteris, divinis donis & ficalis
tradat: deinde subdit: Quocirca & hi,
qui divinis Magisteriis (priusquam
digna illis conversatione capaces effecti
sunt) abutuntur audacter, impuri, at-
que factâ lege extranei omnino censentur:
Ut enim in solis radiis, tenuiores,
limpidioresq; substantiæ primâ influen-
ti luce replentur, sicq; exuberantem
lucem in subseqentes, solis vice trans-
fundunt; ita non sine periculo, divinis
in rebus, quibusque allis se ducem præ-
stare præsumet, qui non per omnia e-
vaserit similis Deo. Ita S. Dionysius.
Ex quo liquet, zelatoribus animarum
prius ascendendum ad Deum per ora-
tionem & scalam virtutum, quàm
descendant ad lucrandos proximos,

adeoque & nobis ascendendum esse,
instar Angelorum & descendendum
per scalam regularum nostrarum, quæ
est scala altissimæ perfectionis.

Quæ cum ita sint, Dilectissimi, &
Divina Providentia nobis scalam ad eò
præstantem è cœlo demiserit in ter-
ram: summas eidem & immortales
grates referamus, & per eam ascende-
re strenuè conitamus: idq; inter
duo latera, orationis & mortificatio-
nis, illa attollit, hæc promovet, illa
ascendit, hæc fulsit, hæc laborat,
& progreditur, illa dulcorat iter & la-
borem. Deinde omnes & singulos gra-
dus virtutum regulis nostris expressos,
ut humilitatis, patientiæ, paupertatis,
castitatis, obedientiæ, zeli & charita-
tis alacriter conscendere satagamus.
Quod ut levius accidat, nunc ascenda-
mus ad Deum contemplando & oran-
do, gratiamq; obtinendo, nunc de-
scendamus, ad proximum contempla-
ta, & obtenta divinitus illi communi-
cando, quod si in his strenuè progressi
fuerimus & usque ad vitæ finem perse-
veraverimus, tandem ad Deum O. M.
scalæ innixum, cum plurimis anima-
bus, quas lucrati fuimus, pervenie-
mus, eoq; in felici æternitate
sine fine perfruemur.





EXHORTATIO IX.

PRÆLIMINARIS

De Præscientia & Prædestinatione DEI,
Tanquam nono Stimulo Regulas observandi, & secundum easdem nos Christo Domino conformandi.

T H E M A.

*Quos præscivit, & prædestinavit, conformes fieri
imagini Filii sui. Rom. 8. 29.*

QUæ Olim Poëtæ ingeniosi, de miris hominum profanorum metamorphosis, fabulando cecinere; ea longè veriùs, de moribus hominum Deo dicatorum transformationibus prædicantur; hi enim licet ante in sæculo fortassis vitis innutriti, peccatisque variis dediti, Nabuchodonosoris instar, in mores beluinos deformati abierint: quemadmodum Vates regius loquitur: *Homo cum in honore esset, non intellexit; comparatus est jumentis insipientibus, & similibus factus est illis.* Psal. 48. Ubi ta-

men vocationis divinæ radio collecti, Deo in Religione vivere, cœlestia cognoscere & degustare occipiunt; gratiæ Divinæ auxilio, regularum suarum ductu, & Christi Domini prototypi sui assiduo aspectu, eò paulatim pertingunt; ut è mundanis hominibus in religiosos, è terrenis in cœlestes, è sensualibus in spirituales; è veteribus in novos, in angelicos ac prope divinos, mirâ metamorphosi, transmutentur, implentes illud Apostoli: *Exspoliantes vos veterem hominem, & induentes novum, secundum imaginem ejus, qui creavit illum.* Ad Coloss. 3, 9.

Hanc

Hanc autem transformationem , Charissimi, ut secundum regulas nostras, gratiâ Divinâ adjuti strenuè agrediamur; motiva nonnulla tanquam stimulos præmitteremus, & in hac quidem exhortatione de præscientiâ & prædestinatione Dei agemus, ut ea conformationem cum Christo nobis persuadeat.

Christus Dominus, Prototypon & Dux noster, nos lucis suæ radiis colustret, & gratiæ suæ auxiliis efficacibus adjuvet, ut secundum regularum nostrarum directionem, vivam in nobis ejus imaginem, delineare valeamus.

I.
De præ-
scientiâ
Dei.

I. Stimulus primus vitam nostram, in Societate JESU Christi, ad amissim regularum nostrarum conformandi, est æterna Dei præscientiâ & prædestinatione. *Quos præscivit*, inquit Gentium Doctor Rom, 8. *& prædestinavit, conformes fieri imagini filii sui.* Pars prima est Dei præscientiâ. *Quos præscivit*. Deus sapientiâ suâ infinitâ, omnia, antequam fiant, clarissimè cognoscit, omnia præscit: *Cognovit Dominus, qui sunt ejus*, 2. Tim, 2, 9. Id est, præciti & præcogniti sunt, qui sunt ejus, scilicet Dei: videt enim Deus ab æterno, & vidit, quinam in fide gratiâ, & vocatione suâ sint firmiter perstituri; adeoque perventuri ad gloriam, velut Dei amici & dilecti; & quinam sint defecturi, & tanquam indigni repudiandi. Ita S. Chrysostomus, Theophylactus, & S. Augustinus Tract. 12. in Joan. *Novit*, inquit, *Dominus, qui permanent ad coronans, qui permanent ad flammam; novit in*

area triticum, novit paleam, novit segetem, novit zizania.

Cognovit Dominus qui sunt ejus: eosque consignat & quasi conscribit in libro vitæ seu catalogo Electorum, id est in mente seu memoria sua; quas ad vitam æternam destinavit & elegit: Cognovit quoque Dominus, qui non sunt ejus; sed ex libro vitæ expuncti, & in librum mortis relati sunt: Præscivit itaque Deus, culnam libro inscripti essemus; utrum ad triticum, an ad paleas; ad segetem, an ad zizania pertineremus: cum verò nos id lateat; an non meritò horror salutaris nos corripiat impellatque, ut per bona opera (in regulis nostris præscripta) certam electionem & vocationem nostram reddamus?

Deinde, *quos præscivit*: novit Deus quid in quovis rerum eventu, statu, conditione, nobis futurum fuisset: *præscivit* si naceremur, vitamque traduceremur in Tartaria, China, Turcia, Brasilia, Ethiopia, India; in quam scelerum colluviem, ex infidelitate ortam, cum barbaris illis populis casuri fuisset. *Præscivit* idem omniscius Deus, si in Anglia, Suecia, Dania, Norvegia, Hollandia inter Lutheri, Calvini, & Mennonis. scelerum lucem aspecturi, atque educandi fuisset, in quam horrendam criminum voraginem ex hæresi natam, præcipitandi fuisset. *Præscivit*, idem rerum omnium cognitor Deus, si ab orthodoxis quædam parentibus in lucem edendi, sed in mundana vita relinquendi fuisset, quemnam vitæ

tenorem observassemus ; & quidem si militiæ adscribendi , in quas rapinas , furta , duella ; si in Jurisconsultorum album referendi , in quas fraudes , injurias , injustitias , controversiarum proelationes ; si vitæ clericali in sæculo mancipandi , in quæ sacrilegia , lascivias ac turpitudines nefandas prolapsuri fuissetus : & quia hæc præcivit , aliam viam inivit , alia media benignissimus Deus arripuit ex infinita sua erga nos charitate & misericordia , ab idololatria , hæresi , & mundi corruptela extraxit , ad Societatem JESU evocavit , & post varias remoras & obstacula in eandem efficaciter perduxit : ô quanta Dei erga nos immeritos dilectio ! & ex mente S. Augustini prædilectio !

Tertio. *Quos præcivit.* Origenes & S. Augustinus exponunt , *Prædilexit* : hæc enim præscientia favorem & affectum benevolam Dei connotat : quemadmodum igitur nos ab æterno præcivit , ita ab æterno prædilexit : At quo opere bono , quo actu heroico , imò quo vel verbo , vel desiderio , minimòve suspitio istud promeriti eramus ? nullo sanè ; nihil enim egimus , quia in recum natura nondum fuimus : nulla igitur prævidit prævia merita , præter secuturos prædestinationis effectus ; ita ut nobis verba Apostoli usurpare liceat ad Titum 3. *Non ex operibus , quæ fecimus nos , sed secundum magnam misericordiam suam salvos nos fecit* : velut clarè in Jacob & Esau elucet : *Cùm nondum nati fuissent , aut aliquid boni egissent ,*

aut mali. Dicitur est : Jacob dilexi , Esau autem odio habui.

Quid nunc ex hoc discursu , Charissimi , concludimus , nisi istud ? Si Deus , illos , quos in vitæ hujus mortalis discursu , præcivit & prædestinavit fore Christo conformes , eidem quoque conformandos esse in gloria : igitur si nos eidem non conformaverimus in hac vita , neque nos eidem conformandos in altera : quales enim erimus in via , tales erimus in patria. Deinde si DEUS O. M. è tam variis periculosis regionibus & statibus , in quibus nos æternum perituros prævidebat , benignissimè eripuit , & in hoc Ordine amabilissimo collocavit , an uon eâ gratiâ indignissimi criminis , dignissimi que qui eo favore excidamus ; si nos vitæ Christi Domini nostri , ex amulsi regularum nostrarum conformare neglexerimus , Denique si Deus nos prædilexit ab æterno , absque præviis meritis nostris , totque admirandis gratis prævenire statuit , quas ex parte jam percepimus , an non par est , amorem amore compensare & omnia salutis ac perfectionis media in Societate nobis præordinata avidissimè arripere , ejusque leges quàm exactissimè observare ?

II. Altera stimuli pars nos Christo Domino , proto:typo nostro , secundum regularum præscriptum conformandi , est æterna Dei prædestinatio : ut enim scribit Gentium Doctor : *Quos præcivit & prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui.* Rom. 8. Hoc prædestinationis excellentissimum beneficium , nascentemque inde nos Christo conformandi obligationem , ut clariùs perspi-

II.
De præde-
stinatione
Dei.

periclitamus
quid sit præde-
L. de bono per
natio est præde-
ficium Dei
nr , quicquid
eae hinc mo-
ditate divi
per infallibi-
perdicand
Apostolo
hr , qui
sancti. R
23. app
Ante
& gra
tium
nisi
ter
que
nun
A
cium
par
Nisi
at : Qu
be potest
si facere
dud veru
lar regular
possentia
contumeliam
positi nos
vel ab infide
Hæreticim
vestigia legi
melie , pro
tervum ;
& miterico

perspiciamus, intelligendum probè, quid sit prædestinatio. S. Augustinus L. de bono persever. c. 14. ait; *Prædestinatio est præscientia & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicumque liberantur.* Alii explicant hoc modo: Prædestinatio est ordinatio divina efficax de quibusdam, per infallibilia media ad vitam æternam perducendis. Hæc prædestinatio ab Apostolo nuncupatur *propositum Dei*, *lis, qui secundum propositum vocati sunt sancti.* Rom. 8. 28. Eadem Actuum 2. 23. appellatur *definitum consilium.* A. S. Anselmo & S. Augustino L. de corrept. & grat. vocatur *æternum Dei beneplacitum, liberale decretum, gratuita Dei constitutio*: quæ ab æterno statuit homines, prius ad gratiam, deinde ad gloriam cœlestem, per Christum, vocare; quos si voluisset, poterat præterire & non vocare.

Atque ut hoc ipsum meliùs perspiciamus, S. Paulus Deum figulo comparat, & hominem luto: Rom. 9. 21. *Nunquid, dicit figmentum, ei qui se fixit: Quare me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* Ita est, sicut figulus, ita & Deus hanc habet potestatem: potuit nos formare vasa in contumeliam, vel vasa in honorem: potuit nos ita ordinare, ut nasceremur vel ab Infidelibus & idololâtris, vel ab Hæreticis impiive parentibus, quorum vestigia legentes, tanquam vasa contumeliæ, projecti fuisset in ignem æternum; Verùm ex infinita dilectione & misericordia, aliter, ut speramus, &

cernimus, beneficia sua præparavit, aliud consilium, aliud propositum, aliud beneplacitum, aliud liberale decretum de nobis concepit atque formavit; scilicet, ut nos, quemadmodum confidimus, perduceret ad vitam æternam.

O quis capiat, quis verbis exprimat, quantum hoc sit beneficium divini Numinis: sanè si fontem copiosum, ex quo omnia alia bona scaturiunt, esse dixerimus, non aberrabimus. Unde enim oritur, quod sumus Christi oviculæ, ad ejus dexteram aliquando collocandæ, & in amœnissima Paradisi pascua traducendæ, nisi ex prædestinatione & gratuita Dei constitutione? Unde oritur, quod Libro vitæ, seu Essentiæ Divinæ, tanquam Dei Filii adoptivi divini patrimonii hæredes, amici Dei charissimi, gloriæ & beatitudinis possessionem adituri, inserbamur, nisi ex prædestinatione, Deique definito consilio, liberalique decreto? Ex hoc fonte promanat aliorum beneficiorum ac mediocrum ordinatio; hinc ea divitiarum, ingenii, virium, sanitatis, aliorumque bonorum temporalium affluentia profleat: hinc tot inspirationes, tot exte næ voces, tot validi clamores Concionatorum, Conscientiæ Directorum, ac Superiorum, imò omnium creaturarum, nos ad veram fidem, ad Dei amicitiam, & familiaritatem, & perfectionem & Christi imitationem in Societate JESU invitantium, scaturiunt. Verbo hæc est vena miserationum Domini, è qua, gratiæ, virtutes, cæteraque divina charismata, ac donatum naturalia, tum supernaturalia

tanquam aqua saliens in vitam æternam, eliciuntur,

Quam hinc rursus conclusionem formabimus, nisi illam. Si Dominus Deus noster, potuit nos facere vasa in contumeliam, & non fecit; sed potius liberali constitutione, nos vasa, ut spes est, in honorem, ordinavit; si tot donis naturæ & gratiæ nos spoliare potuit, sine quibus libro mortis & damnationis inscribendi fuisset, & non fecit; sed è contra tot beneficiis cumulavit, & suavissimo æternæ prædestinationis vinculo nos sibi devinxit; an non summa Ingratitudinis labes foret tam amabili Numinis dispositioni & prædestinationi non respondere?

Quæ cum ita sint, Dilectissimi, si quandoque nobis desidia aut torpor obreperit, his præscientiæ & prædestinationis stimulis languorem nostrum, velut calcaribus, excitemus; Deus præscivit, & prædestinavit nos (quæ spes nos alit) ut conformes evaderemus imagini Filii sui, idque tum per ea media, & per eas constitutiones,

quas in Societate JESU nobis ordinavit & tradidit; tum per remotionem impedimentorum, quæ in Infidelitatis, hæresis ac mundi labyrintho reperissemus; tum absque nostris præviis meritis, gratis nos prædiligendo, prædestinando, dona naturalia & supernaturalia affatim suppeditando; Quod si vero nostantæ Dei in nos benevolentæ & charitati non respondeamus, sed in imitando prototypo nostro desides, & ignavissimi, an non jure formidabimus, futurum nobis, quod aliis non paucis accidit, ut Deus justus & rectus, nos è Religione sancta eliminet, & in locum nostrum, longè ferventiores ac meliores subroget? Ne id nobis eveniat; divina beneficia nobis præparata ne respiciamus, præstantissima perfectionis adminicula non negligamus: Dei propositum, liberale decretum, consilium, non aspernemur; sed secundum regulas nostras ad vitæ Christi similitudinem aspiremus, ne negligentia nostrâ in æternæ damnationis pericula devolvamur.





EXHORTATIO X. PRÆLIMINARIS

De signis prædestinationis & reprobationis ;
Tanquam decimo Stimulo , per regularum observantiam ,
nos Christo Domino conformandi.

T H E M A.

*Quos præsciuit, & prædestinavit, conformes fieri imagini
Filii sui. Rom. 8. 29.*

Dominum Deum nostrum, duplicem penes se asservere Librum, alterum vitæ, alterum mortis, sacrarum literarum monumenta perhibent: utriusque Libri hujus, mentionem facit dilectus Jesu Discipulus, Apoc. 20. Dum eos in die judicii aperiendos, commemorat: *Judicium sedis, & libri aperti sunt.* Liber vitæ ex mente Doctoris Angelici p. 1. q. 24. a. 1. nihil est aliud, nisi Dei notitia, quâ firmiter tenet, se aliquos prædestinasse ad vitam æternam. Unde ex adverso liber mortis erit, notitia Dei, quâ firmiter tenet, se aliquos non prædestinasse ad

vitam æternam, sed ad mortem liberè ab illis incurendam. Notitia verò hæc divina, liber nuncupatur metaphoricè, duplici ex capite: primò, quia sicut in humanis rebus, nonnulli ad officium certum electi, albo seu libro inscribuntur, ut milites, & consiliarii, qui ideo olim Patres conscripti vocabantur; ita pariter, tam ad gloriam electi, quàm ad damnationem rejecti inscripti dicuntur: secundò, quemadmodum id, quod in libro exaratum est, signum est eorum, quæ futura sunt; ita & hæc Dei notitia, signum est apud Deum eorum, qui perducendi sunt ad vitam æternam, & contrà. *Firmum fundamentum Dei stat, ait Apostolus, habens signaculum*

G

hoc;

hoc; cognovit Dominus qui sunt ejus.
 2. Tim. 2. O si scirem, inquit nonne-
 mo, cum Thoma Kempensi, quod per-
 severaturus essem! ô si scirem, num
 in libro vitæ descriptus essem? quàm
 lætus alacrisque viverem! Cui repo-
 no, scize id, citra revelationem di-
 vinam, neminem posse; licet signa
 varia, prædestinationis & reprobatio-
 nis habere possimus.

Quæ signa in præseoti exhortatio-
 ne breviter producemus; Ut per ea
 nos ad regularum observantiam exci-
 temus.

I.
 Signa præ-
 destinati-
 onis in
 Novitiis.

I. Atque ut à signis prædestinatio-
 nis felicitis auspicemur, Sancti Patres
 & Alectæ varia assignant. S. Antonius
 juge præsentis Divinæ exercitium,
 prædestinationis signum esse asserit; S.
 Anselmus cultum eximium Beatissimæ
 Virginis Mariæ; P. Hierimias Drex-
 lius in Libro, de his exarato, duodena
 signa enumerat; Talia sunt crebra
 elcemosynæ largitio, verbi divini au-
 ditio, synaxeos sacræ frequentatio
 &c. quæ quidem omnia præclara sunt,
 omnia laudo, nullum vitupero. At
 præ Religiosis & Novitiis Societatis
 JESU, nullum reor esse certius,
 nullum securius, quàm secundum re-
 gularum nostrarum amissim, Domino
 nostro JESU Christo, in vita con-
 formari: *Quos enim præsevit, & præ-
 destinavit, conformes fieri imaginis Filii
 sui.* L. c. Ad hanc igitur conformita-
 tem nobis contendendum est totis vi-
 ribus: sed quibus in rebus?

I. Christus Dominus noster est spe-
 culum sine macula, expers peccati; ait
 enim: *Quis enim vobis arguet me de pec-*

cato? Joan. 8. 46. Conemur in hoc
 ante omnia, Christo Domino, eâratio-
 ne conformari, ut à levissimis etiam
 peccatis abhorreamus, & ne veniale
 quidem peccatum deliberatè perpe-
 tremus, (juxta directionem regulæ 5.
 6 7. 14. 22.) & præclarum prædestina-
 tionis æternæ signum habebimus: te-
 stimonium scilicet bonæ conscientiæ,
 ex quo ingens salutis æternæ fiducia
 nascitur: *Si enim cor nostrum non repre-
 henderit nos, fiduciam habemus.* 1. Jean. 3.

2. Christus Dominus exemplar est
 paupertatis Evangelicæ, non habens
 ubi caput reclinaret; castitatis ange-
 licæ, dum pascitur inter lilia, & obe-
 dientiæ perfectæ, dum obedivit Patri
 usque ad mortem. In his tribus consi-
 lliis evangelicis exactè servatis, (juxta
 Reg. 23. 24. 28. 31.) si Christo Domi-
 no assimilabimur, signum evidens
 prædestinationis habebimus: nam
 promissio certa est: *Beati pauperes spi-
 ritu quoniam ipsorum est regnum celo-
 rum.* Matth. 5. 3. Et *Beati mundi cor-
 de, quoniam ipsi Deum videbunt.* ibid.
 Et *Obedite Præpositis vestris & subjace-
 te eis: ipsi enim per viligant quasi ratio-
 nem reddisuri pro animabus vestris* He-
 br. 13. 17. Atque ita his tribus admo-
 dum securi erimus. Hac de causa An-
 tonius Rodericus Societatis nostræ Co-
 adjutor in Brasilia, Anno 1615, pie de-
 functus, ingentem ferebat spem salu-
 tis: unde crebrò dicere solitus: si me
 damnatum fore præseius fuisset Domi-
 nus JESUS, nequaquam in suam rece-
 pisset Societatem (in qua consilia evan-
 gelica exactè servare docemur) huc ve-
 rò delatus, jam desperare non audeo.

3. Christus

3. Christus Dominus veræ sapientię imago nobis extitit, (spiritualia, supernaturalia, & æterna maximi semper fecit, & amore summo complexus est: unde dixit: *Mens eius est ut faciam voluntatem eius, qui misit me.* Joan. 4. 34. Studeamus in hoc Magistrum nostrum imitari; eaque quæ spiritualia & supernaturalia sunt, scientię, doctrinæ, eloquentię, ac cæteris donis naturalibus anteponamus, (juxta Regulam 15, & 16, Summarii) eorum ætimationem, desiderium, & famem in nobis jugiter excitemus & luculentum prædestinationis signum reportabimus: nam *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Matth. 5. 6. Scilicet in convivio cælesti, ubi ipse transiens ministrabit illis.

4. Christus Dominus prototypum fuit mansuetudinis & humilitatis: *Discite, inquit, à me, quia mitis sum & humilis corde.* Matth. 11. 29. Allaboremus hujus prototypi imaginem simillimam exprimere (juxta Regulam 9. 10. 11. 13.) & certum prædestinationis signum deprehendemus: spondet enim: *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* Matth. 5. Et *si quis mihi ministrat, me sequatur, & ubi ego sum illic & minister meus erit.* Joan. 12. 26. Scilicet in cælesti patria: qui enim mihi conformabitur in vita, conformabitur quoque in gloria.

5. Denique Christus Dominus præstantissima idea est hereticæ mortificationis, resignationis & patientię, totã vitã incedens per viam crucis, mortificationis, contemptus, adversitatis,

contra lictionis, persecutionis & doloris. Si in his secundum Regulam 11, & 12. 16. Summarii, ideæ hujus delineationem repræsentaverimus, certissimum electionis & prædestinationis signum possidebimus: *Qui enim Christi sunt, carnem suam crucifixerunt, cum vitis & concupiscentiis.* ad Gal. 6. Hæc est via, per quam Christus intra vitã gloriam suam: hæc est via ardua, qua, ut loquitur Salvator, *ducit ad cælum, & pauci inveniunt eam.* Matth. 5. 14. Quam si constanter tenuerimus, Christum sequendo, non errabimus, sed certo certius beatitudinem æternam consequemur.

Si signa hæc Charissimi, in nobis deprehenderit, omnino tuti, securi, quieti, & fiduciã pleni esse possumus, nos esse vitæ Libro inscriptos: & ipse *Spiritus Sanctus* (ut ait Apostolus Rom. 8. 16. & explicat S. Bernardus serm. 2. de octava Paschæ) *testimonium reddit internum (spiritus nostro, quod sumus Filii Dei, si autem filii & coheredes Christi.*

II. Quod si nunc reprobationis quoque signa rescire desideratis, nonnulla hinc attememus; quanquam ex præcedentibus facillè colligere ea possitis: si contraria prioribus observetis,

1. Primum reprobationis signum est, si quis Novitiorum culpã suã Ordinem religiosum deserat: quemadmodum enim prædestinationis signum & magna gratia, felicitas ac benedictio est, ad statum religiosum à Deo vocari, periculis mundanorum hominum liberari, & in Ordine ac regularis disciplinæ observantia, usque ad finem vitæ perseverare; ut SS. Patres tradunt: ita

II.
signa reprobationis, in Typicis.

ex aduerso, culpâ propriâ, vocationem divinam deserere, ab Ordinis regulis, ad mundi leges transire, atque ad sæculum, religioso statu relicto, remeare, quantis sit periculis damnationis æternæ expositum, consideranti facillè patet. Ipsa veritas Lucæ 9. 62. loquitur: *Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei.* Nemo, inquit, mittens manum suam ad aratrum, (ut Deo seruiat, eique se consecret ad laborandum in agro Domini) & respiciens retro (ad caduca, terrena ac temporalia, quæ dimisit) *apertus est regno Dei, id est, non est dignus, nec est aptus sequelæ Christi, & regno Dei, tanquam agro Dei colendo.* Confirmat hoc Doctor melissius de modo bene vivendi cap. 20. *Qui congregationem sanctam relinquunt, & ad secularem vitam descendunt, à Societate Dei elongantur, atque dominio Diaboli subjugantur.*

Nec desunt historiæ fide dignæ id comprobantes. Anno 1578. Viennæ Austriæ moriens unus è nostris, ante ipsum agonem renidenti vultu subridere cœpit; non ferens insuetam hanc, in tam nubilo mortis tempore, serenitatem, is qui moribundum disponebat, ait: Non est tempus ridendi, Erater mihi, sed iudicium Dei præstolandi. Cui ille, ne quæso, turbet te, hæc mea hilaritas, Pater: Angelus Custos meus ostendit mihi: ignitum montem, & plurimos in eo damnatos, asserens eos omnes dimissos esse à Societate: cum ergo per gratiam Dei moriar in Societate, superabundo gaudio. Sic ille quidem anticipatò obtinuit, promissum illud Christi: *Beati qui nunc stetit, quia ridebitis.* Lucæ 7. Simulque confirmavit

illud, sanguineis quidem lacrymis eluendum; Qui à Societate Dei elongantur, dominio diaboli subjugantur.

2. Alterum reprobationis signum est, sese Christo Domino in vita & moribus difformem exhibere: sicut enim signum prædestinationis est, conformari imagini Filii Dei, juxta illud: *Quos præseruis & prædestinavit conformes fieri imagini Filii sui:* ita è contrario, utique reprobationis signum erit, non imagini Filii Dei, sed mundi, Carnis & Diaboli sese conformare: non cum Christo immaculatum, sed peccatis gerere sordidum; non paupertatem spiritûs, sed avaritiam sectari; non castum & mundum, sed immundum fovere; non alterius, locum Dei tenentis, sed propriam sequi voluntatem, inordinatam, atque peruersam. Ex quibus deducitur.

3. In Tyrone religioso, reprobationis periculum esse, si regularum transgressiones parvi faciat, parva peccata contemnat; passiones suas indomitas, non frænet, vitia non mortificet, à peccatis lethalibus, non totus abhorreat: effatum enim Spiritus sancti est: *Qui spernit modica, paulatim decidet;* & in graviora prolabetur; ita ut gratiâ vocationis excidendi periculo sese exponat, & tandem corruat: causa autem ruinæ, est defectus solidi fundamenti in perfectionis ædificio, quod Christus Dominus in domo super arenam ædificata, adumbravit. Matth. 7. Lucæ. 6. *Cujus ruina facta est magna, postquam descendit pluvia, venerunt flumina, & flaverunt venti.*

4. Reprobationis in Tyrone religioso periculum est, si in eo sit defectus

devo-

devotionis & pietatis, nullus aut valde exiguus affectus ad meditationem, orationem vocalem, & alia spiritualia; nulla æstimatio rerum æternarum & cœlestium: nam ex hoc defectu nascitur ariditas in oratione, tardium in meditatione, neglectus interioris hominis, effusio ad exteriora, horror mortificationis, amor commoditatis, augmentum cupiditatis, desiderium gaudiorum mundanorum, atque ut verbo dicamus, insipida vita religiosa, ac tandem ejusdem desertio: cum homo nequeat esse absque omni gaudio: vel enim gaudet in mundo & terrenis vel in Deo & Divinis atque cœlestibus.

Reprobationis periculum in Tyrone religioso est; si adit neglectus mortificationis, horror crucis, fuga humiliationis, contemptus, adversitatis: ex his enim oritur appetitus excellentiæ, æstimatio sui ipsius, & paulatim si diutiùs in religione vivat, procuratio eminentiæ, & prælationis, indignatio in postpositione, amaritudo in degradatione, in adversitate ira, odium, impatientia, vindicta: atque ut paucis complectamur, non conformitas cum Christo; sed mera differmitas, adeoq; indignitas ad servitium ejus; secundum illud Christi Domini: *Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus.* Matth. 10. 38.

Videamus proinde, Dilectissimi, quid agamus: duplex in Deo Liber reperitur, vitæ scilicet, & mortis, in alterutro nos inscriptos esse necesse est, neque enim datur medum: rescire desideratis, cuienam inscripti sitis? signa expendite; si in vobis Christi imaginem, cum ejus vita & virtutibus, cum puritate cordis, cum

paupertate, castitate, obedientia, sapientia, mansuetudine, humilitate, mortificatione, resignatione, patientia conformitatem reperitis; evidentia signa habetis electionis vestræ: nam *Quos præscivit & prædestinavit conformes fieri imagini filii sui*: tantum restat, ut in his perieveritis, & per bona opera, ut S. Petrus loquitur, *certam vestram electionem & vocationem faciatis*: illud Archetypum assiduè intueamini, ac meditemini, ut similitudinem ejus in anima vestra effigiem delineetis atque exprimatis.

Quod si verò, vocationem vestram deferatis, & postquam manum ad aratrum Domini misistis, retro respiciatis, ad otia, gaudia & commoda mundi, quantis salutis æternæ periculis vos exponatis, facile perspicitis. Nec dicatis, aut sentiatis, vos extra religionem quoque, & in sæculo salvari posse, atque utiliores Ecclesiæ Dei fore, quam in religione: posterius est deceptio diabolica & oculorum fasciatio: prius innumeris scetet periculis: potestis in sæculo salvari, sed forte præcidistis prædestinationis filium vel saltem immutastis & invertistis seriem mediorum, per quam vos Deus ducere voluit: qui autem estis vos, ut Deus se vobis accommodet, circa vitæ statum, & non vos Deo? Putatis vos utiles fore Ecclesiæ Dei, & voluntatem Dei, radicem omnium boni deseritis? Putatis sine luisse vobiscum Deum, dum ad ordinem vocavit? Creditisne collaturum quoque vobis Deum, & ad inconstantiam vestram mutatarum seriem prædestinationis vestræ circa vos? Cuienam bene cecidit alea hæc? staret potius in gradu & statu, in quo Deus vos collocavit; Christi

vitæ vos conformate, peccati horrorem concipite, orationi, mortificationi ac devotioni insistite, & secundum re-

gularum amissim omnia vestra componite; omniaque reprobationis signa & pericula feliciter evadetis.



EXHORTATIO XI. PRÆLIMINARIS.

De magno beneficio Vocationis,
Tanquam Stimulo undecimo nos ex Regularum ductu
vitæ Christi Domini conformandi.

T H E M A.

Quos autem predestinavit, hoc & vocavit. Rom. 8.

Post Prædestinationis beneficium, beneficium vocationis subsequitur, tanquam mediam aptissimum, prædestinationem exequendi & ad finem perducendi, dum Deus nos vocat, primò ad fidem & Ecclesiam, deinde ad statum religiosum. Hæc autem vocatio triplex est, quoad modum, ut docet Cassianus Coll. 3. c. 3. & post illum Doctor mellifluus in sententiis, *Tres, inquit, sunt vocationum ordines & modi: primus est ex Deo, secundus per hominem; tertius ex necessitate. Ex Deo quidem est, quoties inspiratio quadam inmissa in cor nostrum, ad desiderium vite aeternæ exsuscitat, Deumque sequi*

cohortatur. Secundus vocationis modus est, cum vel exemplis Sanctorum, vel monitis instigati, ad desiderium salutis accingimur. Tertius modus, qui ex necessitate descendit, cum vel tentatione & mortis periculo comminante, vel charorum morte ad Dominum, licet inuis, properare compellimur. Primus modus communior est aliis; sed quocumque demum modo à Domino ad statum religiosum vocemur, initio res parva est, sed maxima beneficia ac dona complectitur: Scintilla est, quæ in magnum erumpit incendium; granum sinapis est, quod crescit in arborem, in cuius umbra quiescamus: lapillus est, sine manibus industriæ nostræ abscissus è monte misericordiæ Divinæ, qui statum vanitatis nostræ contemnit. Denique

que (ut per somnium vidit Mardochæus Estheris c. ii. rō.) *Fons parvus crevit in fluvium maximum, & in aquas plurimas redundavit; luscus & soloreus est.*

Ut igitur ex fontis hujus parvi, in maximum beneficiorum & gratiarum fluvium excreverit consideratione; tanquam calcari, nos ad regularis disciplinæ observantiam extimulemus, præsentī exhortatione, fontem hunc vocationis nostræ dilucidabimus,

I.
Vocatio
fons parvus.

I. *Fons parvus crevit in fluvium maximum.* An non parvus fons fuit, paucula verba, quibus è telonio vocatus Matthæus *Sequere me.* Matth. 9. 9. An non fons parvus; *Venite post me, faciam vos piscatores hominum.* Matth. 4. 20. quibus verbis vocati Petrus & Andreas. An non fons parvus, pauca ex Evangelio verba, quæ in Ecclesia audiens Magnus Antonius, *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & sequere me:* quibus auditis mox Christum secutus fuit, & in quantum fluvium fons ille excrevit? simili ratione an non fons parvus fuit prima illa cogitatio, prima mentis illustratio, prima inspiratio, quam Divina Bonitas, nobis vel pueris vel adolescentibus injectit, ut mundum desereremus, & statum religiosum amplecteremur? an non fons parvus fuit aliis, dum vox Divina illorum auribus insonuit, quando vel pium libellum volebant, vel Ecclesiasten ex ambone detonantem auscultabant, vel pios sermones de rebus Divinis miscentem audiebant; vel mortis timorem, vel præmiū cælestis spem, vel virtutis desiderium, aliamve pium ani-

mi motum, subitumve affectum concipiebant?

Quantum verò beneficium nobis Deus benignissimus præstitit, quod fons ille parvus, vox illa Divina efficaciam (quæ non caruerit, nosque ad eam corda nostra non obduraverimus? *Insonuit de cælo Dominus, & Altissimus dedit vocem suam.* Psal. 17. 14. Vocem verè potentem, quæ de sæculo nos evulsit, & in religionis paradisum transtulit: vocem fortem, quæ *Desertum concussit:* id est, nos desertos à virtutibus & sanctitate percussit; & commovit *desertum Cades* (quod interpretatur sanctitas) nam nos ad statum perfectionis & sanctitatis, suaviter & efficaciter evocavit, atque perduxit, ubi nos timore Domini concussit, meliōris vitæ desiderio commovit, ut omnia relinqueremus, & ad Deum ex toto corde converteremur.

II. *Fons parvus crevit in fluvium maximum:* nam vos illa Dei nos vocantis mirè illico operato est in nobis: I. Dum in cordibus nostris instar fluminis redundantis omnia terrena desideria diripuit, & quasi in mare demersit. Cùm flumen vi & multitudine aquarum extra alveum suum effundit se latissimè, non solum segetes & hortos alluit, verum etiam homines & jumenta submergit, & domos atque ædificia disjicit atque provolvitur. Simili modo hæc sancta cogitatio à Deo immissa, viribus aucta, parentes, Fratres, cognatos, amicos, quos habuimus; operes, honores, dignitates, delicias, quas fortè habere potuimus, aut stultè nos habituros putavimus, po-

II.
Vocatio
fluvius
maximum.

terter

tenter obruit, & à nobis separavit, nosque desideris rerum mundanarum nudos & quasi è naufragio in littus e-
jectos ad pedes Prælati hujus religiosæ
familiæ projecit. Hic impletum vidi-
mus in nobis illud Sancti Davidis, Pl.
64. 10. *Flumen Dei repletum est aquis,
parasti cibum illorum, quoniam ita est
preparatio eius. Vistasti terram, & in-
ebriastis eam, multiplicasti locupletare
eam.* Dum innumerorum beneficio-
rum & gratiarum torrente. quasi nos
obruis, & donis ac favoribus tuis ve-
lut flumini repleto aquis, immergis.
2. *Crevit in fluvium maximum.* Flu-
men hoc tuum, & vehemens inspiratio
tua Domine, quæ nos à mundo, carne
& diabolo rapuit, & in hanc sanctam
Tyrocinii Domum transtulit, quasi
mari gratiarum & favorum immergit,
inter quæ eminent novena illa bona,
à S. Bernardo recensita: Homil. de
quærente bonas margar. c. 7. *Homo,
Inquit, in Religione vivit purius, cadit
rarius, surgit velocius, incedit cautius,
irroratur frequentius, quiescit securius,
purgatur citius, moritur confidentius,
remuneratur copiosius.* An non hæc ex-
perimur in nobis, Dilectissimi. Sanè si
volumus, 1. Vivimus in religione puri-
us; quia gravitatem & sæditatem
peccati, per quotidianas medratio-
nes piæque lectiones meliùs cognos-
cimus, & quia castitatem mentis
& corporis utcumque servamus. 2.
Cadimus rarius; quia ab innume-
ris peccandi periculis & occasionibus,
in mundo occurrentibus, recessimus. 3.
Surgimus velocius: quia Prælatorum
correctionibus, & Fratrum exemplis

& orationibus sublevamur. 4. Ince-
dimus cautius; quia in regula, velu-
in navicularia, syrtes & pericula con-
spicimus. 5. Irroramur frequentius;
quia in meditationibus & precibus,
nonnullas saltem Divinas illustratio-
nes, inspirationes, consolationes, vel
auxilia gratiæ experimur. 6. Quies-
cimus securius; quia curas mundi &
rerum terrenarum abjecimus. S. Ber-
nardus explicans illa verba Cantico,
*Lectulus noster floridus. In Ecclesia, in-
quit, Lectulus, in quo quiescitur, claustra
existimo esse & monasteria, in quibus
quietè vivitur, à curis seculi, &
solicitudinibus vita* term. 46 in Cant.
7. Purgamur citius: quia ad crebras
exhomologes, ad quotidiana examina
conscientiæ & satisfactionis o-
pera vocamur. 8. Morimur confi-
dentiùs; tum ob mundatam à pecca-
tis sæculi in religione conscientiam,
tum ob bonorum operum tuâ gratiâ
factorum copiam, tum ob promissum
religiosis specialiter regnum cælo-
rum, & æternam gloriam. 9. Remu-
nerabimur denique copiosius: tum ob
votorum emissionem, tum ob statim
humilitatem: nam *Qui se humiliat,
exaltabitur.* Lucæ 14. tum ob judicia-
riam potestatem; si enim vocationi no-
stræ responderimus, & in eo perseve-
raverimus, duodecim tribus Israël judi-
caturi sedebimus.

O fluvium verè maximum! ô mare
gratiarum immensum; quod ex par-
vo vocationis nostræ fonte tam largi-
ter scaturis!

III. Parvus ille fons non solum in
fluvium, sed etiam in lucem & in solem

III.
Vocatio
lux & Sol.
conver-

conversus est ; & 1. quidem in lucem : per gratiam enim vocationis, ex densissimis Ægypti (id est mundi) tenebris, ex summa rerum divinarum ignorantia & peccatorum caligine, ad extremam cognitionem, & lucem virtutum translatus sumus ; ut Princeps Apostolorum testatur : *Qui de tenebris nos vocavit in admirabile lumen suum.* 1. Petri 2. Quod lumen vel in ipsis primis S. Ignatii exercitiis, dum ea obimus, percipere incipimus, dum cœcitate nostram, quâ in sæculari vita tenebamur, agnoscimus, admiramur, & damnamus ; indiesque lux hæc, per Dei gratiam in nobis augetur : *Iustum semita, quasi lux splendens procedit & crescit usque ad perfectam diem ; vita impiorum tenebrosa.* Proverb. 4. 18.

Gratia vocationis verè nos in statu lucis & charitatis collocat, dum mox intellectu meditationibus exulto & illustrato & voluntate vitæ prioris noxas detestante exhomologesi perpurcati, in perpetuum opera tenebrarum abjicimus, & arma lucis, & virtutum, induimus ; & sicut in die, in media luce, honestè ambulamus. *Eramus profectò aliquando tenebra, nunc autem, per vocationis donum) lux in Domino.* Ad Ephes. 5. 8. *Eramus tenebra*, tantam esse peccati lethalis gravitatem, ignorantes, *nunc autem lux in Domino*, quia fide, gratiâ, & doctrinâ, exemplisque Christi illuminati, graviora peccata fugimus, & quæ agenda sunt, cognoscimus, ut Domino Deo nostro placeamus ; atque ut Filii lucis, ab ipsa statûs sanctitate ambulare compellimur, *in omni bonitate & iustitia & veritate probantes, quid sit*

beneplacitum Deo. L. c. hîc enim *fructus lucis est*, 1. ambulare in bonitate, quoniam religio, non nisi bona virtutis amplectitur. 2. *In iustitia* : quia nemini in ea injuria, verbo aut opere, irrogatur. 3. *In veritate*, quia omnem simulationem, mendacium, fraudem, hypocritin odio prosequitur. 4. *Et probare, quid sit beneplacitum Deo.* Cunctæ enim actiones examini subjiciuntur, ut voluntas Divina inquiratur & reperiat ; eamque sequendo Domino Deo nostro placeamus.

Crevit itaque fons ille parvus in lucem magnam, dum vocationis gratia eduxit nos de tenebris & umbra mortis, in qua cæci timebamus, quæ timenda non essent ; nuditatem, corporis afflictationem, & ignominiam : minime verò timebamus, quæ valde timenda essent, peccata & occasiones peccatorum, quorum illa bibebamus sicut aquam, has verò lætabundi quærivabamus : non tamen loquor de omnibus, plurimi enim ad Ordinem religiosum probi accedunt. Ar in hoc felici statu, lux orta est nobis : *Habitantibus in tenebris & in umbra mortis, lux orta est eis* Matth. 4. 16. quâ illustrati, vera ista mala, quæ pertimescenda sunt, reformidamus, illa autem quæ pro Dei amore suscipienda sunt, si non læto, quia adhuc imperfecti sumus, at non admodum tristi vultu suscipimus, *Lux orta est eis*, quâ illuminati, in hoc statu lucis ; res mundi & bona cœlestia, videmus ut sunt, & illas quidem contemnere, hæc verò diligere & toto corde desiderare & quærere edocemur.

2. Deinde & ille fons parvus non

H

solum

solū in lucem; sed etiam in solem excrevit: dum in hoc felici statu, non stultorum instar, ut luna mutatur, vocationemque Divinam derelinquimus, sed, dono Dei, in eo ut Sol persistimus & perseveramus: mille incitamentis ad fulgendum ut sol, in hoc regno Patris nostri, & illuminandum verbis & exemplis invitamur: cura nobis imitandi solem justitiæ Christum, quasi horis singulis indicitur: & ipse status, stabilitate, & puritate, & Ecclesiæ utilitate ipsum solem imitatur. In quo ut in sole lucem scientiæ, & ardorem charitatis videmus; quæ si non assequimur, nostræ id culpæ imputandum est, nam ex efficacitate fontis illius, & gratiæ tuæ nos vocantis & adjuvantis, in lucem, solēque convertimur.

IV.
Vocatio
fons in
aquis plu-
rimas re-
dundans.

IV. Denique exiguus ille fons in aquas plurimas redundavit. Aquæ plurimæ sunt, opera bona quæ exercemus, in hoc statu, & omnia merita, quæ sive orando, sive ex intentione Divinæ gloriæ studendo, aut laborando, aut quælibet opera, quantumvis vilia & exilia faciendo colligimus. Aquæ plurimæ sunt, omnia Fratrum nostrorum opera, quæ illi sive verbum Dei prædicando, sive peccata pro tribunali sacro, expiando, sive juventutem doctrinā & pietate imbuendo, sive missiones Apostolicas obeundo, sive alios quoscunque labores, pro gloria Dei obeundo, magno zelo & charitate per mundum Universum præstant. O quot viri præclari, dum hæc legimus vel audimus, desudant in Gymnasiis, detonant in Cathedris, visitant infirmos in Nosocomiis, assistunt in agone mori-

bundis? ô quot viri generosi, peccatores in Germania, Gallia, Hispania, Italia ad frugem reducere satagunt? Quot, hæresi infectos, & aberrantes à fide ad ecclesiæ gremium redire compellunt. Quot in China, Brasilia, Malabaria, India, Infideles aut Idololatrias, Dei Domini nostri JESU Christi salvifica fide imbuere pro viribus allaborant? omnia autem ista, quæ à Fratribus meis geruntur, quæ ab iis, qui unius mecum Societatis membra sunt, efficiuntur, mihi quodammodo arrogare posse videor: *particeps ego sum, omnium timentium te: Domine.* Ac proinde, si ea quæ familiæ meæ sunt, quodammodo mea sunt, certè fons ille vocationis meæ in aquas plurimas redundavit: & participem me multorum bonorum fecit: pro quibus millies & decies millies, te Deus meus, laudo & semper me tanti boni æstimatorem futurum, polliceor ac profiteor.

Quæ cum ita sint Charissimi, videtis haud dubiè, quantum Divinæ Bonitati, sitis obstricti, quod hunc fontem parvum, vocationem dico vestram, vobis aperuerit, tanquam venam aquarum viventium: certè par esset non solum hoc beneficium deprædicare, sed amore tantæ Bonitatis, ardere. Deinde si hunc fontem parvum, in tantum gratiarum, favorum, & donorum fluvium excrevisse cogitatis, imò & in lucem, & in solem, & in aquas plurimas conversum esse cernatis; nonne par esse judicabitis, debere vos non ut cumque gratias agere, sed cœlestia simul & terrestria ad grates, pro tanto beneficiorum cumulo, referendas excitare: at
quoniam

quoniam animi
tas erige; qui
rependent: H
tem hunc voca
tam & copiam
& singula, que
habetur, am
dum; Secu
dum, Chri

EX



Justi ad
Plantam Dom
ni Dei nostri
miserationem ve
palmæ præclate
gnus Gregorius
Palma, inquit,
O quæ arida
per vera Ori
lactis carum

quoniam animi grati virtus opus etiam exigit; quid pro tantis favoribus rependeris? Hoc nimirum. 1. Ut fontem hunc vocationis vestrae, super aurum & topazion, aestimeris. 2. Omnia & singula, quae vocationis vestrae & status sunt, amore singulari completamini. 3. Secundum regularum directionem, Christo Domino, qui mare

gratiarum est infinitum, qui lux est & Sol illuminans omnem hominem vententem in hunc mundum, vos conformare, moribus & vitam studeatis: hac ratione fons iste parvus, de quo diximus, fiet in vobis fluvius maximus in aquas redundans plurimas; imò

fons aqua salientis in vitam aeternam.

EXHORTATIO XII. PRÆLIMINARIS.

De Fructibus Vocationis, & Status Religiosi.

Velut Stimulo duodecimo, vocationi respondendi, & Regulas observandi.

T H E M A.

Quos autem praeordinavit, & vocavit. Rom. 8.

V E L:

Iustus ut palma florebit. Psalm. 91. 13.

REctè, vocatio religiosa & religiosus, plantatus in Domo Domini, Palmæ assimilatur: *Iustus, ut palma florebit, sicut cedrus Libani multiplicabitur. Plantati in Domo Domini, in atriis Domus Dei nostri florebit.* Psal. 91. Similitudinem verò justi, seu religiosi ac palmæ præclare more suo exponit Magnus Gregorius. L. 19. Moral. cap. 25. *Palmæ, inquit, inferius tactu aspera est, & quasi aridis corticibus obvoluta: superne verò & visu & fructibus pulchra. Inferius corticem siccorum involutio-*

nibus angustatur; sed superius amplitudine pulchræ viriditatis expanditur. Sic electorum vita inferius despecta est, superius pulchra: in imo quasi multis corticibus obvolvitur, dum innumeris tribulationibus angustatur; in summo verò quasi pulchræ viriditatis foliis, amplitudine retributionis expanditur. Cùm autem omnis arbor, juxta terram crassior & robustior sit, supernè autem angustior; palma tamen gracilior est in imis; & juxta ramos ac fructus, ampliore robore exurgit. Ita cùm terreni latiores & robustiores sint circa terrena; justi tamen

Quanta igitur est vocationis nostræ dignitas! quantus honor & gloria! quis eam dignè æstimaverit? quis verbis consentaneis exposuerit? verè palma exaltata in Cades, in perfectione & sanctitate. Verè flores ejus, fructus honoris & honestatis, elata ejus triumphii & victoriæ signa.

H.
Vocationis nostræ utilitas.

II. *Dixi ascendam in palmam & apprehendam fructus ejus.* Cant. 7. Palma utilissimos profert fructus, seu dactylos, quibus Anachoretæ longævi vitam sanam sustentabant & protrahebant. Babylonii palmam trecentas & sexaginta utilitates (quot circiter sunt in anno dies) mortalibus elargiri putavère, ideòque anni hieroglyphicum statuère. Longè plures vocationis religiosæ palma diebus singulis proferre cernimus. Has R. P. Hieronymus Platus justo volumine complexus est, nos carptim nonnullos delibamus & obiter perstringimus.

I. Primus igitur fructus nostræ vocationis est; quòd liberet nos à multis malis temporalibus, tum corporalibus, tum spiritualibus. Corporalia sunt, curæ innumeræ acquirendi & conservandi res vitæ necessarias, pro se, pro familia, acquirendi gratiam & favorem aliorum. honores & officia prensandi, retinendi &c. 2. Secundus fructus est, liberatio à malis spiritualibus, qualia sunt, studia vanitatum sæculi. Sap. 5. *Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis.* Innumeræ occasiones peccatorum, exempla prava, & scandala, ac pericula damnationis, & difficultates emergendi. 3. Fructus tertius, integra remissio omnium pec-

catorum, quæ in sæculari vita, quocunque modo commisimus. 4. Subjugatio carnis nostræ; ne recalcitret & rebellet adversus spiritum, quod fit per meditationes & afflictiones corporis, sine quibus est instar belluæ ferocis & indomitæ. 5. Summa commoditas vacandi & serviendi Deo, cum nihil aliud ferè nobis incumbat, & impedimenta, è terrenis rebus emergentia sint sublata. 6. Executio Divinæ voluntatis in rebus omnibus, magnis, mediocribus, parvis; sive agamus nobiscum, sive cum aliis, idque obtinemus per obedientiam. 7. Longè facilius observamus præcepta Dei, ob antemurale regularum. 8. Religio est schola virtutum omnium, quas hîc discimus, multo autem ignota sunt. 9. Major influxus gratiarum, quàm in sæculo: anima enim religiosa est *Tanquam lignum, quod plantatum est, secus decursus aquarum.* Psal. 1. id est, gratiarum multiplicium, quæ tanquam *fluvius aquæ vivæ procedit de sede Dei & Agni* Apoc. ult. Nec cessat manare, sed unda undam subsequitur. 10. Tanta meritorum copia, quæ ex omnibus actionibus, omnibus vitæ nostræ momentis, capitur in hoc statu, præ mundano, in quo ea negliguntur. 11. Taceo fructus alios uberrimos, quos brevitatis exhortationis recensere fusiùs non sinit, quòsque percipimus ex gubernatione paterna Superiorum, ex directione regularum, ex bonis exemplis Sociorum, ex unione mutua Fratrum, & ope in omnibus rebus, ex communione bonorum omnium, ex vinculo votorum. Quæ omnia si consideremus intimè, quis non

dicat eum sponsa: *Ascendam in palmam & apprehendam fructus ejus.* Sanè non possumus non vocationem nostram maximi æstimare, Deumque ob tantum beneficium deprædicare, laudare, ac gratias eidem referre, ac secundùm regularum directionem vivendo, re ipsa gratum animum demonstrare.

III.
Vocatio-
nis nostræ
jucundi-
tas.

III. Palmam dulces proferre fructus, asserit Cornelius à Lapide in cap. 24. Eccli. Dactyli palmæ, ait, uti gustu sunt suaves, ita usu sunt sani & salubres. Longè autem dulciores sunt fructus vocationis nostræ: de his rectè cum sponsa dicemus: *Sub umbra illius sedi, & fructus ejus dulcis gutturi meo.* Sanè tanta est vocationis religiosæ jucunditas, & statûs ad quem perducit amœnitas & voluptas, præ voluptatibus mundi fœdis, ut illum cum amœnissimo paradiso, hunc verò cum fluvio fœdissimo (quem S. Anselmus in ecstasi vidit, teste Surio 21. Aprilis) conferre meritò posse videamur. Hæc autem jucunditas percipitur 1. in hac vita, 2. in morte; & 3. post mortem.

1. In hac vita singularem experimur jucunditatem, primò ob plenam peccatorum remissionem, non per modicam indulgentiæ plenariæ, ut vocamus, sed ex virtute ipsius operis, quod ex se adeò heroicum est & excellens, ut sufficiens sit ad expiandam culpam & pœnam. Rodriq. p. 3. tr. 2. c. 4. Ideòque comparatur baptismo & martyrio, à SS. Hieronymo, Cypriano, Bernardo serm. 30. in Cant. Secundò lætitia oritur, ex summa mentis tranquillitate, ob puram conscientiam, & integram in manus Divinæ providentiæ, tam

in prosperis, quàm in adversis resignationem. *Non contristabit justum, quidquid ei acciderit.* Proverb. 12. 21. Tertiò, ex centuplo consolationum Divinarum, quæ centuplò omnia, quæ in mundo reliquimus, superant, juxta D. Hieronymum in cap. 19. Matth. quod centuplum est pignus vitæ æternæ.

2. Jucunditas & solatium in morte, oritur, primò ex vita religiosè, & sine gravibus peccatis traducta, & ex spe evadendi vel omnino, vel brevi tempore ignem purgantem, ob Christi Domini nostri promissa, ob multa opera bona, propriæque merita, ob communionem operum totius Ordinis, ob preces Sociorum non solum in Collegio ac Provincia, sed per orbem universum. Secundò ex peculiari assistentia B. V. M. in hora mortis. Pilatus L. 1. c. 31. Tertiò ex singulari providentia & charitate Christi Domini, piis servis, amicis & filiis suis exhiberi solita.

3. Jucunditas post hanc vitam æstimanda est, primò ex spe amplioris gloriæ essentialis, ob applicata sibi peculiari modo Christi merita, ob tot actus virtutum heroicos, ob tot desideria heroica, aliæque Religiosis consueta pietatis & zeli exercitia. Secundò ex spe gloriæ accidentalis majoris, & diverlas laureolas. Tertiò ex spe gaudii peculiaris ex consortio tot Sociorum ejusdem Ordinis, & tot à se ad fidem orthodoxam, vel ad frugem meliorem converforum, vel promotorum in via perfectionis.

Quapropter, Charissimi, cum palma hæc tantæ honestatis, utilitatis & dulcedinis fructus proferat, id est, cum tanta

non militas atque
pact, ut eam
plebitur? quæ
et intellecta
lic. Quare i
tam estime
tam, carum
Deo gratum
hominum
hæc quæ & o
hæc præferat
non inimic
dicit cum
admirans,
tam in dom
vita. P
tam ost
nem suam
dicando
coniter
comple
vando,
Quid m
super ter
noem a
legere nup
habere ac d
ram Prim
vocationis,
more Dei acc
ferunt, ut Prop
fide & delect
est, necessarile
dando, medi
cationis, negri
affectu devotio
mies? Ex Quæ
mea, quæ ad
Tertium, se i

sancta utilitas atque jucunditas; an non par est, ut eam maximo amore complectamur? qui amor in tribus, scilicet intellectu, affectu & opere consistit. Quare 1. *Intellectu* quisque hunc statum æstimet sibi à Deo præordinatum, tanquam sibi convenientissimum, Deo gratissimum, & in perfectione sublimissimum; eumque omnibus aliis, quin & omnibus mundi thesauris longè præferat. 2. *Affectu* voluntatis unicè intimèque erga eum afficiatur, dicens cum Vate Regio: *Unam petii à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.* Psal. 26. 3. *Re ipsa* hunc affectum ostendat in colloquiis, vocationem suam magni faciendo, & deprecando, ad perfectionem ejus strenuè connitendo; omnia ejus media avidè complectendo, regulas exactè observando, dicens cum Psalmista Psal. 72. *Quid mihi est in celo & à te quid volui super terram.* Meliorem & mihi gratiorem ac convenientiorem statum eligere nequeo. 4. *Indicia* hujus amoris habere ac demonstrare conetur. Quorum *Primum* est, solâ recordatione vocationis, gaudio & solatio affici, amore Dei accendi, & in spiritu confirmari, uti Propheta, Psal. 26. *Memor fui Dei & delectatus sum.* *Secundum* est, non satiari legendo, loquendo, audiendo, meditando de beneficiis vocationis, nec gratias Deo agendo, cum affectu devotionis. *Quid retribuam Domino? Et quis sum ego, & quæ domus mea, quia adduxisti me huc?* 2. Reg. 7. *Tertium*, se indignum judicare tam

sanctâ vocatione, cum S. Paulo dicendo: *Non sum dignus vocari Apostolus.* *Quartum*, non dijudicare, non admittere judicium contrarium, sed magni facere, & mirificè affici erga omnia Instituti nostri media perfectionis, regulas, ordinationes, modum gubernandi, graduum distinctionem, rationem conscientiæ, manifestationem defectuum, & similia essentialia. *Quintum*, Dolere valde, vel minimam regulam, sive à se, sive ab aliis parvi pendit, aut si qui malè contenti vocatione suâ, ac tentati, retro respiciant, dicendo cum Psalmista: *Tabescere me fecit zelus meus, quia legem tuam non custodierunt.* Psal. 81. *Vidi pravaricantes, & tabescebam.* *Sextum*, simili dolore affici, si videat Societatem ab externis contemni, traduci, impediri, in procuranda salute animarum; & ardentè orare pro Societatis inimicis convertendis, ut rem meliùs cognoscant, & nobiscum Numen supremum laudent & glorificent. *Septimum* denique est, magna in Deum fiducia, magno conatu & perseverantia ad perfectionem nostri Instituti propriam adipiscendam tendere, omnia idonea media avidè arripere; regularum omnium ductui acriter & constanter obsecundare: omnia enim hæc, ad summam animæ puritatem, ad virtutem omnium completionem, ad arctissimam cum Deo unionem vel maximè conducere & adjuvare experiemur; atque ita dulcissimos, præstantissimòsque vocationis nostræ fructus, & in præsentī vita & in futura in perpetuum degustabimus.

EXHOR-

EXHORTATIO XIII.
PRÆLIMINARIS
DE JUSTIFICATIONE.

Tanquam tertio decimo Stimulo, nos, per exactam Regularum observantiam, imagini Filii Dei, conformandi.

THEMA.

Quos autem vocavit & justificavit. Rom. 8.



U admirabile hoc justificationis beneficium clariùs penetremus, atque ejus intelligentiã ad perfectionis studium & Regularum observantiam impellamur: Consideremus 1. Nos ob peccatum originale mortuos fuisse: Deum verò nostrì miserum, Unigeniti Filii sui sanguine nos in lavaero Baptismi mundasse, & ad gratiã vitam perduxisse. 2. Cùm verò rationis usum & juveniles annos attigimus, nos vitæ innocentis pertractos, peccatis nostris, rursus candidam gratiã stolam discidisse, & animæ mortem nobis accersivisse; à quã nemo, nisi omnipoten-

tens Dei manus nos extrahere poterat: *Nemo enim, ait Veritas, potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum.* Joan. 6. 44. quemadmodum Lazarum quatruiduanum mortuum, sola divina potentia excitare potuit. 3. Et quia ejus Sapientia prævidebat nos in sæculari vita identidem relapsuros, & fortè in peccatis nostris æternum perituros, in vinculis Adam, in funiculis charitatis ejus Bonitatem infinitam, nobis opitulari statuisse, evocatosque è mundo, in hanc Tyrociniũ domum velut in portum salutis, perduxisse, ut in eo exercitiis vacaremus, æterna meditaremur, totius vitæ exhomologesi peccata expiaremus, proposita firma conciperemus & sic constanter in justitia semel obtenta perseveraremus. Quod sanè tantum est beneficium

eum, ut si mundani agnoscerent, & ab oculis eorum absconditum non foret: omnes maritò ad hunc justitiæ portum vel à centenis, imò millenis milliariibus convolarent. Ut igitur ingens istud beneficium probè cognoscamus variis similitudinibus, amicitia, libertatis, vitæ declarabimus, ut ejus intuitu ad perfectionem & regularem disciplinam excitemur.

Prænotandum primò, quid sit justificatio, & quomodo ea fiat; deinde similibus nonnullis, pro intelligentia pleniore, ea est declaranda. Quando Deus hominem pœnitentiam agentem, aut peccata exhomologesi expiantem justificat, per Christi merita, omnia ipsi peccata dimittit, culpam tollit, debitum damnationis æternæ condonat & abolet, hominem in pristinam amicitiam restituit, ac tam perfectè ei ignoscit, ut nullum inimicitia, acceptæque Injuriæ indicium aut vestigium apud ipsum remaneat; sed illum vultu ita placido ac suavi aspicit, tantò eum amore ac familiaritate tractat, sua ei bona communicat, & quidquid ab eo rogatur, tam citò, liberaliterque ei concedit, tanquam si is nunquam peccasset, nec ipsum offendisset, imò tanquam si semper amicus, & amicitia nunquam interrupta fuisset. Hoc per Ezechielem significat, dicens: *Si impius egerit pœnitentiam, ab omnibus peccatis suis omnium iniquitatum ejus non recordabor.* c. 18. Quam Dei in nos pietatem explicans S. Chrysostomus hom. 1. de pœnit. Sic, inquit, *delet peccata Deus, ut neque eorum vestigium maneat.*

Alia Divinæ Misericordiæ, quæ in justificatione demonstratur, magnificentia est, quod non solum ab omni culpa & pœna æterna liberet; sed etiam virtutes, dona & consolationes Spiritûs sancti infundat, quæ tantæ divitiæ sunt, & tam pretiosa gratiæ dona, ut minimum eorum totum omnium visibilium mundi rerum, valorem excedat: quod significare voluit Spiritus Sanctus per unum ex Jobi amicis, Job c. 22. *Si reversus fueris ad Omnipotentem, edificaberis* (Æris Spirituale Dei ædificium, in quo per gratiam habitet) *& longè facies iniquitatem à tabernaculo tuo,* (purus & liber à peccato eris) *& dabit tibi Deus pro terrâ silicem, & pro silice, torrentes aureos.* id est ex debili Deus te faciet fortem, ex imperito & imprudente sapientem & solertem; ex timido & segni animosum & in Deum confidentem, ex terræ debito, Dei & cœli amatorem, & torrentes aureos ac divitias sui amoris tibi communitabit; *& tunc super omnipotentem deliciis affluet: gaudiis, solaribus, & illustrationibus mentis & affectibus amorosis.*

O stupenda Dei misericordia, ô pretiosissima verèque Infiniti valoris Christi merita; quæ tam immensam nobis misericordiam promeruerunt! & ob quæ in momento tot dona ac bona nobis à Deo communicantur.

I. Quemadmodum summum in Aulis Regum, ac Principum æstimatur beneficium, si quis reus læsæ Majestatis, in gratiam Regis recipiatur, & deposito Regis odio & furore ejusdem amicis denuò, Intimisque familiaribus

I.
Beneficium
justificatio-
nis est re-
di-integra-
tio Divinæ
amicitiæ.

anumeretur. Ita sanè maximum est beneficium, si peccator commisso scelere lethali Divinæ Majestatis læsa reus, recipiatur in gratiam per contritionem & pœnitentiam. Hoc autem tam grande beneficium contigit nobis, quibus meritò ingeritur illud Apostoli ad Gal. 5.4. *Evacuati estis à Christo, à gratia excidistis. Sed denuò justificati gratis per gratiam ipsius* ad Rom. 5. 44. Gratia ex mente Theologorum est forma justificans; quibus Concilium Tridentinum ad stipulatur sess. 6. c. 7. dum ait: *Gratia est unica formalis causa, quâ verè justis nominamur & sumus.* Si justis, si grati, ergo & amici Dei, ergo Filii, ergo hæredes Dei, & cohæredes Christi; Preciosum igitur hoc donum est, omnibusque mundi divitiis, auro, & gemmis infinitè præstantius; quod si possideamus, opulenti sumus; si careamus, inopes & mendici: quo si gaudeamus, fructus præstantissimos operum bonorum proferimus; quo si destituamur, sterilescimus. Unde à S. Joanne Apostolo Epist. 1. c. 3. 9. semen cœleste & Divinum nuncupatur, quod Deus in corda nostra tanquam in molle subactumque solum immittit: *Omnis, inquit, qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet.* Hoc etenim ex mente Liranus est gratia, quia ex ea tanquam ex Divino semine & virtutes cæteræ pullulant & meritorum ingens seges crescit; & ipsa est semen gloriæ & beatitudinis. Unde Apostolus Paulus ad Rom. 6. 23. *Gratia Dei vita æterna: tantæque est excellentiæ, ut D. Thomas asserere non dubitet; Bonum gra-*

tia unius majus esse, quàm bonum naturæ totius universæ; quoniam vendunt omnia bona cum illa; illaque recedente, omnia mala succedunt.

II. Magnum est beneficium liberari à durissima servitute; qualis fuit Israelitarum in Ægypto; unde post transitum maris rubri, & in libertatem asserti, Deo grates retulerunt & cecinerunt. *Cantemus Domino gloriosè.* Peccatum est servitus durissima: nam teste S. Joanne Evangelista c. 8. v. 34. *Qui facit peccatum, servus est peccati.* Quod ipsum declarat Gentium Apostolus ad Rom. 6. 16. *Servi estis ejus, cui obeditis, sive peccati ad mortem, sive obedientiæ ad justitiam. Gratiâ autem Deo, quod fuistis servi peccati, obedistis; autem in eam formam doctrinæ, in quam traditi estis. Liberati autem à peccato, servi facti estis justitiæ.* Qui sub hac servitute peccati gemunt, tanquam mancipia tractantur, & ad servilia opera à concupiscentia & peccato adiguntur; ejusmodi opera sunt, gula & ventri obtemperare, libidini servire; & ad instar Filii prodigi in cupiditatum stabulo porcos pascere; in auro cumulando per fas & nefas defudare; dies & noctes avaritiæ stimulis agitari, & curas sustinere; magnatum nutum observare, eorumque favorem & gratiam captare &c. Ab hac servitute liberamur per Dei gratiam, dum à peccato redimus ad justitiam. *Liberati à peccato, servi facti estis justitiæ, non à lii, quàm Deo, virtuti, justitiæ & perfectioni invigilantes. Servile est omne peccatum, libera innocentia.* ait S. Ambrosius L. de Joseph. c. 4.

II. Justificatio est liberatio à servitute.

III.
Justitia est
redemptio
de captivi-
tate.

III. Magnum est beneficium liberari & eripi de captivitate Turcarum, & Christiani nominis hostium, qui captivos vinculis onerant, plagas & verbera inferunt, in carceres & ergastula compingunt, & durissimè tractant. Quotquot peccato lethali succumbunt, in immanissimi tyranni infernalis captivitatem rediguntur, à quo vinculis constringuntur, flagellantur, durissimè tractantur, ac denique in tartareum carcerem præcipitantur, vinculis æternis sub caligine mancipandi & reservandi. De hac captivitate, de his vinculis querebatur Vates regius Psal. 118. *Funes peccatorum complexi sunt me.* De iisdem suspirans agebat S. Augustinus. *Suspirabam ligatus non ferro alieno, sed mea ferrea voluntate. Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & constrinxerat me.* Quando autem justificamur, de hac Diaboli captivitate eruiamur, & quasi de carcere educimur, ruptisque peccatorum vinculis in libertatem asserimur. Ut testatur Apostolus ad Coloss. 1, 18. *Qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit nos in regnum Filii dilectionis sue.* Scilicet à potestate Diaboli, qui est princeps tenebrarum; ad subjectionem & jurisdictionem Christi, qui est author lucis: de carcere ad regnum, ex odio ad dilectionem, in qua aliis vinculis nos ligat atque se trahit Christus, scilicet vinculis fidei, spei, charitatis, religionis, paupertatis, castitatis & obedientiæ, quibus se conjungimur & illigamur.

IV.

IV. Magnum est beneficium educi

de tenebris ad lumen, liberari à cæcitate & donari visu; quo lumen cæli resque hujus mundi intueri liceat: ut expertus est Tobias & cæcus ille Evangelicus à Christo illuminatus. Omnis peccator est cæcus, non corpore, sed mente; cum præcipitia & pericula salutis non cernat, & in tenebris scelestorum suorum læsus ambulet; miseriam & calamitatem suam non videns. Agnovit hanc cæcitatem suam Augustinus, qui in soliloquiis suis de ea c. 6. ita inquit: *Cæcus eram, surdus & insensibilis, quia nec bonum discernebam, nec malum fugiebam, nec tenebras meas videbam, quia eram sine Te vera luce, qua illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum. Cæcus eram & cæcitate desiderabam; servus eram & servitutem amabam; victus eram & vincula non horrebam: amarum dulce & dulce amarum credebam: miser eram & non cognoscebam: quia tenebra erant super faciem abyssi mentis meae.* Ex his tenebris Deus misericordiæ suæ nos eripuit, & transtulit in regnum Filii sui, in regnum lucis: transtulit nos de potestate tenebrarum ad regnum claritatis æternæ, quam speramus. Ut nunc clarè cernamus pericula, in quibus versati fuimus, & miserias, cum quibus consistebamur.

V. Magnum beneficium, magnum miraculum est redire de morte ad vitam; quod experti filius viduæ in Naim & Lazarus à Christo Domino resuscitari. At quantò est potior anima corpore; tantò est melior resuscitatio animæ, quàm corporis. Anima nostra in sæculo degens mortua erat per peccatum;

Justificatio
est liberatio
à cæcitate.

V:
Justificatio
est liberatio
à morte

catum: *Anima enim qua peccaveris ipsa morietur.* ait Ezechiel c. 18. Et licet per exhomologesin quandoque resurgeret ad vitam: identidem tamen relabebatur in mortem: at in Societate JESU per gratiam Dei constanter vivimus; sed unde hoc, obsecro? evenit nobis, quod olim ossibus aridis, quæ in campo magno conspexit Ezechiel c. 37. Clamavit voce grandi Dominus: *Ossa arida audite verbum Domini.* At quodnam verbum? an istud: *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum.* An verò illud; *Fugite de medio Babylonis, & salvet unusquisque animam suam.* Jer. 51, 6. Qualiscunque demum vox fuerit, hæc vel alia, vocem vocantis audivimus, secuti sumus, & tyrocini domum ingressi. In hac meditari cœpimus finem creationis, lapsum Luciferi, pœnam Adami, mortis horrorem, judicii rigorem, cœli amœnitatem, terribilem Inferni æternitatem: *Et ecce commotio: Accedunt ossa ad ossa, unum quodque ad juncturam suam, & ecce super ea nervi & carnes ascendunt, & extenditur in eis cutis desuper & ingreditur in ea spiritus, & vivunt, & stat super pedes suos exercitus granis nimis.* O admiranda vis Divinæ dexteræ! ô stupenda vocationis & justificationis gratia!

Nam primò sequitur *Commotio*: dum terror & timor novissimorum nos concutit, dum attritio & contritio de peccatis succedit. 2. *Accedunt ossa ad ossa*: dum à vitiorum somno excitamur, & novo ac meliore vitæ genere meditamur. 3. *Fortitudinis nervos acquiritimus*, dum mundo allicenti

& carni titillanti resistimus, demonstraque insultu meditatione æternorum frangimus. 4. *Molli carne vestimur*, dum Divina Bonitas aufert nobis cor lapideum, & dat cor carneum. Ezech. 11. 9. Dum sponte & absque difficultate, quæ ante suspiciebamus, contemnimus; quæ amabamus, relinquimus. 5. *Cute prudentiæ contegimur*, dum media & antidota peccatorum conquirimus, & arma ad Diaboli impetus repellendos, comparamus. 6. *Spiritu gratiæ amplioris vivificamur*, dum omnia peccata, quæ mortem afferbant, per detestationem & exhomologesin, deserimus & expiamus, ac religioso vivendi modo nos subjicimus, & accommodamus. 7. Denique *stamus supra pedes nostros*; imò super omnia terrena & visibilia, per mundi contemptum, atque ita consistit *exercitus grandis*, qui possit alios vitæ suæ imitatione & suo tempore poterit alios efficaciam verbi, à morte liberare & ab hostium incurfione defendere.

Vultisne videre, Charissimi, qualem vitam, novamque genesin acceperitis? consideret, obsecro quisque semetipsum, & quàm brevi temporis intervallo sese sibi dissimilem inveniat. Delicatus ante non multos dies, adolescens & inter delicias & voluptates nutritus, qui lautè & opiparè vescabatur, mollissimasque vestes induebat, jam cibus comunibus & simplicibus vescitur; imò & inediâ fameque reficitur, & vilissimo sacco, aut asperocillicio reclusus, hilaris & lætus incedit. Voluptuosus atque illecebris carnis suæ addictus, jam honestatem amat,

carnem

carnem flagris, vigiliis & ciborum paritate domas, & omnem vel minimum carnis sensum exhorret. Ambitiosus & honorum cupidus, jam pedibus proteri & conculcari appetit, ignominiam amplectitur, & vilia obsequia, abjecta servitia, humilesque functiones non erubescit. Opum & facultatum avidus, paupere tunicâ & renui suppellectile acquiescit, & libellum aut stylum superfluum habere, ut crimen devitat. Garrulus & loquax silentii censuram amplectitur; iracundus iram deponit, ovis mansuetæ indolem induit; verbo, alia omnia nunc appetit, ac desiderat, atque in assecutione virtutum, in assidua lectione sacrorum voluminum, in contemplatione cœlestium, in æternæ gloriæ expugnatione totus occupatur. Ecce nova ieterior facies, nova novi hominis genesis, metamorphosis & vita, non à natura, sed à gratia & justificatione ac Deo procedens. *Vivo ego jam non ego, vivit verò in me Christus.* Ad Gal. 2. 20.

Quapropter, Charissimi, cum Deus ex infinita sua misericordia nos non solum vocarit, sed & iustificarit; ex inimicis amicos, ex servis liberos, ex captivis redemptos, ex cæcis illuminatos, & vivos ex mortuis effecerit; quid rependemus tantæ beneficentiæ? 1. Persista-

mus cum gratia ipsius, constanter in justitia, ac cum Jobo dicamus: *Justificationem, quam cepi tenere, non deseram.*

2. Cum tam incomparabilibus vitæ novæ beneficiis affecti simus, non tepore & locordiâ respondeamus ad eò benefico Numini; sed fervore vitæ omnia etiam quodammodo difficilia aggrediamur & superemus; regulas exactè observemus, ne illarum neglectu, sensim sine sensu denuò in morbos priores & mortem declinemus; summa enim dementia est, malle ossa lurida, horridum & informe sceleron, quam corpus vivum & vividum ac speciosum circumferre. 3. Colligamus ex semine cœlestis gratiæ, pullulare, quos quotidie profertimus, fructus bonorum operum, quæ sunt certa signa remissionis peccatorum, obtentæ justificationis & Divinæ amicitæ; ac proinde in iis perseveremus, nullisque mundi, carnis, aut Dæmonis tentationibus ab iis avelli sinamus. Quod si fecerimus vivet in nobis Christus, & vita Christi relicebit in nobis, eique conformes erimus, ut in via, sic & in patria; ait enim Apostolus: *Mortui estis; sed vita vestra abscondita est, cum Christo in Deo: Et cum Christus apparuerit in vita vestra, tunc & nos apparebimus cum ipso in gloria.* Ad Coloss. 3. 3.





EXHORTATIO XIV.

PRÆLIMINARIS.

DE GLORIFICATIONE

Quæ quartus decimus Stimulus est, nos, secundùm Regulæ directionem, Christo conformandi.

T H E M A.

Et quos iustificavit, illos et glorificavit. Rom. 8.



Uà ratione, à cõformitate cum Christo in vita, ad conformitatem cum ipso in gloria (ad quam, ut confidimus, prædestinati, vocati & iustificati sumus) pertingere, cum gratia Dei, valeamus; optimè declarat Doct̃or Gentium; 2. Cor. 3. 18. dum ait: *Nos autem revelatâ facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini Spiritu.* Id est: nos revelatâ facie, non in umbra aut figura, veluti Moyses in lege antiqua, sed clarè & revelatâ facie, *Gloriam Domini, Verbum Incarnatum, gratiam, opus redemptionis, ejus vitam & virtutes, olim à Moysse adumbrata, nunc autem in Evangelio aut Ecclesia speculanda clare propolita; Speculantes, & quasi in speculo*

Intuentes. In eandem imaginem transformamur, id est, ut explicat S. Chrysostomus & Theophylactus; Quemadmodum speculum radios solares excipit, & instar solis lucis radios in intuentes reflectit: ita nos solem justitiæ intuentes, ac fidel, gratiæ, justitiæque ejus radios instar speculi recipientes, jubar divinum emittimus, & tanquam sol alios quoque illuminamus. A claritate in claritatem. A claritate Christi, in claritatem nostram, à claritate fidei, in claritatem speciei & visionis, à claritate creationis, ad claritatem justificationis; & in hac Indies clar us & clariùs, ut exponit S. Ambrosius, in eum transformamur, donec veniamus ad claritatem visionis beatificæ: *Tanquam à Domini Spiritu.* Sicut decet Spiritum DEI, nos Filii sui imagini conformare & transformare. Ita S. Chrysostomus & Ambrosius.

Osten;

Ostendam igitur, si Christo Domino nostro conformes fuerimus, in hac vita; nos quoque eidem conformes futuros in altera & tanquam speculum soli assimilandos.

I.
Similitudo gloriæ Christi obtinebitur, si in nobis fuerit similitudo vitæ Christi.

I. Christus Dominus à Malachia Propheta. *Sol iustus* appellatur Malach 4. 2. Verè *Sol iustus* Christus, Sol sine macula, sine peccato; sine defectu; Cujus si tanquam tertium speculum radios exceperimus, atque à peccatis, quantum possibile fuerit, abhorruerimus, & ut Christus Dominus, *Speculum sine macula* evaserimus Sap. 7. 26. conformabimur quoque ei in gloria: nam; *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Matth. 5. Hanc similitudinem præclare exponit Dilectus Christus Discipulus, Joan. 3. 2. dum ait: *Charissimi nunc Filii Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus: scimus autem cum apparuerit, similes ei erimus; quoniam videbimus eum sicuti est, q. d. Charissimi nunc Filii Dei sumus.* Jam præsciti, prædestinati, vocati, iustificati, adeoque per gratiam & iustitiam, sumus ei, pro nostro modulo, similes, tanquam Filii suo Patri: *sed nondum apparuit quid erimus.* nam mundus non movet nos, quia Internum nostrum decorem non conspicit; at eum in die iudicii cernet, quando non videbit nos amplius pauperes, obscuros, humiles, viles & despectos; sed splendidos & gloriosos; *Scimus autem cum apparuerit in iudicio, ac cælesti gloria; similes ei erimus; similes Deo, similes Christo, similes in intellectu, ob verbum mentis, & speciem in mente efformatam; similes in voluntate, ob perfe-*

ctum amorem; similes in puritate, similes in sanctitate, similes in gloria, in lætitia, in visione, in fruitione, ac omnimoda beatitudine; Quoniam *videbimus eum sicuti est*, videbimus eum non in umbra vel figura, sed facie ad faciem; & sicuti Deus se clarissimè videt, eaque visione fruatur ac beatur, ita & mens nostra videbit Deum, sicuti est, omniaque quæ in eo formaliter sunt, & hæc visione fruatur ac beabitur æternum, eaque perficitur nostra filiatio, & adoptio; quia ut Filii Dei, gloriam, hæreditatem & felicitatem Dei adipiscimur. Quantum hoc est solatium mundis corde & à peccatis abhorrentibus! Quantum hoc est incitamentum, ad Indies augendam animi puritatem? Quò enim mens purior, eò Deo erit similior, clariusque eum intuebitur.

II. Si Christo Domino, tanquam soli super omnia terrena elevato, & nullius indigenti, conformes fuerimus, ejusque paupertatis & mundi contemptus radios, veluti specula exceperimus; in cælesti patria ei quoque conformes erimus, in divitiis æternis, quas ærugo & tineæ non corrumpunt, nec fures effodiunt; loco horti terreni, aut agri, paradisum cælestem semper florentem obtinebimus: loco auri & argenti; cælum, cujus plateæ ut ait S. Joannes in Apoc. c. 21. sunt *aurum mundum, simile vitro pellucido*: loco gemmarum & margaritarum, habebimus civitatem cælestem, cujus muri sunt ex lapidibus pretiosis, cujus porta 12. ex 12. margaritis: loco Domus paternæ, quam dereliquimus, possidebimus *Domum Dei, maximum & amplissimum cæli*

II.
Similitudo paupertatis Christi.

cœli palatium, de quo exclamat Baruch. Propheta c. 3. 24. *O Israël quam magna est Domus Dei, & ingens locus possessionis ejus!* ô locus amabilis! ô locus desiderabilis! 1. Locus clarissimus, locus lucidissimus, in quo nullæ tenebræ, nulla nox, sed lux perennis, dies perpetuus, qui non indiget sole, Sol enim ejus est ipse Deus, qui claritate Deo digna illum illuminat; & lucerna ejus est Agnus, Christus Dominus, qui inenarrabili luce & lætitiâ eum perfundit. 2. Locus temperatissimus, non ibi hyems, non æstas, non frigus, non æstus, nullæ siccitates, nullæ humiditates; nulla fatigatio, nullum tædium, nullæ tempestates, nulli terræ motus, nullæ pestilentiz, nulla tonitrua, fulgura aut fulmina, sed aura semper optatissima, temperatissima, amœnissima, sanissima. 3. Locus stabilissimus, firmissimus, diuturnus, æternus, absque metu corruptionis, concussionis, læsionis, ruinæ, adeoque tutissimus & securissimus. 4. Locus pulcherrimus, amœnissimus, deliciosissimus, fortunatissimus, suavissimus; verbo, habitatio digna Deo & sanctis ejus amicis.

O quam dilecta tabernacula tua Domine: concupiscit & deficit anima mea in atria Domini! Psalm. 83. 2. Quis non libentissimè deseret hortum, ut obtineat paradisum? quis non eligat hic brevem paupertatem, ut obtineat illic divitias infinitas & opulentiam æternam? Quis non soletur se, si quidpiam deficit aut patitur inopiam, verbis Tobie c. 4. 23. ad Filium: *Fili: pauperem quidem vitam gerimus: sed multa bona habebimus, si simuerimus Deum?*

III. Si Christo Domino, soli incorrupto, candori lucis æternæ in mortificatione carnis, in abnegatione sensuum, in diligente custodia castitatis hinc conformes fuerimus; & velut purissimum speculum ejus radios exceperimus; in cœlo similes ei erimus & conformes. 1. In corpore habebimus claritatem; *Justi enim fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum.* Matth. 13. 43. & agilitatem teste Apostolo 1. Corinth. 15. 42. Unde Tertullianus de Resurr. c. 20. ait: *Similes ei erimus*, quoad resurrectionem & immortalitatem corporis. *Similes ei erimus*, id est quasi Dii, quemadmodum enim sol in nube tralucens efficit parelium (*παρηλιον*) ut novus alter ac tertius sol esse videatur; ita Deitas in beatorum anima & corpore tralucens, efficit tot quasi Deos, quot erunt Beati. O quanta felicitas! quanta gloria! quanta voluptas erit videre, tot quasi Angelos, imò & tot quasi Deo, quot erunt Sancti in cœlo. *Mortui estis*, inquit Paulus, *& vita vestra abscondita est cum Christo in Deo; cum Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum eo in gloria.* Coloss. 3. 3. *Salvatores expectamus Dominum nostrum Jesum Christum; qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.* Tunc loco mortificationum quinque sensuum, visus vehementer delectabitur visione innumerabilium pulcherrimorum corporum glorificatorum; auditus auditione dulcissimorum verborum Christi B. V. & SS. & canticorum & lau-

III.
Similitudo
castitatis
Christi.

IV,
Similitudo
obedientie
& aliarum
virtutum
Christi.
ve
ra
mo
pe
nit
ac
mor
modo
vilitat
obedi
me
cram
lucidissim

& laudum divinarum; odoratus recreabitur suavissimo odore cœlesti, & corporum glorificatorum; Gustus gustabit ibi manna longè excellentius, altero Israëlitico, quod dabit illis, quos eminenter complectitur, omnis generis sapes; Tactus delectabitur deliciis sanctis & puris, quibus totus immergetur velut in torrente voluptatū. O quis non castiget libenter corpus suum, ut in æternum gaudeat? quis non omnes hujus mundi adeo breves & bestiales voluptates spernat; ut cœlestes & æternas possideat? Quis sensus omnes nō frænet, ut perpetuis cœli deliciis perfruat? quis non cum S. Ignatio exclamet: *Quam sordet mihi terra, cum omnibus divitiis & voluptatibus, dum cælum aspicio!*

IV.
Similitudo
obedientiæ
& aliarum
virtutum
Christi.

IV. Denique si Christo in mortificatione judicii & voluntatis, atque in obedientia, charitate, reliquisque virtutibus tanquam soli ad jussum Dei se moventi & stanti, conformes fuerimus; & radios harum virtutum ab eo susceperimus, Intellectus noster plenus erit Deo per claram ejus visionem, uti & SS. Trinitatis, & omnium attributorum divinatorum. Voluntas erit plena Deo, & amoris unione perpetuâ, amans omni modo amoris, ex quo emerget torrens voluptatis, quo Beati inebriabuntur ab ubertate domus Dei, Matth. 25. Toti immergi gaudiis infinitis Dei, idque per totam æternitatem. Ita velut Specula lucidissima Divinum solem repræsenta-

bimus, ut velut ferrum candens amore divino toti succendemur. Implebiturque in nobis illud Apostoli: *Prius homo (Adam) de terra terrenus. Secundus homo (Christus) de cælo cœlestis;* ita sicut portavimus imaginem terreni (in mundo) portemus imaginem cœlestis (in religione) & postea omninò conformes, longè excellentius & gloriosius portabimus eandem in cælo.

Quæ cum ita sint: Hisce solemur nos identidem atque excitemur. 1. Solemur nos, dum caro, mundus aut demontentat: *Similes ei erimus.* Si paupertas gravat, castitas oppugnatur, obedientia premit, solemur nos: *Similes ei erimus* & divitiis deliciisque cœlestibus æternum fruemur. 2. Nos excitemus, ad nos in hac vita Christo Domino nostro conformandos in puritate, paupertate, castitate, obedientia ceterisque virtutibus; ut ei conformemur quoque in æterna beatitudine: animemus nos ad perfectam regularum nostrarum observantiam, quæ viam virtutum monstrant & docent, ut divini solis radii, in nobis velut speculis aut pareliis indies clariùs & clariùs resplendeant. Verè enim ait S. Bonaventura in Spec. Disc. *Quantò quisque se ei in virtutis imitatione hic conformare studuerit, tantò ei in prima gloria & charitate appropinquabit, & similior erit.*





EXHORTATIO XV.

PRÆLIMINARIS.

De Cura & Industria Societatis JESU,

Quã Tyrones suos informat, ut genuini Societatis Filii, seu
Jesuitæ, & Jesu vitæ conformes evadant.

Tanquam Stimulo quinto decimo, huic informationi respondendi, &
Regulas observandi.

T H E M A.

*Filioli mei quos iterum parturio, donec formetur Christus
in vobis. Ad Gal. 4. 19.*

Aut alteri-
us Ordinis.

M Agnus Ecclesiæ Do-
ctor Gregorius, ci-
tata S. Pauli verba
expedens: *Vide*,
inquit, *Paulum quasi*
quandam Cervam,
quodam, in partu sua magni doloris ru-
gitus emittentem: ait enim Filioli mei
quos iterum parturio, &c. Consideremus
quid doloris habueris, quid laboris; qua
es postquam potuit concepta edere, rursus
compulsa est extincta suscitare. Ita
Gregor. 30. Mora. c. 21. Cervæ diffi-
cile n̄ experiuntur partum, & ut Job.
c. 33. 1. Ait in partu rugitum emit-
tunt: Ita quoque S. Paulus quodammo-
do rugiens exclamat: *Filioli mei quos i-*
terum parturio: Id est, quos ego per

Evangelium genui Christo in baptismo;
sed à Christo & ejus adeptione relaptos
ad Judaismum; iterum parturio, ut à
Judaismo revocem & Christo denuò
pariam; donec Christus formetur in vobis;
id est, Christi Fides, Spes, Libertas; ut
scilicet non à lege, sed Christo & Chri-
sti fide, omnem gratiam, justitiam &
salutem expectetis.

Quod fecit & dixit Apostolus Gala-
tis, idem præstat, & merito dicit Novi-
tiis suis JESU Societas: postquam e-
nim isti ut spes est, præciti, prædestina-
ti, vocati, & justificati, & in Societatem
recepti sunt, incipit eos parturire; di-
cens: *Filioli mei quos iterum parturio, do-*
nec formetur Christus in vobis Vos abren-
nuntiastis mul. dō, Diabolo & pompis
ejus,

ejus, ac geniti estis Christo, in baptismo, ejusque formam induistis: hanc verò postmodum peccatis vestris maculastis aut delevistis; sed nunc vocatos ad me & susceptos iterum parturio, laboro, enitor, ut evadatis vitæ & moribus Christo conformes, veri JESU vitæ Sectatores, ac genuini Filii mei.

Quod quàm sollicitè præstet Societas Mater nostra, quantoque studio connitatur, ut Christus ferretur in nobis, quamque sedulò nos eidem cooperari deceat, in præsentì exhortatione ostendemus.

I,
Parturicio
novi homi-
nis.

I. *Filioli mei quos iterum parturio*, Optima mater nostra Societatis dum nos in Domum probationis admittit, velut in sinum suum recipit, ut nos parturiat, & è mundanis, religiosos regeneret: nam ut ait A. R. P. Joannes Paulus Oliva lib. 7. *Stromatum*; Sinus Ordinis sacri, Domus est probationis, in qua Societatis Filii concresecunt & efformantur. Idque toto biennio; aliis Religiosis, intra claustra manentibus, sufficit annus; nobis in campum contra Dæmonem, carnem, & mundum prodituris, non sufficit, sed biennium omninò necessarium est, in quo concresecamus & efformemur in viros religiosos, donec emissis votis nascamur. Malum proinde signum est, si Novitius ante biennii finem exire gestiat, aut ad finem anhelet; *Va Tyroni*, ait dictus Pater Oliva loc. cit. *Si Tyrocinium oderit: parturiri recusat, si edi festinat; arbortus autem est festinatus in lucem, imò in tumultum partus: Ex utero ransfertur ad tumultum, qui citius erumpit ex utero: Citò languet, qui citò prodit flos.* Itaque, Non ergo fe-

stinandum Novitiis; futuræ enim ætatis lineæ ducuntur in Tyrocinii utero; ne illos veluti præcoces flores tentationis pruina decoquat.

Hoc autem biennio durante: Mater nostra Societas,

Primò: Nos parturit, nos format, nos sicut nutrix nutrit, lacte Doctrinæ Christi, sicut Apostolus ait: *Tanquam nutrix foveat filios suos*, magnâ benignitate & mansuetudine; nos educat, instruit, docet, dolat, superflua instar sculptoris resecat, colores vividos virtutum, instar pictoris, apponit, secundum regulas versat, probat, exercet, & ut milites Tyrones circumagit.

Secundò: Dilligentissimè suis prolibus invigilat, ut eos benè efformet: Instar Struthionis de quo Plinius. l. 9. c. 10. refert, quod ova sua spectando & oculis irretoris intuendo foveat: Quot oculis Societas suos Filios aspicit & custodit; non solum Rectorum; sed aliorum quoque Officialium oculis: imò tot oculis, quot sunt Novitii?

Tertiò: Instar Gallinæ non calore naturali; sed supernaturali amore pullos suos foveat, sub alas congregat, tepidos excitat, frigidus calefacit, scalpendo & terram unguibus removendo, docet pabulum spirituale quærere; contra tentationes Milvorum stygiorum se defendere.

Quartò: Instar Aquilæ: quæ ut dicitur Deut. 32. 11. *Provocat ad volandum pullos suos & expandit alas.* I. Provocat Societas pullos suos ad volandum in cælum perennis meditationis, plis suspiriis, ac motibus anagogicis, seu sursum tendentibus affectibus, ad volandum

ad montem perfectionis, per viam humilitatis, mortificationis, obedientiæ, aliarumque virtutum. 2. Ut docet Ambrosius l. 2. de Salomone, *Aquila pullos suos exponit soli, ut irretortis oculis eum aspiciant, aliàs ut spurios ab ungue dimittit & abjicit: ita Societas suos Filios exponit Soli Justitiæ Christo Domino, ut meditando, ejus vitam oculis immotis intueantur & imitentur, quod nisi fecerint, velut spurios abjicit.* 3. Ut docet S. Hieronymus: *Inter ceteras amantes maximus est aquilarum in pullos amor, amethystum collocant inter pullos, quo omnia venera superentur.* Maximo suos Societas amore complectitur, eisque tradit emethystum timoris Domini, præsentiam divinam, aliorumque alexipharmacorum, quibus haud difficulter contra peccati venena sese tueantur.

Quintò; Instar Ursæ, quæ ut memorat Aristoteles, l. 7. Histor. animal, c. 17. Parit animal, velut carnem informem, quam linguâ solâ lambendo efformat: Societas, pari modo, proles suas informes, linguâ efformat: carnem & sanguinem his adhaerentem, aut potius eas carni & sanguini nimium agglutinatos linguâ avellit, oculos, manus, pedes, ceteraque membra distinguit; quid enim agit aliud tot exhortationibus, tot conferentiis, tot privatis alloquiis & instructionibus, nisi ut linguâ quasi lambendo efformet, & è mundano religioso efficiat? nec post vota lambere cessat, sed monet, hortatur, corripit, &c.

Cùm ergo tantam optima Mater nostra Societas curam, laborem, industriam & vigilantiam adhibeat; An

non par est, nos quoque pari diligentia instructionem exicipere, ad praxin eam redigere, distortos mores corrigere? Matrem nos sic amantem vicissim unicè redamare; beneficia collata agnosceret; ne animi minus grati notam incurramus, & velut proles spuritiæ dimittamur? Quod si verò quis, quod alii fit, è nobis reperiat; qui post tot instructiones, post tot exhortationes, post tot meditationes, aliisque exercitia quotidiana, veterem hominem non exuat; sed maneat in antiqua pelle mundana; an non ejusmodi meritò mater deserat, pro suo non agnoscat, eique ingerat: *Quid ultra debetis facere & non feci?*

II. Societas Filios suos non solum parit, sed etiam nutrit, custodit, format, mundat, polit & ornat. Humbertus in Instit. vit. spir. l. 5. c. 2. docet *Novitiorum Magistrum, debere se exhibere Matrem, benignitatè ostendendo, ut cum Tyrone non refugiant; sed ad eum sanguinem ad sinu Matris recurrant.* Quantam curam, vigilantiam, suavitatem & charitatem id præstat benignissima Mater nostra Societas? Quam sedulo nos in Tyrocinio custodit? quam providè & frequenter cibo spiritali nos reficit? quam patienter imbecillitatem nostram sustentat? quam maternè necessaria omnia, sive corpori sive animæ, administrat? quam studiosè nos animat, comit, polit, & exornat?

Verè patris Matris instar, nobis tanquam parvulis, Societas omnem diligentiam & sollicitudinem impendit. Puer li primo & secundo vitæ suæ anno, à tribus periculis probè custodiendi sunt à Matribus; scilicet, ab igne, ab aqua

II.
Educatio
materna.

aqua & à fovea. O quoties mitis Mater nostra Societas, nos hortatur ad patientiam & charitatem, contra mala poenae, ne igne iræ bona spiritualia amittamus! *Qui impatiens est, sustinebit damnum.* Proverb. 19. 19. O quoties nos monet ad temperantiam, ne in aquam voluptatis nos immergamus! Vult Pharao Parvulos in flumine mergi. *Exodi 24.* O quoties docet, ut à foveâ illâ nobis caveamus, in quam toties incidimus! *Beatus vir qui non est lapsus verbo ex ore suo Eccli 14. 1.*

Matribus incumbit parvulos suos munire à sordibus; quàm sollicitè Tyronibus suis id officii impendit blanda Mater Societas? dum de modo peccata per exhomologesin expiandi, sedulo erudit: dum ad frequentem peccatorum confessionem admittit, ut omni tempore candida sint eorum vestimenta spiritualia. Dum à peccatis in vita sæculari perpetratis deterret; ne Tyrones sui serant inter spinas. *Nolite serere super spinas.* Jeremias c. 4. Spinæ sunt peccata, quæ pungendo mentem cruciant, crescendo cum segete bonorum operum, eam suffocant & incendio infernali materiam ministrant.

Matres assolent filiis suis crebro lac, cibumque præbere; ut crescant & angeant. Quoties Societas Mater liberalissima Tyronibus suis cibum spiritualem ministrat? Quot exhortationibus & conferentiis quavis hebdomade, quot monitionibus & correctionibus in dies eosdem reficit? abundè implens illud Christi Domini Mandatum: *Pasce agnos meos.* Joan. ult. Tria reperiuntur hominum genera, quæ diu absque cibi

sumptione esse nequeunt, quin graventur; nimirum parvuli pueri, convalescentes à gravi infirmitate, & Itinerantes. Quid sunt Novitii nisi parvuli pueri, nondum primum aut secundum vitæ religiosæ annum egressi; quibus sollicitè præcavendū, ne cibi spiritualis defectū patiantur; & merito conquerendum sit: *Parvuli petierunt panem & non erat qui frangeret eis.* Vult sunt nisi infirmi non unâ, sed multiplici infirmitate laborantes, ideoque necesse est frequenter eos cibo refici, ut vires resumant. *Cum accepisset cibum, confortatus est.* Quid sunt, nisi itinerantes, qui longam & arduam viam, in cælestem scilicet Patriam aggressi sunt? ideoque crebro reficiendi, ne labori succumbant. *Si dimisero eos jejunos in domum suam, deficient in via.* Matt. 16.

Denique Societas instar dulcissimæ matris, Novitiorum suorum, tanquam parvulorum, imbecillitatem supportat, defectus patienter tolerat, in omnibus tentationibus solatium impertit, operam divinæ gratiæ orationibus suis illis impetrat, eos instar virgæ flexilis & curvæ dirigit & inflectit, moribus modestis & religiosis exornat, virtutibus condecorat, nullumque maternæ curæ & providentiæ officium intermittit; ut merito cum S. Augustino asserere valeat *Ho. nil. 26: inter 50. Me putate matrem esse animarum vestrarum, & ita vos velle componere (sicut mater filios propriis manibus componit & errat) ut in vobis nec macula, nec ruga possit ante tribunal æterni Judicis apparere: Animabus enim vestris, non solum ornamenta, sed etiam medicamenta desiderans*

providere, studio diffusa consueve, consensu sarcire, vulnerata curare, abluere sordida, reparare perditâ. & ea quæ sunt integra, spiritualibus margaritis exornare.

Tamigitur benevolæ & maternæ charitati ac sollicitudini, quàm filiali amore, quàm sedulo obsequendi studio, nos, Charissimi, respondere & cooperari oporteret? ut ab igne, aquâ & foveâ prædictâ nos custodiamus, animas nostras à peccatorum sordibus & spinis emundemus, lac, escâsque spirituales, à matre præbitas, avidè arripiamus, atque ad assumendum, conservandum, augendumque omni generis virtutis ornatum, strenuè collaboremus: idque tam diu, donec formetur Christus in nobis, Id est, mores, & vita Christi in nobis resplendeat

III.
Intro-
ductio formæ
Christi.

III. *Donec formetur Christus in vobis.* Id est, donec homo vetus exuatur, & induatur Christus, Donec veteris Adami, seu hominis mundani forma deleatur & novi ac spiritualis forma introducatur, seu donec in vobis reperiatur spiritus Christi, vita Christi, mores Christi, actiones Christi, virtutes Christi: atque ita sicis Christo conformes & vivæ ejus imagines, ad Christi prototypon efformatæ, quemadmodum imago, sigillo quopiam, ceræ exactè imprimitur. Præclarè more suo id elucidat S. Ambrosius L. de Isaac & Anima. c. 8. *Illic* (in Cruce, in Baptismo, addo in Religione) *parturivit te mater tuasibi renascimur: Parturuntur enim in quibus Christi imago formatur: Unde quoniam formatus in sponsa Christus erat, ait: Pone me ut signaculū super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum: Signaculum Christus in*

fronte est, ut eum semper confiteamur; in corae, ut semper diligamus; in brachio, ut semper operemur, ut fieri potest tota ejus species exprimat in nobis, ipse est signaculum nostrum, quem Pater signavit Deus. Hactenus Ambrosius. Christus ergo, ut ait S. Doctor, & quidem

Primò. *Est signaculum in ore, ut eum semper confiteamur*, ipsum laudemus, glorificemus, de ipso loquamur, non de Mundi vanitatibus. 2. *Signaculum in fronte est, ut eum non erubescamus*, nec ejus Doctrinam & Evangelium; quemadmodum Apostolus dicebat & exemplo ejus, B. Stanislai Frater Paulus: *Non erubescio Evangelium*; non paupertatem Christi, non mendicare ut Christus, non laborare ut Christus, non vilibus vestibus indui, non opera humilia exercere, non subjici & obedire. Et hoc est non erubescere Evangelium.

Secundò. *Sigillum Christus in corde ut semper eum diligamus*; Ut eum semper gestemus in memoria, de eo jugiter cogitando & in præsentia ejus ambulando; in intellectu eum magis magisque cognoscendo; in voluntate ei bene volendo, eum super omnia diligendo in spiritu; ex ejus spiritu vitam instituendo.

Tertiò. *Sigillum Christus in opere, in brachio, in manibus ut semper operemur per Dei gloria; veluti Christus.* Item in omnibus operibus externis Christi mores; exprimamus, comedamus ut Christus, laboremus ut Christus, geramus nos modestè in omnibus ut Christus, sobriè ut Christus, piè, justè, humiliter, mansuetè, donec integrè & non ex parte formetur in nobis Christus,

Nam

Nam si ex parte, abortus est; Si linguâ spirituali careamus, abortus est; Si praxi meditando, spiritu devotionis, orationis, mortificationis careamus; Si fervore laborandi pro gloria Dei destituti simus, velut homo sine manibus, abortus est, monstrum est, seu ex parte mundanus, ex parte religiosus.

Quapropter ne id accidat; cooperemur strenuè cum sollicitâ matre nostrâ Societate & hoc biennio laboremus ac in eo toti simus, ut hominem mundanum exuamus, & Christi formam induamus; non anhelemus ad finem, non citius exire optemus, ne floris præcoeis instar pereamus. Gaudeamus tot oculis à Matre nostrâ nobis in bonum nostrum invigilari. Discamus volare

per viam virtutum, aspicere Solem Justitiæ in oratione, carni & sanguini mori, ignis iracundiæ, aquæ voluptatis; foveæ pristinorum peccatorum pericula fugiamus: Alimonix spiritualis, à Matre nostrâ, Societate J E S U, tam amanter & largitet oblatae, semper esuriem, sitimque præferamus; spinas victorum & peccatorum evellamus; ornamenta & cimelia virtutum, nec non antidota morborum nostrorum avidè arripiamus, &c. Donec in corde, ore, opere formetur Christus in nobis, ejusque perfecta imago, velut sigillo in cerâ, in nobis exprimatur, & dicere queamus cum Apostolo: *Vive ego jam non ego; vivis verò in me Christus.*



EXHORTATIONES

A D

RELIGIOSOS

In Regulas Summarii Constitutionum Societatis JESU.

REGULA I.

S E U

P R O O E M I U M.

De Regularum conscriptione.

EXHORTATIO I.

In Regulam I. Summarii agit de conservatione,
gubernatione & promotione Societatis.

T H E M A.

*Fidelis Deus, per quem vocati estis in Societatem Filii ejus
JESU Christi Domini Nostri. I. Corinth. I. 9.*

V E L

*Quamvis summa Sapientia & Bonitas Dei conservatura. gu-
bernatura & promotura sit hanc minimam Societa-
tem. Reg. I.*

Quæ aliorum
Ordinum
regulæ nul-
lo negotio
accommo-
dantur.



I homines, rerum vari-
arum artifices, cum
supremo cæli, terra-
que Conditor & Ar-
chitecto conferamus;
non solum in pro-
ductione rerum, verum etiam in earun-
dem conservatione quam maximum
intercedere discrimen animadvertimus.
Etenim homines rerum artificialium
opifices & fabri, opera à se suscepta

atque perfecta, conservare haud solent;
ut in palatiis, navibus, horologiis,
a' iisque constructis liquet; quibus si
ultimam manum addiderint, curam
omnem deponunt, & conservationem
aliis penitus relinquunt. At non sic
Deus Opt. Max. Univerforum Conditor
& Creator; is enim aliâ longè methodo
procedit, dum à se condita, summâ suâ
Potentiâ, Sapientiâ & Bonitate con-
servat, gubernat ac promovet, Creavit
Cælum

Cælum, Solem, Lunam & Sidera; & simul conservat, gubernat ac promovet. Creavit Terram, Aërem, Aquam, Ignem & Mixta; & conservat, gubernat ac promovet. Creavit Angelos, homines, Animantes, Volucres, pisces, arbores, Plantas; omniaque vel In individuo, vel in specie, à condito Mundo, ad hæc usque tempora, tot annorum millibus, conservat, gubernat ac promovet, & usque ad mundi finem conservabit.

Pari ratione, ut S. Ignatius in Regula meminit, summa Sapientia & Bonitas, quemadmodum, modo præfuso mirando, minimam hanc Societatem inchoare dignata est; ita eandem porro conservandam, gubernandam & promovendam esse confidit.

Quæ terna Puncta præsentis exhortatione declarabimus.

I. Quòd Sanctus Patriarcha noster hoc admirandum Societatis JESU opus, ejusque stupendam Structuram divinæ Sapientiæ ac Bonitati, tanquam Causæ Efficienti attribuerit; non eo sine fecisse censendus est, quasi Potentiam Divinam ab hoc artificio exclusam voluerit, cum ea vel maximè in hoc opere, & omnibus ejus partibus elucescat, & quemadmodum ad reliqua creata omnia; ita pariter ad Societatem condendam concurrat: Sed duorum duntaxat Attributorum divinorum meminit; ut summæ Sapientiæ & Bonitatis consideratio, animos nostros & suavius & fortius ad Dei amorem inflammaret. Ceterum ecquod Potentiæ, Sapientiæ & Bonitatis argumentum fuit, quòd eo tempore, quo hæresum omnium hujus temporis fons & author Martinus

Lutherus à fide orthodoxa apostata hærescos venenum, in orbem Christianum invexit, ac latè per Septentrionem universum sprarsit: militem unum, eumque rudem atque ignarum, & non nisi bella, honores & sæculi vanitates spirantem, excitavit, & elegerit, quem infelici huic Hæresiarchæ Archistrategum opponeret; ut sicut olim rudes & ignaros Apostolos, ad fundandam Ecclesiam; ita nunc quoque ad condendam Societatem, vivendi que formam ac normam tot præclarissimis & sapientissimis viris præscribendam, scientiarum expertem, Martis assecram sulcitaret.

Ex hoc igitur tam admirabili exordio veluti Sanctus Patriarcha noster spem concepit securæ cõservationis, gubernationis & promotionis; ita pariter nobis mori nõ nullus eã de re dubitandi locus relinquitur; Si enim penitiùs inspiciamus, quàm mirã ratione eam non modò auspiciata sit; verùm etiam in hodiernum usque diem conservavit; innumera Potentiæ, Sapientiæ & Bonitatis argumenta, reluctanti in præteritis, spem & fiduciam roborare possunt in futuris. Quanta enim Potentiæ, Sapientiæ ac Bonitatis argumenta mox effulgent in principio in auspiciando, promovendo, dilatando; dum militem rudem è militia sæculari ad spiritualem evocat lectione vitæ Christi & Sanctorum, mentem ejus illustrat, voluntatem ad sequelam inflamat; jam virum ad Studia Literarum inter pueros inchoanda impellit, Socios ejusdem animi & fervoris ei adjungit, ac paucis annis Societatem,

L

à Sede

I.
Mirabilis
Deus in
Societate
condendâ.

à Sede Apostolicâ confirmatam, non modò per Europam; sed & Asiam, Africam & Americam longè, latèque propagat; ita ut vivens etiamnum Fundator in denis Provinciis Collegia centum numeraret.

Quis, Charissimi, hoc non miretur? Quis divinam Potentiam, Sapientiam & Bonitatem summis laudibus non extollat? Et quis, si genuinus S. Ignatius sit filius, pro tantis in Societatem nascentem donis ac favoribus, grates immortales non referat!

II.
Mirabilis
Deus in
Societate
promovenda.

II. Perpensâ Societate nascente; proficientem, & tesqui sæculo, sese augentem, ac dilatantem consideremus; & fortasse non minora aut pauciora Potentiæ, Sapientiæ & Bonitatis divinæ argumenta deprehendemus. Nam
1. Ut Conservator, eam, ut perduraret, influxu suo divino, tot annis continuato, benignè effecit; sine quo, in nihilum illico relaberetur: ut Conservator eidem adminicula, tum naturæ, tum gratiæ, quibus se tueretur, & ab Interitu, noimentoque servaret attribuit, & industriam sua commoda prosequendi, & incommoda devitandi concessit, Unde si (ut affirmat S. Chrysostomus hom. 2. in Epist. ad Hebr. Et S. Ambrosius ibidem) *non minoris virtutis est, mundum conservare, ne in nihilum relabatur, quam eundem ex nihilo producere.* Non minoris quoque virtutis erit, nec minoris Potentiæ, Sapientiæ & Bonitatis, Societatem conservare, quàm ab initio producere.

2. Ut Gubernator, eandem per se, & Superiores, ad proprias instituto suo,

functiones & operationes, mover, dirigit, cooperatur: convenientissimis mediis externis, & internis legibus & exemplis, illustrationibus & affectionibus, minis & promissis, beneficiis & flagellis ad finem gloriæ suæ divinæ & animarum salutem procurandam dirigit & impellit. Aliis morte decentibus, alios surrogat, allicit, trahit; convenientibus talentis instructos, in hanc vineam, velut operarios conducit & ablegat, alios ad verbum divinum evangelizandum, alios ad sublimiores scientias proficendum, alios ad gubernacula & clavum tenendum, alios ad alia misericordiæ & charitatis opera exercendum: veluti omni anno, etiam in hac domo probationis, oculis nostris intuemur; dum ex omnibus Provinciæ nostræ academiis & gymnasiis juventutis florem magneticâ vocationis divinæ efficaciam attractum, huc confluere & in hunc velut terrestrem paradysum transplantari cernimus.

3. Ut Promotor, Societatem in varia regna ac Provincias diffundit, Collegiorum Fundatores excitat, Collegia dotat, & illis sementis & messis campum ubique aperit; missiones instituendas curat, residentias erigit, Academiis instituit, fructu labori, gratiæ divinæ influxu, respondente: Unde accidit ut Societas jam per orbem universum dilatata; quinas recensent Assistentiæ, Italicam, Hispanicam, Lusitanicam, Germanicam, & Gallicam: Atque in his 34. Provincias, in assistentiâ Hispaniæ
Tole-

Tolerantiam
nem, Be
man
nom, P
sem, la A
ciam super
Bocaz
serioris
Belgica
Anglic
vincia
politica
nera
vinc
lab
cia
Pr
V
la
na
long
& qu
pien
& arg
nobis
oriam
portò
& pro
gloria
lucem
III.
Mirabilis
Potent

IN REGULAM I. SUMMARII.

Toleranam, Castellanam, Arragonicam, Beticam, Sardinicam, Peruanam, Novi Regni, Mexicanam, Philippinarum, Paraquariensem, In Assistentia Germaniæ Provinciam superioris Germaniæ, Austriæ, Boëmæ, Rheni Superioris, & Inferioris, Flandro-Belgicam, Gallo-Belgicam, Polonicam, Lithuanicam, Anglicam. In assistentia Italiæ Provinciam Romanam, Siculam, Neapolitanam, Mediolanensem, & Venetam. In assistentia Lusitanæ, Provinciam Lusitanam, Goanam, Malabaricam, Brasiliicam & V. Provinciam Sinicam. In assistentia Galliæ Provinciam Francicam, Aquitanicam, Lugdunensem, Tolosanam & Campaniæ. Ita ut in his 34. Provinciis, ac duabus Viceprovinciis Chilensi & Sineni, Domus Professæ 23. Collegia 578. Domus probationis separatæ 48. Seminaria 88. Residentiæ 160. Missiones 106. & ultra, atque in his socii ultra 18000. numerentur.

En quàm arbor hæc Societatis, longè latèque ramos suos expandit; & quanta in his elucet Potentiæ, Sapientiæ & bonitatis diviniæ testimonia, & argumenta fortia; quæ fiduciam nobis augeant, spem confirment; Divinum Numen, ut eam cœpit, ita porro conservaturum, gubernaturum & promoturum ad nominis sui majorem gloriam & animarum innumerarum salutem.

III.
Mirabilis

III. Multa quoque & luculenta Potentiæ, Sapientiæ & Bonitatis di-

vinæ, in defendenda contra Adversarios Societate habemus indicia; magna securitæ deluceps protectionis argumenta. Quanta enim tempestas, superstitè adhuc Ignatio, excitata est à Melchiore Cano Doctore Salmanticensi ex Sancti Dominici Ordine; qui, nescio, quo de Anti-Christo appropinquante, exorto rumore falso, Socios Antichristi prodromos esse, mordicus propugnabat: At dicti Ordinis Magister Generalis Franciscus Romæus, unâ cum Paulo III. Summo Pontifice, Societatem strenuè defendit. Ut lege-
re est in Histor. Soc L. 9. n. 46.

Quanta tempestas Societati incubuit à Sixto Quinto Pontifice, nomen Societatis JESU abolere parante. Verùm precibus ab universa Societate ad Deum fuis, tempestas hæc protinus sedata fuit. Nec multò post Pontifex fatis concessit. Ut refert Histor. Soc. p. 5. lib. 10. Quanta tempestas exorta in Gallia: quando publico Senatûs regii edicto, Societas toto regno pulsa est? At post uovernale exilium, Anno 1603. revocata, & fortiter ab Henrico IV. Rege defensa fuit; qui etiam cor suum, in pignus amoris, in Collegii Flexensis templo, humari voluit. Patavius in Rationario ad Annum 1610. Quanta tempestas sub Claudio Aquaviva V. Societatis præposito Generali, à pluribus Patribus Hispanis mota fuit; qui & chorum inducere, & graduum discrimen ac dimissionem abolere, aliâque Instituti Societatis primaria puncta convellere satagebant; Sed horum spuriorum So-

Deus in Societate defendenda.

cietatis Filiorum, velut putridorum membrorum abscissione, tranquillitas rediit. *Hist. Soc.* p. 5. lib. 8. num. 127.

Quanta tempestas suscitata fuit, dum Societas, proscripta Venetiis; quanta tempestas mota, tum ab Hæreticis, tum ab Infidelibus, dum Societas egesta ex Bahemia, Hungaria, Livonia, Moravia, Belgio, Transylvania, Anglia, Scotia, China, Japonia, Æthiopia; additis non raro probrosi exilii decretis, autoritate publica firmatis, columnisque & pyramidibus, ad infamiam perpetuam erectis? At Divina potentia, Sapientia & Bonitas, innocentiae patrocinium suscepit, exules reduxit, honorique ac loco pristino feliciter restituit.

Quanta tempestas commota fuit ab Hæreticis, & aliis Societatis Hostibus, qui famam, noménque ejus fœdè lacerarunt; tum linguis virulentis, tum etiam edictis libellis famosis, & ubique terrarum sparsis, Historicis, Poëticis, Fabulosis, Centonibus, Mercurialibus, Satyricis, Provocatoriis, Philippicis, anatomicis, Prophetiis & quibus non? qui profecto bibliothecam bene grandem soli implerent; quorum vel sola in Syllabum redacta Authorum nomina, typis ante annos aliquot Rupellæ mandata iustum volumen constarunt.

Quanta denique recentissime tempestas excitata à quibusdam Religiosis & Clericis Sinensibus, nos apud Siam. Sedem acculantibus, fa-

mamque nostram proscindentibus, Societatem in amplissimo regno Chinesensi, (in quo tot annis maximo fructu, & multorum centenorum millium ad Ecclesiae gremium reductione defudavit) hætenus; à novellis Christianis, confutio, honores divinos deferri, permisisse adeoque miseros in Idololatria reliquisse. At Imperatore Sinarum ipsomet, nuper submissis Romanam literis, ritus illos non sacros, sed merè politicos & profanos esse, confutio, non ut Deo, sed ut Legislatore exhiberi solitos, attestante; necnon Episcopo quodam ex China, datis literis idem confirmante, spes affulget maxima, tempestatem hanc, non minus atque prædictas feliciter sedatum iri.

Quapropter, Charissimi, magnam semper, in Potentiam, Sapientiam & Bonitatem divinam, in omnibus, ac præcipuè in adversis & tempestatibus Societatem nostram quatientibus, fiduciam concipiamus: quod quemadmodum illa Religionem nostram inchoare dignata est, modis tam admirandis; ita quoque eandem sit conservatura, gubernatura & promotura; & quemadmodum illa tempestates hætenus exortas feliciter discussit; ita quoque præsentis atque futuras elementer discussuram. Si Deus pro nobis, quis contra nos? Deum hi inimici nostri Societatem deprefferunt, eandem exaltaturat; illustrarunt, dum obsecrare studuerunt. Hæ sunt summæ Potentiæ, Sapientiæ & Bonitatis divinæ artificia & stratagemata. Insurgant procellæ,

procellæ, orientur tempestates : Deus
ventis imperabit & mari, eritque
tranquillitas magna. Nos solum,
regulis S. Fundatoris nostri vitam ex-
actè conformemus, Deumque pro feli-
ci Societatis conservatione, gubernas

tione, ac progressu, precibus tum præ-
scriptis, tum ultroneis exoremus, &
Societas, petræ instar, inter quoscun-
que fluctus & tempestates firma &
inconcussa stabit, ac per-
severabit.



EXHORTATIO II. IN REGULAM I. SUMMARI.

Exponit nomen Societatis JESU.

T H E M A.

*Fidelis Deus, per quem vocati estis in Societatem Filii ejus,
JESU Christi, Domini nostri. 1. Corinth. 1. 9.*

V E L

*Quamvis summa Sapientia & Bonitas Dei conservatura sit
hanc minimam Societatem JESU. Reg. 1.*

Potest ap-
plicari aliis
Religiosis,
& ostendi
eos quoque
esse JESU
Socios.



Arii Ordines in Ec-
clesia Dei, à variis
rebus nomen sibi as-
sumpsère : 1. Non-
nulli enim nomen
suum traxère à loco,
ubi primum Ordines exorsi sunt vel se-
dem fixerunt : hinc Fratres de monte
Carmelo, Canonici S. Georgii in Alga

Venetiis, Clerici Regulares de Somma-
scha: Præmonstratenses, Carthusiani,
Cluniacenses, Casinenses, Cistercienses,
&c. 2. Nonnulli nomen duxerunt à
primario & præcipuo officio, quod ex-
ercent, & ad quodà Deo vocati sunt :
Sunt in horum numero, Prædicatores,
Fratres de mercede redemptionis cap-
tivorum, in Arragonia Hispaniæ regno

exorti: Clerici Ministri infirmorum, 3. Alii à quaplam virtute, quam unicè sibi commendatam volebant nomen sibi indiderunt: Ita S. Franciscus Affiliis, suo vocari voluit *Minores*, seu *Ordinem Minorum*: S. Franciscus de Paula, sanctâ cognominis sui Francisci æmulatione ductus *Ordinem* instituit *Minorum*. Talis fuit *Ordo Humiliatorum*, quem tamen ob desertionem humilitatis, post quingentos annos & ultra extinxit *Pius V.* 4. Alii nomen sibi imposuere, ab actione aliqua aut veste: ita *Crucigeri* vocantur à gestatione *Crucis*, à *Capitio Capuccini*. 5. Alii à Patrono aliquo sanctissimo, sub cuius tutela esse cupiebant: ita *Ordines* religiosi *militares*, S. *Joannis*, *Lazari*, *Georgii*, *Jacobi*, *Michaëlis*, *Mauritii*, &c. nuncupati sunt. 6. Alii denique ab ipsis fundatoribus nomen mutuati sunt, ut *Ordo S. Dominici*, *S. Francisci*, *S. Augustini*: Nihil horum placuit *S. Fundatori nostro*, quia prædictæ *Origines* nominum non conveniebant, sexta, ob humilitatem non placebat, neque enim *Ordinem Ignatii*, sed *Societatem JESU* minimam dici voluit. *Causas* in præsentem explicabimus.

I.
Cur Societas dicta.

I. *Causa* cur *S. Ignatius* *Ordinem* suum *Societatem* nuncupare voluerit, varia assignatur 1. Existimant nonnulli *Sanctum Patrem*, hoc nomen derivasse à *Societate mercatoria*, in qua plures conveniunt ad lucrum reportandum per negotiationem: præsertim cum etiam *Christus Dominus* regnum *Cælorum*, cum negotiatore quærente bonas margaritas comparat: nostra autem *Societas*, non quærat alias margaritas,

quàm animas, non aliud lucrum, nisi cæleste. Sed non arbitror *S. Fundatorem*, qui miles erat, se ad hanc metaphoram reflexisse. Alii censent nomen *Societatis* deductum à *communione rerum omnium*, quæ solet esse in amicitia, respexisseque *Ignatium* ad locum illum *S. Joannis*. Ep. 1. c. 13. *Ut & Societatem habeatis nobiscum & Societas nostra sit cum Patre & Filio ejus Jesu Christo*. Est hæc *Societas* spiritualis per charitatem, à *Spiritu sancto* conflata: diciturque potest, ut loquitur *S. Paulus* ad *Phil.* 2. 1. *Societas Spiritus*. Voluit quidem *S. Patriarcha* unicè *Filiis* suis commendatam charitatem; sed non autumo, primâ intentione animi, respexisse ad hanc notionem.

Alii denique & verosimilius afferunt, *S. Ignatium*, in militia versatum, *Ordinem* suum, *Societatem* nuncupasse, tanquam cohortem phalangem, militatamque turmam. Hoc sensu 1. *Machab.* 8. & 12. *Oratores* missi à *Juda Romanam*, ut facerent cum *Romanis*, *Societatem & pacem. Et amicitiam & Societatem*. Postea mittuntur à *Jonatha* ad *renovandam amicitiam & Societatem*. 2. *Machab.* 4. 1. Ita *Itali* cohortes & centurias vocant: *Compagnie de Soldats*, & hodie dum in *Gallia* nostri dicuntur esse; *de la Compagnie*. Voluit enim *S. Fundator* nos milites spirituales, ut significaret, quotquot ad hanc *Societatem* vocati sumus, sacre militie nomen dedisse atque oportere nos strenuos & generosos esse, militisque spiritualis partes fortiter explere; quod *S. Pater* hoc nominis *Etymo*, perpetuò inculcabat. *Hæc* de causa 1. *Societatis* homines nullam

lam sedem firmam, stabilēque habere voluit; sed instar militum, dum bellum ardet, ad pugnam accinctos stare, ad omnem locum aut civitatem summam cum animi resignatione paratos esse. 2. Instar militum, omnino haud deditos, sed ubique excitatos, hostium insidiis invigilantes; ac diligentes in opere Domini, contra Dæmonis machinationes. 3. Semper armatos, more militum, instructosque armis spiritualibus, quæ sunt arma militiæ nostræ. 4. Tanquam milites omnibus nationibus, moribus, ingenii nos accommodantes, & cum Apostolo omnibus omnia factos, ut omnes ad salutem æternam perducamus. 5. Generoso um militum instar Duci ac Regi nostro fidelitatem, & in officio constantiam præstemus. 6. Ut obedientiam promptissimam exhibeamus: Si militi dicatur, vade, & vadit, pugna & pugnat; Hic aut illic hostis est, illico huc & illuc convolat, nulla reformidans pericula. 7. Denique tanquam milites, qui se fratres nuncupare solent, charitate conjuncti simus, & quasi vir unus in campum contra hostes Tartareos procedamus, si divisi, disjuncti discors & que animis simus, ruina, strages & interitus subsequetur. Atque hoc est esse Societatem militarem spiritualem, virtute, fortitudine, fidelitate, charitate conjunctam.

II.
Cur Societas
Jesu?

II. Quod autem JESU Societatem dici & esse voluerit, non id arrogantia aut superbiæ tribuerit: tum quod non nunquam nomen commune particulati cœni tribuatur. Sic S. Philippus Benicius Ordinem suum nominari voluit, Ordinem Servorum S. MARIE;

quo nomine Religiosi illi se peculiari quâdam ratione B. Mariæ Virginis Reginæ Cælestium servos esse profiterentur: ita quamvis tota Christianitas si Societas JESU; tamen Societatis homines se peculiari ratione JESU Socios, milites & servos profiterentur. Deinde Nomen JESU factum non indicat magis, quam B. Joannes Columbinum Ordinem suum, à JESU nomine, Jesuatorum nuncupans, factus argui potest; Aut Ordo S. Spiritus, aut Ordo SS. Trinitatis arrogantia insimulari queat: de quo posteriore Innocentius III. Pontifex: *Hic erit Ordo, quem Sanctissima Trinitatis titulo & Redemptionis Captivorum ordinamus nuncupari.* Fr. Turr. Apol. adv. Boquin, in Prooem.

Causa verò cur S. Ignatius hoc nomen JESU addiderit, est.

I. Vehemens divinæ voluntatis impulsus, S. Patrie animo per visum illud memorabile impressus, de quo Ribad. L. 2. c. 11. Et Maffæus L. 2. c. 5. refert: Quo die Romam accessit S. Ignatius Anno 1538. Petro Fabro, & Jacobo Laynio comitibus, orandi causâ, templum desertum non longè ab Urbe situm ingressus est. Ibi vehementius oranti & à sensibus abstracto, clarissimâ in luce Deus Pater illi per speciem se ostendit JESU Filio suo, cruce gestanti præsentem Ignatium, Sociosque commendans. Quos JESUS cum in fidem ac patrocinium libentissimè recepisset, ad Ignatium placido & sereno vultu conversus, hæc ipsa effari verba dignatus est: *Ego vobis Roma propitius ero.* Re narratâ subdit Maffæus: *Atque id ipsum vel in primis causa fuit, cur Ignatius confirmata postmodum*

postmodum Societati salutare potissimum
JESU Nomen indiderit. Addit Petrus
 Ribadeneira (qui hæc à Jacobo Laynio
 acceperat Sancti Ignatii Comite)
 tam altè fuisse Ignatii menti *JESU*
 Nomen impressum ex eo viso, ut hoc
 Ipso nomine Societatem nominare
 decreverit : asserens usque eò sibi
 certum, id *DEUM* velle, ut ab à
 mente se dimoveri nunquam posse
 diceret.

Altera causa hujus denominationis
 insinuat à Ribadeneira L. 2. vitæ
 S. Ignatii c. II. ubi ait. *Societatem JESU*
appellari voluit, ut quæ huc vocati fuerint,
non se in Ignatii Ordinem aliquem ad-
scriptos, sed in Societatem Filii Dei, Jesu
Christi; Domini nostri vocatos agnoscant.
Sub illo Summo Imperatore mereant: E-
jus signa sequantur; Crucem suam cupide
tollant; Et in authorem Fidei & consum-
matorum Jesum aspiciant, qui proposito sibi
gaudio sustinuit crucem, confusione con-
tempta. Et ne defatigentur animis defici-
entes; certum illis atque persuasum sit:
Ducem suum sibi præsto esse: Illum non
Ignatio solum & Sociis, ut videmus, ha-
Elenus fuisse, sed sibi quòque futurum sem-
per propitium sperent.

Ex his Ribadeneiræ verbis colli-
 gimus rationes, quæ Sanctum Ignatium
 permoverunt, nostræ utilitatis gratia,
 ad hoc nomen Ordini tribuendum. 1.
 Ut intelligamus nostram vocationem
 esse à *JESU CHRISTO*, atque
 ad Jesum Christum, non ab homine
 aut ad hominem, sed à Dei Filio,
 ad eundem Filium Patris. 2. Ut memi-
 nerimus nos sub Christo Duce militare
 & merere stipendia. Dat animos

militibus in pugna, dat alacritatem
 in laboribus militaribus. Imperatoris
 summi vel fortitudo cum perit à felici-
 tate, gloriaque conjuncta, vel affluen-
 tia divitiarum cum liberalitate sociata;
 Unde milites expectare possint, tum
 ex capite priore victoriam in præliis;
 tum ex posteriore largam in periculis,
 laboribus, vulneribusque remunerati-
 onem; Et talem Ducem, non Sanctum
 aliquem è Cælituum numero, ut alii,
 sed Sanctum Sanctorum elegit Ignatius.
 3. Ut semper in Authorem Fidei &
 Consummatorem *JESUM* aspiciamus
 imitandi studio, eumque tanquam
 perfectum omnibus numeris exemplar
 Imitationis in nobis, in aliis, in omnibus
 rebus, cogitatis, dictis, factis expri-
 mamus.

III. Restat jam causa investiganda,
 cur S. Pater noster Societatem suam
 minimam nuncupari voluerit: An non
 jam, ipso etiamnum superstite toto erat
 orbe diffusa? An non Ipse eam dispersit
 per Europam? An non eam in Asiam
 invexit Xaverius? In Africam Andreas
 Oviedus; Josephus Anchieta in Ame-
 ricam? Ita est: At nonne Dominus
 & Redemptor noster regnum cælorum
 grano sinapis comparavit, quod est
 minimum, sed excrescit in arborem,
 in qua volucres cæli nidificent?
 Sic sanè minima *JESU* Societas
 magnam excrescit in arborem, rivu-
 lus exiguus in vastum fluvium se
 ampliavit; & tamen Sanctus Fundator
 minimam vocari voluit, triplici,
 ut existimem, ex capite; scilicet
 ex ætate, meritis, & humilitate:
 Nam,

I. Illo

III.
 Cur mini-
 ma Socie-
 tas?

I. Illo tempore, quo nata Societas, *atate* omnium Ordinum tunc in Ecclesia florentium *Minima* extitit, Etenim Ordo S. Basilii in Oriente circa Annum Domini 370. Sancti Augustini circa Annum 390. Sancti Benedicti in Occidente circa annum 520. Sancti Brunonis anno 1082. Cistercienses Anno 1098. Præmonstratenses anno 1120. Familix S. Dominici & S. Francisci Anno 1200. sumpsere exordia. At Societas nostra Parisiis in Monte Martyrum nata Anno 1537. à Paulo III. Summo Pontifice confirmata Anno 1540. Jure igitur Sancto Parenti nostro placuit eam tunc omnibus aliis juniorem & postremam *Societatem minimam* appellare.

II. *Minimam meritis*: Quamvis enim jam tum magna forent Societatis in Ecclesiam merita, cum Constitutiones Fundator conscriberet, multaque ab Ea præclare gesta in Italia, Germaniâ, Hispaniâ, Galliâ, Indiâ & Japoniâ; considerando tamen alios Ordines longè antiquiores, qui diutiùs in vinea Domini laborarunt, facemque Nobis & doctrinæ & exempli prætulerunt; merito S. Pater Societatem minimam indigitavit: Quantum enim fructum in Ecclesia Dei retulit D. Augustini Regula, quam Familix quadraginta sequuntur: Quantum profuit Ordo Sancti Benedicti, qui (teste Trithemio) duodeviginti, teste Genebrardo, quater nos supra viginti protulit Summos Pontifices, ducentos Cardinales, mille sexcentos Archi-Episcopos, quater mille Episcopos, Abbates eruditione, librisque claros quindecies mille septin-

gentos, Sanctos utriusque sexûs, Divorum fastis adscriptos quindecies mille sexcentos. Similiter alii Ordines quot viris sanctitate & doctrinâ illustribus, quot generosis Martyribus Ecclesiam Dei condecorarunt? Merito igitur S. Patriarcha noster Societatem tunc recentem ortam, meritis minimam æstimavit, hocque nomine insigniri voluit.

III. *Humilitate minimam*. Exemplo D. Pauli, qui se minimum Apostolorum, S. Francisci Assisiensis, qui suos Filios, Minores, & Sancti Francisci Paulani, qui suos, Minimos nuncupavit: juxta monitum Sapientis: *Quantò magnus es, humilia te in omnibus Eccli. 3. 20.* Diffiteri equidem nequeo magnam esse Societatem nostram, quam Dominus Jesus magni fecit, dum ad eam plurimos prodigiis luculentis vocare dignatus est: revelavit S. Francisco Borgiæ & alii, dum in ea ad mortem usque perseverantes, salutem æternam consecuturos ut typis vulgavit Lancicius in *Tract. de Instit. Soc. aff. 98* Dum in eâ morientes à morte, obvius excipere dignatur: *Hoc enim (ut loquitur S. Theresia) est Societatis JESU privilegium, ut mortuum Jesuitam obvius Jesus excipiat.* At nos Eam minimam appellare docuit S. Ignacius.

Deinde magna est Societas ob magnum erga eam Beatissimæ Virginis Mariæ favorem & benevolentiam, quâ multis manifestè apparuit, eoque ad Societatem vocare dignata est: Quos inter eminent Sanctus Franciscus Borgias, B. Aloysius, B. Stanislaus, P. Joannes Nunnez, P. Bernardinus Reallinus, P. Sebastianus Barradius & alii.

Ad minimam & appellari & reputari voluit S. Ignatius.

Tertiò. Magna est Societas, quia magni æstimata est ab omnibus Sanctis utriusq; sexus; quotquot vel cum Eâ, vel post eam fundatam florere: veluti S. Carolus Borromæus, S. Thomas de Villa Nova, S. Philippus Neri, S. Petrus de Alcantara, S. Ludovicus Bertrandus, S. Cajetanus, S. Theresia, S. Maria Magdal. na de Pazzis, At minimam nuncupari & æstimari voluit eam à suis S. Ignatius.

Quartò. Magna est Societas, quam tot privilegiis, tot encomiis, Summi Pontifices, imperatores, Reges, Principes, Republicæ, aliiq; viri illustrissimi, nobilissimiq; ornare: nam Paulus IV. Pontifex Societatem benedictam, beatam, fundatam supra petram: Gregorius XIII. Ordinem sanctum, Clemens VIII. brachium dextrum Ecclesiæ; alii aliis elogiis compellere dignati sunt. At minimam eam à suis & haberi & nuncupari voluit S. Ignatius; utpote, quæ ad minima pro gloria Dei sese abjiceret, pueros erudiendo, carceres visitando, rudes doctrinam Christianam docendo, omni-

bus aliis Ordinibus, ad subiecta apta præparendo, votoq; de honoribus & dignitatibus fugiendis se obstringendo, ut in parvitate & humilitate tuâ securiùs lateat, firmitusq; persistat.

Quæ cum ita sint, Dilectissimi; nosq; à Deo vocati Societatem JESU amplexi simus. 1. In ea tanquam strenui milites sub labaro JESU contra hostes decertemus, & militum more indifferentiam, vigilantiam, armaturam, concordiam, obedientiam, & charitatem sectemur, foveamus & conservemus. 2. Sub JESU Archistratego & Imperatore nostro nos militare & stipendia merere certò nobis persuadeamus; & ab eo victoriam & coronam speremus; in eum oculos conjiciamus, & ejus dicta factaq; moribus exprimamus. 3. Tameñ magna pro gloria Dei efficiamus, nos tamen minimos semper reputemus, nos aliis Ordinibus non præferamus, eorum antiquitatem, merita in Ecclesiam, & doctrinæ, sanctitatq; splendorem veneremur. Hæc ratione coram Deo, Angelis & hominibus Societas nostra erit maxima, quia est minima.





EXHORTATIO III.

IN REGULAM I. SUMMARI.
Explicat necessitatem conscribendi Regulas.

T H E M A.

*Quicumque hanc Regulam secuti fuerint pax super
illos Ad Gal. 6.*

V E L :

Necessarium arbitramur Regulas conscribi. Reg. 1.

Quod
omnibus
Ordinibus
convenit.



Uemadmodum Apo-
stolorum cœtus, (qui
verus Ordo religiosus
exiit, ut eximii Do-
ctores asserunt cum
P. Suarez Tom. 3. de
relig. l. 3. c. 2.) nullis scriptis regulis
vixit; sed iis duntaxat, quas Christus
Dominus ore tenus tradidit, & post ejus
ascensionem Spiritus Sanctus cordibus
eorum inscripsit; Regulas scilicet per-
fectæ charitatis: ita quoque Societas
nostra, Ordo Apostolicus, & ad pro-
totypon Apostolorum formatus, sub
exordium suum, pluribus annis solâ
charitatis lege persistit observantissi-
ma. Cùm verò hic Ordo ingentia cape-

ret Indies incrementa; verisimile erat,
licet plures, non tamen omnes, regen-
dos solâ lege charitatis; sed aliquo di-
rectionis exterioris auxilio opus habi-
turos: Hac de causa Sancto Fundatori
nostro necessarium esse visum est con-
stitutiones ac regulas conscribi; quibus
omnes directi atque adjuti, expeditiùs
ad perfectionem tenderent.

Conscriptionis hujus Regularum,
quaternas ipse S. Fundator rationes, in
regula, allegat. 1. Quia suavitas divinæ
Providentiæ ratio Creaturarum suarum
cooperationem exigit. 2. Quia Christi
Vicarius sic statuit. 3. Quia exempla
Sanctorum id docent. 4. Et ratio ipsa
persuadet, Causas hæc in præsentia de-

clarabimus, ut regularum necessitatem perspiciamus.

I.
Ratio scri-
bendi Re-
gulas.
Coopera-
tio Creatu-
rarum Deo
placet.

I. Ratio S. Patriarcham nostrum ad scribendas constitutiones impellens, est: *Quia suavis divina Providentia ratio Creaturarum suarum cooperationem exigit*: Idque non solum in naturalibus, verum etiam in supernaturalibus. Potest divinum Numen custodire civitatem, absque muro, vineam absque sepiamento, militem absque clypeo, vinum absque dolio; sed vult homines manum quoque admovere; eaque quæ ad defendenda conservandaque oppida, vineta, castra, vinea, necessaria sunt parare & conficere. Ita pariter poterat Deus populo Israëlítico sitibundo aquarum fontes præbere absque Moysis virga & petra percussione, sed hujus operam adhibere maluit; & per Moysen famulum suum, hoc & alia stupenda prodigia patrare decrevit: Non ab simili ratione poterat Deus Ordines religiosos sine regularum externarum adminiculis tueri & in flore conservare; sed noluit istud, sed Regulas à Fundatoribus exarandas statuit: & jure merito: nam

1. Quid est Regula, nisi antemurale, murum præceptorum Domini præmuniens, circum vallans & protegens? Ut exhortatione præliminari 5, prolixius declaravimus. De quo illud Isaïæ 26. jure dixeris: *Urbs fortitudinis nostra, Sion, Salvator; murus ponetur in ea & antemurale*: Scilicet murus præceptorum, & antemurale regularum: hoc antemurale, si in Urbe Societatis illesum steterit; stabit quoque murus mandatorum Domini; si vero illud immunitatis,

impunitatis, aut crebræ violationis rimas egerit; nec ipse Decalogi murus illæsus perdurabit: ut plurtum à Societate deficientium, & Apostatarum experientia, prò dolor! nimium comprobatur, qui per rupto fœdè antemurali, ipsum tandem murum dissiparunt. Propheta vaticinante: *Luxitque antemurale, & murus pariter dissipatus est*. Thren. 2.

2. Quid est Regula religiosa, nisi (ut loquitur Euthymius & Theophylactus in cap. 21. Matthæi;) sepes ac sepiamentum, quo Religio quæque per Fundatorem suum, tanquam vinea circumdatur? Quod exhortatione præliminari 6, fusius exposuimus. *Sepem circumdedit ei*, Matth. 21. *Ut instar vineæ, à ferarum incurso, & furum direptione munitur*. Hæc sepes, si absque laxitatum & exemptionum hiaribus integra, illæsaque servetur, florebit vinea nostra, dabitque odorem suum; si verò sepes ista conculcerur aut dissolvatur; quid nisi vineæ devastatio, expectabitur? *Qui dissipat sepem, mordebit eum coluber*. Eccli. c. 10. Scilicet coluber stygius, Serpens antiquus: Ne igitur mordeamur, ab angue tortuoso, necessaria est sepes Regularum, eaque in suo vigore conservanda.

3. Quid Regulæ sunt, nisi vincula? ut eruditè docet Gerson L. de vit. Spirit. Quibus terna vota religiosa continentur, colligantur & conservantur: quemadmodum vas lignore plenum, vinculis vimineis custoditur: His deficientibus dissolvitur, liquorque effluit. Regulæ vincula sunt, ait Hugo Victorinus, quibus coarctamur, trahimur, astringimur & retinemur, ne ad pristinam

nam sæculi libertatem, vanitatem & iniquitatem relabamur: quàm igitur necessarii sunt vasis circuli & vincula, tam conveniens est religioso ordini conservando Regula.

4. Quid sunt Regulæ, nisi scuta & clypei, quibus vitam spiritualem conservemus, & hostium nostrorum impetus, & ictus retundamus? Verè Societas nostra Turris Davidica est, de qua illud Canticoꝝ jure dixerimus c. 4. *Mille clypei pendent ex ea, & omnis armatura fortium*. Quàm ergo necessarius est militi clypeus, tam utilis est JESU Sociis in pugna assidua umbo Regularum: quem si abjicerimus, quò contra Mundum, Carnem, Dæmonemque, tantæ potentia ac ferocia hostes, nos inermes stabimus? quò nos defendemus?

5. Quid denique Regula nostra est, nisi Virga Moysis, quæ petra percussa aquæ fontem eiecit, mare divinum iter tutum efficit; hostilesque copias in profundum demergit. Hæc Virgâ mysticâ petram, Christum scilicet, tangimus, & mox in nos aquæ gratiarum profluant, vitæ præsentis, donum lacrymarum, devotio & consolatio spiritualis; *Quasunt aqua viva salientes in vitam æternam* Joan. 4. Hæc virgâ hujus sæculi nequam mare nobis aperit, compressis ejus fluctibus, transitum liberum præbet, submersoque Pharaone, hoste nostro insensissimo, in terram promissionis inducit. Hinc enim stygius Pharaõ, superbiâ tumidus, omnium superborum Princeps, cujus fastus crescit & ascendit semper, à nobis debellatur & sternitur, dum secundùm Regulæ præscriptum, in Humilitatis, Pœnitentia,

Obedientia & Charitatis opera incumbimus. Sine quibus devicti in servitutem ejus redigeremur. Ex quibus omnibus ad oculum elucescit, quanta sit regularum necessitas, quas suavis divina Providentia ratio à Fundatoribus exigit.

II. Altera ratio conscribendæ Regulæ à S. Ignatio allegata est, Pontificis oraculum & imperium; *Quia, inquit, Christi Dominus nostri Vicarius, sic statuit*, Mirum est, quantopere semper ab ore, Pontificis S. Fundator pependerit; ita ut non requireret mandatum; sed vel nutus ad promptè parendum sufficeret; & non voluntatem modò, sed & judicium suum eidem perfectè submitteret. Refert de eo P. Ribadeneira in vita l. 5. c. 4. Illum, dum Præpositum Generalem ageret, aliquoties edixisse; si summus Pontifex Imperaret, ut ostio Tyberino scapham, vel navigium quodcunque primùm invenisset, clavo, malo, velis, remis, cæterisque armamenti spoliatum conscenderet, & ita absque ullo comœatu mare trajiceret, se id non solum æquo; sed etiam libenti animo facturum. Tanta ejus erat voluntatis ac judicii submissio atque obedientia: Quid igitur mirum; si Christi Domini Vicario, regularum conscriptionem Societati necessariam esse censeret, eamque mandanti; ipse in eandem sententiam descenderet?

III. Ratio tertia, plurimum ejus animi promovens, fuit; aliorum Sanctorum Fundatorum exemplum: unde ait, *Quia Sanctorum exempla nos docent in Domino*. Nullum enim Ordinem est reperire, cujus vel Fundator, vel Pro-

II.
Ratio voluntas
Pontificis.

III.
Ratio, Exemplum Sanctorum.

motor Filios suos hoc Regularum munimine destituit. 1. Ordini Carmelitarum, primitivam Regulam à bonæ memoriæ Alberto Patriarcha Hierosolymitano præscriptam, & ab Innocentio Papa IV. anno 1245. 1. Septemb. confirmatam, asserit Clemens VIII. Pontifex in diplomate anno 1600. dato, teste P. Lancio opusc. 1. c. 19. 2. Ordini Clericorum seu Canonicorum Regularium, uti & Eremitarum S. Augustini: ipse S. Doctor auream planè Regulam præscripsit: ab Innocentio II. approbatam. Quam facilè quadraginta Ordines amplexi sunt, quos inter recensentur, Ordo Equitum Melitensium, Ordo Præmonstratensium, Ordo Ss. Trinitatis, Ordo S. Mariæ de Mercede, Ordo S. Dominici, Ordo Servorum S. Mariæ, Ordo S. Hieronymi. Ordo Jesuatorum, Ordo Ministrantium Infirmis, à B. Joanne Dei institutus, Ordo Clericorum Minorum institutus à R. P. Augustino Adornio Genuensi. 3. S. Basilii religio antiquissima, in Græcia primum, deinde in Italia, Russia & Lithuania amplissimè propagata, à S. Basilio certis legibus stabilita; quorum alias ipse Regulas fusiùs disputatas, & alias nuncupat breviores. 4. Sicut S. Basilium Oriens, sic S. Bændictum Occidens magnum vitæ Religiosæ propagatorem agnoscit, & hic suis Regulam peculiarem exaravit, quam S. Gregorius I. 2. Dial. c. 36. meritò appellat *discretione præcipuam, sermone luculentam* Quæ ab anno 520. vehementer propagari cœpit. Hanc Regulam sequitur quoque Ordo Cisterciensis. 5. S. Franciscus suis Fratribus, Deo revelante

conscripsit Regulam, & ne prolixior sim; meritò S. Ignatius se horum Sanctorum exemplis ad regulam conscribendam permotum asserit, atque ut illi eam suis, ita ipse illam Filiis suis necessariam esse judicavit.

IV. Ratio quarta est: Quod *Ratio ipsa* id persuadeat. Vix enim ulla fuit in mundo natio, quæ suas non teneret leges, secundum quas respublica universa dirigeretur. Primus in orbe legislator fuit Moles, seu potius Deus per Molen, Eum secuti, leges dedere Indis Gymnosophystæ, Ægyptiis Sacerdotes, Babylonii Chaldaei, Persis Magi, Gallis Druidæ, Locrensibus Zaleucus, Atheniensibus Solon, Lacedæmonis Lycurgus, Cretensibus Minos, Corinthiis Philo, Getis Zamolxis, Milesiis Hippodamus, Thebanis Philolaus, Carthagenensibus Phaleas. Apud Romanos primus P. Papirius regias leges in unum contulit; Deinde Appius Claudius Decemvit duodecim Tabularum leges conscripsit. Hos secuti Sempronius, Scipio Nasica, Q. Fabius, M. Cato & alii. Adeo ut penitus barbari meritò esse censeantur populi, legibus omnibus destituti: cujusmodi sunt Brasili, in lingua sua ternis literis F. L. R. carentes, idque appositè: nam carent, fide, lege, rege Teste Oforio, & Maffeo in Hist. Indica. Unde rectè Plato asseruit: *Necesse esse leges hominibus ponere, ut secundum eas vivant, alioquin nihil à feris discrepant. Causam esse, quòd nullius hominis ingenium ita naturà institutum sit, ut qua ad publicum humana vita commodum conferunt, sufficienter cognoscat, & si cognovit, ut optimum id, quòd novit,*

IV.
Ratio
ipsum di-
ctamen
Rationis.


semper

semper agere possit ac velit. Ita ipse. 4. de Legibus. Quemadmodum igitur in omni Republica, hæc tria necessaria sunt, Gubernator, bona voluntas populi & leges sive communes sive particulares: ita in Societate & quolibet ordine religioso necessarius est Gubernator, qui est Deus, cujus Vicarij sunt Superiores; necessaria est quoque lex interna, & gratia vocacionis, nos impellens, ut gubernari velimus; denique necessariae sunt Regulae externae, secundum quas dirigamus, ut omnes uno comuni, non quisque suo privato spiritu vivat & moveatur. Deinde recta ratio docet, atque evincit, si in omni arte tam liberali, quam illiberali, Regulae necessariae sint, ad quas opus artis exigatur; Si Regulae suas requirit ars statuaria, pictoria, architectonica, Grammatica, Poëtica, Rhetorica, Philosophia, Jurisprudentia, Theologia; quidni Regulae suas exigit scientia Spiritus, scientia Sanctorum, studium perfectionis, longè difficilior, sublimior & subtilior?

Quare, finio, Charissimi; & cum Regulae conscribendi necessitatem abundè perspexerimus; ejusmodi conclusionem formemus; Si Regulae necessario fuere scibendae ad perfectionem & salutem melius, faciliusque obtinendam; eaque pro nobis etiam sint conscriptae; nobis quoque ad praedictum finem sunt necessariae. Hoc autem murale; Decalo-

gi murum illæsum tutabitur, hæc spes Societatis vineam, & animam cujusque nostrum, ab incurfu ferarum, & peccatorum custodiet; hæc vincula efficiet, ut liquorem divinæ gratiæ, aquam salientem in vitam æternam contineamus & conservemus: hi clypei contra hostium impetus & ignita jacula defendent; hæc virga Moysis gratiarum fluenta è petra viva, largiter proluciet. E contra verò, si Regulae tanquam non necessariae, aut superfluae parvi ducamus, leviterque sæpius transiliamus, ingentia damna incumbent. Si hoc autem murale perforaveritis, ipse præceptorum divinorum murus tandem corruet; ut plures à Societate dimissi, ipsam experientiam didicere. Si hanc sepem destinxeritis aut conculcaveritis, mordebit vos coluber tortuosus: si hæc vincula ruperitis & votorum vincula tandem frangetis; si hos clypeos abscideritis, certo certius ab Hoste maligno, vibicos & vulnera referetis; Denique si hanc virgam combusseritis, aut fregeritis, nec aquas pœnitentiæ & lacrymarum, nec aquas devotionis & lacrymarum, nec aquas devotionis & solationum cum gaudio de petra viva haurietis, nec mare hujus mundi pede illæso transibitis, sed in periculo versabimini, ut vorricibus & fluctibus maris hujus procellosi, mundi inquam, hauriamini & absorbeamini.





EXHORTATIO IV.

IN REGULAM I. SUMMARI.

De Lege interna Charitatis.

T H E M A.

Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Rom. 5. 5.

VEL:

Interna Charitatis lex, quam Spiritus sanctus scribere & cordibus imprimere solet. Reg. 1.



Sciamus, quid sit Lex; nullo negotio perspicimus, quod sit Lex Charitatis. Lex ex mente Doctoris Angelici hic q. 80. a. 4. *Est ordinatio rationis, ad bonum commune, ab eo, qui curam habet communitatis promulgata. Aliis Lex est Actus voluntatis iusta & recta, quo Superior Inferiorem vult obligare ad hoc vel illud faciendum. Ita Arriaga post Suarez Disp. 1. c. 5. n. 24. Sic Dei Lex est, voluntas, quâ vult & præcipit: Honora Patrem. Non occides. Non furtum facies. Sic Lex Ecclesiæ est: Jejunium observa. Sacrum audi in Festo. Communica in Paschate. Sic Lex Regis*

aut Principis est, quâ aliquid subditis faciendum aut omittendum præscribit. Imaginari possumus Charitatem, tanquam Reginam quandam, suis subditis, in quibus regnat, Leges dantem; & omnibus ac singulis virtutibus quodammodo imperantem, quibus dat dictamina, ut in actum exeant, hoc vel illud agant aut omitant, quod in regulis præscribitur aut vetatur. Atque secundum hanc Legem vixere primævi Societatis nostræ Patres decennio, antequam Regulæ & Constitutiones à S. Ignatio conscriberentur & promulgarentur, eaque ad conservationem & gubernationem Societatis plus quàm ullæ externæ constitutiones, adjuvat.

Ut

Ut igitur hæc interna Charitatis Lex in nobis vigeat, eamque à Spiritu S. obtinere satagamus, si fortassè eà caremus, nonnulla Motiva indicabimus.

V.
Legem
internam
Charitatis
suadet
Charitas
Dei Pa-
tris.

I. Motivum primum desumere licet ex infinito, æternoque Domini Dei nostri, erga nos amore: si enim Divina Bonitas non lucri sui gratiâ; sed ex Lege Charitatis internâ, & amore immenso Societatem JESU, per famulum suum Ignatium condidit; nosque à mundo, ac æternæ damnationis periculo amanter eduxit, ad Societatem efficaciter pertraxit, & à pessimis Mundi Legibus seu Regulis liberavit; quæ & enarrat Sanctus Gregorius L. 10. Moral. c. 16. Sunt hæc: *Cor machinationibus tegere, sensum verbis velare, quæ falsa sunt, vera ostendere; quæ vera sunt, falsa demonstrare: Honorum culmina quarere; adeptâ temporalis gloria vanitate gaudere; irrogata ab aliis mala, multipliciùs reddere: cum vires suppetunt, nullis resistens cedere, cum virtutis possibilitas deest, quidquid expleve per malitiam non valent, hoc in pacifica bonitate simulare;* & hujusmodi aliarum innumerarum. Quod, inquam, nos ab hujusmodi perveris Legibus, Cœlestis Pater adeò benignè liberârit & ad sanctas Societatis JESU Regulas, sanctè servandas, paternè evocârît; volueritque ut non tantùm essent sui in nos amoris & benevolentie testimonia; verùm etiam funiculi Charitatis, & vincula amoris, quibus nos ad se pertraheret, pertractos astringeret, sibi que astrictos uniret; an non æquissimum est, ut nos quoque par pari referamus, amorem amore compensemus; & Regulas ex Charitate concessas, non ex

pœnæ metu, non ex humano respectu; sed ex Charitate observemus?

II. Motivum alterum suppeditat, eximius Christi Domini in Patrem & nos amor: Christus enim duas quodammodo habuit Regulas, seu Leges; alteram externam, internam alteram: externam innuit, in sermone post cœnam supremam habitò, Joan. 14. 31. *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio; Surgite eamus hinc.* Internam verò indicat eodem loco & eodem: *Ut cognoscat mundus, quia diligo Patrem.* Atque hac Lege interna Charitatis urgebatur ad agendum & patiendum pro nobis, tametsi nullum mandatum externum à Patre accepisset; ita ut absque eo ex solo erga Patrem, ejusque beneplacitum (nam, quæ placita sunt ei, facio semper, inquit Joan. 8. 29.) uti & erga nos mortales amore, ad terram, ad stabulum, ad passionem & mortem debens descendisset. Hæc si benè perpendamus, Charissimi an non æquum esse censebimus, ut tantæ Redemptionis nostræ dilectioni nos quoque respondeamus & beneplacitum ejus impleamus, regulasque ex Lege Charitatis, & reciproco erga Christum amore Regulas nostras observemus?

II.
Charitas
Dei Filii.

Imò si & alterum consideremus, quòd ipse Christus Dominus noster, aliquâ ratione servavit, Regulas nostras: quales sunt; de propria & aliena salute, & perfectione querenda; de indifferentia locorum, de crucis & contemptus ambitu, de mortificatione continua, de paupertate Evangelica, de castitate & obedientia; &c. Idque ex infinito erga nos amore; & ut nobis

in earum observatiōe, exemplo luculento præluceret; an non æquitati & charitati mutua consentaneum esse existimabimus, ut tamen leges externæ non extarent, nos tamen ex interna Charitatis Lege eas impleamus? & licet nulla præscripta esset, de meditatione, de surrectione statō tempore, de mortificatione, de examine, paupertate, charitate, zelo animarum &c. Regula, nos tamen prædicta, omni diligentia exequamur? hæc si præstemus fideliter, tam domi, quam foris, tam absente, quam præsentē Superiore, verè nobis dicere licebit cum Apostolo: *Charitas Christi urget nos.* 2. Cor. 5. 14.

III.
Charitas
Spiritus
sancti.

III. Tertium motivum suggerit, imensa Spiritus sancti Charitas: quo afflante, ut loquitur Julius III. Pontifex & Paulus III. in Bulla, quæ incipit: *Regimini*: & Spiritu sancto inspirante ut inquit Paulus V. in Bulla, *Quantum Religio*: Leges Societatis à S. Ignatio conditæ sunt. Si enim divini illius Spiritus charitas infinita, ex amore nostræ salutis æternæ, & perfectionis Religiosæ Regulas S. Patri nostro inspiravit; easque velut Scalas demisit: ut per eas ad perfectionem primò, ac deinde ad cælum conscenderemus an non par est, nos vicissim ex amore erga Spiritum sanctum, atque ex Lege Charitatis per illas alacriter ascendere?

Moveat igitur nos, Charissimi, hæc divina Charitas, nisi enim hæc nos impulerit, difficulter ad arduos virtutum actus in Regulis præscriptos eluctabimur. Urgeat nos Charitas Christi, ut in quacunque occasione sive apud domesticos, sive externos, sive adsit, sive

absit Superioris oculus, omni humano respectu superato, difficultatēque perruptā, regulis exactè nos conformemus. Impellat Spiritus sancti amor, & ab eo cordibus nostris inscripta Lex interna Charitatis; ut nunquam extraordinarias facultates, dispensationes, permissiones, exemptiones, immunitates, laxitates, superfluitates, commoditates, impunitates, tanquam regularum nostrarum labe, injurias, pestes, quæramus, aut admittamus: Sed hæc Lege internâ aurigante, in omnibus officiis, locis, occasionibus, conversationibus, missionibus, regulis exactè obsequamur: Hæc ratione, nos genuinos Societatis JESU Filios, esse ostendemus, & plurima scandala, aliavē minùs laudata vitæ exempla declinabimus.

IV. Exemplane desideratis, in quibus proprius iste Societatis nostræ Spiritus, Spiritus, inquam, non timoris, sed amoris, & Lex interna charitatis effulgeat? Aspiciat, Charissimi, primævos Societatis nostræ Patres ac Patriarchas, qui licet nondum leges nostræ conscriptæ essent, ea tamen præstabant quæ nunc Constitutiones scriptæ imperant, ex sola Lege interna Charitatis. Nondum illos obstringebat ullum votum recusandi Episcopatus & dignitates; nihilominus omnibus viribus, rejecerunt Episcopatum Tergestinum P. Claudius Jajus, Labacensem P. Jacobus Laynius, Viennensem P. Petrus Canisius; pariter P. Nicolaus Bobadilla Episcopali repugnans cathedræ, restatus est, se non ad amplitudinem & honorem; sed ad humilitatem, vitæque obscuram esse vocatum. Nullum

IV.
Exemplum
primæ
votum
Societatis.

deinde votum erat, nulla constitutio, ut Episcopus electus è Societate, consilium Patris Generalis Præpositi audiret; ultro tamen à Spiritu sancto edoctus Patriarcha Æthiopiæ Joannes Nunnius Barretus, ad hoc se obstrinxit: mox enim, ubi Patriarchatum coactus adiit, à S. Ignatio virum designari petiit (cùm ipsum ob locorum distantiam consulere nequiret) cujus consilia sequeretur. Tertio: S. Franciscus Xaverius multa ordinabat, faciebátque in India, scriptis nondum Regulis; eadem tamen erant, quæ S. Ignatius disponebat, agebátque in Europa; eodem quippe amoris Spiritu, eadem charitatis lege ducebantur. Quarto: Multa heroica facinora præstitere iidem primi nostri Patres, nunc in constitutionibus expressa, & nisi ipsi antè ea præstitissent, fortassis non exprimenda. Quinto: Nondum exaratae erant Regulæ in chartis, de propria alienaque salute & perfectione impensè quærenda: & quàm illi indefessè ea quærebant? Nondum condita erat lex, de indifferentia ad quævis Mundi loca: & quàm promptè illi ad quævis etiam remotissima, provolabant? Nondum erat Constitutio de mortificatione, paupertate, de hospitalibus, de mendicatione ostiatim instituenda, aliæque quàm plurimæ, & tamen quàm alacriter & fortiter hæc omnia non solum acceptabant, sed etiam ambiebant, & in deliciis reponebant, solâ docti, ductique lege internâ charitatis.

Magna igitur, ut cernimus, hujus legis, tum in directione, tum in executione regularum externarum vis est & efficacia; sine qua, illæ mortuæ quodam-

modo, & infructuosæ jacent; ut merito S. Fundator, legem hanc internam, potius ad conversationem & profectum Societatis, quàm ullas constitutiones externas, adjuturam, existimârit.

Quæ cùm ita sint, Dilectissimi, si genuino & primævo Patrum nostrorum Spiritu, regi desideratis: Si perfectionem seriò adipisci cupiatis; curandum vobis est, precibus, suspiriis, votis, studiis, & modis omnibus, ut, si nondum possideatis, à Spiritu sancto interna hæc Charitatis lex cordibus vestris profundè inscribatur: Hæc vos magis, quàm ullæ minæ aut pœnæ, ad observativam regularem, ac disciplinæ observantiam impellet: Hæc Regulæ externas in se, quodammodo mortuas in vobis animabit & vivificabit: Hæc suaviter movebit & excitabit, ut Instituti nostri formam obscuram, latentemque in chartis omnium oculis practicè exhibeatis: absque hac, actum est cum omni disciplina religiosa: legantur, quot mensibus Regulæ, dicentur culpæ & pœnæ, advigilent Superiores, constituantur Syndici, deferantur defectus notati, frustranea erunt omnia. Ausim dicere, absque hac, aut in Societate non perseverabitis, aut saltem desideratam perfectionem, nunquam acquiretis. Quare ô sancte Spiritus! ad te supplices convertimur; Tu Digitus paternæ dexteræ, rege nos, move nos, forma nos, anima nos, vivifica nos, & hanc internam charitatis legem, ad externarum observationem adeò necessariam, vel ab ipso Tyrocinio cordibus nostris tam altè insculpere dignare, ut in omni retro ætate, nullâ unquam ratione deleatur.



EXHORTATIO V.

IN REGULAM I. SUMMARI.

De necessaria Legis internæ & externæ conjunctione.

T H E M A.

In dextera ejus ignea Lex. Deut. 33.

Uem ad modum Lex vetus per Deum mothesam & Legislatorem supremum lata, duo requirebat; scilicet Legem timoris & Legem scriptam in tabulis. I. *Legem timoris*: Ideò enim Dominus in monte Sina Legem inter ignes & fulgetra tradidit, ad terrorem populo Hebræo inculcandum: Unde & dicitur ignea Lex: *Dominus in Sinai venit, & in dextera ejus ignea Lex. Deut. 33. 2. II. Legem scriptam in tabulis lapideis*: Sine quibus populus adèd numerosus regi nequivisset. Ideò enim Dei digito scripta, & Arce ad perpetuam memoriam imposita atque asservata fuit.

Deinde quemadmodum Lex nova per Christum Legislatorem nostrum data, duo postulat, Legem internam

Charitatis, & Legem conscriptam ab Apostolis & Evangelistis. 1. *Legem internam Charitatis*: quam promisit olim Deus per Jeremiam c. 31. *Hoc est Testamentum, quod disponam Domui Israel, post dies illos, dicit Dominus; dando Leges meas in mentem eorum, & in corde eorum perscribam eas.* De eadem Christus Dominus loquitur: *Lucæ c. 12. 49. Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi ut accendatur.* Et S. Paulus 2. Corinth. 3. *Epistola estis Christi, ministrata à nobis & scripta non atramento; sed Spiritu Dei vivi, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus.* 2. *Legem externam*: Quam ideo Deus conscribi in Evangelio voluit, & Spiritus Sanctus Scripturis sacris inspiravit.

Pari modo S. Fundator noster Regula. asserit nobis necessariam esse geminam Legem, internam & externam, quarum altera ab altera separari non debeat.

Quod

Quod præfenti exhortatione declarabimus.

I. Primum argumentum, quo conjunctionem Legis internæ Charitatis, cum externa Lege scripta, necessariam esse probamus, est, quod Lex interna sit quasi anima; Lex externa verò, quasi corpus. Sicut autem corpus humanum animæ conjunctum, visu, auditu, gressu, loquelâ, aliisque potentis & actibus pollere cernimus; ita separatum ab anima, vitæ expers, sine gressu, sine motu, sine loquela & operatione, trunci instar procumbere videmus. Haud absimili ratione, Lex externa, instar corporis inanimati obscura latebit in chartis, nec operantem movebit ad opus, si deficit anima, Lex scilicet interna Charitatis: quæ operatur omnia in omnibus.

Hæc omne onus suave, & jugum leve reddit. Unde verè Apostolus, 1. Timoth. 1. *Lex, ait, justo non est posita, sed injusto.* Justus enim, Gratiâ & Charitate præditus, onus Legis non sentit, & quasi Lex non esset, & absque hac ageret, quod nunc agit per Legem. Hæc verò sublatâ, Leges seu Regulæ, mortui corporis instar, graves admodum ac difficiles videntur. Silentium arduum, mortificatio amara, opera singula, conformia Regulæ, perquam molesta. Adde & restitue Charitatem, fiat conjunctio utriusque Legis, & mox omnia amara dulcescent, aspera planabuntur, gravia, molestaque alleviabuntur. Aspiciate Matres, quantas

molestias amore proliis subeunt: An non omnia amor faciliat? Aspiciate Mercatores, Milites, Aulicos, quam ardua tolerant? Sed an non omnia vincit amor? Haud aliter accidit in Religione. Si adsit Charitas, omnia sustinet, omnia perfert, omnia vincit.

II. Alterum argumentum priori affine, conjunctionis utriusque Legis necessitatem suadens est: quod de Constitutionibus ac Regulis nostris quodammodo asserere valeamus, id quod de sacris Literis edixit Apostolus, 2. Corinth. 3. 6. *Litera occidit, Spiritus autem vivificat.* *Litera*, id est Regula in chartis exarata Spiritu Charitatis non animata occidit, dum à peccatis, nec præservat, nec contra ea præmunit: *Spiritus autem vivificat*, dum vitam, vigorem, & alacritatem tribuit; & magnam propensionem atque inclinationem Religiosis communicat. Declarari id potest verbis prædicti Apostoli de se fatentis in Epistol. ad Roman. cap. 7. *Video autem legem in membris meis, repugnantem Legi mentis meæ & captivantem me in Lege peccati, qua est in membris meis.* Ubi insinuat, propensiones esse etiam Leges, & quidem, sicut propensio, quæ est in membris, movet, impellit, captivat, seu in captivitatem ducit peccati: Ita propensio voluntatis, amoris & charitatis, quam Spiritus S. visceribus nostris imprimit, potentissima Lex est, quæ ad omne bonum impellit, in captivitatem Dei pertrahit, & ad difficultates in via Dei occurrentes

II.

Lex externa, litera est, interna Spiritus.

generosè superandas inclinat & movet. *Fortis enim ut mors est dilectio.* Cant. 8. Necessariò igitur litera cum Spiritu conjungenda est, nec hæc ab illo separanda.

Sanè *Litera* hæc & *Spiritus*, seu *Regula* & *Charitas*, velut duo poli, aut axes sunt; quibus tota Societatis machina, in ordine suo, constanter volvitur: & in revolutione sua non exorbitat. *Litera* & *Spiritus* gemini oculi sunt, quibus purè Deum & proximum, illius gloriam, hujus salutem æternam respicimus, nec alter absque altero sufficit. *Litera* & *Spiritus* velut duæ rotæ sunt, quibus Societas innixa, gloriæ divinæ currum, per mundum trahit, quarum vel unâ sublatâ, eundem hæc & collabascere necesse est. *Litera* & *Spiritus* sunt veluti duæ Legis tabulæ, velut duo candelabra, in Domo Societatis lucentia, velut duæ alæ, quibus in montem perfectionis evolandum est: velut duo brachia, quibus animæ nostræ Sponsam amplectimur; dicimusque vicissim cum Sponsa: *Leva ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* *Litera* & *Spiritus*, velut duo luminaria magna sunt, ut præ sint dici prosperitatis & nocti adversitatis, nòsque in utraque ducant & illuminent; *Litera* ut Luna, *Spiritus* ut Sol, lunæ lumen & splendorem communicans. Denique *Litera* & *Spiritus* bina sunt scalæ cælestis sustentacula; & *Regulæ* veluti totidem gradus, sive per quos Patriarcha Jacob Angelos, sive per quos S. Romualdus Religiosos ascendentes & descendentes conspexit; ascendentes ad Deum per orationem & contemplationem;

descendentes ad proximum, per opera charitatis & misericordiæ.

Atque ex his omnibus, conjunctionis utriusque Legis elucescit necessitas: cum non minùs hæc, quàm prædicta omnia, magno cum detrimento sparantur.

III. Argumentum tertium desumitur ex medicina. Nam exterior *Regula* nostra, *Medicina* est, quâ morbi ex seculo in hanc Tyrociniî domum illati curantur: At vis sanativa & medicinali efficacia est *Lex* interna *Charitatis*. Reperiuntur in Apothecis nonnunquam capsulæ, & vasa pharmacis instructa; sed veteribus, obsoletis, & virtute privatis; similis his est *Regula* externa per se solam sumpta: illa pharmacum est; sed vi curativâ privatum. Junge Legem internam *Charitatis*, & perfectâ sanitate te beabit. Esto veneris in hanc Domum, tot morbis oppressus, ut in te cadat illud *Isaiæ* c. 1. 6. *Planta pedis, usque ad verticem non est in eo sanitas.* Caput labore vertigine superbiæ, manus & pedes arthritide acedix, os anhelitu fœtente sordidorum discursuum fœtore, cancrum geras in pectore, & dirum apostema in scorde; non terribor, non desperabo de sanitate, modò constanter utaris alexipharmaco *Regulæ* externæ, cum *Lege* *Charitatis* internæ conjuncto.

Tamet si venias ad hoc Tyrociniû variis vulneribus sauciatus, & ita quidem; ut meritò *Isaias* te, ut olim gentem suam, deplorat, dicens: *Vulnus & livor & plaga tumens*: l. c. Sit vulneratum caput, sit vulnus in brachiis & pedibus, sit plaga etiam in visceribus &

III.
Lex externa medicina, interna vis sanativa.

IV.
Lex externa de bilis, interna robusta.

Prædicta: Nos
animam de sal
gari puritat
der: Falsus
et non in or cu
cine, nec
sanitatis,
plant Prop
tore Tract
c. 1. in
mandis,
in promiss
notare tu
naked
non hie
Lex est
vulner
plaga
circu
gula
IV.
petit
lit &
terna
ruinam
datis
flectere
is, quol
can & di
externa
Lex interna
pulum ac
excerta vi
robis est
quo, reit
externa cly
impenetrabi
ritati, sine
vulnere.

præ-

præcordis: Non timebo, non abjiciam
 animam de salute tua; modò circumli-
 gari te patiaris; Et non in te non qua-
 dret: *Vulnus & liyor & plaga tumens;*
& non es circumligata, nec curata medi-
 camine, nec fora oleo. Quænam verò
 sunt fasciæ, quarum defectum adeò de-
 plorat Propheta; Richardus de S. Vi-
 ctore Tract. 3. p. 1. de statu inter Hom.
 c. 1. ait: *Intelligamus autem ligamina in*
mandatis, curamenta in minis, fomenta
 in promissis. Mandata nostra, Regulæ
 nostræ sunt; quæ offerunt nobis ligami-
 na; sed vis constringendi & ligandi, ut
 non hient amplius, sed coëant vulnera;
 Lex est internæ Charitatis: Non terreor
 vulneribus tuis: Sis vulnus unum &
 plaga tumens per totum; sed si non sis
 circumligatus; si negligas fasciam Re-
 gulæ, tunc perhorresco.

IV.

Lex ex-
 terna de-
 bilis, in-
 terna ro-
 busta.

IV. Argumentum quartum ex eo
 petitur, quòd Lex interna externæ vis
 sit & efficacia. Etenim 1. Si Lex ex-
 terna, ut, superiore exhortatione me-
 minimus, sepes est, Societatem circum-
 dans & protegens, hujus fulcrum & su-
 stentaculum est Lex interna Charita-
 tis, quo sublato, sepe omnem concul-
 cari & dissipari necesse est. 2. Si Lex
 externa autemurale est, ejus calx est
 Lex interna Charitatis, sine qua in la-
 pidum acervum resolvitur. 3. Si Lex
 externa vinculum est, hujus nervus, &
 robor est Lex interna Charitatis, sine
 quo, veluti festuca rumpitur. 4. Si Lex
 externa clypeus est, ejus soliditas &
 impenetrabilitas est Lex interna Cha-
 ritatis, sine quâ, ceræ mollis instar per-
 tunditur. 5. Si Lex externa nostrum

est quasi deuteronomium, ejus vis &
 energia est, Lex interna Charitatis, si-
 ne quâ, facile transilitur & contemni-
 tur. 6. Si Lex externa Virga Moybis
 est, ejus potestas & vis operatoria, est
 Lex interna Charitatis, sine qua signum
 nullum editur. 7. Si denique Lex ex-
 terna est columna nubis & ignis, diu
 noctuque nos dirigens ad terram pro-
 missionis, nubis hujus & ignis, candor,
 ardor & lux, Lex est interna Charita-
 tis, sine quâ hæretur in tenebris, nec in
 via perfectionis, nec in itinere ad cœle-
 stem promissionis terram procedi-
 tur.

Quapropter, Charissimi, cum nec
 Lex interna absque externa, nec hæc
 absque illa nobis sufficiat, ut ostendi-
 mus, apud utramque copulemus, utram-
 que amemus, utramque custodiamus.
 1. Utramque tanquam corpus & ani-
 mam, omne onus leve reddentem, oni-
 nia operantem conjungamus, nec alte-
 ram ab altera separemus. 2. Utramque
 tanquam literam & Spiritum, Regu-
 lam cum Charitate, vinculo indissolu-
 bili connectamus, veluti duos polos, bi-
 nos oculos, geminas rotas, duas tabulas,
 duo candelabra, duo luminaria, duo
 scalæ cœlestis seu perfectionis sustenta-
 cula, per quæ ad Deum scalæ innixum
 ascendamus. 3. Utramque tanquam a-
 nimæ medicinam in morbis, tanquam
 fasciam & ligaturam in vulneribus, pro
 sanitatis recuperatione adhibeamus.
 4. Utramque tanquam sepe firmam,
 tanquam autemurale munitum, tan-
 quam vinculum robustum, tanquam
 clypeum impenetrabilem, tanquam
 Deu-

Deuteronomium, Virgam Moysis, columnam Nubis & Ignis, conseruimus & sequamur: Illa enim nos ducet, illa lumen affundet, perfectionis obstacula deteger, devia ostendet, concordēs reddet, atque indi-

vilos contra Adversarios defendet ac denique in cœlestem promissionis terram, lacte & melle divino manantem feliciter introducet.



REGULA II. SUMMARI.
DE FINE SOCIETATIS.

EXHORTATIO I.

IN EANDEM REGULAM.

De fine Societatis JESU.

T H E M A.

Nunc verò liberati à peccato, serui autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem; finem verò vitam æternam. Rom. 6, 22.

V E L:

Finis hujus Societatis est, &c. Reg. 2. Summ.



OMNIA finem suum appetunt: quædam in eum naturæ instinctu feruntur, ac moventur quædam prævisâ cognitione finis, motu & actione liberâ, in eum tendunt. Res animâ carentes, & animantia cætera, ip-

so naturæ pondere, aut instinctu in fines suos, moderante Authore naturæ, feruntur, & nunquam omninò aberrant: Homines verò, prævisâ cognitione seiplos in finem suum movent: Sed hoc vel maximè est dolendum, feras animantes, cæteraque Conditoris opera, nunquam à fine suo aberrare; Homines verò, ratione eminentes, ita à fine suo plerumque deflectere, & res inanissimas sectari;

sectari; ut juraveris, illos finem suum nec cognoscere, nec desiderare: Alios enim videas divitiis cumulandis, alios honoribus adipiscendis, alios voluptatibus & deliciis aucupandis ita, totâ vitâ, distentos, tanquam si in iis, finis eorum, beatitudo, atque omne bonum, positum collocatumque foret: cum tamen certum sit, illos, qui finem suum, beatitudinem scilicet æternam non intendunt, & non assequuntur, in omnibus actum agere, nullam quietem, aut satietatem reperire, æternum abjectos, destitutos, tortos, inquietos, perditos, ac desperatos esse; à felicitate Beatorum excludendos, ac tyrannicæ Dæmonum potestati subjiciendos, quod milienis accidit, qui mundum hunc ingrediuntur, & per mortem egrediuntur, ac totâ vitâ, nunquam cognoscunt, quem in finem conditi, mundumque ingressi fuerint.

Ne & nostum creationis, tum propriæ vocationis nostræ finis lateret, eum S. Ignatius Regula 2. nobis proposuit: nimirum *Salutem & perfectionem propriam, & alienam*: Quem finem ut meliùs cognoscamus, pluris æstimemus, & studiosiùs in eum feramur, præsentis exhortatione, eundem declarabimus.

I. Postquam divina Bonitas, nos à gravioribus delictis sæcularibus liberavit & in religiosum Ordinem, tanquam servos suos adscivit: habemus fructum nostrum (justitiæ & servitiû divini) in sanctificationem, salutem, perfectionem. Atque hic est finis noster in hac vita: Salus, Sanitas, Justitia, Perfectio, & Sanctimonia: quæ ex Analogia sanitatis corporis, (quæ & salus dicitur, ut

dum sternutanti, aut bibenti, salus operatur nullo negotio cognoscitur. Tunc enim homini sua constat sanitas & salus, si temperamentum bonum, complexio humorum moderata, membra integra, partes illæsæ; munia & officia sua naturalia, ut edere, bibere, dormire, laborare, &c. rectè ac liberè exercere valeant. Pari ratione & animæ sua inest salus, quando, domitis passionibus vitiiisque subactis; temperamento est bono, potentiis integris & ad operationes spirituales, (quales sunt, preces fundere, Deum cognoscere, diligere, laudare, Sacramenta suscipere, &c.) expeditis. Secundùm illud Eccli. 30. *Salus animæ est, in sanctitate Justitiæ, & melior est auro & argenteo.* Atque ut in valetudine corporis, variû dantur gradus, dum alii sunt robusti, alii mediocres, alii debiles; ita etiam in Spiritu & gratia.

At in quo hæc animæ salus, sanitas robusta, & perfectio, (ad quam, ex præfente Regula, tum nobis, tum proximis procurandam incumbere impensè debemus,) consistit? An in longis, prolixisque orationibus? An in largis Elemosynis? An in rigidis jejuniis, aut aliis corporis castigationibus? Nequaquam sanè; hæc enim non solum reperiri possunt in imperfectis, sed etiam in Pharisæis & peccatoribus. Num igitur in paupertate & contemptu divitiarum? Minimè; quis enim Diogene in vase, loco Domûs, habitante, & Bianthe, aurum suum onine, in mare projiciente, pauperior? Nec tamen perfectionem assueti fuère. Nec ipsimet Novitiû Religiosi, tametsi omnia relin-

quant,

I.
Finis no-
ster in hac
vita salus
& perfe-
ctio.

quant, hoc ipso perfectione beantur: in his paupertas est perfectionis initium, non finis: inchoatio, non consummatio. In quo igitur ea animæ salus & huius vitæ perfectio ac sanctificatio sita est?

S. Dionysius Areopagita L. De divin. Nomin. c. 12. ait: *Sanctitas est omni scelere libera, omnino perfecta, & omni ex parte immaculata puritas.* Quæ hæc tria complectitur: 1. *Puritatem animæ*, ut ea à peccatis, vitiis, passionibus, & pravis habitibus libera & immunis sit. 2. *Soliditatem virtutum*, Humilitatis, Patientiæ, obedientiæ, Resignationis, &c. 3. *Consummationem charitatis.* Ut nimirum anima, ope divinæ gratiæ adjuvata, eò perveniat; ut summum amoris gradum, qui in hac mortalitate obtineri potest, ascendat: Summum dico, non intensivè, cum Charitas in hac vita semper crescere & intendi queat; sed summum, ratione modi diligendi, dum scilicet Deum super omnia, & omnia in ipso & propter ipsum duntaxat diligentes, ipsi, quantum vitæ huius fragilitas permittit, cogitatione, affectu, & operatione inhæremus. De ejusmodi anima, dici potest illud, Psal. 44. *Astitit Regina (vitiis & passionibus dominans, à dextris tuis, in vestitu deaurato: (Charitatis) circumdata varietate, (virtutum)*

Hæc igitur est salus & sanitas animæ in hac vita, hæc est perfectio, quam nobis aliisque procurare debemus: Hæc est nobilissima optatissimæque Justitia, cujus fructus est sanctificatio, ad quam aspirare toto corde debemus: Hæc est omni ex parte immaculata pu-

ritas, in qua quidquid desiderabile à nobis est, eminenter reperimus, omnesque concupiscendi rationes, ac boni utilis, jucundi, & honesti illecebras deprehendimus. Si enim Theaurum utilem desideramus; perfectio est ejusmodi Theaurus: nam *Simile est regnum Cælorum Theauro abscondito in agro.* Matth. 3. Si manna ad gustum & voluptatem appetimus; perfectio Manna est: *Vincenti dabo Manna absconditum.* Apoc. 2. Si honorem, dignitatem, & regnum ambimus; perfectio est regnum Dei, quod intra nos est, & quod indes à Patre cœlesti postulamus: *Adveniat regnum tuum.* O Theaurus absconditus! ô Manna absconditum! ô regnum absconditum, non solum sæcularibus; sed etiam multis Religiosis! Et tamen Theaurus, Manna, Regnum, omnibus mundi theauris, deliciis, & regnis, infinitè præstantius: de ea enim, sub sapientiæ nomine, afferit Sapiens *Theaurus infinitus est hominibus.* Sap. 7. Adquam, in altera vita, theauri, deliciæ, regna sine fine in omnem æternitatem duratura subsequuntur.

II. Altera pars, seu alter finis, quem vi huius Regulæ, nobis aliisque procurare oportet, est vita æterna; *Finem verò vitam æternam:* id est, æterna corporis, animæque beatitudo obtinenda in cœlesti Patria. Verùm ut clariùs hunc finem nobilissimum cognoscamus, pluris æstimemus, & totis viribus ad eum obtinendum contendamus; quid est *Vita æterna?* 1. Est expultrix ac fugatrix mortis temporalis & æternæ, quæ stipendium & supplicium peccati

II.
finis in
altera vi-
ta, beati-
tudo æ-
terna.

peccati est. 2. Est vita vitalis & perfecta, quæ animalis, quæ humana, quæ Angelica, quæ divina est, omnibus boni radix. Vivit ibi memoria, recordatione omnium præteritorum: vivit ibi intellectus, cognitione & visione Dei: vivit ibi voluntas, fruitione omnis boni: vivunt ibi appetitus concupiscibilis & irascibilis, & sensus omnes, suisque fruuntur deliciis: Verbo includit hæc vita omnes delicias, opes, honores, & omnium vitarum, sensuum, potentiarum oblectationes. Vitam hanc pulchrè describit S. Augustinus L. 22. de Civ. Dei c. 30. *Quanta, inquit, erit ibi felicitas, ubi nullum erit malum, nullum latebit bonum, varabitur Dei laudibus, qui erit omnia in omnibus Beati qui habitant in Domina, Domine, in secula seculorum laudabunt Te.* Deinde præmium Beatorum essentiale exponit. *Premium virtutis erit ipse, qui virtutem dedit, & qui seipsum, quo melius aut magis nihil possit esse, promisit: quid enim est aliud, quod per Prophetam dixit: Ego illorum Deus, & ipsierunt mihi plebs: ego ero quæcunque ab omnibus honestè desiderantur, & vita, & salus, & victus, & copia, & gloria, & honor, & pax, & omnia bona: sic enim & illud rectè intelligitur, erit Deus omnia in omnibus, ipse finis erit desideriorum nostrorum.*

Deinde erit vita hæc, non mille annorum, non mille millionum annorum, sed æterna: æterna enim esse debet, ut sit beata. Teste S. Augustino l. 83. quæst. 35. *Quid enim est, ait, aliud beatè vivere, nisi æternum aliquid cognoscendo habere? Quocirca ea demum vita beata, quæ æterna est: Quid verò æternum est, &*

quod æternitate animum afficit, nisi Deus? Unde Christus ait Joan. 17. Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti IESUM Christum. Quid verò est æternitas? Est duratio semper præsens, est unum perpetuum hodie, quod non transit in præteritum & futurum. Quid est æternitas? *Est æternum ævorum*, ait S. Dionysius de Divin. Nom. c. 10. *quod non interit, sed eodem modo semper se habet.* Quid est æternitas? est stabilis immutabilitas & immortalitas. Quam diu durabit æternitas? Semper: post mille annos post centum millia annorum, post mille milliones annorum, necdum finis, necdum medium, necdum principium æternitatis; sed ejus mensura est semper: quam diu durabit semper, tam diu durabit æternitas. Quam diu Cælum erit Cælum, quam diu Terra erit Terra, quam diu Deus erit Deus, tam diu durabit æternitas, tam diu Beati erunt Beati; sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Hæc ergo est vitæ beatæ æternitas, quæ ut ait Boëtius L. 5. de Consol. Prosa 5. *Est interminabilis vita, tota simul & perfecta possessio. O chara veritas!* inquit Sanctus Augustinus, *vera æternitas, æterna felicitas, Deus meus!*


Videtis, Charissimi, quam sublimem & præstantem Societas nostra sibi finem præfixum habeat, ad quem toto conatu tendere & aspirare debemus. Hic finis fuit, ad quem Christus Dominus noster è cælo in terras descendit; ut mundum salvificet: *Ego veni, ut vitam habeant, & abundantius habeant.* Joan. 10. Vitam gratiæ & gloriæ, vitam

tam æternam. Hic est finis ad quem à Christo vocati & missi sunt Apostoli; *Sicut misit me vivens Pater & ego mitto vos: Ite in mundum universum & predicate Evangelium omni Creatura; qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit: Et habebit finem, vitam æternam. Hic finis quoque nobis propositus est & præfixus: Attende tibi & Doctrina, inste in illis, hoc enim faciens, & te ipsum saluum facies, & qui te audiunt. 1. Tim. 4. 16.* Hic finis duplex sibi quodammodo subordinatus est, & mutuo alterum alter adjuvat, nec tantum accidentaliter sibi copulatur, sed potius ex natura hujus nostri Instituti, ita cohæret, ut ambo se mutuo pervadant, afficiant, modificent & promoveant: Nam salus, perfectio propria, mirifice promovet alienam, atque ad eam necessaria est: studium salutis & perfectionis alienæ, incrementum est propriae.

Quapropter Dilectissimi: cum jam nobilissimum finem nostrum, scilicet salutem propriam & alienam, cognoverimus, ejusque præstantiam, nobilitatem & sublimitatem perspexerimus; maximi illum semper faciamus & ad eum viribus totis contendamus. Primò salutem animæ nostræ & perfectionem

propriam, tanquam thesaurum incomparabilem, Manna suavissimum, regnum animæ nobilissimum. Deinde alienam; ut tam nos, quam alios plurimos ad felicem æternitatem, ac vitam beatam perducere allaboremus. Hic est denarius, quem in vinea Domini laborando, toto vitæ nostræ die, acquirere nobis aliisque satagimus. Hæc est merces nostra copiosa in Cœlis: Hæc est Corona gloriæ, quæ post bonum certamen nobis est reposita. Ad hunc finem, parentes, patriam, amicos, & omnia reliquimus; ad hunc finem, mundum & omnia, quæ in mundo possidebamus, aut sperare poteramus, deseruimus: ad hunc finem è mundi diluvio ad Religionis arcam confugimus: quare omnem industriam, conatumque adhibeamus: ut liberati à peccato, servi autem facti Deo, fructum nostrum habeamus in sanctificationem, finem verò vitam æternam; id est, ut tandem ad claram Dei optimi maximi, visionem, amorem, fruitionem, in quo consistit æterna beatitudo & salus, cum plurimis aliis, feliciter elucemur.





EXHORTATIO II. IN REGULAM II. SUMMARI.

De fine & mediis Societatis.

T H E M A.

*Habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem
verò vitam aeternam.*

Providentia divina, & Sapientia aeterna, omnia in numero, pondere & mensura ordinat, atque attingens, à fine usque ad finem fortiter, disponit omnia suaviter, cuilibet Creaturae suae, ad finem praefixum, media apta ac proportionata attribuens. Si à natura ordiamur, avi, quam sapienter, ad volandum alas, pennasque concessit, & pisci pinnas ad natandum? Ardeae pedes oblongos & rostrum ad captandum pisces ex aqua in pabulum? Ciconiae pedes teretes & rostrum prolixum, ad ambulandum per gramen & arripiendam ranam lacertaeve in nutrimentum?

Lepori celeritatem ad fugiendum, cani venatico vim odorandi, & currendi ad insequendum? Bovi cornua, Leoni ungues, caeterisque animantibus arma ad sese tuendum? Homini cerebrum & alia instrumenta ad intelligendum? Quod si ab his ad supernaturalia ascendamus; homini non minus de mediis supernaturalibus, ad finem suum convenientibus, provisum esse animadvertemus: De Sacramentis scilicet, aliisque salutis aeternae adminiculis. Idem videre licet, in Ordinibus Religiosis, quorum singulis, ut inductione patet, fini suo consentanea media est elargita divina Providentia; atque hos inter etiam minimae Societati nostrae, quam sicut ad finem praestantissimum procurandae salutis & perfectionis propriae & alienae, instituit; ita conven-

nientissima eidem media attribuit: quod præsentî exhortatione declarabimus, qui, mediis præclarissimis tam benignè liberalitèrque à Deo concessis, ad finem nobilissimum consequendum strenuè utamur.

I.
Finis &
media
perfectionis
propriæ.

I. Quemadmodum finis est duplex, salus & perfectio propria; ac deinde aliena; ita duplicis quoque generis sunt media, ad duplicem finem subservientia. Intueamur primo loco primam finis nostri partem, eidemque correspondentia media, & Dei providentiam admirabimur. Saluti suæ vacare, & beatitudinem æternam quærere, omnes tenentur, sæculares, & peccatores, imò & Hæretici & Pagani. Omnium hæc est obligatio. Istud autem magis proprium est nostræ professionis ad perfectionem aspirare: hoc peculiare volumus, aut debuimus velle, cum Religiosi statûs iugo collum submisimus, cum secunda Christi vestigia insequi decrevimus, cum Angelicæ vitæ amore, arctissimis nos utro constrinximus vinculis: hoc perfectionis bonum appetivimus, hoc elegimus, quæsimus. Equidem quamvis certus essem de mea salute in sæculo, ex divina aliqua & evidenti Dei revelatione, nihilominus ad Religionem advolare, nec unâ nocte in sæculo manerem, hunc perfectionis thesaurum quæsiturus. Hoc cæleste Manna gustaturus, hanc in valle lacrymarum beatitudinem prærepturus, & Regnum Cælorum in terris possessurus: Licet enim nullum periculum damnationis esset, licet nullus teter inferni carcer exstaret, nulla obstaret purgatorii mora, imò licet nullum Cælum præ-

paratum esset, post hanc vitam, nulla gloria æterna promissa, nulla bonorum operum retributio expectanda, à liberalissimo JESU; imò licet ipse dulcis JESUS, pro nobis à Cruce suspensus non esset, nec cælestis vitæ formam tuo exemplo tradidisset, per se est desiderabilis, & amabilis & quærenda perfectio vitæ, non utcumque, sed avidè & vehementer. quod Apostolus insinuat, dum ad Hebr. c. 6. ait: *ad perfectiora feramur*, non dixit *eamus*, sed *feramur*, hoc est rapiamur, impetu prorueamus, quasi aliena & supercælesti vi acti; & media ad id oportuna promptè, alacriterque ac constantèr adhibeamus.

At quænam media Religioso Societatis sunt adhibenda, ut tam ingens perfectionis bonum assequatur? Respondeo 1. Adhibeat necesse est media Christianis omnibus communia: qualia sunt observatio præceptorum omnium, usus virtutum Theologicarum & Moralium, sine quo Charitas observari nequit. 2. Ulurpet media Religionibus omnibus communia, ad perfectionem Charitatis obtinendam utilissima: ut sunt vota essentialia, internus Dei cultus, per orationes, meditationes, lectiones, & alia Religionis opera: Item actus pertinentes ad corporis castigationem, ad perfectam sui abnegationem, & mundi renuntiationem plurimum conducentes. 3. Societatis Religiosus utatur mediis, nostro Ordini, quodammodo magis propriis & quidem primò illis, quæ ad internam animi devotionem, puritatem, familiaritatem & unionem cum Deo pertinent: ex quibus fons & origo

origo totius incrementi Spiritualis dependet. Ejusmodi sunt : meditatio horaria quotidiana , oratio , contemplatio & lectio , bina indies , Conscientiæ discussio , frequens & valde circumspectus Sacramenti pœnitentiæ usus : accurata de rebus Spiritualibus institutio : frequens de rebus hîcè consultatio , & propriæ Conscientiæ , tam cum Superioribus , quàm cum aliis Præfectis Spiritûs communicatio. Peculiaris exercitiorum Spiritualium usus , non solum in ipso ingressu , sed perpetuò singulis annis , Exhortationum Spiritualium frequentia , familiaria de divinis colloquia. Secundò , alia sunt media , quæ ad veram sui abnegationem , & affectûs mortificationem adhibentur : qualia censentur : continuam , quoad fieri potest , in rebus omnibus mortificationem quærere : munia , in quibus Humilitas & Charitas maximè exercetur , crebrò obire ; portas sensuum quàm diligentissimè custodire ; honorum & dignitatum tum in Societate , tum extra , viam specialis voti obligatione , præcludere ; Præsidum omnium , excepto Generali , electiones , ad ambitionem & discordiam tollendam , uni Generali reservare : ex quibus in Societate pax , concordia , animorum unio , & Charitas fraterna oritur ; quàm totis viribus inter suos Societas procurat

Quàm convenientia sunt ista media , Charissimi , ad perfectionem omnimodam consequendam ? Quàm potentia & efficacia ? Si igitur perfectionem , quæ salus , & pulchritudo , & felicitas est animæ , consequi desideretis , il-

la strenuè adhibere , & voti compotes evaderis.

II. Altera pars finis , quæ perfectionem spectat proximum , cum quoque nobilissima sit ; consentanea quoque media requirit. Quantæ sit excellentiæ procurare salutem & perfectionem hominum , testatur S. Dionysius Areopagita de cœlest. Hierarch. c. 9. ubi docet : *Divinorum omnium divinisimum esse cooperari ad salutem animarum.* Secundum illud Apostoli 1. Corinth. 3. *Dei adiutores sumus.* Ex quo rectè inferit R. P. Franciscus Suarez Tom. 4. de Relig. Tract. 10. L. 1. c. 6. Finem illum esse supremum omnium , qui possunt esse in aliquo statu Ecclesiæ : est enim finis Apostolorum à Christo Dominò eis præfixus : est finis Episcoporum & Præfulum Ecclesiæ , quorum est , ut ait S. Dionysius , *Alios purgare , illuminare , perficere* : Idem eleganter tradit S. Gregorius Nazianzenus Orat. 1. Episcopis non solum tribuens perfectionem propriam tanquam illis propriè debitam , his verbis : *Antistitis vitium est , non quàm optimum esse , ac novas subinde virtutum accessiones facere ; siquidem virtutis suæ præstantiâ multitudinem ad mediocritatem tracturus sit* : Sed etiam de fine alios perficiendi ita disserit : *Huic scopus est , anima (proximi) pennas dare ac mudo eam eripere , Deòque dare divinamque imaginem , aut manentem conservare , aut perclitantes sulcare , aut dilapsam in pristinum statum revocare.* Hic denique est finis ut idem Sanctus Doctor scribit : & scopus totius divinæ providentiæ erga homines , & Incarnationis Christi , omniumque laborum ejus

Idem

II.
Finis &
media
perfectionis
ais aliorum
cœ.

Idem autem ille finis, scopus quoque est Societatis nostræ, licet aliter ad Episcopos, aliter ad Clericos Religiosos pertineat: illis siquidem per se & principaliter; his solum ministerialiter, ut loquitur Suarez, & delegatè, ac in subsidium Episcoporum, convenit.

Quænam verò fini huic adeò excellenti ac divino, media Filiis suis, Societas suppeditat? varia ac multa, eaque præstantissima, atque utilissima: In his numerantur omnia ministeria sacra, quæ ad purgandos, illuminandos, & perficiendo s alios plurimum conducunt: inter quæ locum principem obtinet Sacramentorum administratio, præsertim Exhomologeseos & Eucharistiæ, quæ Instituti nostri maximè est propria, ut ex Bullis Pauli III. & Julii III. & Gregorii XIII. & ex forma Instituti, atque ex omnibus Constitutionibus notum, perspectumque est. Deinde huc spectat, Sacrificia Missæ, pro infidelium, Hæreticorum & Peccatorum conversione offerre: Verbum Dei prædicare: Catechesin rudibus ac pueris exponere: Exercitia Spiritualia S. Ignatii tradere: Sodalitia varia erigere: decedentes ad mortem sanctam disponere: missiones inter fideles & infideles obire, etiã in remotissimas Orbis partes, & barbaras nationes, votòque se ad id adstringere, ac peregrinari, etiã absque viatico, ex Eleemosynis, si necesse sit, vivendo; Denique Theologicas, Philosophicas, aliãque scientias subtiliores tradere, humaniores literas cum pietate juventutem edocere; Libris editis doctrinam variã com-

municare; atque ita omnibus Orbis Christiani statibus, tam Ecclesiasticis & Religiosis, quàm sæcularibus subiecta & instrumenta apta præparare, quibus ad Dei gloriam majorem utantur & conserventur, nullum aliud emolumentum, nisi salutem animarum inde expectando: quemadmodum Sanctus Ignatius in Constitutionibus suis frequenter repetit.

Media hæc tam præclara, Charissimi, toto vitæ cursu, pro capacitate nostra, non sunt negligenda; sunt quidem uni ex vobis plura, alii pauciora à Deo talenta concedita; adeoque unus altero majorem his mediis fructum referre poterit; nullus tamen est ex vobis qui suo tempore, hoc illòve medio, non valebit, animas complures Deo lucrari, & ipsius gloriam plurimum propagare; modò dicta media strenuè voluerit usurpare: Hunc igitur animum, hoc propositum concipiamus, in Tyrocinio nos pro viribus aptemus, atque eum in finem gratiam divinam ferventer indies imploremus.

III. Videor autem mihi audire, nonnullos admirantes & nobis objicientes, qui fieri queat, ut tam multa actio, quàm Societas proficetur, cum perfecta contemplatione conjungatur? Licet enim activa vita & contemplativa, ambæ sint sanctæ & sorores, nec sibi contrariæ, ex ea tamen parte, quæ una requirit otium, alia negotium, non videntur simul esse posse in magna ac per se intenta perfectione: Ut enim argumentatur D. Thomas 2. 2. quæst. 182. a. 3. Cùm humana capaci-

III.
Vite active & contemplative conjunctio.

tas,

tas, valdè sit limitata, non potest simul incendere contemplationi summæ veritatis, & amoris ac dulcedini ejus, & operibus misericordiæ erga proximos.

Sed respondemus ex P. Suarez Tom. 4. de Relig. L. 1. c. 7. Primò hoc non esse impossibile cum divina gratia: & quamvis id difficile videatur, perfectam tamen virtutem circa difficile versari: atque ita difficultatem illam per Religionis providentiam, & perfectam institutionem, cum vocationis gratia posse superari. Nam, 1. Societatis Providentia est singularis, quæ à Deo singularia obtinuit media & methodos orandi, meditandi & contemplandi, & sollicita est, ut Filiis suis in instructione & educatione desit nihil. 2. Institutio Sociorum, præsertim in Tyrocínio, biennio est singularis: Nam in 3. p. Const. c. 1. §. 10. S. Fundator, valdè commendat: Ut doceantur, ab illusionibus Dæmonis in Spiritualibus exercitiis sibi cavere: veris solidisque virtutibus insistere, si plures adsint consolationes spirituales, si pauciores. Deinde major Tyrocinii pars exercitiis vitæ contemplativæ impenditur: Et Tyrones in rebus spiritualibus instituuntur, idèd primum experimentum Novitiorum est: *In spiritualibus exercitiis mensem unum, plus minusve versari, in examinanda conscientia, & antea facta vita recogitanda & Confessione generali faciendâ, ac peccatorum suorum meditatione, tum in contemplatione mysteriorum vitæ Christi: tum etiam in Oratione mentali & vocali, juxta cujusque captum sese exercere.* Exam. c. 4. §. 10. Postea verò in decursu

probationis, in spiritualibus illis exercitiis maximè instruuntur, quæ pertinent ad usum Sacramentorum Confessionis & Communionis, docentur audire Missam, in ea ministrare, modus etiam legendi, meditandi, & orandi cum fructu ostenditur: & idèd p. 3. Constit. c. 1. §. 10. providetur, ut de his omnibus frequens sit sermo & eruditio ac cura, ut non solum addiscantur & memoriâ teneantur; sed etiam exercentur. Deinde hæc spiritualia exercitia, secundùm Constitutiones etiam studiorum tempore continuanda: Unde 3. p. Const. c. 3. *Tanquam certum ducitur, eos viros spirituales futuros, & qui sic in via Christi Domini nostri profecerint, ne per eam currere possint.* Ex quibus omnibus Providentia Societatis singularis satis constat & patet, ea quæ spectant ad vitam contemplativam primum ac præcipuum locum in ea tenere, & plurimum valere ad eandem cum activa copulandam, ut ex effectu ipso, & pluribus viris insignibus, & in utraque vita excellentibus, in Societate, manifestè elucescit.

3. Confert ad hoc plurimum Gratia vocationis. Quid autem est Gratia vocationis? Ut eam clariùs cognoscamus; cum sæpenumero ejus incidat mentio, audiendus P. Suarez L. c. 5. 9. ubi ait: Neminem posse pro ratione sui Status, piè vivere, nedum perfectè, sine speciali Gratia Dei: & piè credendum, imò moraliter certum esse, Deum unicuique Religioni dare specialem gratiam, quam communicat omnibus, qui ab Spiritu S. ad illam vocantur, ut finem instituti sui consequi valeant. Sicut in

S. Thomas in 4. d. q. 2. a. 2. ad 9. dixit: *Ad quamlibet eminentiam Status, dari aliquam sanctitatem, cum sit ibi necessarium speciale auxilium Gratia. Et in Consecratione Virginum & aliis hujusmodi benedictionibus dari Gratiam.* Sensus autem est, non dari Gratiam ex opere operato, cum non sint Sacramenta: Sed dari specialem Gratiam auxiliantem, excitantem, & adjuvantem, quam Deus tribuit illis, quos in speciali Statu ac munere constituit, quaque indigent, ut status sui ac muneris partes ritè expleant. *Eccur enim S. Joannes Baptista tot gratiis fuit exornatus, nisi ut præiret ante faciem Domini, parare vias ejus? Cur S. Paulus tantâ gratiâ insignitus; nisi ut Apostolico munere probè fungeretur? Per quem accepimus Gratiam & Apostolatum, Rom. 1. 5. & ad Ephes. 3. Eius factus sum ego minister, secundum donum Gratia Dei, que data est mihi: Mihi enim Sanctorum minimo data est gratia evangelizare investigabiles divitias Christi.* Similiter modo Moyli datus regiminis socios & adjuvatores, agebat Dominus; *Aufferam de Spiritu tuo, & dabo eis.* Ex quibus patet, quid & quanta sit vis Gratia vocationis, & quòd illius ope, poterimus vitam activam cum contemplativa conjungere.

Quocirca, Dilectissimi, ut excellentissimum finem perfectionis propriæ,

primo loco assequamur, media illa, quæ Societas benigna & provida Mater suggerit, diligenter à nobis adhibenda sunt, tum quæ nos cum Deo conjungunt, tum quæ carnem & passiones in servitutem redigunt. Deinde ut suo tempore, perfectionem alienam, magno fructu, promovere queamus, illa media, quæ divino hinc, Apostolicoque fini proficua sunt, adhibebimus, prout ab Obedientia fuerit injunctum; nec posteriora impedimento erunt prioribus: Utraque enim ita ordinata & implexa sunt, ut quod servit ad perfectionem propriam, etiam juvet ad perfectionem proximorum; & quod ad perfectionem proximorum prodest, etiam ad perfectionem propriam conducat. Licet aliqua immediate ordinentur ad perfectionem propriam, mediate ad alienam, & vice versa; Adeoque omnia media Societatis dici possent ordinata ad salutem & perfectionem proximorum, & omnia dici possunt esse ordinata ad salutem & perfectionem propriam. Ac denique hisce mediis, modo præscripto, utendo, actionem & contemplationem, juxta instructionem Societatis gratiâ vocationis opitulante, ita exercebimus; ut utramque maximo cum fructu & solatio nostro ac proximorum aptè copulemus & conjungamus.





EXHORTATIO III.

IN REGULAM II. SUMMARI.

De Præstantia zeli animarum.

T H E M A.

Obsecro ut fiat in me duplex Spiritus tuus. 4. Reg. 2.

Vel ex Regula II.

Funis hujus Societatis est.



AD prædictum geminū finem, salutis & perfectionis propriæ & alienæ, strenuo & infatigabili labore ac sudore procurandum magno Dei & proximi amore, zeloque opus esse, quis non perspicit? Libro 4. Regum cap. 2. Legimus Elisæum ab Elia Magistro suo petisse: *Obsecro, ut fiat in me, duplex Spiritus tuus.* Respondisse verò Eliam: *Rem difficilem postulasti, attamen si videris me, quando tollar à te, erit tibi, quod petisti; si autem non videris, non eris.* 1. S. Thomas alique Interpretes, Elisæum flagitasse asserunt, præter Spiritum Propheti-

cum, quo gaudebat, etiam Spiritum miraculorum, quo ad id tempus carebat. Res difficilis, 2. Alii censent postulasse duplicem portionem Spiritus; non comparatione Eliæ, id enim veterum Prophetarum, quorum Pater spiritualis & Magister erat Elias; primogenitus verò (quibus duplex hereditatis portio jure debebatur) erat Elisæus. Res rursus difficilis, 3. Alii per Spiritum duplicem intelligunt Spiritum ardentem divinæ Charitatis, & Charitatis ac zeli erga proximos. Denudò res difficilis; sed hæc nobis in Societate JESU ad finem nostrum assequendum, omninò necessaria; erimus

enim, Deo favente, aliquando Verbi Divini præcones, qui in nova Legge Prophetarum locum obtinent, & zelatores animarum, ac miraculorum spiritualium, patratores: erimus Patres spirituales & Magistri aliorum, quibus duplex portio Spiritus Christi, Sancti Ignatii & Xaverii convenit. Erimus operarii in vinea Domini, in laboribus multis, in ærumnis & periculis, proindeque duplex iste Spiritus omninò nobis est necessarius: res difficilis; sed non propterea despondeamus animum: *δύσκολα τὰ καλὰ*: Difficilia, quæ pulchra: Obtinebimus autem hunc Spiritum. 1. Ferventi indies Oratione; *Obsecro fiat in me duplex Spiritus tuus*! 2. Consideratione; ut exponit S. Bernardus Serm. 3. de Ascens. Si viderimus Christum, quando & quomodo tollatur in Cælum, & ad quam coronam & gloriam devehctus: & cogitaverimus, nos in hoc exilio relictos, tanquam exules, & peregrinos, ad hoc unum, ut Deum & proximum diligendo, & juxta vocationem nostram animas lucrando, tandem etiam cum illo feramur in Cælum, & gloriam zelatoribus animarum debitam obtineamus.

Quem in finem zeli præstantiam exponemus.

Considerabimusque excellentiam hominis, animæ & zelatorum.

I.
Præstantia
humana.

I. Excellentia prima, quæ ad ferventer postulandam hujus Spiritus gratiam, omnèsque in proximi salute & perfectione procuranda difficultates generosè superandas animare nos potest, est nobilitas hominis; quam

ut meliùs percipiamus, ejusque naturam, dignitatem, ac majestatem intelligamus, peritiores audire necesse est. Platoni L. 1. de Legibus, Homo dicitur est *Divinum Miraculum*. Aristoteli L. 6. Ethic. c. 6. *Homo est, rerum quæ in mundo sunt, una omnium præstantissima*. Trismegisto homo appellatus est *Deiformis*, quasi forma quædam animata Dei & suo, id est summo omnium parenti, simillima. Protagoræ, *Homo est omnium rerum mensura*. Plinio seniori, *Homo est animal Princeps cæteris imperaturum*. Theophrasto, *Idea quadam atque exemplar totius universi*: Atque hæc illi Auctores profani de natura hominis pura, & quasi nuda, aliisque ornamentis destituta. Verum ab his ad sacros Auctores transeamus.

S. Jacobo Apostolo in Epist. cap. 1. 18. Homo dicitur *Initium Creatura Dei*. In Græco est, *primitia*: Ut enim primitiæ sunt primi fructus, quodammodo sacri, jucundi quàm maximè, præcipuoque honore commendati: Sic & homo Creaturas inter & Deo in primis sacer est, ei que devotus, atque in paucis gratus atque jucundus, *Initium Creatura*. Occumenius interpretatur *primum & honoratissimum*. Addit S. Chrysostomus, *uti Initium, sic & finis*, sit licet tenuis ac pannosus, S. Ambrosius in Genesin, eum *Mundi Dominum ac Regem* nuncupat; *Processit postremus creaturarum omnium Homo, specie gratus, mente sublimis, ut omnis esset Creatura miraculo*, Quod & amet, & suspiciat, & revereatur. S. Gregorio Nazianzeno Orat. 38. *Homo non est Microcosmus*; ut vulgus

autu;

autumat, sed *Magnus mundus in parvo*. Magnus, inquam, non mole, sed virtute & dignitate.

Si nobilis adeò Creatura est Homo, secundum naturam, qualis erit secundum gratiam? Sanè hâc præditus evadit imago Dei longè pulchrior & illustrior: Evadit per gratiam amicus, familiaris & Socius Ss. Trinitatis: *Ut Societas nostra sit cum Patre & cum Filio ejus? ESU Christo*, 1. Joan. 1. 3. Evadit Filius Dei adoptivus, & hæres Dei, & cohæres Christi, cujus hæreditatis magnitudo & præstantia, tanta est, ut verbis explicari, aut mente concipi nequeat: *Ne oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ Deus præparavit diligentibus se*; 1. Corinth. 2. 9. Evadit Frater Christi, Sponsa Spiritûs Sancti, templum Dei.

Si igitur adeò nobilis Creatura est homo, an non operæ pretium est, si in inimicitia Dei sit, laborare pro viribus, ut Gratiæ Dei restituatur? Ut finis & initium Creaturæ omnis, Creaturarum miraculum, microcosmus, & magnus mundus, conditori placeat, & potestati Dæmonis eripiatur? Et si in Gratia Dei est, ut perficiatur, templum Dei amplius muaderetur? Frater, Socius, Hæres, Sponsa Christi gratior eidem reddatur?

II. *Excellentia altera*, quæ nos ad petendum à Deo & exercendum strenuè zelum animarum impellere & excitare potest, est præstantia animæ rationalis: Hæc enim est quæ dat motum artibus, sensum corpori, actionibus vitam, valorem, felicitatem. Hæc

Prophetæ regio est hominis *Gloria*, quæ scilicet omnis petitur ab intus. Psalm. 107. Hæc Gentium Doctore est, *Thesaurus in vasis fictilibus*, nimirum in luteo corpore, in carne rumpi facili, atque in terram, lutumque reditura.

Quisnam verò sit ejus valor, quantum dignitas, non aliunde melius quam ex pretio, quod pro ea à sapientissimo Redemptore, datum est, intelligitur. Quid igitur pro ea datum est? *Empti estis pretio magno*, inquit Apostolus 1. Corinth. 6. 20. At quonam illo? Ipsemet Christo, Dei Filio unigenito: nam ipse dedit pro nobis redimendis & pro anima nostra, Corpus suum, Sanguinem, animam, Divinitatem. *Qui dedit semetipsum pro nobis*, ait idem Apostolus ad Titum 2. 14. Quare merito S. Bernardus cap. 3. medit. asseruit: *Totus quidem iste mundus ad unius animæ pretium aestimari non potest; non enim pro solo mundo Deus animam suam dare voluit, quanto pro anima humana dedit*: Sublimius ergo est animæ pretium, quæ non nisi Sanguine Christi redimi potuit. Nonne Dei Filius, cum esset in sinu Patris, à regalibus sedibus pro ea descendit, ut eam à potestate Diaboli liberaret: flevit ipsam; nec solum flevit; sed etiam morti se obtulit, ut pretiosi Sanguinis sui pretio eam redimeret. Aspice mortalis, pro te datur Hostia talis. Agnosce ô Homo, quam nobilis est anima tua, & quam gravia fuerint ejus vulnera, Hactenus S. Bernardus.

Quæsit aliquando Servator noster Matth. 16. 26. *Quam commutationem*

tionem dabit homo pro anima sua? Ego hic cum illo inquirō & quidem primò an auri commutatio? An ipsi montes aurei? An mundi moles, si tota esset aurea? An æqua foret illius cum anima? Minimè. Appello Isa'æ fidem; sic loquentis & attestantis, cap. 13. 12. *Pretiosior erit vir auro, & homo mundo obryzo.* Si non auri, an non gemmarum, unionum, adamantum, sceptrorum, coronarum, libertatis & vitæ commutatio? minimè; Sicut enim Crassi opes, aut thesauri Cræsi, aut talenta Mydæ, aut aurei montes, nihil sunt ad animæ pretium, ita nec Oceani gemmæ, nec diademata regia, nec libertas aut vita ipsa, cum anima sunt conferenda; Hæc enim omnia corruptibilia sunt, & corruptilibus emi non potest, incorruptibilis anima. Quibus ergo? Audi Petrum Arcanæ Theologiæ verticem: ait ille; *Pretioso Sanguine, quasi Agni immaculati.* Hoc tuum pretium est, ô anima! Unde Redemptor ait: *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, anima verò sui detrimentum patiatur?* Lucretur mundum & ejus Castella, Oppida, Palatia, Regna universa; *Quid prodest homini?*

Hac de causa, Christus Salvator noster, hujus margaritæ tam pretiosæ peritissimus æstimator; tantopere salutem cujusvis animæ zelabat; ut aliquando Sanctæ Brigittæ affirmârit, L. 7. Revel. cap. 19. Si adhuc possibile esset, ut ego toties morerer, quot sunt animæ in Inferno; ita ut pro qualibet illarum, talem mortem rursus

sustinerem, qualem pro omnibus sustinui; adhuc Corpus meum paratum esset subire hæc omnia, cum libenti voluntate, & perfectissima Charitate.

Ex hoc animæ pretio, patet ad oculum, quàm nobile opus sit procurare ejuſdem salutem æternam, nullumque in eo æstimandum esse laborem. Sanè hoc animæ pretium, hic Sanguis est, qui viros Apostolicos in campum, in pulverem evocat, & per longos viarum anfractus, per sæva maria, & timendos æstus, importat in externos orbes, & utramque solis domum, optandum que nobis, ut & nos importari mereamur.

III. Excellentia tertia ab ipsis animarum zelatoribus petitur; quotquot enim tam in veteri, quàm nova Lege vixere, Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, Virique Apostolici Sanctitate illustres, in operibus zeli hujus exercendis strenui, indefessique existere. Et quidem in Lege analqua, ut Eliam & Elisæum, Isaiam & Jeremiam, Ezechielem & Danielem, ceterosque Vates tacitus præteream, quanto animarum zelo exarsit Moyses populi Israelitici Dux, quando zelo succensus ex confidentia dicere ausus: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro, quem scripsisti.* Exodi 32. In Lege autem nova. 1. Christus Dominus & Redemptor noster, quanto animarum zelo fuit inflammatus, qui ad hoc è Cælo de regali solio descendit, mortalitatis nostræ Saccum induit, ut tanquam Pastor bonus, ovem perditam, id est, genus

III.
Præstantia
zelatorum,

nus humanum, quæretet, nec circum-
eundo, clamando, invitando, prædi-
cando fatigaretur, nec ullos labores,
sudores, & dolores refugeret, donec
eam in ligno Crucis moriendo reperiret?
2. Ex hoc zelo vocati, missi, profectique
sunt per Orbem terrarum Apostoli, ut
animas quàm plurimas lucrarentur.
*Venite post me, & faciam vos piscatores
hominum.* Matth. 4. 19. Ubinam vero
piscabuntur? in mari Gentilitatis, & Ju-
dæismi; quo innumeram piscium multi-
tudinem in Ecclesiæ lagenam invehant,
& in litus æternitatis pertrahant. Illo
fine missi sunt: *Ite in mundum univer-
sum & predicare Evangelium omni Crea-
tura.* Marci 16. Et illi profecti sunt, Do-
mino cooperante & sermonem confirman-
te sequentibus signis. 3. Eodem zelo afflati
fuerunt septuaginta duo Discipuli, qui
cum Apostoli essent pauci, & messis
multa, missi sunt, ut Apostolos adju-
varent, & Domino venturo viam præ-
pararent; Ut refert Sanctus Lucas. cap.
10. *Misit & alios septuaginta duos Disci-
pulos in omnem Civitatem & locum, quo
erat ipse venturus.* Ut veluti Apostolo-
rum Coadjutores, animas ad fidem di-
sponerent, instruerent, baptizarent,
infirmos curarent, &c. 4. Simili zelo
arsere viri Apostolici insequentibus sæ-
culis, qui quæ concionando, quæ cir-
cumeundo, quæ libros conscribendo,
quæ laborando, sudando, & sanguinem
profundendo animas DEO lucrari con-
tenderunt, tum Ecclesiastici, Episcopi
& Presbyteri; tum ex variis Ordini-
bus Religiosi, ac denique ex Societate
nostra minima, Sanctus Ignatius,

Sanctus Xaverius, Barzæus, Anchieta,
Campianus, Garnettus, Canisius, alii-
que innumeri.

Ut & nos hisce animarum zelatoribus
annumeratemur, Societatis albo
inscripti sumus, Tyre ciniumque auspici-
cati, ut virtutes ad manus istud Aposto-
licum necessarias nobis comparemus;
sine quibus nihil effecturi sumus, &
gravissimis in conservatione cum proxi-
mo periculis animæ exponendi, Præ-
clare monet Sanctus Gregorius Nazian-
zenus, Apologia 1. *Officium*, inquit,
Presbyteri (& cuiusvis proximum ad
salutem & perfectionem adjuvantis)
caelestem quandam vitarationem exigit:
*debet enim prius ipse purgari, deinde
purgare alios; debet ipse Sapientiâ in-
struus, deinde alios eadem instruere; de-
bet ipse lumen fieri, alios postea illumina-
re; accedere ad DEUM, aliosque ad
ipsum ducere; sanctificari, & aliis san-
ctitatem conferre.* Ex neglectu autem
hujus Ordinis & processûs, videlicet
proficiendi in se, ut aliis quis proficit,
nascitur tractare de rebus Spiritualibus,
absque Spiritu, & de divinis absque
sensu; quod grave aded, ac molestum,
huic sancto Doctore accidit, ut, sicut
ipse fateatur, in desertum secesserit, ne
Prædicatores quosdam de Spiritu, sine
Spiritu tractantes, & Verbum DEI
prædicantes, cum lenociniis verborum,
ad placendum hominibus, coram in-
tueretur. Idcirco sanctus quoque Pa-
triarcha noster hominibus Societatis,
magis opus esse aiebat Thesauris, &
ut loquuntur Negotiatores, capitali
devotionis, fervoris, & zeli, præcl-
pue

puè ad conclonandum & conversandum; quòd magni momenti negotium sit, rebelles ac duras movere in bonum voluntates, cordaque saxorum instar indurata emollire.

Quamobrem, si Societatis nostræ finem attingere cupimus, duplici Eliæ Spiritu, Charitatis DEI & proximi, ac præsertim, zeli animarum nobis opus est: ut autem illum à DEO obtineamus, is crebrò à nobis est flagitandus: *Obsecro fiat in me Spiritus tuus duplex!* Qui est Spiritus Christi & Apostolorum. Deinde crebrò consideremus ac in meditationibus nostris proponamus nobis hominis præstantiam, tum quoad naturam, tum quoad gratiam. Item excellentiam animæ, pretioso JESU Sanguine redemptæ; ac deni-

que nobilitatem & exemplum Illustræ, Moyse & Prophetarum, Christi Domini & Apostolorum, nostrorumque Patrum primipilorum; qui nihil nisi animas desiderare, sitire ac quærere videbantur. Ad extremum, nos Tyrocinii tempore aptemus, purgemus, ac perficiamus, quò, DEI instrumenta apta evadamus, plurimæque animas, omnibus mundi Thefauris pretiosiores, lucremur. Consideratæque hac earum nobilitate; in Apostolicis functionibus, Christi, Apostolorum, Discipulorum Christi, aliorumque athletarum vestigiis insistentes, nullos labores, sudores ac molestias reformidemus, aut subterfugiamus.





EXHORTATIO IV.

IN REGULAM II. SUMMARI.

De actionibus zeli à Novitiis exercendis.

THEMA.

Zelus Domus tua comedit me. Joan. 2.

VEL:

*Impense in salutem & perfectionem propriam & proximorum
incumbere. Reg. 2.*



Um Redemptor noster, Joan. 2. *Fecisset quasi flagellum de funiculis, & eiecisset e templo oves & boves & columbas vendentes, sub-* jungit Sanctus Evangelista, *Recordati sunt Discipuli ejus, quia scriptum est: (Psalm. 68. 10.) Zelus Domus tua comedit me.* Id est, Zelus seu fervor, ardensque studium promovendæ gloriæ templi tui, in quo tu, ô Domine, quasi in domo tua habitas; atque indignatio,

quam in vendentes, qui illud profanant & pessumdant, concepisti, *comedit me*, id est, absorbit me: Simmachus vertit, consumpsit, exedit me, sicut ignis ferrum consumit, & in se transmutat, ut jam non ferrum, sed merus ignis esse videatur. *Tempus est ut incipiat judicium à Domo Dei*, ait Sanctus Petrus 1. Epist. cap. 4. A Domo sua Christus Dei Filius cœpit, ex illa bruta animantia, terrenaque sectantes lucra flagello expulit. Quo facto docet Reges, Episcopos, Sacerdotes, Religiosos, Prælatos, imò & ipsos Novitios, ut à domo sua incipiant, & vitia

Avari-

Avaritiæ, Superbiæ, Iracundiæ, Luxuriæ, cæcerosque brutos affectus eji-
ciant. Nemo illorum patietur in au-
la sua, aut cubiculo stabulari sues aut
boves, & patietur suis, bobusque
sordidiores stabulari mores? Præteri-
tis reliquis, agam hodie de Novitiis o-
stendâmq;e, quomodo à domo sua in-
cipere debeant, & actus zeli animarum
exercere, idque *impensè*, studiosè, di-
ligenter & ferventer juxta Regulam se-
cundam, ob harum actionum excel-
lentiam.

I.
Actiones
zeli ani-
marum.

I. Actiones zeli enumerat Sanctus
Albertus Magnus in Paradiso cap. 26.
ubi inquit: *Zelus animarum verus &
perfectus est, quando quis sanctis medita-
tionibus, ferventibus desideriis, lacrymis,
orationibus, vigiliis, jeuniis, predicatio-
nibus, confessionibus, consiliis, doctrinis,
atque aliis operibus bonis, pro salute ani-
marum laborat.* Primam igitur, quam
Sanctus Albertus zeli actionem nume-
rat; est

1. *Meditatio*, quæ sæpe instituenda
est de præstantia hominis, nobili-
tate animæ, exemplis zeli, relucenti-
bus in Christo & sanctis Apostolis, de
magnitudine præmiorum, quæ pecca-
tores amittunt, de infinitate & æterni-
tate suppliciorum infernalium, quæ
peccatores incurrunt. Zelum enim,
(teste Cornelio à Lapide in capit. 33.
v. 10. Deuteronomii) maximè acuit
cogitatio æternitatis: Quis enim con-
tra peccata non zeleat, si cogitet illud:
*Momentaneum quod delæctat; æternum
quod cruciat?* Quis pro felici æterni-
tate sibi aliisque assicuranda, labores

omnes, dura omnia non ambiat? Hic
ignis zeli exarsit in meditatione Davi-
dis, unde exclamabat: *Zelus Domûs
tue comedit me.* Psalm. 68. 10. Inde o-
riebatur zelus Sancti Francisci Xaverii,
& Sancti Francisci Seraphici, de quo
Sanctus Bonaventura in vita ejus L. 1.
cap. 9. Meditentur itaque Novitii, fu-
turi aliquando factores æternitatis; &
comedat eos, absorbeatque i. Zelus
Domûs suæ, id est sui ipsius, seu pro-
priae salutis & perfectionis. 2. Domûs
probationis & Fratrum suorum. 3.
Domûs Ecclesiæ. 4. Domûs totius
mundi. D. Chrysostomus perpendens,
à duodeno Apostolorum numero, con-
versos ad Christi fidem tot populos, sci-
licet à Thoma Indos, ab Andrea A-
chivos, à Joanne Asianos, à Thadæo
Mesopotamios, à Chananeo Ægypti-
os, à Partholomeo Armenios; Sti-
mulum sibi peracrem addi sentiebat,
& pudore suffusus, ignaviam suam
deplorabat, ac zeli defectum in se in-
culcabat: Homil. 47. in Matth. *Si duo-
decim homines, inquit, puta Apostoli, to-
tam penè farinam orbis fermentarunt; a-
nimo versa, quanta sit nostra malignitas
atque ignavia, qui cum jam innumeri si-
mus, has gentium reliquias convertere non
possumus, qui vel mille mundis satisfacere
deberemus.*

1. *Ardens desiderium* divinæ gloriæ
& salutis animarum, oritur ex medi-
tatione desiderii, quo Deus esurit sa-
lutem animarum & gloriam suam;
& desiderii, furoris & rabiei, quo
Diabolus cupit animas perdere atque
instar Leonis rugientis devorare. S.
Maria

Maria Magdalena de Pazzis hoc inflammata desiderio, de se fatebatur, Christoque asseverabat; *Adeo desidero conducere animas ad te; ut in hi sit poena hoc desiderium; & hac poena est adeo mihi gravi, quia desiderium hoc implere nequeo, ut mihi sit instar cujusdam inferni.* Ac proinde legi audiens vitam S. Francisci Xaverii, literasque Japonicas de conversione animarum, videbatur deficere praesiderio, manendi in illis regionibus, cooperandi conversioni illarum animarum & subeundi pro illis martirium. Vitae. cap. 4. Hoc quoque desiderio aestuabat Divus Chrysostomus, qui Homil. 44. in acta Apost. hisce Auditores suos alloquitur: *Millies optarem ipse esse caesus, si per hoc liceret, animas vestras convertere; adeo ipsa luce est vestra salus mihi jucundior.* Tale desiderium & zelus comedit Novitium. 1. pro domo sua, seu seipso, est enim Domus & templum Domini, seu pro salute & perfectione propria. 2. Pro Domo Probationis ac Fratibus suis in Christo. 3. Pro Domo Ecclesiae. 4. Pro toto mundo, ut omnes homines salutem & perfectionem consequantur.

3. Tertius zeli actus *fervens oratio.* Quae plurima a Deo impetrat, quamque Deus a nobis exigit. Ideo enim Deus Pater Sanctam Catharinam Senensem pro mundo universo iussit preces instituire, ut legitur in Dialogis ejus. Sancta Theresia, noctes integras pro conversione animarum, praesertim haeresi infectarum, orando insuavebat. Et annis omnino, quadraginta, quibus orationi se impendit, nihil vehementius Deum rogabat, quam

dilatationem gloriae divinae, & augmentum sanctae Ecclesiae. Oratione quoque sanctus Stephanus Paulum lucratus est, nisi enim Stephanus orasset, Ecclesia Paulum non haberet. Imitetur Novitius, preces ardentes ad Deum fundat, & zeluseum comedit. 1. Domus suae, seu salutis & perfectionis propriae. 2. Domus in qua habitat: quam decet sanctitudo. 3. Domus Ecclesiae pro qua Christus Dominus Patrem oravit. 4. Domus mundi, tota milliones infidelium, Haereticorum & Peccatorum complectentis. Ut ex ea monstra scelerum & errorum ejiciat.

4. *Lachryma & compassio* ob statum miserimum, gravissimaque pericula peccatorum; aeternam scilicet damnationis. Ita flevit Jeremias, cap. 9. 1. *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum?* Ita flevit Salvator ex zelo, videns civitatem Ita lacrymas fudit Paulus Apostolus, ut ipse scribit Corinthiis Epist. 2. cap. 2. *Ex multa tribulatione & angustia cordis scripsi vobis per multas lacrymas, ut sciatis, quam Charitatem habeam abundantius in vobis.* Imitetur Novitius, fleat ante omnia peccata propria eaque corrigat. 2. Fleat peccata Fratrum suorum, eaque pro viribus emendare studeat. *Vis fratrem corrigere?* ait sanctus Chrysostomus, *lacrymare, ora DEUM ex corde:* Sic quoque Sancta Monica lucrata est filium suum Augustinum: non enim poterat perire filius tot lacrymarum. 3. Fleat pro Ecclesia, in quo tot reperiuntur peccatores. 4. Fleat pro toto mundo, in quo tanta copia ruentium

ad ortum: Et si non potest fundere lacrymas oculorum corporis, fundat lacrymas mentis, condoleat, compatia-
tur, angustietur, & pro iis elamet
ad Dominum. Respice nos ex alto,
Domine JESU! Emitte in nos ignem,
quem venisti mittere in terram, & vo-
luisti vehementer accendi: Misisti hunc
ignem in Sanctum Ignatium, ut duce-
ret Europæos; in Sanctum Franciscum
Xaverium, ut converteret Indos & Ja-
ponios, in Gasparem Barzæum, ut lu-
craretur Armuzios, in Andream O-
viedum, ut imbueret fide Abassinos, in
Matthæum Ricciium, ut illuminaret
Sinas, in Josephum Anchietam, ut ad
Christum adduceret Brasilos; emitte
eundem ignem in nos; & paulatim di-
spone nos, ut multa animarum millia,
aliàs peritura, ad ovile tuum feliciter
reducamus.

5. *Vigilia, jejunia & varia afflictio-
nes corporis*, pro Deo placando, & sa-
lute animarum obtinenda. Sanctus
Dominicus semel quotidie, pro pecca-
torum conversione se flagellis cæcidit.
Sanctus Ignatius lacui gelido collo
tenus se immerfit, ut juvenem impudi-
cum à lascivis amoribus abduceret. S.
Maria Magdalena de Pazzis, præter
extraordinarias corporis afflictiones,
ex desiderio animas juvandi, à DEO
infirmities corporis, pœnas & tribu-
lationes flagitabat: quin & ad pœnas
infernipro iis tolerandas se offerebat;
cùmque nonnunquam Deus preces ejus
exaudiret, & morbos immitteret, di-
cere solebat, ista pati, singulari sibi esse
solatio, pœnâque hanc gloriosam
vocabat. In vita. Huc quoque spectat

opera, labores, sudores, & actiones
quotidianas pro animarum conversione
Deo offerre: ut prædicta sancta facie-
bat, atque ad id ipsum præstandum Mo-
niales suas hortabatur, dicens: Offeram
Deo pro conversione animarum,
omne id quod hodie facinus. Vel: Pe-
tamus à Deo tot animas, quot passus
facimus, per monasterium; vel quoties
actu filium traducemus; vel quot verba
in officio divino proferemus. In vita.
Imitetur Novitius. 1. Pro animæ suæ
salute & perfectione. 2. Pro Fratri-
bus suis. 3. Pro Ecclesia. 4. Pro or-
be universo. *Quis comeditur zelo Do-
mûs Dei*, interrogat Sanctus Augusti-
nus Tract. 10. in Joann. & respon-
det: *Quis omnia, quæ fortè ibi videt por-
versa, satagit emendare, cupit corrigere,
non quiescit.* Nec illum zelum postu-
lat solum à Prælatibus, sed à quolibet:
*Unumquemque, inquit, Christianum ze-
lus Domûs Dei comedat, in qua Domus mem-
brum est.*

6. *Doctrina*, sive id catechesi fiat,
sive concione, sive monitione. Quan-
ti catechesin fecerit Sanctus Ignatius,
patet ex eo, quod Professis, in formula
votorum, promissionem de peculiari
puerorum cura præscripserit. Et San-
ctus Xaverius P. Gaspari Barzæo abi-
turo inter cætera commendavit, ut hoc
munus, tanti ad salutem animarum
momenti, alteri non committeret, sed
sibi in se reservaret. Vitæ L. 6. cap. 16.
Nostris R. P. Philippum Scouville, an-
no præcedente piissimè defunctum,
quanto studio annis 40. in missione,
catechizandi munus obierit, quot li-
bris impressis, quos manibus teritis,
hoc

hoc negotium promoverit, quot sodalitiis eum in finem institutis, idem perurferit. **Æmulamini** 1. Catechizate & prædicate vobis. 2. Confratribus, per pia colloquia, Veterani novellis, Scholastici Coadjutoribus. 3. In Patrocina, tanquam Domo vobis assignata. 4. Ad quoscunque divertere vos contigerit.

7. Septimus zeli actus est, exhomologeses excipere indefessè. 8. Octavus infirmis & moribundis assistere. 9. Inimicos reconciliare. Hæc suo tempore, vos præstituros proponite: nunc verò, ut ab aliis Societatis nostræ viris maximo cum fructu præstentur, desiderate, orate, opera pœnosa & laboriosa offerite. Hæc si præstiteris imperisè, Regulam secundam ritè observaveris, & singulis Charitatis & zeli, fervorisque indicia præbueris. *Si autem frigidus fueris, ait Sanctus Augustinus L. c. Marcius, ad te solum spectans & dicens: quid mihi est curare aliena peccata? Sufficit mihi anima mea. Eja non tibi venit in mentem servus ille, Matth. 25. qui abscondit talentum? Nunquid accusatus est, quia perdidit, & non quia sine lucro servavit? Nolite Fratres quiescere lucrari Christo, qui estis lucrati à Christo.*

II.
Actio-
num zeli
præstan-
tia

II. Quantà verò actus isti zelosæ Charitatis sint nobilitate & excellentiâ, quis verbis expresserit? Si virtutum omnium regina est Charitas, quis actiones ab ea tanquam effectus promanantes nobilissimos præstantissimisque esse negaverit? præsertim cum illæ nobis cum Christo & Apostolis, Apo-

stolicisque viris sint communes. Agnovit hoc Sanctus Dionysius Areopagita, qui L. de cœlestij Hierarch. cap. 3. edixit: *Omnium divinorum divinissimum est cooperari in salutem animarum.* Et Sanctus Joannes Chryostomus Homil. 2. & 40. super Genesin: *Nihil ita gratum est DEO, & cura, ut animarum salus, docente nimirum & palàm asserente Apostolo: Qui vult omnes homines salvos fieri & ad agnitionem veritatis venire.* Ut proinde meritò Sanctus Ignatius nos imperisè voluerit, in salutem & perfectionem propriam & alienam incumbere.

Sanè si penitiùs, prædictas zeli functiones inspexerimus eas, & infirmorum curationes, & Dæmonum ab Energumenis expulsiones, & mortuorum ad vitam reductiones, longè antecellere animadvertemus. Etenim 1. Cùm avaritiæ, superbiæ, iracundiæ, libidinis febres, cæteræque animæ pestes, omnibus corporis infirmitatibus, longè sint deteriores, quòd mortem adferant sempiternam; cuius dubium esse poterit, illarum quoque curationem, longè præstantiorem esse, quòd per actiones zeli perficitur. Deinde cùm ob crimina lethalia Diabolus animam possideat, velut Dominus & Tyrannus, eamque velut æternæ damnationis ream, vinculis suis constrictam teneat, sine fine cruciandam; quis negaverit longè excellentiùs esse, ex ea Dæmonem expellere, quàm corpus ad tempus vexantem, inde eijicere? Tertiò illustre quid est, haud diffiteor, mortuos suscitare & vitæ

restituere; at an longè illustrius est, animam peccato mortuam, (Anima enim quæ peccaverit ipsa morietur, Ezech. 18.) ad vitam spiritualem revocare? Præclarè more suo id probat Sanctus Gregorius L. 3. Dial. cap. 17. recentens, quomodo sanctus quidam Monachus mortuum suscitavit: *Majus, inquit, miraculum est, prædicationis verbo, atque orationis solatio, peccatorem convertere; quàm carne mortuum suscitare: in isto enim resuscitatur caro iterum moritura; in illo verò anima in æternum victura.* Gregorio Magno ad stipulatur Sanctus Chrysostomus Tom. 4. Hom. 24. dum ait: *Paulum propterea admiramur, non propter mortuos, quos excitavit; nec propter leprosos, quos mundavit sed quoniam dicebat: Quis infirmatur & ego non infirmor? Nam etsi decies mille signa ad hæc adjeceris, nihil dices, quod ei possit conferri: ipse enim asserit, magnam sibi repositam esse mercedem, non quia fecit signa; sed quia infirmis fuit tanquam infirmus; & quando aliis se præponit Apostolis, non ait, plura quàm ipsi signa feci; sed plus quàm ipsi laboravi.*

Utrique prædicto Ecclesiæ Doctore consentit doctissimus Richardus Victorinus Lib. 1. de præparat. in Cantic. cap. 44. ubi ait: ignoro an possit hæc gratiâ, majorem aliquam DEUS homini conferre, quàm ut ejus ministerio, homines perversi in melius mutantur, & de filiis Diaboli: filii DEI efficiantur. An fortè videbitur cuiquam majus esse mortuos suscitare? Ergone majus erit, suscitare carnem

iterum morituram, quàm animam in æternum victuram? Ergone majus erit carnem revocare ad gaudia mundi, quàm animæ restituere gaudia cæli? Ergone majus erit restituere carni gaudia transeuntia, iterum peritura, quàm animæ reddere bona æterna, æternum mansura? O qualis dos, quanta dignitas, talem gratiam à DEO accipere! Non debuit DEI Sponsa à Sponso suo dotem aliam accipere: non decuit cœlestem Sponsum, Sponsæ suæ aliam dotem donare, quàm ut per adoptionis gratiam, possit multos Dei filios gignere, & de filiis iræ, filiisque gehennæ regni cœlestis hæredes adscribere. Hactenus Richardus.

Quare, Dilectissimi, cum tam varii, tamque multiplices sint zeli Charitatisque functiones & exercitia, quibus ex Instituti nostri Legibus animas DEO lucrari valemus; quorum aliqua modò possumus exercere, alia nondum, Sacerdotii defectu; saltem à Tyrocinio auspicemur, & charitatis fortis & zelosæ fundamenta jaciamus; à parvis inchoemus: sæpe animas ad salutem perducere ardentè desideremus, ferventes pro earum conversione preces fundamus, lacrymas si non oculorum, saltem cordis emittamus, miserisque condoleamus; corporis afflictiones eum in finem Deo offeramus, quotidianas actiones illuc dirigamus, in instructione puerorum & rudium catechesi, omnem industriam ponamus, cumque nondum pro concione dicere, aut pœnitentes ex-

piare

piare valeamus, nec moribundis assistere, aut dissidentes reconciliare possumus pro aliis, qui id possunt, ut efficaciter & feliciter istis muneribus fungantur, DEUM rogemus. Hâc ratione crescet Charitas nostra, proficiet zelus initio debilis, & cum tempore evadet, fortis ut mors dilectio, & dura sicut infernus æmulatio nostra, quibus

grandiores labores, molestias, ac difficultates pro DEI gloria & animarum salute vincamus & detriumphemus: atque ita DEO gratiora opera exhibebimus, quàm si infirmos curaremus, Dæmonia expelleremus, ac mortuos ad vitam revocaremus.



EXHORTATIO V. IN REGULAM II. SUMMARI.

Ostendit præstantiam Instituti, ex professo zelum animarum exercentis.

T H E M A.

Tu autem vade, & annuntia Regnum Dei. Lucae 9.

Vel ex Regula II.



Psal. 44. inquit: *astitit Regina à dextris tuis, in vestitu deaurato, circumdata*

Clesia est Regina illa, Christi Regis Regum Sponsa dilectissima, aureâ Charitatis cyclade exornata, de qua Vates regius

varietate. Omnium scilicet Ordinum Religiosorum, veste & instituto discrepantium, varietate circumamicta. Ad hanc vestem polimytam Sponsæ pertinent Ordines omnes, ac proinde omnes laude, nulli vituperio digni sunt. Omnes enim, sunt castra Dei: Omnes sunt terrestris caelum. Ex mente S. Joannis Climaci, Grad. 4. Coll. 11. Omnes, teste S. Gregorio Nazianzeno Orat. ult.

in Julian. *Sunt gregis Dominici primitia, columna & corona fidei, pretiose margarita, templi illius lapides, cujus fundamenta & lapis angularis est Christus. Omnes, Authore Sancto Laurentio Justiniano Serm. de S. Hugone, sunt terra sancta, in quibus puritatis custoditur candor, & quantum fas est, celestis vita praeseruntur insignia. Omnes sunt, ut asseruit Deus Pater S. Catharinae Senensi Dial. cap. 159. 158. 164. Veluti navicula securo, prorecipiendis animabus, quae currere volunt ad perfectionem, ut eas tutissimè perducatur ad portum aeternae salutis. Omnes ergo laude digni sunt, quamvis alter altero sit perfectior.*

Cum verò nonnulli Novitii nostri, quandoque tententur à Dæmone, ut, quem semel amplexi sunt, Ordinem deserant: ostendam Instituta illa, quae ex professo, non solum saluti & perfectioni propriae; verum etiam alienae vacant, esse aliis praestantiora eo fine, ut Novitii nostri, ad institutum nostrum, amandum, aestimandum, in eo perseverandum, ejusque finem assequendum excitentur.

I. Tentat nonnunquam Diabolus, tranquillitatis osor, turbationis author, Novitium Societatis, objicitque praestantiam cujusdam Ordinis in solitudine degentis, sibi uni vacantis, orationi, contemplationi, ac psalmodiae unice intenti; fateor equidem, praestantes hae Religiones sunt, actusque nobiles circa quos versantur: Deum enim laudare, contemplationi vacare, in choro psallere, Angelicum opus est; at ex charitate, zelo & misericordia ignorantes docere, peccatores ad meliorem fru-

gem reducere, verbum Dei praedicare, &c. longè est nobilius; ac proinde Institutum his ex proviso vacans aliis est praestantius; cum Charitas Religionis virtutem dignitate superet.

Probatum id primò exemplo ipsiusmet Christi Domini Redemptoris nostri, qui in infantia & juventute, vitam privatam & solitariam egit, orationi & contemplationi deditus; at jam maturus, vitam hanc in actuosam commutavit, animarum salutem quaesivit, Evangelium suum mundo annuntiavit, peccatores convertit, & in his usque ad mortem perseverando, institui hujus praestantiam abundè demonstravit. Si enim institutum quoddam, studiumve foret dignius, illud utique sibi Apostolisque suis ac Discipulis commendasset. Sed nihil reperit praestantius, nihil dignius; in eo enim est consummatio Charitatis. Deinde Sanctus Joannes Baptista, quo inter natos mulierum non surrexit major; infantiam & adolescentiam in oratione, contemplatione, vitaeque privatae traduxit; at virilem aetatem ingressus, eremum deseruit; ex antro deserti prodiit in publicum, poenitentiam praedicavit, baptismum abluit, hominesque ad Christum, mundi Messiam adduxit, quod priore munere fuit excellentius.

Confirmari idem potest exemplis Sanctorum, vitae solitariae cum primis addictorum, qui datà opportunitate, animarum saluti procurandae, tanquam operi nobilissimo, deesse noluerunt. De magno Antonio refert Sanctus Athanasius in ejus vita, illum aliquando, ad resistendum haereticis Alexandriam

driam ex eremo descendisse; nec unquam defuisse multitudini ex orbe universo, undique ad se affluentem, quin doceret & verba salutis impertiretur; quod opus sanè nobilius fuit, quam si soli orationi & contemplationi vacasset. Similiter de Sancto Benedicto refert Sanctus Gregorius L. 3. Dial. c. 8. Eum non solum plura Monasteria edificasse, atque instituisse, in vita & moribus; verum etiam in monte Cassino, templum idolorum evertisse, & oppidanos, incolasque præceptis Christianis imbuisse. Ex quibus liquet, viros hosce sanctos opera zeli animarum maximo in pretio habuisse, ac quieti, & solitudini suæ antetulisse.

Probatur 2. *Authoritate Doctoris Angelici*; qui 2. 2. quæst. 30. art. 4. docet; misericordiam cultui divino præferri, secundum illud *Osee 6. 6. Misericordiam volo & non sacrificium.* Non quod misericordia, quæ hominem respicit, præstantior sit actu sacrificii, ut manat à Religione, quæ Deum respicit, & inter virtutes morales primum locum obtinet; quia Dei cultus est, teste D. Thoma 2. 2. quæst. 81. art. 6. Sed quia misericordia, quæ animarum salutis succurrimus, à Charitate importata est, quæ virtus Theologica, Religione, cæterisque virtutibus moralibus est excellentior. Rursus idem S. Doctor 2. 2. quæst. 92. art. 2. ad 3. disertè tradit; nobiliorem esse modum provocandi homines ad devotionem, per doctrinam & prædicationem, quam per cantum. Atque hac de causa Episcopis, Prælati & Diaconis, quibus per doctrinam & prædicationem morta-

lium animas ad Deum provocare competit, non esse insistendum cantibus, ne hisce ab excellentioribus, majoribusque muniis retrahantur: allegatque ibidem S. Gregorii Magni, Pontificis exemplum ac decretum: qui Romæ sedens coram S. Petri Apostoli corpore, ordinavit, ut Diaconi verbum Dei annuntiarent, non cantui vacarent: Subdiaconi verò, aliique minoribus Ordinibus initiati, in choro Deum canendo laudarent, apposita quoque pœnâ: Si quis contra hoc decretum fecerit, Anathema sit.

Si igitur quandoque contigerit tentati Novitium Societatis trahique ad vitam solitariam, in qua plus queat vacare orationi, expendat nobilitatem actionum zeli animarum, & vocationem suam circa has versantem, magni æstimet: & ad easdem vel à Tyrocinio se præparet, atque excitet exemplo R. P. Didaci Martinez, viri è Societate nostra zelosissimi, qui crebrò de hac Regula secunda Summarii, meditationem suam instituebat, sibi que identidem oggerbat: Didace, religiosi hominis est, nosse Institutum suum, & observare illud, ac de ipso rationem reddere mundo. Institutum autem Societatis est, salus & perfectio propria, deinde salus, ædificatio, & perfectio proximorum; idcirco cares choro, scito obligationem tuam, atque huic omnibus viribus tuis responde & fac satis.

II. Altera tentatio Tyronem Societatis invadens, ut experientia docuit in variis, est, aspirare ad rigorem majorem, ordinemque pœnitentiis, je-

II.
Præstant
austerita-
ti deditis,

R

junius,

junius, vigiliis, ciliciis, aliisque corporis afflictionibus crebrioribus deditum: ut verò tentationem ejusmodi facilius Tyro retundat; scire eum oportet, Instituta propriæ, alienæque salutis ac perfectionis studio & labore ex professo occupata, aliis his non occupatis, licet rigidioribus præcellere. Quamvis enim austeritates hæ sanctæ ac Deo gratæ sint; longè tamen Deo gratiores sunt actiones, promoventes salutem & perfectionem animarum. Patet id rursum, 1. Exemplo Christi Domini Salvatoris nostri, qui vitam communem elegit, ut zelum animarum melius exerceret. 2. Opera pœnosa profunt ea exercenti, opera zeli multis proficua sunt. 3. Opera pœnosa, opera sunt pœnitentiæ & mortificationis; opera zeli, opera sunt Charitatis, quæ virtutum Regina est, sunt opera misericordiæ spiritualis, quæ aliis præstantiora existunt.

Disertè ac prolixè id probat Divus Chryostomus, Homil 25. in Epist. 1. ad Corinth. in qua ita loquitur: *Licet jejunando, humi dormiendo, corpus maceraveris, nullam autem proximi curam habueris, nihil egregium feceris.... Tu igitur, mi frater, quamvis fame conficiaris, quamvis humi jaceas, quamvis cinerem comedas, quamvis insuper lacrymis madeas, & nihil cuiquam proficias (seu profis) nihil magnum facis.* Idem Orator aureus, Orat. 5. contra Judæos ait: *Quid huic potest equiparari? Quod neque jejunium, neque humi peracta cubationes, neque pervigilia, neque aliud quidpiam potest efficiere; efficit fratris procurata salus:*

scilicet hoc, ut os tuum, aliàs immundum, plurimisque peccatis fœdatum, fiat sicut os Dei: non homo, sed Deus istud promittit: Si unum quempiam eduxeris (è cœno flagitiorum) ut os meum eris. Scilicet os tuum purum, sanctumque evadet.

Apud Rosweidum in Vitis PP. L. 1. cap. 16. Paphnutio Abbati in summa austeritate, ac majore, quàm fervetur in ullo Ordine Religioso, viventi, atque oranti divinitus revelatum est, eum non excessisse perfectionem cujusdam tibicinis, qui recenter à latrocinis, aliisque sceleribus abductus fuerat, cum autem accuratè Paphnutius eum examinaret, quidnam unquam ab eo rectè gestum fuisset, hoc solum invenit, quod adhuc vitam latronis agens, Virginem Deo devotam, cui erat à latronibus vitium inferendum, liberârît; & alteri mulieri, in solitudine erranti, vim non intulerit; sed trecentis aureis donatam dimiserit, ut maritum cum liberis, ob debita in carcerem conjectum, liberaret. Si ergo hominem tantis antea criminibus obnoxium, opera Charitatis pauca æquarunt meritis tam sancti Erenutæ, in summo jejuniorum, paupertatis & carnis macerationis rigore, vitam agentis, quantum majorem meritorum cumulum parient, innumera opera Charitatis, zeli, & misericordiæ spiritualis, quæ in Societate cum gratia Dei præstamus, & tanquam annulos in catena aurea connectimus? Hæc igitur Tyro Societatis, ad ordinem rigidiorum, à Dæmone sollicitatus, opponat, vocationem suam maximi ducat; firmiterque teneat veritatem

senten-

sententiæ, à Sancto Dionysio Areopagita prolata. c. 3. de cælesti Hierarch. *Dipinorum omnium divinissimum esse, cooperari Deo in salute animarum.* Dedant igitur se alii operibus pœnosis maximis ac plurimis; tu fini tuo consentaneis ac moderatis contentus, *vade & annuntia regnum Dei.*

III.
Præstant,
operibus
misericordie
corporalis
vacanti-
bus.

III. Alius inter Tyrones Societatis, à Veteratore stygio nonnunquam tentatur, ut redeat aut ad statum mundanum, aut ad statum Ecclesiasticum, aut alium statum religiosum, in quo queat opera misericordie corporalia obire, hospitalitatem exercere, esurientes pascere, agris intervire, mortuos sepelire, largas eleemosynas distribuere valeat. Fateor, præclara ista sunt opera; & vix ulla magis in sacris paginis commendata, atque eleemosynæ: Eccli. 3. *Eleemosyna à morte liberat, & ipsa est, qua purgat peccata, & facit inveniri misericordiam, & vitam æternam.* Et in Evangelio legimus, Supremum Judicem in die iudicii, ita opera misericordie corporalia laudaturum, tanquam si nullius alterius operis boni meminisset, *Venite Benediciti Patris mei: esurivi enim & dedistis mihi manducare.* &c.

At animas pascere, verbum Dei prædicando; morbos spirituales depellere instruendo, mortuos ob peccata, vitæ gratiæ restituere, absolvendo, aliæque Charitatis & misericordie spiritualis opera præstare, an non longè illustriora sunt opera? Si tanta promittit Christus illi, qui juvat corpus egeni, quod tamen non rarò Deus vult affligere; quid præmiû & laudis

obtinebit, misericordia spiritualis, cum anima, pro qua Christus mortem oppetiit, adjuvatur? Plus quàm cælum distat à terra, & plus quàm cælum majus est terrâ, excedit zelus animarum, excellentissimam & privilegiis dotatam virtutem eleemosynæ. An non Redemptor noster ipse præclaro id exemplo docuit? Vocârat is ad munus Apostolicum non neminem, dicens: *Sequere me: cumque ille respondisset: Domine permitta mihi primum ire & sepelire patrem meum: Dominus auream illam sententiam: Sine ut mortui sepeliant mortuos suos: tu autem vade & annuntia regnum Dei.* Lucæ c. 9.

Idem docet S. Chrysostomus in Epist. 2. ad Corinth. c. 3. inquit: *Nihil est enim quod anima possit æquiparari, nec anivversus quidem mundus. Itaque etsi immensas pecunias pauperibus eroges, plus tamen efficies, si unam converteris animam.* Idem Homil. 3. in Gen. ait: *Vt anima corpore melior est, ita his qui indigentibus pecunias & facultates suppeditant, majoribus præmiis digni sunt hi, qui admonendo & continue docendo in viam rectam supinos ac desides inducunt, monstrando eis virtutum divinarum fragrantiam & vitiorum malevolentiam.*

Hæc aliæque motiva inflammarunt S. Ignatium, ut totus in eas actiones raperetur, ab initio conversionis usque ad vitæ metam. Exemplo est, quod egit Anno 1535. Asperitiæ, ubi indies catecheseos explicuit, ter in hebdomade, licet æger, ad populum dixit, tanto concursu, ut templum omnes non caperet, Clerum dissolutum & lubricum reformavit, lusum veritorum usum & abu-

sum sustulit, levem feminarum ornatum, tam potenti oratione perstrinxit, ut in fletum ingentem erumperent, facies cadendo laniarent, capillum evelerent, & ornatum periculosum in signum pœnitentis animi, publicè abjicerent. Leviculas personas ad pudorem adduxit, jurandi consuetudinem abrogavit: usum meridianæ preceationis pro peccato lethali obstrictis, induxit, Sodalitatem S. Sacramenti ad curam pauperum honestorum, & occultâ penuriâ pressorum, instituit: hæc fuere initia, postmodum in omni vita, continuata & mirè aucta. *Tanner. in Soc. apost. imit. p. 13.*

Ejusmodi quoque zelus, instar venti vehementis, impellebat S. Indiarum Apostolum Xaverium, ut nihil nisi animas peteret: *Domine da mihi animas*, quibus conquirendis una non sufficiebat regio, sed ferebatur ex Italia Goam, Goâ in Indiam, in Malabariam, in Travancoridem, in Insulas Molucas, in Japoniam, denique in Chinam. Ut vita ejus recenseret.

Non absimilis zelus stimulabat S. Franciscum Borgiam, cum enim P. Jacobus Laynez secundus Societatis Jesu Præpositus Generalis, jussisset scribere, quotquot desiderarent, vel proficisci ad Indos, vel pueros docere Grammaticam, in Europa: suâ manu scripsit: optare se apud Indos sanguinem fundere pro salute animarum & Christi nomine, peteréque, ut ad hoc juvaretur: veluti *in vita ejus refertur*. Idem zelus in innumeris viris Apostolicis Societatis nostræ eluxit, quos partim Confessores, partim Martyres, gemino tomo Tannerus complectitur.

Quapropter Charissimi si quandoque Cacodæmon, tranquillitatis ac quietis vestræ hostis, ad vocationem vestram, sub prætextu vel solitudinis, vel austeritatis majoris, vel eleemosynæ dandæ, deserendam instiget; Instituti nostri excellentiam in memoriam revocate, & technas inimici facillè repelletis: vidistis enim Institutum nostrum quod Apostolicum est, & non solum propriæ salutis & perfectionis studio, sed etiam alienæ, ex fine præcipuo, occupatur; aliis, orationi, contemplationi, psalmodiæ & choro duntaxat vacantibus, esse excellentius: Quemadmodum Christi Domini, S. Joannis Baptistæ, S. Antonii, & S. Benedicti exemplo, nec non Doctoris Angelici testimonio comprobavimus. Vidistis quoque Institutum nostrum, alia rigidiora transcendere, tum quia Christum sequimur, multis opitulamur, & charitatis, virtutis omnium præstantissimæ operibus concatenatis inhaeremus, quod S. Chrysostomi sententiâ, omnibus austeritatibus anteponitur. Vidistis Instituti nostri labores, eleemosynis, aliisque misericordiæ operibus corporalibus præcellere, quia spirituales sunt, & circa animam millies corpore præstantiorem versantur. Quæ rationes S. Patriarcham nostrum, S. Indiarum Apostolum, S. Franciscum Borgiam, tanto zelo & fervore succenderunt. Eadem igitur & nos in vocatione, ejusdemque æstimatione, non solum confirmet, sed etiam ad omnia charitatis & zeli opera, Instituto nostro consentanea, strenuè exercenda, regnumque Dei, pro viribus, omnibus annuntiandum animent, & inflamment.

EXHOR-



EXHORTATIO VI.

IN REGULAM II.

Ostendit, quàm sapienter S. Ignatius, ad finem Societatis consequendum, impedimenta removerit, media suppeditârit.

T H E M A.

Quis putas, est fidelis servus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam? Matth. cap. 24.

Vel ex Regula.



Ue m a d m o d u m
Divina Bonitas
S. Ignatium ele-
git in Ducem,
Antesignanum,
& Authorem So-
cietatis JESU,
sic eidem admi-
rabile lumen, sapientiæ & prudentiæ,
tam humanæ, quàm divinæ liberaliter
ad omnia in Societate sapientissimè ad
finem præscriptum ordinanda commu-
nicavit. Si quis enim penitiùs inspi-
ciat, quàm multa, quàm varia, ex-
tra exemplum aliorum Ordinum &
fancita Canonum, in Religionem
suam, cum summa Pontificum &

Concilio Tridentini approbatione, in-
vexerit, non dubitabit illum inter sum-
mos Theologos & Viros sapientissi-
mos accersendum. Si quis perpenderit
quàm cautè & prudenter impedimenta,
quæ salutem propriam & alienam re-
tardare poterant, amputaverit; sentiet
in eo sapientiam Orbi regendo parem,
quam in eo agnovit Julius III Pontifex
maximus: qui datum Ecclesiæ dixit ad
instaurandas illius per orbem labes: si
quis consideraverit, quàm apta & con-
venientia ad finem Societati præscri-
pserit media, quibus & ipse in guber-
nando usus, & suos ad finem intentum
uti voluit, agnosceret in eo sapientiam
totius Ecclesiæ Dei gubernandæ capa-
cem,

cem, ut agnovit Joannes III. Lusitanæ Rex, qui illum optavit in Petri Sede Pontificem, & cæli claves moderantem. Ob hanc summæ sapientiæ opinionem Ferdinandus I. Imperator nisi illo consulto, nihil prius Romæ ab Oratore suo tractari passus. Et Cardinalis Cueva, de ejus obitu certior factus, scripsit; Ecclesiam prudentissimi omnium capitis jacturam fecisse. Hanc autem prudentiam profus admirabilem S. P. ostendit, dum 1. finem nobilissimum Societati præfixit, de quo supra diximus. 2. Dum de mediis aptis, diu multumque consultando, Deum pro luce impetranda indefinenter oravit, meditando diu singula perpendit, aliorum prudentum consilia adhibuit. 3. Ex allatis in consultationem, judicium tulit, inutilia ab utilibus, mala à bonis secrevit. 4. Illa rejecit, meliora & aptiora ad finem prælegit & Societati præscripsit.

Hæc igitur duo, quomodo impedimenta huic nobilissimo fini contraria removerit, & media aptissima Societati tradiderit, in præsentī Exhortatione exponemus.

I.
S. P. Ignatius
impedimenta
Societatis
removit.

I. Impedimenta removit S. P. N. quæ Societatis fini obstare poterant: Nam 1. *Primum impedimentum* est certus habitus: hic enim valde obfuisse fini Societatis; cum in eo non licuisset comparere inter infideles & hæreticos; qui in locis quibusdam pestilentioribus nostros hoc habitu incedentes lapidassent: quare à necessitate vestitus proscripsit & formam, & colorem, & materiam certam;

sed inter fideles quidem versantibus voluit esse Clericalem, honestum, & ad usum loci, in quo vivitur, accommodatum, neque professioni paupertatis repugnantem: inter infideles autem & hæreticos, quemcunque genio incolarum & propagandæ fidei, magis accommodatum.

2. *Alterum impedimentum* est chorus, hinc S. P. N. tametsi ipse plurimum ad illum afficeretur, choro etiam & psalmodiâ suos absolvi voluit, ne in occupationibus continuis ad auxilium animarum pertinentibus, impedirentur; laudantibus salutare hoc propositum summis Pontificibus illudque confirmantibus constitutione, quæ incipit: *Ex Sedis Apostolica.*

3. *Tertium impedimentum* est certæ penitentia: quæ impedire possent labores Apostolicos: hinc neque ullam certam in corporis afflictionibus, ex obligatione subeundis, jejunii, cilicii, & aliis id genus mortificationibus, communem mensuram præscripsit (licet hæ non minus in Societate, quàm in alia quavis Religione per DEI gratiam vigeant) sed unicuique assumendas permisit, quæ illi viderentur, cum approbatione Superioris, ad majorem sui Spiritus profectum convenire: scilicet ne nocuum vitium inde passi, à majoribus pluribusque bonis peragendis, in procuratione animarum, impedirentur.

4. *Quartum impedimentum* est vita passim inusitata hominibus: Nam S. P.

S. P. non voluit nostros nudipedes incedere, grossis cucullis indui, sine lecto dormire; sed vitam communem agere, ut magis conformiter, iis, quibuscum agerent, in exterioribus se habendo, facilius in animos influerent, idque conformiter ad vitam Christi: de quo, motâ quæstione, Sanctus Thomas de Aquino, fueritne conducibilius, Christum cultu austero, victuque incedere, an verò communi & familiari? Negativè respondet: *Nam, qui cum aliquibus conversatur, inquit, convenientissimum erit, ut se illis in conversatione conformet, secundum illud Apostoli, 1. Corinth. 9. Omnibus omnia factus sum: & ideo convenientissimum fuit, ut Christus in cibo & potu communiter se, sicut alii, haberet. Et iterum. Dupliciter homines attrahuntur ad bonam vitam, quidam etiam per speciem sanctitatis, alii per viam familiaritatis. Dominus autem & Joannes diviserunt sibi duas vias: Joannes, imò Dominus per Joannem elegi sibi viam austeritatis, pro se elegit viam lenitatis.*

5. *Impedimentum* retardans lucrum animarum, est merces pro ministeriis spiritualibus, ideòque Sanctus Pater interdixit nostris omni mercede, precio, vel stipendio pro ministeriis & laboribus quibusvis etiam eleemosynæ nomine accipiendo, tum ut Hæreticis, Sacerdotes pro sacrificiis & indulgentiis pecunias acceptantes, cavillantibus os obstrueret, tum ut non muneribus corrupti, vel pecuniâ, sed plenissimâ libertate nostri cum proximis versari possent.

6. *Impedimentum* obmovent negotia sæcularia: quare ne hæc nos implicarent, relegavit ac vetuit nostris, sæcularium negotiorum, quæ ad rationem, ut vocant, statûs, pertinent, qualia sunt connubia, pacta, fœdera, & bella Principum, aliâque etiam propinquorum negotia & litium tractationem; ne per hæc in auxilio spirituali animarum impedirentur, & tempus nobilissimum in illis tereretur: Solent enim ea dies integros absumere, verb. grat. ad eundem, consulendo, monendo, excitando Advocatos, Procuratores causarum, Judices, Patronos, &c.

7. *Septimum & grande Impedimentum* Societati causaturæ erant Prælaturæ, Episcopatus, aliæque dignitates; ad hoc amoliendum S. P. N. omnium maximè nostris dignitatum Ecclesiasticarum admissionem prohibuit, ad quas repudiandas, voto speciali, Professos obstringendos sanxit, nisi quempiam ad earum acceptionem contingeret præcepto sub culpa mortali, à summo Pontifice adigi. In quo non ea solum Ignatio causa fuit, quòd Societatis homines, ex propria Instituti ratione, ad diversa loca peragranda & vitam in quavis mundi plaga agenda obligatos, contingeret ita ad certam Ecclesiam & Diœcesin alligari; sed vel maximè, quia primariis sui cœtus capitibus ad Infulas promotis, veluti flore suo ac vigore orbatam, necesse foret emarcescere, perinde ac si è corpore laboribus improbis destinato evaporent Spiritus maximè vivaces, quibus se vegetat

vegetat & agit. Ut taceam ingens ambitionis in Societate periculum, præ quam in aliis religionibus, ad ejusmodi dignitates, tædio disciplinæ, fastidio munerum, opinione propriâ talentis suis inferiorum, frustratione gradûs Professorum, doctrinæ, & nobilitatis stimulo, quæ in obsequio Principum passim versantibus proniora captati essent. Et licet pauci illis honoribus potirentur, non pauci tamen ad eos grassarentur. Prout videmus in aulis Principum: si vel unus ad ejusmodi fortunatas Insulas applicuerit prosperè, sexcentos navem bonæ spei conscendere, & licet in eorum oculis navim alii totidem fregerint. Semel autem vela ejusmodi auris pendentes, ministeria sibi domi deligere contendunt, neque admittent, nisi sublimè ac splendidum, quo nominis auctoritatem concilient, cujusmodi sanè non erunt fidei Christianæ & Grammaticæ rudimenta pueris tradere, nosocomia & carceres visere, dicere ad servitia, pagos, villas, montana pedes concurrere, in alias regiones, ubi spe improbâ excidere necesse sit, demigrare, & alia quam plurima, quorum vicissitudine vix ullum eximi in Societate contingit.

Hæc si bene perpendamus, admirari debemus admirandam Sancti Patriarchæ nostri sanctitatem & sapientiam, gratiasque DEO agere, eumque collaudare quod tantam Sancto Patri sapientiam impertitus fuerit, quâ omnia hæc gravissima impedimenta à Societate removerit, quibus non amotis, si-

nem Societatis, qui est propria & aliena salus, & perfectio nequaquam obtineri potuisset.

II. Vidimus quæ Sanctus Fundator impedimenta à sua Societate proseripserit, nunc videamus, quæ media suggesterit, quæ arma ad bellanda prælia Domini suppeditarit ad finem præfixum assequendum, ut scilicet primò nos ipsos perficiamus, ne fortè cum aliis prædicaverimus, ipsi reprobi efficiamur; deinde perficiamus alios ad hunc finem geminum.

1. *Primum medium*, quod S. P. suppeditavit nobis, DEO illuminante est oratio mentalis, cui quotidie ante alias omnes occupationes horam solidam impendimus: & hanc S. Pater noluit sistere in dulci quadam & speculativâ cœlestium contemplatione, in qua veluti scopo sanctè alii religiosi conquiescunt; sed orationem maximè præcticam præscripsit, quâ in affectiones mentis, ordinem rectè agendi præcipuè turbare solitas, DEO & rationi perfectè subigendas incumbamus, & eam ad animum in actiones cum proximo exacuendum dirigamus.

2. *Alterum medium* est conscientia discussio; nam ad finem eundem collimari iussit duplex quotidie examen conscientia, ut defectus in perfectione propriâ & in conversatione cum proximo admissos corrigeremus, atque ità & nos & proximos meliùs perficeremus: quibus accedit examen particulare, ad defectum unum post alterum faciliùs funditus extirpandum,

II.
Media
opportuna præ-
scripsit.

pandum, virtutemque unam post alteram inferendam.

3. *Tertium medium*, est crebra & varia recollectio animi; nam huc direxit, triduanas quovis semestri, octiduanas quolibet anno, & subinde mensuram recollectiones seu exercitia, quibus omnibus ad naturæ impetus coercendos, affectus & passiones fröandas, iudicium & voluntatem frangendam collimare suos voluit, ut sine periculo salutis propriæ, alienis malis mederi possent, ne alioquin instat pedamenti aut stiptis adminiculando frugiferis vitibus, ipsimet inarelcerent, ignique æterno servarentur.

4. *Quartum medium* convenientissimum est biennium Novitatus, præter morem aliorum Ordinum, ut solidius mortificationis: orationis & virtutum fundamentum collocerent, aliosque tutius juvare possent. Quam multi enim adhuc sunt in virtute, post primum annum debiles, qui certè non absque periculo, vel sanè cum exiguo fructu cum proximis agerent. Dein se post studio & doctrinam, addidit annum tertie probationis, in quo tanquam in schola affectus, reperfectum per studia spiritum instaurarent, atque accenderent, ac deinde ad agendum eum proximo inflammati penitus emitterentur, omnibusque, quibuscum agerent, ignem injicerent.

5. *Quintum medium* omnino necessarium, studia disciplinarum, quæ ita exigit S. Fundator, ut sine illis ad professionem admitti neminem voluerit, nisi excellenti humanâ Divinæque sapientia imbutum, videbat enim haud

posse citra propriæ regulæ periculum idoneos fieri, qui ad omne genus hominum, in quamlibet mundi partem mittantur (quod proprium est Professis) nisi penes eminentem virtutem excellenti simul doctrinâ fulgeant; prout experimento edocta agnovit S. Theresia, dicere solita, Confessarius eligendus esset, aut magnæ Sanctitatis, sed exiguæ doctrinæ, aut econtra eximia sapientiæ cum minori virtute, hunc à se præferendum: Didicit id Ignatius ex ipsius Salvatoris exemplo, qui vetuit Apostolos ante in mundum universum dispergi ad mortaliæ conversionem, quam imbuerentur spiritu ex alto, & cum ejus supervenientis in se virtute acciperent unâ omnem sapientiam & scientiam loquendi magnalia Dei.

6. *Sextum Medium* apertissimum fuit, consilium illud admirabile & sine ullo priore exemplo, constituendi suam religionem, non ex solis Professis; sed diversis graduum statibus, Coadjutorum tam spiritualium quàm temporalium, & Scholasticorum: quorum isti, tametsi per vota simplicia veri Religiosi, ex causis tamen justis ab iis absolvi & à Societate dimitti possint.

Quemadmodum inter Christi Domini sectatores non omnes fuere Apostoli, sed quidam etiam velut Apostolorum, sub nomine Discipulorum, Coadjutores. Quæ licet ab Institutis aliorum Ordinum ad eò diversa, & Canonibus vetustis contraria, cum Concilio Tridentino summopere probârunt Pontifices; & juxta Divinæ vocatio-

nis dispositionem emat asse pronuntia-
vit Gregorius XIII. in Bulla; Quacun-
que.

Quam præclarum verò medium sit
diniſſio, qua incorrigibiles & ſcat-
doloſi, velut cadavera à Societate emittun-
tur, docet experientia. Unde illud Sa-
pientiſſimi, cujuſdam ſanctiſſimæ Reli-
gionis Præpoſiti Generalis reſponſum
fuit, dum rogatus, quem inter Ordines
Religioſos munitiſſimum putaret ad-
verſus detrimenta primigenii vigoris?
Societatem Jeſu nominavit, ut quæ op-
timum quemque retineret, non ſinendo
ad dignitates Eccleſiaſticas abſtrahi, &
deterrimum quemque ac reprobum è
gremio ſuo ejiçendi poteſtatē haberet.

7. *Septimum* illudque excellentiſſi-
mum *Medium* eſt prompta obedientia:
voluit enim S. Ignatius alumnos ſuos
ſemper in procinctu ſtare, ad capeſſen-
das quocunq; gentium miſſiones pro-
vocationis noſtræ munere & Inſtituto:
quemadmodum in militia moris eſt, ut
ad occurrendum quovis loco & tempo-
re hoſtibus parati animatique ſtent. Ita
Profeſſos obſtringi voluit ſine omni vi-
atico provolare ad extremas orbis regi-
ones, quoties Vicarius Chriſti annuerit.
Et hanc voluit noſtram eſſe teſſeram:
*Ab aliis Religioſis Ordinibus patiamur
faciliùs nos ſuperari jejuniiſ, vigiliis, &
ceterâ cultûs viſtûſque aſpernate; ſed
verâ & perfectâ obedientiâ abdicationeq;
voluntatiſ & judicii maximè velim eſſe
conſpicuos, quicunq; in hac Societate
Deo Domino noſtro deſerviunt;* ſcribit

in Epift. de Obed. Taceo media alla, qui-
bus priùs nos perſeſimus, uti ſunt 1. Ex-
hortationes, conferentiæ, exhomolo-
geſes, Synaxes, colloquia ſpirituaia,
lectio aſcetica, inſtructio privata 2. Me-
dia ad ſalurem & perfectionem proxi-
mi, ut ſunt doctiões conciones, cate-
cheſes, colloquia, Sacramenta pœnitentia
& communionis, exercitia, &c.

Hæc & alia plura præſtantiſſima ſanè
media ſunt à Deo S. P. N. inſpirata, &
ab hoc Societati univerſæ communica-
ta, ut aſſerit Gregorius XIII. in Bulla:
Quanto fructuoſius: Spiritum S media
tam præclara, maximeq; opportuna S.
Sedis miniſterio Sociiſ Ignatiſ tribuiſſe
atque cõfirmariſſe. Ea verò in dubium
revocare, impugnare directè vel indi-
rectè, vel enervare ſub pœna excommu-
nicationis latæ ſententiæ prohibuit Gre-
gorius XIV. conſtitutione *Eccleſia Ca-
tholica*.

Quapropter Deo & S. P. N. gratias
in mortales referamus. 1. Quod impe-
dimenta tam varia ſuſtulerit, quæ nos
ſummè in propriæ alienæque ſalutis ac
perfectionis ſtudio retardâſſent. 2. In-
gentes quoque eiſdem gratias agamus,
quod media tam præclara, tam op-
portuna & neceſſaria nobis commu-
nicarint, & ſtatueamus, ne minùs gra-
tiſimos, iſdem ſtrenuè uti ad finem
Societatis, ad propriam alienamque
ſalutem & perfectionem conſequen-
dam, ad magni Dei ac Domini
noſtri honorem & gloriam.

Athen.



REGULA III.
DE INDIFFERENTIA LOCORUM.
EXHORTATIO I.
IN REGULAM TERTIAM SUMMARII.

T H E M A.

Euntes in mundum universum. Marci 16.

V E L

Nostræ vocationis est diversa loca peragere. Reg. 3.



Uemadmodum viris
Propheticis, Aposto-
licisq; proprium est,
non latere in domus
angulo, aut abscondi
sub modio; sed im-
poni candelabro, & lucere omnibus, qui
in Ecclesiæ domo sunt, atque inlar so-
lis circumire, & veritatis, fidei, ac perfe-
ctionis radios quaquaversum diffunde-
re: ita quoque Societati nostræ innatum
est, diversa loca peragere, vitamque
in quavis mundi plaga agere; ubi ma-
jus Dei obsequium, & animarum auxi-
lium speratur. Aspiciat Moyseu, Eliam,
Isaiam, Jeremiam, Ezechielem, Danie-
lem, cæterosque Prophetas, quid fuere,
nisi mundi soles, ubi vis tenebras dissi-

pantes, Dei que oracula ac mandata Re-
gibus ac populis annuntiantes? *Ad om-
nia, qua mittam te, ibis:* ait Dominus
Jeremias c. 1. 7. Pari ratione intuemini
Apostolos, Petrum, Paulum aliosque,
quid erant, nisi mundi luminaria ful-
gentissima, infidelitatis & malitiæ cali-
ginem è mortalium cordibus ejicientes,
Vos, inquit Christus, estis lux mundi
Matth. 5. 14. Lux non unius pagi, oppidi
aut regni; sed mundi universi: *Euntes in
mundum universum, predicatè Evan-
gelium omni creatura.* Marci 16. Ita
quoque homines Societatis JESU,
tanquam Apostolorum imitatores,
non occultantur sub modio; sed supra
candelabrum collocantur, ut luceant
omnibus qui in domo sunt, indifferen-

tes ad omnem locum, populum, missionem, ut luceant omnibus & doctrinae Christianae radiis perstrigant universos. Quod si quis hoc refugeret, aut abhorreteret; merito tanquam à spiritu Apostolico & Ignatiano alienus, erubesceret: *Pudeat*, ait S. Bernardus ferm. 66, in Cant. *Successores Apostolorum lucem non esse mundis sed modis.*

Geminas igitur adducemus rationes, hanc nobis indifferentiam ad quævis loca persuasuras. 1. ma est, nos esse de Societate. 2. de Societate JESU.

¶
Ratio indifferentiæ
ad loca est
Societas.

I. Ratio prima, quæ hanc ad quævis loca indifferentiam ac promptitudinem persuadere, nosque ad eam amplectendam potest permovere, desumitur ex etymo Societatis: Quid enim obsecro, est Societas, nisi cohors, sive turma militaris, sub Christi Domini ac Ducis sui labaro militans; Constat autem in militibus, requiri ad quævis loca indifferentiam, sive intra regnum, sive extra, Dux, eorum operâ, contra hostem, indiguerit. Imperatores Ferdinandi suos habuere Duces cum exercitibus, Tampierios, Bucquoyos, Tiliios, Papenheimios, semper in procinctu stantes, paratosque ad occurrendum hosti, sive in Bohemiam, sive in Hungariam, sive in Germaniam destinarentur. Similiter modernus Imperator noster Leopoldus varios Duces strenuos militiæ suæ præfecit, Lotharigum, Badensem, Eugentium, aliosque, qui jam in Hungariam, jam in Transylvaniam, jam ad Danubium, jam ad Tibiscum, jam ad Rhenum jam ad Padum prompti alacresque hosti obviabant.

Atque hæc est proprietas & virtus militaris; eum in finem miles conscribitur, armatur, & meret stipendia; militisque nomine & salario foret indignus, si vellet intra unius oppidimœnia delitescere, & ubi vis locorum cum hoste manus conserere detrectaret.

Pari ratione, Societas nostra militia est, seu Exercitus, pro Dei gloria & animarum salute, contra hostes Tartareos bellaturus. Cui jure aptari potest, in sensu partiali, quod Sponsus cœlestis de Sponta, id est, Ecclesia, in sensu totali & adæquato pronuntiat. Cant. 6.9. *Castrorum acies ordinata.* Et Cant. 1.9. *Equitatus meo in curribus Pharaonis, assimilatus te, amica mea: ad bellum te voco ac per te, hostes meos subjugare destino, animasque in captivitatem ab iis redactas, libertati restituere, eumque in finem temaria & terras celeriter permeare desiderio.* Hoc militiæ nomen & omen mox à Societatis primordio denique primi Patres in formula Societatis Paulo III. Summo Pontifici oblata, atque ab eo anno 1540. confirmata, professi sunt, dum hæc verbis eam auspiciantur: *Quicumque in Societate nostra, quam JESU nomine insigniri cupimus, vult, sub crucis vexillo Deo militare.* Deinde subjungunt: *Sciunt omnes socii, & non solum in primis professionis suæ feribus; sed quoad vixerint quotidie animo volvant, Societatem hanc universam, & singulos, sub sanctissimi Domini nostri Papæ & successorum ejus fidelis obedientia militare.* Denique additur, voto eos obstringi, ad eundem quocumque

cunque missi fuerint, sive ad Turcas, sive ad infideles, sive ad hæreticos, sive ad schismaticos, sive etiam ad quosvis fideles, imò etiam ad Indos. Jubenturque die nocteque succincti lumbos stare, ac ad tam grandis debiti solutionem paratos sese ostendere.

Constat igitur nos factæ militiæ albo inscriptos esse, adeoque oportere ex mente primipilorum Patrum nostrorum in ptocinctu stare; vel ut loqui S. Fundator noster solebat: *Societatis operaris, altero tantum pede, terra insistendum, altero ad iter suscipiendum elevato standum esse*; insinuans, eos minime certo loco, aut collegio affixos hære, sed potius de loco in locum, ubi animarum salus requireret, proficisci debere, & quod de S. Paulo dictabat Chrysostomus; *quasi pennatos, totum orbem pervolare paratissimos esse, oportere.*

Quare Charissimi, hanc in tyrocinio indifferentiam & promptitudinem addiscamus, à parvis inchoando, ut postmodum velut generosi pugiles idem in magnis præstemus. Discamus ad nutum superiorum stare succincti, unumque pedem quasi elevatum tenere; non imitemur degeneres S. Ignatii filios, qui non uno, sed ternis quaternis aut pluribus nonnunquam insistent pedibus, tot scilicet quot Atlantes numerant, quibus consili in eodem loco detinentur, & vix aut ne vix quidem aliò transferuntur: potius non degeneremus à præcellis cogitationibus filiorum Dei, & Societatis nostræ heroum, qui sive in Chinam, sive in Japoniam, sive in Brasiliam, sive in Ma-

labriam, sive in Orientem sive in Occidentem, Dei & superiorum voluntate ablegarentur, alacres provolabant. Neque deest in provincia nostræ gloriæ divinæ campus, in quo tot missiones, in Septentrione, in Dania, Holsatia, Julia, Westphalia, & alibi patent: *nostra enim vocationis est militum instar diversa loca peragrarè.*

II. Ratio altera, quæ hujusmodi nobis indifferentiam ac promptitudinem persuadeat, est, quòd simus de Societate JESU, & Socii & milites JESU, quos à Duce suo avelli minime decet, sed exemplo ipsius diversa loca, animarum lucrandarum gratiâ permeare. JESUS Dux noster, minimo tempore commoratus est Hierosolymæ, sed modò in Galilæam, modò in Judæam, modò in Samariam profectus est, civitates & vicos ac castella perlustrando, omnibusque annuntiando Regnum Dei. Ecce Dux tuus præit, si socius ejus ac miles es sequere, nec ab ejus agendi modo deflecte, cum sine hoc, genuinus ejus socios esse nequeas.

Hanc enim indifferentiam & promptitudinem ad quævis loca, collegia, officia, missiones, apostolicòsque labores, etiam in remotissimis regionibus, non existimes, accidens quodpiam, aut capillamenti instar, ornamentum esse Societatis JESU, sed cor & animam ejusdem, quod qui ei tollet, eandem è vivo corpore in frigidum cadaver transformaret, in ipsa substantia mutatum: Quemadmodum enim qui Anachoretis solitudinem & silentium, Monachis psalmodiam & jejunium,

II.
Societas
JESU,

nium, Fratribus minoribus nuditatem & sacco, Stylitis columnam & vigilas eriperet, eos animâ planè ipsâ spolaret, & in cœtus omnino alios commutaret; ita pariter si à Jesu Societate sustuleris indifferentiam locorū, promptitudinem mutationum, desideria ardentia sacrarum expeditionum, susceptionem, ubivis terrarum, Apostolicorum laborum; non remanebit Societas Jesu, & Apostolicum agmen, quod Dominus Jesus ad excindendas hæreses, illustrandos infideles, erudiendosque veræ religionis, aut pietatis expertes, conscripsit. Ex quibus sole clariùs elucescit, quàm virtus ista sit nobis necessaria.

Deinde; si sumus è Societate Jesu, id est, milites Jesu, mundo exempti, & in ejus famillam exercitumque adlecti, qui ejus amore patriam, parentes, amicos mundumque omnem prompti reliquimus; ita ut nobis dici queat, quod Apostolis: *Vos non estis de mundo.*

Igitur omnis terra & nulla terra nobis debet esse patria. Exemplum præbet nobis S. Basilius, cui cum præses minaretur exilium (ut scribit S. Gregorius Nazianzenus in oratione funebri de laudibus Basilli) respondit: *Ego verò nec ullum exilium cognosco. qui nullo loco circumscriptus sum; neque hanc terram, quam nunc colo, meam habeo, & eam omnem, in quam projectus fuero, pro mea duco.* Ita pariter totus terrarum orbis, & patria nobis fit, & exilium: patria quidem cujus Incolas ad salutem & perfectionem dirigamus; exilium verò cujus commoda penitus despiciamus. *Domesticus Des, exulest mundi,*

ait S. Ambrosius serm. 7. in Psalm. 118. Cui si etiam innum corde affixus hæreat, jam servus Dei ac domesticus esse haud poterit cochleæ domoportæ non absimilis. *Velut cochlea,* ait S. Ambros. libr. 1. de Abel *quæ nisi intra testæ operimentum spirare non possunt.* Ita illi qui aliò missi, domos & collegia secum trahunt, neque verò ea tergo vehunt; sed inimo pectore concludunt, indifferentiæ, & promptæ obedientiæ, virtutis nobilissimæ, penitus expertes.

Aperte tam indignam pectore religioso sarcinam, & conquerere omni studio allabora, necessariam ad eò JESU Socio, ad quascunque regiones & stationes indifferentiam, ducem tuum Jesum sequere, qui tibi inelamat: *Ubi ego sum, illic & minister meus erit,* libensque commorabitur.

Quæ cum ita sint, Charissimi, si spiritu Apostolico repleti, eoque agi desideretis, si lux mundi esse cupiatis: indifferentiam hanc ad quascunque provincias, missiones, domos, functiones, cum gratia divina, procurete: successores Apostolorum pudeat esse, non lucem mundi, sed modii: hoc Societas in quam adlecti estis, hoc militia exigit, hoc militaris obedientia requirit; quam qui sequi recusat, ignaviæ dedecus haud effugiet. Hoc postulat à vobis Societas Jesu, exemplum Jesu, qui de regione in regionem, de castello in castellum, de civitate in civitatem obambulando, animasque quaerendo vobis prævit: hujus nisi vestigiis insistatis, ejus socii & comites non estis, quibus omnis tellus & nulla tellus patria sit oportet: sed potius cochleis

cochleis infelicissimis domui suæ tenaciter adherentibus, similes eritis: quod longè absit à fidelibus Jesu lociis, & S. Ignatii filiiis genuinis, quibus illud semper in corde & ore versetur: Totus mihi mundus & patria est & exilium: non illic vivo ubi dego, quoniam in omnibus mundi partibus vivere cupio, quas Apostolicis laboribus stadium esse, per superiores, Christus mihi demandârit. Illa mea regio est, in qua luce veritatis populos infideles illustravero; illa mea

patria est, in qua hæresi infectos in gremium Ecclesiæ reduxero: illa mea terra est, in qua Evangelium annuntiare, juventutem erudire, Sacramenta administrare, & Patris æterni gratiam, Divinæ legis desertoribus recuperare poterò. Quisque Christi amore paternam domum ex animo deseruit, ac Dei gloriam animarumque salutem sitit, in omni tugurio domum & in quovis mapali palatium invenit.



EXHORTATIO II.

IN REGULAM III. SUMMARI,

Docet variis exemplis, ad quælibet loca, indifferentiam.

T H E M A.

Posuit eos, quasi equum gloriæ suæ in bello. Zachar. 10. 3.

V E L

Nostre vocationis est, diversa loca peragrarè. Ex Reg. 3.



Societas JESU minima, uti exhortatione proximè præcedente insinuavimus, exercitum volantem seu equitatum, ad hostibus Ecclesiæ, quovis loco &

quavis occasione, occurrendum resistendumque paratissimum refert: In hoc equitatu sociorum quilibet se veluti jumentum, quod ad omnia indifferens & paratum est, cum Davide reputet, aut quasi equum gloriæ divinæ esse se existimet: *Posuit eos quasi*

quasi equum gloria in bello, ait Zacharias Propheta c. 10. Equus, ait S. Greg. lib. 31. moral. cap. 11. est predicator, qui habet fortitudinem, quia adversa constanter tolerat, habet hinnitum, quia ad supernablandiens evocat. En ergo equum insigne Apostoli ac viti Apostolici hieroglyphicum, qui quaquaversum velociter volitare gestit, ubique Christum sessorem tanquam equitem, rectorem & excitatorem, ad infidelitatem, & vitia sternendum, ad Reges & Principes subjugandum, animosè circumfert; nullis frangitur laboribus, nullis cedit difficultatibus, nullis periculis terretur; sed omnia generosè transilit & subigit. Verè equus gloriæ Divinæ propagandæ idoneus, equus gloriosus & speciosus; ut vertit Interpres Syrus, equus promptus ad omnia, & strenuus in bello; ut vertit Arabicus.

Ejusmodi equum gloriæ promptum ac strenuum fuisse imò Christum Dominum, 2dò Apostolos. Ac 3tò primos Societatis nostræ Patres præsentis exhortatione demonstrabimus.

I. Exemplum primum promptitudinis, indifferentiæ, & strenuitatis nobis exhibet Rex & Dux noster, Dominus JESUS Christus equitatus nostri Generalis Archistrategus; sanè Equus generosissimus gloria in bello, de quo Apoc. 19. 12. legimus: *Et ecce equus albus, & qui sedebat super eum, cum iustitia pugnat, in capite ejus d'ademata multa* (ob multiplices victorias) *& vestitus erat veste aspersa sanguine* (pugnavit enim usque ad sanguinem,

usque vulnera & mortem) *& vocatur nomen ejus, Verbum Dei, & in vestimento ejus & femore scriptum, Rex Regum & Dominus Dominantium; & exercitus sequebatur eum in vestibus albis, vestiti byssino albo & mundo. Et ecce equus albus.* Viegas aliique Interpretes per hunc equum album intelligunt Humanitatem Christi, per sessorem, Divinitatem, seu Verbum Dei. Hic igitur equus albus, hic equus Divinus, hic Rex & Dux noster præcedit, varii Ordines & turmæ virorum Apostolicorum sequuntur; præcedit, exemploque suo docet, strenuè ac promptè ubivis locorum instat generosè equitis discurrere & pro gloria Dei decertare. Quid enim toto prædicationis suæ triennio egit aliud, quàm de loco in locum, de civitate in civitatem, de regione in regionem transcurrere, omnibus regnum Dei annuntiare, omnes ad pœnitentiam, ad cognitionem & amorem Dei invitare, variisque beneficiis ac prodigiis eos, quibuscum conversabatur, allicere. Nec opportunitatem loci, quam ubique reperiebat, necesse erat quærere. Hoc enim unum gloriæ patris, & animarum salutis negotium tractabat in templo & domibus privatis, hoc tractabat in vicis & castellis, in montibus & desertis, in mensis & ipsis vitiis: hoc agebat cum magnis & parvis, cum Legisperitis & Pharisæis, cum publicanis & peccatoribus, cum piscatoribus & quibusvis hominibus, totus iis, quæ Patris sui erant, occupatus, & Regno Dei ubique propagando impligrè, fideliterque intentus

rentus, usque ad defatigationem, usque ad sanguinem, usque ad vulnera & mortem.

Hoc Regis ac Ducis nostri exemplum, Charissimi, si equi gloriosi in bello, si strenui JESU velimus esse Socii, nobis imitandum est; *Exercitus eum sequebatur in vestibus albis*, ait S. Joannes in Apoc. I. c. In quovis loco, siue inclinatione ad hunc vel illum, oportet nos gloriam regni Dei, hominumque erga Deum subjectionem promovere. In quovis loco, siue differentia, decet nos dura hominum corda salubribus contritionis lachrymis emollire; atque ad vitam meliorem, inò perfectam traducere, & è Caco-dæmonibus Angelos efficere. In quovis loco convenit, siue hæsitacione non curiosa, non inutilia; sed Christum Crucifixum prædicare: *Non in sapientia verbi, & sublimitate sermonis*, ait Apostolus, *ut non evacuatur crux Christi*: In quovis loco siue discrimine, quò obedientia nos ablegaverit, oportet nos cognitionem & amorem Dei, inter ignorantie tenebras, omnium quibuscum versamur, mentibus inferre; idque Christi exemplo, in vicis & oppidis, in mensis & viis, verbo, ubique. *Cognitionem* inquam, non *speculativam*, sed *practicam*, quâ ea, quæ tantæ Majestati debent, cognoscant, ei se subjiciant, serviant, colant, timeant, ament, ac sanctissimas ejus leges, & amicitiam, quas hæctenus divitiis, honoribus & voluptatibus postposuerunt; imposterum rebus omnibus, suæque vitæ, si opus sit, præponant: atque ita non tantum salutem, sed

etiam maximam perfectionem, ad majorem Dei gloriam æternam, consequantur.

II. Alterum indifferentiæ, promptitudinis & generositatis exemplum præbuere Sancti Christi Domini nostri Apostoli: quos *posuit quasi equos gloriæ in bello*, ut nomen Christi, fidem & Evangelium in omnem terram deferrerent, ac ubique gentium promulgarent, ad quævis loca promptissimi; ac tales, qualem S. Gregorius l. 21. moral. c. 11. describit S. Paulum strenuum equum gloriæ in bello: *Qui fessoris sui (Christi) calcariibus excitationis exultat, tormenta non metuit, in occursum pergit armatis, & fervore accenditur*. Ita sanè Apostoli, nulla metuentes pericula, cuncta perrupere obstacula, ad quævis indifferentes loca, quò vel Spiritus Sanctus vel S. Petrus Apostolorum Princeps eos dirigeret, vel major Dei gloria & animarum auxilium evocaret.

Nam Apostolorum primus Petrus, profectus est Romam in Italiam; S. Andreas Frater ejus in Achaiam, S. Jacobus Hierosolymam, S. Joannes in Asiam, S. Thomas in Indiam, S. Jacobus in Hispaniam, S. Philippus in Phrygiam, S. Bartholomæus in Armentam, S. Matthæus in Æthiopiam, S. Simon in Ægyptum, S. Thadæus in Mesopotamiam, S. Matthias in Judæam. S. verò Paulus Apostolus, tantam generosus equus Christi in bello, quantam alacritate, quantam indifferentiâ & promptitudine, varias regiones percurrit, Asiam, Bythiniam, Græciam, Judæam, Italiam, Lycaoniam,

Macedoniam, Pamphiliam, Pisidiam & alias; cui Christi amor calcar addebat, *Charitas Christi urget nos*, ad currendum alacriter, ubicunque animarum auxilium ac Dei major gloria speratur. Quid si hi Apostoli vel difficultate vel vitæ periculis absteriti, eâ indifferentiâ caruissent, & nec Petrus Romam, nec Paulus Asiam, nec Jacobus Hispaniam, nec alii alias regiones adiissent; quantum Ecclesiæ damnum inde fuisset exortum? sanè nec Italia, nec Hispania veram fidem suscepisset; ac proinde quot hominum miliones ad æterna inferni supplicia descendissent.

Hos igitur pugiles, Charissimi, imitemur, & quocunque nos Deus per superiores destinavit, instar equi generosi, sine replica aut tergiversatione provolemus: & quemadmodum equum generosum non stabulum commodum, non pabulum bonum ab excursionem remoratur, nec scæni avenæque defectus in loco, ad quem properat, retardat: ita nec commoditas loci, unde exeundum, nos detineat, nec incommoda loci, ad quem pergendum est, absterreant; sed Apostolorum instar, nostri obliti, neglectis propriis commodis & honore, solam Dei gloriam intuendo, jam inter populares, jam inter extraneos, prout obedientia jusserit; jam peregrini, jam incolæ; jam exules, jam captivi; jam honorati, jam contempti; jam famelici, jam sitiundi, alienæ salutis ac Divinæ gloriæ inserviamus.

III. Tertium indifferentiæ, promptitudinis & generositatis exemplum
 Ignacius

præbet nobis S. P. Ignacius, unâ cum primis Sociis suis: quos Deus his ultimis calamitosis temporibus, in quibus phalanges infernales multiplicatæ, innumeræque Hæreticorum turmæ adversus Ecclesiam Sanctam insurrexere, ac novi orbes pro Christo expugnandi reperti sunt; posuit, *Quasi equum gloria in bello*: ut quocunque ex obedientia mitterentur, hæresi, infidelitati & peccatis sese opponerent, fidem propagarent, vitia excinderent, mores depravatos ubique locorum corrigerent, itaque gloriam Divinam strennè promoverent.

Cùm verò ex diversis essent nationibus orti, nec scirent, cui possimum orbis parti succurrerent anno 1537. haud procul Parisiis, in templo B. Virginis, in monte Martyrum, voto se obtinuerunt, quòd si intra annum in Palestina proficiscendi se non offerret occasio, summo Pontifici se sisterent, quocunque gentium placuisset, in animarum auxilium ab eo mittendos.

Atque ita hæc indifferentia ad quocunque rotius mundi loca cum ipsa societate nascente nata est. Moxque Regibus, Principibus, aut Episcopis postulantis, Pontifex maximus Julius III. in varia eos loca destinavit, Lainium Placentiam, Paschatium & Rodericum Senas, Bobadillam Neapolim, Jajum Balneoregium, Xaverium in Indiam, & quot is in orbe altero regna, regiones & urbes peragravit, Amboinum, Malacam, Travancoridem, Malabariam, Macazaram, Melindam, Manariam, Morum, Cambayan, Tolum, Ternaten, Tutucurinum, Soco-

& co. p.
mi Socii.

Socorum,
num. Comor
piscinarum
civitate & p
in Indiam
viri ejus
quoque qu
nam sum
mam,
struam
neq. pro
ran. Mos
tiam dei
dem rev
propag
tantes
emend
cionit
Ta
eratis
gloria
conqu
runt,
gione
nis ho
paupe
pomp
bus om
est salu
terre.
Vel ma
differen
tio rebu
P. Jacob
lente se
cand, qu
coca gen
pationum
pereuntes
S. Fundat

Socotoram, Mozambicum, Ceylanum, Comorinum, Mauricam, oram piscariam & alias, donec pervenit in civitatem & portum Amacuum, unde in Insulam Sancianam profectus est, ut vita ejus perhibet. Petrus Faber quoque quot regiones perambulavit? nam à summo Pontifice missus in Germaniam, ut Hæresi grassanti sese velut strenuum equum gloriæ Divinæ opponeret, profectus est Wormatiam, Spiram, Moguntiam, Coloniam, in Hispaniam deinde, tum in Lusitaniam, tandem reversus in Italiam, ubique fidem propagans, hæresi sese opponens, nutantes confirmans, mores corruptos emendans, & quâ colloquii, quâ concionibus omnes ad meliora excitans.

Tales oportet esse, generosos Societatis JESU pugiles, tanquam decoros gloriæ Divinæ equos procurrere, quocumque à Deo per Superiores missi fuerint, ad qualvis gentes, Provincias, regiones, & cujusvis status & conditionis homines, senes & pueros, divites & pauperes, doctos & indoctos, reges, principes, nobiles & plebejos, pro quibus omnibus Christus mortuus est, qui est salus omnium usque ad extremum terræ.

Vel maximè autem, hujusmodi indifferentia in Sancto Fundatore Ignatio refulsit: undè cum quodam tempore P. Jacobus Laynez desiderium ardens sentire se diceret, in Indiam proficiscendi, quod populos illos miseros, in cæca gentilitatis nocte agentes, ac operariorum Evangelicorum defectu pereuntes, in viam salutis revocaret: S. Fundator illi respondit: *Equidem*

nihil horum desidero: causam à Laynio rogatus: Quando quidem, inquit, obedientia voto summo Pontifici nos devinxerimus, ut ipse pro suo arbitrio & libitu, quocumque Dei gloria vocarit, mittat; ita nos convenit esse indifferentes, ut non magis in hanc, quàm in illam partem inclinemus: quin & addidit, si ego me in missionem Indicam, uti tu te facis, impelli ac trahi sentirem, in partem potius contrariam inclinare satagerem, ut ad illam æqualitatem, indifferentiamque pertingerem, quæ ad obedientiæ perfectionem obtinendam necessaria est.

Non absimilis quoque fuit indifferentia, præclari illius P. Hieronymi Natalis, quem cum S. P. roster fortè ad missionem quandam destinaret, ut suavius id fieret, quoniam ipse propenderet, interrogavit; respondit is scripto: se verò in neutram planè partem inclinare, præterquam in hoc, quòd in nullam inclinare vellet.

APOSTROPHE

A D

SOCIETATEM JESU.

O Societas JESU! (liceat mihi filio, matrem dulcissimam alloqui, cui se & omnia sua debet) quæ nullis affixa es regionibus, cui omnis tellus & nulla tellus est patria; quæ regnum JESU, toto orbe propagare satagis; quæ spiritum JESU Apostolicum à Deo accepisti; quæ terras & maria permeas, usque ad Sinas & Indos; quæ Cosmopolitam te reputas, & ad quælibet orbis terrarum

T 2

clima-

climata adeunda alacrem & indifferenter te offers; quæ famem, sitim, æstus, frigora, naufragia, persecutiones, mortes, martyria pro JESU fortiter subis: quæ aureis charitatis alis, gentes barbaras, pauperes, miseras, idololatras complecteris; quæ innumera animarum millia, in Tartarum ruentia eripis, & in Paradisum cœlestem traducis. Macte animo: perge quod pergis; age fortiter, quod agis: non parcas sudori, sanguini, vitæ tuæ: *Intende prosperè procede & regna.* Erit fructus labori tuo: erit merces operi tuo, & merces magna nimis; cum post te greges animarum orco ereptarum in patriam cœlestem deduces, ubi tibi in omnem æternitatem coram Deo & Angelis salutem suam acceptatam ferunt. Perge igitur, *tanguam equus gloria in bello*, quò Deus & obedientia te destinârit, perge fortiter, alacriter & constantex: nullis moveare periculis, nullis absterreare adversis aut difficultatibus: *Ardua per præcepta, gloria vadis iter.*

Quapropter, Charissimi, Christi Domini, SS. Apostolorum ac primorum Patrum nostrorum vestigia legamus: atque ad omnia collegia, domos, missiones & loca parva & magna, commoda & incommoda, pro-

pinqua & remota adeunda, *tanguam equi gloria in bello*, quàm paratissimimus. Utinam ea in nobis omnibus, non tantum in juventute, verum etiam in senio, foret animi æqualitas; ut idem, quod P. Natalis, superioribus ex indulgentia rogantibus, vel ut olim Christus cœcum: *Quid vis, ut faciam tibi?* sincero corde respondere possemus: *Inclino, ut ad nihil inclinem*: nuntum obedientiæ exspecto, aliud velle aut nolle ulterius non habeo. Statuamus firmiter hoc cœcorum solatium; *Quid vis, ut faciam tibi?* nunquam admittere, sed cum Paulo dicere: *Domine quid me vis facere?* Dicamus cum Abrahamo, Isaac, Anania: *Eccœ ego, mitto me*, quaquaversum: omnis tellus mihi patria est, nullus locus adeò sterilis, agrestis & horridus est, quem obedientiæ labor nequeat fecundare. Ubique virtutis, patientiæ, charitatis ac zeli exercendi campus pater: ubi vis gloria Dei vanum prostat: ubique repertiuntur animæ JESU sanguine pretioso redemptæ, ope & culturâ nostrâ indigentes. Quis scit, utrum Deus à loco hoc te non removeat, in quo te manere delectat, ne in æternæ salutis discrimina incidas, desideriiisque inordinatis irretitus, gehennæ ignis pabulum evadas?



REGULA QUARTA
DE VITA COMMUNI.

EXHORTATIO I.

IN REGULAM IV. SUMMARI.

Explicat nobilissimos fructus vitæ communis.

T H E M A.

Erunt illis omnia communia. Actorum. 4. 34.

V E L.

Ratio vivendi, in exterioribus, communis est. Reg. 4.

Duplicem licet distinguere vitam communem; unum quoad exteriorem vivendi modum, in victu, vestitu & aliis; & de hac, exhortatione sequente, tractabimus; alteram, quoad substantiam & bona Religionis; & de illa agemus in presenti. Sanè D. Chrysostomus vitam hanc Religiosorum communem, vitæ cælestis imaginem referre docuit L. 3. contra vitæ monasticæ impugnatores: *Qui in Monasteriis, inquit, degunt, conversationem planè cælestem elegerunt; rationemque protinus adjungit. Cuncta quippe illic*

*communis sunt. Ad hanc beatam communemque vitam, proximè, ut hæc fert mortalitas, accessere primi Christiani, qui sub Apostolorum directione, omnia habebant communia; & nemo aliquid sibi proprium esse dicebat. Ad hos verò proximè pertigere, religiosi ab illis exorti: nam primævi hi Christiani, teste D. Hieronymo L. de viris illust. sub Marco Evangelista, prima vitæ Cœn. biticæ fundamenta jecerunt; primique inter illos fuere Essai, Authore & Parente S. Marco; de quorum sanctitate mira recenset S. Hieronymus l. c. *Nihil, inquit; illis usquam proprium est, nullus inter eos dives, nullus pauper, patrimonium egenti-**

bus dividuntur, quales & Lucas refert primam Hierosolymis fuisse credentes.

Atque ab his viris perfectionis avidis, jam tunc cepit, & prognata est vita Cœnobarum: quorum, ut perhibet S. Dionysius Areopagita L. de Eccles. Hierarch. c. 10. ingens per orbem sparsa fuit multitudo. Eam deinde post annum Domini 300. instauravit S. Antonius in Ægypto, S. Basilus in Græcia, S. Hieronymus in Syria, S. Augustinus in Africa, S. Benedictus in Italia & toto occidente; quos denique secuti S. Bernardus, S. Dominicus, S. Franciscus, & ad extremum S. Patriarcha noster Ignatius, qui vitam hanc in omnibus communem valde alumnis suis commendatam voluit: quam verò salutare, nobilesque ex ea fructus progerminet; modò declarabimus.

I.
Fructus
vitæ com-
munioni:
unio
cum pro-
ximo.

I Primus & nobilissimus vitæ communis in Societate nostra fructus, est mutua charitas, unio & pax inter omnes. Unde obsecro, in felicissima illa cœlesti patria, tanta exundat inter omnes beatos spiritus dilectio, unio & pax, nisi ex perfecta bonorum omnium cœlestium communiōe? Inuit id ipsum S. Augustinus medit. 25. dum ait; *Vbi summa dilectio, & unus omnium spiritus, ubi dispar est gloria singulorum; sed communis est lætitia omnium; plena & perfecta ibi regnat charitas; quia Deus est ibi omnia in omnibus.* Et ut in rithmo canit S. Petrus Damianus: *Vnum volunt, unum nolunt, unitas est mentium.* Ibi enim est communis lætitia, communis salus, communis habitatio, communis So-

cietas, communis lingua, communis opulenta, communis beatitudo, communis Deus.

Hic præclarissimus fructus, prognatus quoque fuit ex communiōe bonorum, in primitiva Ecclesia, de qua scribit S. Lucas; Act. 4. Tantam in illis floruisse animorum consensionem, ut viderentur *habere cor unum & animam unam.* Tantam fuisse inter eos charitatem, recensent illius ævi scriptores, ut stuperent Gentiles, & ad fidem Christianam allicerentur.

Nec defuit dulcis aded fructus, Cœnobarum, tempore S. Chrystostomi viventibus, de quibus Lib. 3. citato, de prædicat: *Nullus ibi paupertatem exprobrat; nullus divitis honestior est, unus idemque omnibus animus est; omnes eadem nobilitate sunt nobiles; omnes eadem servitute sunt servi; eadem libertate liberi: una illic omnibus divitia, que vera divitia sunt; una gloria, que vera gloria est.*

Eidem de causâ, S. Fundator noster, tanto studio, à Societate sua, bona privata proseripsit, & bonorum communionem commendavit: Nec permisit, velut in nonnullis Ordinibus permittitur, peculium privatum pro vestibus, pro libris, pro medicamentis & aliis in morbo necessariis: non permisit legata à parentibus aut amicis in favorem certorum ordinata, eorundem liberæ dispositioni relinqui, aut de Collegio in Collegium cum illis commigrare, sed loco certo addici. Voluit, ut esculenta, vestimenta, aliæque à quibuscunque donata, aut elemosinæ nomine submissa, in communem usum

usum dispensarentur: atque ita esset communis possessio, communis habitatio, communis pecunia, communis mensa, communis elemosyna, communis disciplina; quemadmodum est communis regula, communis labor, communis laborum corona, communis futura beatitudo, communis Deus. Et quod insequitur, communis gloriae divinae intentio, communis animorum unio, communis pax, communis charitas: simulque proscriberetur, ex propria possessione aut privatis bonis, enasci solita perturbatio, contentio, altercatio, discordia, invidia, & reliqua pestis mutuae charitatis. Atque haec bonorum communio ita etiamnum, laus Deo, in Societate viget; ut paucis abhinc annis, opinione sanctitatis clarus, Innocentius XI. Pontifex Maximus Romae, aliis Ordinibus nonnullis, exactam ad eam communionem non observantibus, Societatis methodum, pro exemplo, imitandam proposuerit.

Gaudete itaque, Dilectissimi, vos ad hanc Societatem, quae vitam communem, vitam caelesti videndi modo, & primitivae Ecclesiae quodammodo similem amplexa est, vocatos esse. Gaudete, ac Deo gratias agite, vos in ea degere Domo, in qua omnia communia, nulla privata; ac proinde charitas, unio, pax & concordia regnat, simultas vero, invidia & altercatio, *propter meum & tuum, frigidum illud verbum*, ut mellifluus Doctor loquitur, nasci solita, penitus exulat. Et vel ex hoc colligite, vos verae pietatis esse cultores, ac perfectionis sectatores, qui-

bus non de rebus terrenis; sed de caelestibus & divinis est aemulatio & concertatio: quique caelestis vitae ac status formam in constante charitate effingitis; & futura promissi regni bona praeripitis, omnibusque bonis consolationem, atque aedificationem affertis. Ut non inaniter cum Prophetata exclamare posse videar: *Hec est generatio quaerentium Dominum, quaerentium faciem Dei Iacob*; Psalm. 23. Haec, procul dubio, accipiet benedictionem à Domino, & misericordiam à Deo salutari suo.

II. Secundus fructus suavissimus, quem ex vita communi, in Societate percipimus, est charitas, unio & pax cum Deo. Hoc fructu gaudent Beati caeli cives, super omnia bona terrena jam elevati, & à mundi facibus ac sordibus secreti, qui toto corde, totaque mente, Deo bono suo infinito adherent, illique unione arctissima conjunguntur, ac perfecta quiete, tranquillitate ac securitate in Deo fruuntur; quidquid vero hic orbis infimus complectitur, aurum, argentum, gemmas, praedia, regna, velut puerorum crepundia, amore suo indigna despicunt.

Eundem fructum ex bonorum communione retulere primi Christiani, Religiosorum subsequantium prodromi, qui omnia bona sua relinquebant, & contemnebant, ideoque pretia eorum, ad pedes Apostolorum, tanquam calcanda, deponebant, ut affectum & amorem suum à terrenis divitiis avellerent, & totum cor suum Deo affigerent, illique assidue adhererent.

Idem

Idem hic fructus à vita communi Societatis, in ejus membra redundat: scilicet amor Dei ex toto corde, quod exclusâ rerum caducarum possessione & amore facilius Deo agglutinatur, eique ceu summo bono copulatur; cum vilipensione & despectu inanum bonorum, & thesaurorum mundi, à quibus, velut æstimatione & amore suo indignus affectum avocant, eumque in Deum ac divina transferunt: His itaque aureis compedibus exemptus Societatis JESU religiosus, meritò cum Vate Regio concinit: *Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis.* Psal. 115. 16. His vinculis liberatus, instar aquilæ sese in altum librat, & omnia mundi bona despicit; secundùm illud Dei promissum, *Isaïz c. 58. Sustollam te super altitudines terræ, & cibabo te hereditate Patris tui Jacob.* *Super altitudines terræ, non morientium, sed viventium; nimirum altitudines cælorum; de quibus S. Gregorius L. 31. Moral. c. 19. Altitudines autem terræ sunt, lucra rerum, blandimenta subditorum, divitiarum abundantia, honor & sublimitas dignitatum; que quisquis per ima adhuc desideria incedit, eo ipso alta æstimat, quò magna putat; at si semel cor in cælestibus figitur, mox quàm abjecta sint, cernitur, quæ alta videbantur.* Et *cibabo te hereditate Patris tui.* Id est, dabo tibi infinita illa bona, quæ promissi Abrahamæ, Isaac & Jacob: nimirum delicias & divitias gratiæ cælestis & virtutum, ac deinde gloriæ & felicitatis in cælo. Rectè igitur scribit S. Cyprianus Tract. de orat. Do-

min. *Qui renuntiavit jam seculo, major est honoribus ejus & regno; & ideo qui se Deo & Christo dedicat, non terrena sed cælestia regna desiderat: ut ibidem Deo Christoque charitate perpetuâ unitus, triumphet: par Angelis, civis Sanctorum, Domesticus Paradisi, hæres Dei, cohæres Christi.*

Quis itaque, Charissimi, vitam communem ac paupertatem ejus placidam, à quatanta bona promanant, non summè diligit, & maximo in pretio habeat? Quis non cum Propheta coronato, & S. Francisco Borgia, præ gaudio exclamet: *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium: laqueus contritus est, & nos liberati sumus.* Psal. 123. 7. Scilicet laqueus mundi, laqueus mammonæ, divitiarum, voluptatum, honorum; & nos ab æternæ damnationis periculis liberati, Deo liberè jam servire, illi inharere & uniri amoris vinculo valemus; Quis nostrum tam stolidus & excors sit, ut laqueis jam contritis, se rursus iisdem irretiat & involvat? Maneamus cum Deo conjuncti, corde defixi in cælo, mundo & mundanis omnibus superiores; pedibus conculcemus omnia transeuntia; à nullo sæcularium quidquam speremus, aut ambiamus; sed in communitate sancta viventes, in sancta libertate persistamus. *Laqueus contritus est.* Liberâ jam mente ad cælestia evolemus, conversetur cum Deo & Angelis; nunquam ampliùs terrenis affixuri, aut substraturi: verè enim S. Augustinus asseruit serm. 33. de verbis Apost. *Amor rerum terrenarum viscus est spiritualium pennarum.* Ecce *concupisti*

concupisti, hec
 nazareth
 vere natus
 le hujus. Per
 Illi Tert
 quem Religi
 communi
 priorum
 uno, pa
 ipi. Cu
 las nobis
 et com
 un orit
 tranquill
 turbabil
 tum a
 ni fro
 tur.
 sollog
 fœura
 jucund
 aterni
 tui, d
 cere d
 said ja
 Uni
 primiv
 hiber,
 lize,
 banar
 ta reru
 ob coram
 nã unim
 vnicè
 rami in d
 communi
 moutibus.
 Non ablit
 collitate g
 bus recte

concupisti, habisti. Quis dabit tibi pen-
nas ut columba? quando volabis, ubi
verè requiescas? quando hic; ubi ma-
lè habisti, perversè requiescere voluisti?

III.
Unio cum
sciplo.

III. Tertius fructus æmèntissimus,
quem Religiosus Societatis ex vita
communi, omniumque bonorum
privatorum abjectione reportat, est
unio, pax & tranquillitas cum se-
ipso. Cujus prototypon illustre rur-
sus nobis offert cœlestis patria; ubi
ex communione bonorum cœlesti-
um oritur altissima pax, summa
tranquillitas, perfectæ & imper-
turbabilis conjunctio ac unio om-
nium animæ potentiarum, quâ Be-
ati fruuntur, æternumque fruun-
tur. Ibi, ait S. Augustinus c. 35.
soliloq. *Summa & certa securitas,
secura tranquillitas, & tranquilla
jucunditas, jucunda felicitas, felix
æternitas. Felices qui de pelago ad lit-
tus, de exilio ad patriam, de car-
cere ad palatium pervenerunt, op-
sata jam quiete beati.*

Unionis & pacis hujus ectypon,
primitiva quoque Ecclesia nobis ex-
hibet, in qua magnâ pace, tranquil-
litate, & mentis collectione frue-
bantur primi Christiani, nullâ cu-
râ rerum temporalium distracti, sed
ob comunione bonorum, mag-
nâ animi libertate Deo, Divinisque
unicè intenti. Erant enim perseve-
rantes in doctrina Apostolorum, &
communicatione fractionis panis, &
orationibus. Act. 2.

Non absimili unione, pace, tran-
quillitate gaudent Religiosi, de qui-
bus rectè D. Chrysostomus L. c.

Illis jugis & perpetua læticia materia
Atque in primis in Societate nostra
minima, in qua exacta viget vita
communis, dulcissimus iste fructus
decerpitur: cùm enim Societatis
Religiosus, à Societate, velut pro-
vidâ matre, omnia vitæ communi
necessaria, sufficienter obtineat, &
Congregatio XII. Generalis decre-
to 43. statuerit, *ut visa communis
qua hactenus Dei beneficio in Societate
semper floruit, incolumis & illibata
conseruetur imposterum; & ut in his
qua ad vitium, vestitum, cubiculique
supellectilem & alia vita communè
necessaria pertinent, uniformitas re-
tineatur, eaque omnia teneantur Su-
periores inferioribus suis, quâ par est,
charitate suppeditare; nec ulli licitum
sit, ea sibi aliâ quacunque viâ qua-
rere, aut per alios procurare, nec pe-
nes ipsos Superiores esse, hanc illis fa-
cultatem dare.* Magnâ profectò in
pace, atque à curis & sollicitudinibus
liber degit; nec opus est ut pro-
peculio ad emenda esculenta, pocu-
lenta, indumenta, medicamenta,
aliâve anxius se torqueat, animique
distractiones patiat, atque iis, ve-
lut spinis, pungatur; sed in ejus
animo magna pax, serenitas, læti-
tia ac jubilus perpetuus regnat. Et
cum Davide canit Psal. 39. *Ego au-
tem mendiculus sum & pauper, sed, Do-
minus sollicitus est mei.* Adeoque vi-
tam statui innocentia in Paradiso,
aut Angelico quodammodo similem
ducit; jam orando, jam meditando,
jam contemplando, jam legendo, jam
proximis opitulando, serè semper

videt faciem Patris , qui in caelis est : eaque ita satiatur , & absorbetur , ut cum Psalmista decantet : Quid mihi est in caelo , & à te quid volis super terram , Deus cordis mei & pars mea Deus in aeternum ? Psal. 72.

Vos , vos ipsos appello , Charissimi mi , an non experti estis hactenus , & experimini indies , quàm dulce , quàm amabile sit , immunem à curis & sollicitudinibus pro victu & amictu , aliisque necessariis , vitam ducere ? an non indies sentitis , quàm amœnum sit , quietè & liberè orationi , meditationi , lectioni , spiritualique profectui , absque his impedimentis , ac rerum temporalium remoris , vacare , & gustare ac videre , quàm suavis sit Dominus ? gaudete igitur , Deoque gratias agite , quòd vos vocaverit , deturbis ac curis sæculi ad pacem & quietem Societatis , ortam ex vita communi , magnique hanc cœlestem , Apostolicam & Angelicam vitam æstimate : cum S. Laurentio Justiniano exclamantes : *O vita religiosa ! visa communis ! visa beata ! Tu hortus conclusus , tu paradus deliciarum , thalamus nuptialis , cubile immaculatum , virtutum schola , tabernaculum fæde-*

ris , reclinatorium sponsi , Domus sanctitatis !

Quapropter , Dilectissimi , hanc vitam communem , quam , Deo vocante , in Societate amplexi sumus , tanquam fontem , mutux inter nos charitatis , unionis & pacis ; tanquam scaturiginem unionis , charitatis & pacis cum Deo , tanquam venam unionis , serenitatis & pacis cum seipso , magni æstimemus , eamque regnis & sedibus præferamus , nec negligentiam nostram unquam relaxare , aut labefactare sustineamus : sed in ea ad mortem usque constanter perseveremus ; quod si præstiterimus , quietam , tranquillam , hilarèmq; vitam ducemus in hoc sæculo , & sicut nobis communis est vita , ita & communis erit salus , sicut communis est pugna , ita communis erit corona : atque ut scribit S. Basilius in constit. Monast. c. 19. *Communis est eis Deus , communis pietatis mercatura , communis salus , communia certamina , communes labores , communia premia , & certaminum corona : ubi multi unus , unus non solus , sed in pluribus.*



EXHORTATIO II.
IN REGULAM IV. SUMMARI.

Exponit causas vitæ communis in Societate.

T H E M A.

Omnis gloria filia Regis ab intus. Psal. 44.

V E L;

*Ratio vivendi in exterioribus, iustas ob causas communis
est.* Reg. 4.



AD Universam Ecclesiam Catholicam, Christi Regis Regum sponsam esse, in Apocalypsi & Cantico Cantorum sæpenu-
mero describitur. Hic Rex & hæc Regina velut mater fecunda complures numerat Filias; diversas scilicet Religiones, seu Ordines, de quorum singulis jure dixerimus illud Vatis Regii; *Omnis gloria Filia regis ab intus, in fimbriis aureis circumamicta varietatibus.* Psalm. 44. Singulæ religiones ornatae sunt interioribus & exterioribus ornamentis, interiora sunt gratia instituti & virtutes annexæ, quæ est gloria

Filia regis ab intus; exteriora tanquam fimbriæ, sunt opera externa charitatis, Dei & proximi; quæ quævis Religio exercet juxta suam Institutum. Exteriora quòque sunt, circumamicta varietatibus, vestitus, victus, ratioque vivendi diversa, quæ quælibet laudabiliter utitur, & una ab aliâ velut signo distinguitur, ideòque circumamicta varietate dicitur. In aliis religionibus tria potissimum ejusmodi signa exteriora cernuntur. 1. Vestitus & cibus distinctus longèque à communi hominum usu diversus. 2. Jejunium sive abstinencia. 3. Afflictiones corporis; atque hæc tria ordinariè atque ex regula tanquam præcipua proprii instituti perfectionem obtinendi media usupare debent. At in

V 2

Socie,

Societate hæc tria ordinariè , ac vi-
regulæ non habemus ; nec præcipuum
in iis pondus collocamus ; idque ut ait
S. P. N. iustas ob causas ; quæ verò il-
læ sint , nec hic , nec alibi exponit , so-
lùm in genere asserens , majus Dei ob-
sequium semper in omnibus intuen-
dum esse.

Quanam igitur hæ vitæ communis
causæ sint , exponemus.

1.
Causa
vitæ com-
munis
conversa-
tio cum
proximis.

I. Causa prima , ob quam S. P. Nos-
ter præscripserit nobis vitam in vesti-
tu , victu , aliisque communem , cum
aliis Sacerdotibus & sæcularibus , est
conversatio cum proximis , ad illorum
salutem & perfectionem meliùs pro-
curandam. *Omnis gloria Filia Regis ab-
intus* , hæc est gloria Societatis , gratia
vocationis , gratia instituti , quæ est ,
non solùm salutem & perfectionem
propriam ; sed etiam alienam pro-
curare : ad hanc verò obtinendam , ma-
gis convenit vita communis , quàm
austera , ut expressè docet Doctor
Angelicus , dum ait : *Qui cum aliqui-
bus conversatur , consentissimum est ,
ut se illis in conversatione conformet , se-
cundùm illud Apostoli 1. Corinth. 9.
Omnibus omnia factus sum. 3. p. q. 40.*
Hanc vitam communem tanquam
aptiorem ad animas lucrandas Chri-
stus Dominus , qui est Sapiencia æter-
na , elegit : Duplex enim est vita , au-
stera & communis ; austeram duxit
Joannes , communem Christus Domi-
nus , de prima inquit Christus Matth. 15.
18. *Venit Joannes neque manducans , ne-
que bibens , & dicunt demonium habet ;
cujus scilicet energiã rigorem tantum
sustineat. Venit Filius hominis mandu-*

*cans & bibens , & dicunt ecce homo vo-
rax & potator vini , publicanorum &
peccatorum amicus. Et justificata est
sapiencia à filiis suis.* Duplex omnibus
ad Deum redire volentibus proposita
est via , austera & communis , ut si quem
austeritas Joannis absteteret , Christi
humanitas alliceret : atque ut edendo ,
bibendo , conversando cum peccatori-
bus , eos à vitiis ad Deum converteret ,
ut ait D. Thomas 3. p. q. 40. a. 2. U-
tramque vitam malevoli taxant &
reprehendunt : at *justificata est sa-
piencia à filiis suis* , id est , hæc Christi
sapiencia justificata est , seu justa , irre-
prehensibilis , & omnino perfecta esse
declarata est à filiis sapientiæ , id est
studiosis sapientiæ & virtutis , scili-
cet Christi fidelibus & affectis. Sapien-
tissimè ergo Dei Filius elegit vitam
communem , ut ex prædictâ Christi
sententia liquet. Idem docet S. Augu-
stinus , Hieronymus , Ambrosius , &
alii SS. Patres. S. Chrysostomus hom.
28. in Matth. ait Christum initio eti-
am jejunasse & austeram vitam egisse ,
*sed ait eam Joannis postea omnino dimi-
sit : ipse publicanorum & peccatorum
mensas elegit , ut publicanos & peccato-
res salvaret.* Hæc autem vita commu-
nis Christi fuit 1. in victu , ut jam vidi-
mus ut expressè SS. Patres docent.
S. Tho. 3. p. q. 40. a. 3. *Christus* , in-
quit , *in victu communem vitam duxit ,
secundùm modum aliorum , quibuscum
convivebat.*

2. In vestitu : rationem reddit D.
Thom. l. c. *accommodabat se illis , qui-
bus convivebat : at convivebat & con-
versabatur non solùm cum pauperimis ,
sed*

sed cum honestis hominibus: quare vestitus Christi non erat omnino alienus ab illis.

Non itaque vestitus erat Christus pelle cameli & Zonâ pelliceâ more S. Joannis, sed veste Judæis consuetâ utebatur; & minimum ternas vestes, ut refert R. P. Eusebius Nierenbergius Lib. I. Doct. 10. habuit, vestem interiorum, tunicam inconsutilem laneam, & pallium; constat enim ex Evangelio non simplicem vestem habuisse, nam S. Joannes ait c. 13. *Ponit vestimenta sua*, non omnia, quia non mansit nudus omnino, ad lavandos pedes discipulorum: & Joan. 19. *Milites quoque dividerunt inter se vestimenta, & super tunicam inconsutilem miserunt sortem.*

Hunc quoque vestitum gessere Apostoli, quos pro communi illius temporis Philosophantium more palliatos incessisse, nonnulli asserunt. Hos ergo imitatur Societas nostra, communi victu, vestitu, habitatione, & vitâ utitur, ut meliùs ac familiaris agat cum proximis, eosque Deo lucreretur. Pastores ovium, ut oves habeant familiares ac magis obsequentes, veste ovillâ aut saltem candidâ sese induunt, Venatores colorem viridem assunt, ne feræ viridi in sylva affueta absterreantur & fugiant: ut igitur cujusvis generis homines nos non fugiant, sed libenter nobiscum agant, vestitum communem induimus. *Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos*, ait Apostolus 1. Corinth. 9. Non raro inter hæreticos zelus animarum & necessitas cogit vestem mutare etiam

sæpius. Sanè invictus Angliæ Martyr R. P. Edmundus Campianus, postquam Regina Elisabetha novum tribunal instituit, conservatorum pacis nomine, quorum officium erat Sacerdotes inquirere, capere, torquere, & morte mulctare, atque ex eo mox ebullisset ubique delegatorum, listorum, exploratorum exercitus; necessitas adegit, vestes crebrius mutare; Unde P. Edmundus de se scribit: *Ego nunquam incedo habitu ejusdem coloris & moris: nominum vero supellex mihi est copiosissima.* P. Tannerus in vita.

Similiter illustris Angliæ Martyr R. P. Henricus Garnettus, qui annis duodeviginti strenuissimè rem Catholicam in eodem regno defendit atque promovit; cujus effigies in tabellis ad vivum depicta passim locis publicis per urbem Londinensem prostabat; in cujus caput constitutum amplum præmium, & proditori cuivis promissum erat: nec octo annorum spatio ullus Sacerdos tortus, quin in mediis cruciatibus quæreretur, ubi degeret Garnettus? quam provinciam incoleret? quâ veste incederet? Quid actum fuisset, si veste religiosâ, aut etiam sæculari non mutatâ sæpius, in publico appareret? an non actum fuisset de vita indies?

Igitur si agamus cum hæreticis, qui à veste religiosa singulari abhorrent, accommodamus nos illis, ne medicum fugiant. Si agamus cum Chinesibus, Chinesem, cum Japonibus Japonicum, cum Malabaris Malabaricum Sacerdotum habitum suscipimus, omnibus

nibus omnia facti, ut omnes faciamus salvos. Et hoc est majus Dei obsequium intueri, scilicet salutem animarum.

II.
Confer-
vatio vi-
zium cor-
poris.

II. Altera causa vitæ in Societate communis est, ut vires & robur haberemus ad labores Apostolicos, quàm plurimos & difficiles, ac non raro continuos meliùs tolerandos. *In simbriis aureis*, quæ denotant opera externa charitatis Dei & proximi. Hanc rationem allegat S. Bonaventura, de Christi discipulis ad prædicandum missis, dum Respons. 2. c. 2. in Apologia sic ait: *Perfectionis precipuus sectator Apostolus, non solum imitabilem se præbet in austeritate vita, verum etiam pia apud proximos, condescensione, ad Corinthios dicens: Factus sum infirmis infirmus, in infirmos lucrifacerem: omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos. Hanc condescensionis adificatoria formam Discipulis ad prædicandum missis Dominus dedit, cum ait: In eadem domo manete edentes & bibentes, quæ apud illos sunt. Et mox: hujusmodi fuit eis à Domino vivendi forma præscripta, tam piè, quàm providè, ut & aliis condescenderent, & injunctum sibi laborem viriliter tolerarent.*

Sanè si in Societate abstinendum nobis foret cum Carthusianis à carnibus, vel cum Minimis etiam à piscibus, & contentos vivere leguminibus & fructibus, profectò plurimi laboribus tantis, quales sunt in doctrinibus, in prædicationibus, in missionibus fracti debilitatique omnino succumberent, arque ita opera charitatis, quæ austeritatibus exterioribus præstant,

impedirentur. Deinde plurima subjecta egregia, & ingenia præclara talentis ad animas lucrandas raris instructa, à Societate amplectenda abstererentur: meritò judicando, continuum stadium, conciones, clamores, peregrinationes, aliosque labores esse cum rigidore vivendi modo penitus impossibiles. Cùm igitur Societas, variarum nationum homines admittere debeat, variarumque complexionum & qualitatum, ut omnibus nationibus & gentibus & linguis operarios idoneos pareret ac subministraret, non conveniebat certam in victu vestituque austeritatem determinari, quæ animarum bonum impediret, sed relinqui vitam communem, & austeritates committi cujusque prudentiæ, & Superiorum directioni, ut hac ratione etiam teneriùs & delicatiùs educati, non absterreantur à Societate, & animarum procurando fructu; sed libentiùs eandem capescerent: & laboribus non succumberent.

III. Tertia causa vitæ communis in Societate est; ut totos nos daremus perfectioni interiori; neque cum vulgo existimaremus perfectionem in vitæ austeritate sitam, sed in interioribus virtutibus, ex quibus prodeant opera externa charitatis Dei & proximi, quæ sunt simbriæ aureæ & reliquæ virtutes & gratiæ viro Apostolico convenientes, quo sunt instar vestis variegatæ. *Omnis gloria Filia regis ab intus, in simbriis aureis, circumamicta varietatibus.* Psalm. 44. *Omnis gloria, id est, gratia vocationis, & gratia instituti est interna sanctitas; abnegatio sui,*

III.
Perfectio
interior
mentis.

sui, & proprii iudicii ac voluntatis in
 obsequium obedientiæ captivatio,
 humilitas, sui contemptus, zelus glo-
 riæ divinæ, & animarum Christi san-
 guine redemptarum: hæc est gloria
 Societatis, & illa est intus in anima.
 Et ab interiori hac gloria, promanare
 oporteret exteriora opera, ac varios
 virtutum actus, varia opera miseri-
 cordiæ erga varios & omnis generis
 homines, doctos, indoctos, pueros,
 juvenes, senes, magnos, parvos, infir-
 mos, summos juvandos, ut sic Societas
 sit *circumamicta varietatibus*: sicut
 enim gloria animæ beatæ redundat
 in corpus, ita gloriam Societatis, seu
 sanctitatem internam, operationibus
 externis variis, lucem, splendorem,
 modestiam & sanctitatem quandam
 affricare necesse est. Ex hac interiori
 sanctitate profluere debet prin.º, Sin-
 gularis modestia in hominibus Socie-
 tatis, quæ compenset id quod in auste-
 ritate deest, & quæ, in quocunque ha-
 bitu incedamus, vestis sit, quæ nun-
 quam deponatur: hæc modestia si so-
 lida sit, haud dubiè plurimùm proximo-
 rum ædificat, barbaros in admirationem
 rapit, & vel ipsi hæretici, ex hac
 modestiæ veste homines Societatis hõ-
 runt distinguere, ut constat in Anglia;
 atque ex hæc modestia homines fac-
 ile vident aliquid intus latere, ex quo
 illa prodeat; scilicet operationem
 gratiæ vocationis, interiorum sancti-
 moniam, quæ est *gloria Filia regis ab
 intus*, & in intimo mentis conclavi re-
 condita potissimùm verò est interna
 familiaritas & conversatio cum Deo,

seu præsentia assidua Divinæ Majesta-
 tis, quam cum semper præsentem ha-
 bemus, non est mirum, si modeste nos
 geramus, idque solide & constanter
 non solum apud externos, verùm eti-
 am apud domesticos, domi & foris, in
 plateis, in mensis, in cibo & potu, in
 veste, in incessu & omnibus actioni-
 bus; aliàs similes erimus horologio be-
 ne monstranti, sed malè sonanti, quod
 servit transeuntibus civitatem, sed
 cives perturbat. Deinde ex illa *gloria
 ab intus*, internaque sanctitate oritur
 exterior affabilitas, & suavitas in con-
 versando cum omni hominum gene-
 re. Tertio ex ea oritur perseverantia
 in labore indefessa, & operationibus
 continuis charitatis Dei & proximi; &
 quarto oriuntur variæ variarum virtutum
 actiones: & sic filia regis est *circum-
 amicta varietatibus*, quæ omnes pro-
 cedunt ex *gloria ab intus*.

Quæ cum ita sint Charissimi, 1. Ju-
 dicemus S. P. nostrum sapientissimè
 instituisse vitam communem exemplo
 Christi Domini, eamque ut filii sa-
 pientiæ approbemus & amplectamur.
 2. Conemur gloriam Societatis
 habere instar Filia regis ab intus, id
 est perfectionis propriæ & alienæ stu-
 dium. 3. Ex hoc profluant velut au-
 rez simbræ opera charitatis erga
 Deum & proximum. 4. Ex eodem
 profluat varietas virtutum & gratia-
 rum, Apostolicis viris convenientium,
 ut anima cujusvis sit circumamicta va-
 rietate & tanquam sponsa bene orna-
 ta, Christo Regi regum, unice inser-
 viat ac placeat.

EXHOR-



EXHORTATIO III. IN REGULAM IV. SUMMARI,

Ostendit pœnitentias ordinarias , non esse quidem Societati
præscriptas , nihilominus earundem usum crebrum
in ea vigere.

T H E M A.

Castigo corpus meum , & in servitutem redigo. 1. Cor. 9.

V E L :

*Nec ullas ordinarias pœnitentias , ex obligatione subeundas
habet. Reg. 4. Summ.*



Ernere nonnunquam est Regem quempiam terrenum , vestigalium , contributionumque onus civitatibus suis assignantem , certam verò urbem , peculiaribus de causis , sibi perquam gratam , immunitate donantem , tributumque ejus libero arbitrio ac beneplacito relinquentem. Illam verò benefico Regi unicè addictam , vicissim conspicimus , non solum , in dando , se propensam , verùm etiam aliis liberaliorem demonstrantem. Pari modo videtur Divina Majestas , cum mininâ

Societate nostra egisse , quam per S. Fundatorem , ab ordinario operum pœnosorum tributo quidem liberavit ; illa verò non minus , si non amplius subsidium charitativum benignissimo Regi suo , alacri , liberalique animo subministrat.

Utriusque tam exemptionis , quàm contributionis hujus rationes investigabimus.

1. Nec ullas ordinarias pœnitentias , vel corporis afflictiones ex obligatione subeundas habet , inquit Regula.

Cujus ratio est præcedenti exhortatione insinuata. Labores enim tanti , tamque continui Societatis , ordina-

1.
Causa
concatenatio
laborum ,

rias & omnibus communes pœnitentias asperitatisque non ferunt: nec major Dei gloria, quam S. Pater intueri se dixit, eas requirit: aliæ quidem religiones, utiles pro Ecclesia Dei subeunt labores, at non tantos, quantos pro eadem exantlat indefessè Societas: neque enim illæ assiduos eosque gravissimos, in tradendis disciplinis humanioribus, aut docendis scientiis Philosophicis, Theologicisque labores suscipiunt, nec ad fideles & infideles missiones ac peregrinationes obeunt, nec visitationibus infirmorum, aut hospitaliorum, carceribusque mancipatorum, aliisque operibus charitatis vi regulæ se devovent; quemadmodum nostra Societas, in qua cum multis ordinariis jejuniis, ciliciis, flagellationibus, humicationibus, aliisque asperitatibus prædicti labores minimè possent consistere. R. P. Nicolaus Lancicius Opusc. 17. c. 5. refert sanctum Fundatorem nostrum, cum Societatem conderet, præter magisterium divinum, quo leges nostras præscripsit, vivendique rationem instituit, Medicos præstantes in consilium adhibuisse, qui decernerent, num posset suis, tot ac tantis mentis & corporis laboribus vacaturis, plura; quam consueta ecclesiastica jejunia injungere? Medicos autem, se diu agitatâ, in hæc ivisse sententiam, nulla, præterquam ecclesiastica jejunia & abstinencias, illis præscriberet, permittere ve, nisi eos veller mactare. Fini igitur Societatis accommodatius est, corpus asperitatibus non conficere, quò melioribus pro salute proximi ac gloria Dei laboribus par esse ac in iis perdurare valeat: messes albicantes, multis tunc temporis indigebant, & etiamnum indi-

gent messoribus, & operariis; nec non vineæ vindemiatoribus; eos autem ad ferendos alacrius labores, patres familias commodè tractare assolent, non atterere, aut conficere.

II. Ratio altera hujus regulæ extitit, ut eo majore studio, ac præcipuâ curâ, in mortificationem interiorem incumbemus, quæ & Dei oculos magis oblectet, & ad perfectionem charitatis assequendam majus momentum habeat: quod ipse S. Patriarcha in Epistola aurea de obedientia apertè insinuat; ut superari nos ab aliis Ordinibus, in jejuniis aliisque externis rigoribus facilius feramus, nequaquam verò in abnegatione judicii proprii & voluntatis.

Ne autem per excessum vel defectum, per tepiditatem, nimiumve ardorem delinquamus, vivam nobis regulam, eamque prudentem ac discretam assignavit; dum asserit: *Sed illas assumere quis poterit, quæ sibi debentur cum approbatione superioris ad majorem sui spiritus profectum convenire, & quas propter eundem finem superiores ei poterunt imponere.*

III. Quo non obstante, licet regula certum tributum, id est certas corporis afflictiones haud præscribat; non tamen eas Societas intermittit; sed plures assumit cum approbatione superioris, quàm putetur: scit enim, quanto ardore Sancti & Dei amici eadem susceperint. Scit, quòd ii, qui Christi sunt, *carne suam crucifixerint cum vitis, & concupiscentis*, ut ait Apost. ad Galat. 5. Scit quot, quantasque eadem, ab hominibus in gratia Dei existentibus, susceptæ, utilitates pariant.

X

Doctor

II.

Mortificatio interior.

III.

Viget tamen pœnitentiarum usus in Societate ob varias rationes.

Doctor Angelicus 2. 2. q. 47. a. 1. ternas jejunii & corporalis afflictionis causas adducit. Prima est, quod ad concupiscentias carnis reprimendas deserviat. Unde S. Paulus 1. Corinth. 9. 26. ait: *Castigo corpus meum & in servitutum redigo, ne forte, cum aliis predicaverim, ipse reprobus efficiar.* Secunda causa est, ut mens liberius elevetur ad sublimia contemplanda: Sponsus præt & sponfam evocat primo ad montem myrrhæ mortificationis, & inde ad collem thuris, seu orationis. Cantic. 4. 6. *Vadam ad montem myrrha, & collem thuris* Tertia. Ad satisfaciendum pro peccatis. Nivivæ pœnans per Jonam Prophetam à Deo intentatam evasere agentes pœnitentiam in jejunio, sacco & cinere. Jonæ c. 3.

Ultra hæc, vitam contemplativam agentibus, etiam communia; & aliæ causæ suppetunt, quæ vitæ mixtæ deditos, & salute animarum procurandâ distentos ad carnem macerandam jure permoveant.

1. Ne confusionem illam merito patiantur, à Christo Phariseis illatam: *Dicunt & non faciunt: alligant enim onera gravia & importabilia, & imponunt in humeros hominum, digitis autem suo nolunt ea movere.* Matth. 23. 4.

2. Ut exemplo suo doceant, hominibusque delicatis persuadeant, carnem non esse molliter tractandam; nec esse mollem è terris in cælum viam.

3. Ut gratiam à Deo impetrent, ad saxea peccatorum corda permovenda ad pœnitentiam, atque è luto

vitiourum extractos, ad salutem æternam perducendos mortales.

4. Ut securitatem obtineant adversus conversationis pericula: longè enim magis mortificatos affectus tenentur habere operarii, quàm conversatione abstinentes; cum in his defectum mortificationis, occasionum peccandi subtractio quodammodo supplere posse videatur.

5. Majorem gratiam contemplationis eos habere oportet, cum ex abundantia contemplationis, eorum ministeria procedere, & contemplata aliis tradere debeant; ad hanc autem plurimum conducit carnis maceratio.

6. Major virtus & perfectio requiritur in iis, qui alios student reddere perfectos quàm in iis, qui solum student esse perfecti.

7. Denique major purgatio peccatorum, animique puritas in illis requiritur; cum velut instrumenta Deo strictius uniri debeant, ut eidem tanquam artificii conjuncta meliùs cooperentur ad salutem animarum.

IV. Hæ igitur tot tantæque utilitates semper moverunt, moventque hodie quosvis Societatis homines, ut carnis afflictiones licet non præscriptas, ultroneas tamen haud negligant, inò tantus apud complures in iis suscipiendis elucet fervor, ut modum penè excedere videatur. Ex innumeris recenteo paucos, omiſſis quorum vitæ sunt in manibus. Ut S. Ignatii, S. Xaverii, S. Borgiæ, B. Aloysii, R. P. Vincentii Caraffæ, R. P. Colnago, &c.

1. Pater Andreas Oviedus ter quotidie se verberabat atrociter, & multorum

IV.
Exempla
magas
pœnitentias
obsequium.

torum dierum jejunia, solo pane & aquâ contentus producebat, & ea quæ ipsi in Æthiopia donabantur, pauperibus largiebatur, ipse verò herbis amaris vitam sustinebat.

2. Simili charitate & abstinentiâ fuit Apostolicus & fortissimus Christi Martyr Alphonfus de Gastro, qui quadragesimalem abstinentiâ toto anno servabat, pisce aquâ cocto simplici, sine sale & oleo contentus. Hodiedum Missionarii nostri in Malabarâ etiam piscibus abstinent, orizâ & leguminibus victantes.

3. P. Egidius Gonzales cilicium è tribulis agrestibus implexum gestabat, quod cruentum, & fractis aculeis tribulorum repertum fuit.

4. Frater Gaspar Pereira spineâ coronâ caput suum lacerabat, quam identidem enovabat.

5. P. Joannes Ruicius silicem magnum 12. librarum, & angulosum noctu supponebat tergore, dum cubabat; fassus iis, qui mitiorem cubitum suadebant, plus commodi animæ habuisse ex illo saxo acuto, quàm valetudinis detrimentum posset accidere.

6. P. Didacus Martinez per 30. annos ignoravit lectum. Huic adungi meretur R. P. Philippus Scouville annis 40. per Ducatum Luxemburgicum vicinâque provincias missionarius zelosissimus, lecto non usus; anno 1701. 17. Novembris piissimè defunctus. Cujus virtutes & austeritates typo vulgavimus.

7. P. Didacus Sotus, bis ad minus quotidie flagellabatur, continuûsque ciliciis macerabatur: dum ægrotaret

extremo morbo, octo ante obitum horas, inventa sunt illi duo cilicia ferrea adeò constringentia carnes & armata spiculis, ut opus esset frangi, quo possent extrahi.

8. P. Petrus Rodericus, adhuc eo ipso die quo obiit, per dimidiam horam crudeliter se flagellavit, idem temporis spatium singulis diebus consumpserat eodem in supplicio.

9. P. Mickaël Turrianus post exactos 83. annos, sub mediam noctem surgebat ad orandum, deinde crudelissimis flagris bonus senex se laniabat, & crebris per annum jejuniis macerabat: monentibus in tanto senio, imprudentem esse illum vitæ rigorem, responderebat; nunquam fui novitius; oportet me mortificare & mortificari ab omnibus.

10. P. Joannes Romerus ter quotidie cædebatur flagris, cilicino sacco carnem suam continuò affligebat, cadaver totum lividum & nigricans repertum, præ aspera corporis sui tractatione.

11. Simili austeritate secum usus P. Gabriel Logronius: accidit aliquando, cum diutius crudelissimis flagris se laceraret, ut Christus Dominus illi apparet affabiliter eum compesceret, dicens: Sat est, Gabriel, sat est. Vide R. P. Nierenbergium doctr. Ascet. L. 1. doctr. c. 99. Longum esset enarrare, quid alii Societatis nostræ operarii vineæ Domini egerint, ut carnem suam macerarent; hæc pauca sufficiant.

Quæ cum ita sint, Charissimi, patet, genuinos Societatis JESU filios,

strenuósque operarios, licet Regula
pœnitentias certas non præscribat;
inimè tamen eas neglexisse, aut eti-
amnum negligere. Nos interim ex par-
te nostra, partim mirabimur tantum il-
lorum fervorem, qui indiscretus dici non
debet, cum eos obedientia duxerit: præ-
terquam, quòd is, qui perpendit, quanta
inconsideratè egerit contra Deum, non
consideret aliquando, quid agat contra
se: partim illos imitabimur præ modulo
nostro; ad quod allegatæ rationes nos
valebunt impellere; duo tamen extrema
devitantes; unum ne nimio rigore,

& indiscreto, contra aut præter o-
bedientiam exorbitemus, alterum,
ne amore proprio excœcati, in teneri-
tudinem nimis delicatam declinemus,
imaginemurque nobis, dum vegeti
ac sani sumus, nos exiguas, & soli-
tas corporis afflictiones ferre non
posse; sed contra omnem panicula
horrorem, animum obfirmemus, &
quantum obedientia, & Superio-
rum consensus sinit, libenter car-
nem edomemus, ut utilita-
tes prædictas refe-
ramus.

REGULA V. SUMMARI.
DE CONFESSIONE.

EXHORTATIO I.

IN REGULAM V. SUMMARI.

Profert commoda & encomia exercitiorum spiritualium
S. IGNATII.

THEMA.

*Ecce ego lactabo eam, & ducam in solitudinem & loquar ad
cor ejus. Oseæ 2. 14.*

VEL EX REGULA.



Uemadmodum Deus
olim Synagogam
Hebræorum in tri-
plicem duxit solitu-
dinem, ita videtur
nos pariter in tripli-
cem solitudinem inducere, nam 1. eam

in Ægypto turbis & idolis commistam
eduxit in solitudinem ac desertum Si-
nai, ut ibidem legem ac religionem
obtineret, atque ita à Deo in Sponsam
id est in Dei Ecclesiam ac Rempubli-
cam assumeretur. 2. Rursus idem Deus
eamdem Synagogam Israëliticam è
captivi-

captivitate Babylonica, è turba Assyriorum, Medorum, & Persarum, Chaldaeorum ac Parthorum, (inter quos captiva & dispersa vagabatur) eduxit in solitudinem, quâ itur in Iudamam & Jerusalem; ut per illam in patriam sedem & religionem, quasi in solitudinem reduceretur; 3. Deus per Christum Dominum eundem populum è captivitate diaboli redemit, liberavit, & in veram novæ legis Ecclesiam, tanquam in solitudinem induxit: in hac enim Sancta Ecclesia unitas & solitudo fidei & religionis reperitur, sicut è contra apud Idololatras, & Hæreticos multitudo ac confusio, uti Deorum ita & errorum cernitur.

Charissimi, quod olim Deus præstitit Israëlitis; id hodie dum præstat animabus nonnullis ab æterno electis & prædestinatis, atque etiam, ut confidimus, nobis. Nam 1. eduxit nos è gentilitate in solitudinem veræ Ecclesiæ per Baptismum. 2. Eduxit nos ex Ægypto mundi hujus & ex Babylonica captivitate Diaboli in solitudinem religiosam velut in Jerusalem, ut ipsi ferviremus; & 3. in religione à colloquiis & turbis nos secernit, ut soli in silentio & quiete, animæ nostræ salutem vacemus, meditationibus rerum Divinarum insistamus, peccata expiemus, meliora proponamus, atque ita veterem hominem exuentes novum omnino induamus.

Quomodo autem hoc Deus efficiat, & quid à nobis vicissim in

hac solitudine præstandum requirat, in Lactatio præsentiarum exponemus.

I. *Ecce ego lactabo eam.* L. c. v. 14. Deus ut populum Israëliticum ad suum cultum & amorem perduceret, eum manna, colore & sapore lacti non absimili, in deserto pavit & lactavit, atque ita eum ad se allexit; unde etiam lactare, idem significat, quod allicere, & veluti lacte inescare; sic Proverb. 1. *Filii mi, si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis.* Hæc ratione quoque Christus Dominus lactat & inescat mentes mortalium, & ad sui sequelam allicit. Ita lactavit Magdalenam; ut opes, delicias, veneres, & quidquid in mundo erat, fastidiret, ut famam & judicia Pharisæorum contemneret; qui eam, dum in publico convivio Christi pedes lachrymis lavaret, capillisque tergeret, velut deceptam ac insanam despiciebant.

Ita Deus lactavit primos Christianos & Martyres, ut dulcedine Divinæ consolationis & amore Christi pro eis crucifixi illecti, imò ebrui procurrerent ad martyria, ambirent ignes, bestias, cruces, ac in ipsis catastis, craticulis & ignibus exultarent, Tyrannisque & tormentoribus insultarent, ut videre est in vita SS. Martyrum Ignatii, Laurentii, Vincentii, Agathæ & aliorum. Sic Deus lactavit S. Antonium, Hilarionem, Franciscum, Dominicum, Benedictum, totque nobiles & divites, qui sæculi oblectamentis,

religiosam & austeram pœnitentiæ vitam amplexi sunt, & indices amplectuntur, quos mundani deceptos, imò fatuos æstimant atque explodunt.

An non & vos, Charissimi, lactavit Dominus? an non vos allexit, vocavit, attraxit; dicens: *Sequere me? & si vis perfectus esse, vade, vende omnia, qua habes, & da pauperibus, & veni sequere me?* Matth. 19. Si non allexit, cur Patrem & matrem, fratres & sorores deseruistis, & in hanc domum confugistis? nullus profectò mortalium ad id vos inducere potuisset; pueris aliquid nullo negotio persuadetur, sed ætatem 18. 19. vel 20. annorum adeptis, quis hæc persuadeat?

An non vos lactavit (spe præmii cœlestis: *Et habebitis thesaurum in cælo? L. c. Et qui reliquerit domum, & Patrem & matrem & c. centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit,* Matth. 19. Marci. 10.

Verè igitur vos lactavit, & ad hanc tyrociniæ domum suaviter & efficaciter pertraxit, sanòque & incolumes perduxit, præ tot millibus in sæculo relictis, qui vobis longè digniores erant. Quod profectò beneficium tantum est, ut nec totâ vitâ, nec æternitate totâ, condignas valeatis referre grates; adeoque summè est æstimandum: magnum fuit beneficium creationis, quo accepistis esse & vitam naturalem: at an non majus est beneficium vocationis, quo accipitis esse & vitam spiritualem?

magnum extitit beneficium redemptionis, quo è captivitate Diaboli estis erepti: at estne minus beneficium vocationis, quo è captivitate mundi estis liberati? quid enim emolumentum vobis creatio & redemptio attulisset, si in sæculi diluvio æternum periissetis? Primum igitur hoc & maximum est beneficium, cui accedit secundum, exercitia scilicet spiritualia: quod, si multis ex Infidelibus & Hæreticis contingeret, forsitan in viros Sanctos evaderent.

II. *Et ducam eam in solitudinem.* Per hanc solitudinem intelligimus locum à strepitu, turbâ, & tumultu hominum separatum (qui est cubiculum cujusque. Quale olim habebat Judith c. 8. in superiore parte domus, in quo cum puellis suis morabatur, precèsque fundebat.) Hic locus aptissimus est ad meditandum, orandum, conscientiam examinandum, Dei inspirationes audiendum, exercitiisque spiritualibus vacandum, quæ ante negotia magni momenti auspicanda, frequentari assolent. Hujus solitudinis præbuit nobis exemplum Salvator noster: iis enim cum opus redemptionis & prædicationis suæ, maximi sanè momenti, esset auspicaturus, à Spiritu Sancto ductus est in desertum; ibidemque quadraginta dierum oratione, meditatione, & jejuniis, ad illud sese quàm diligentissimè comparavit. Matth. 4. Pari modo, dum Apostolis suis octo beatitudines, ceu octo axiomata, quibus

omnis

II.
Separatio.

omni Evang
ma & ap
esse; &
à turbis &
in tali
que pater
celestia
apost.
Erem
Ch. Patre
& sanct
tudine
fuit S.
tuzer
ludm
S. H
rus,
in lo
ibidem
rum,
dit ce
horis
in na
cali
O res
Quid
mando
nant?
cer
Ere
victiss
ber is
gotum
tem,
at, qu
leor
epi, ub
mulla,
Quocirca

omnis Evangelicæ perfectionis summa & apex continetur, propositurus esset; & eos in montem, in locum à turbis & tumultu separatim eduxit, in tali enim loco mens est quietior, sibi-que præsentior ac collectior, atque ad cœlestia & æterna consideranda aptior.

Exemplum alterum præbent Sancti Patres, qui ad vitæ perfectionem & sanctimoniam aspirantes, in solitudine se aliquamdiu abdebant: ita fecit S. Basilius, S. Gregorius Nazianzenus, S. Hieronymus & alii solitudinis perquam amantes: Ex his S. Hieronymus pœnitentiam acturus, & vitam sanctam auspicaturus in solitudinem Syriæ abiit, atque ibidem ad illam invitat Heliodorum, epistolamque suam hoc claudit celestinate: *O desertum Christi floribus vernans! O solitudo, in qua illi nascuntur lapides, de quibus in Apocalypsi civitas Regis magni exstruitur! O eremus familiaris Deo gaudens! Quid agis Frater in seculo, qui majores mundo? quamdiu te tectorum umbra premunt? quamdiu famosarum urbium carcer includit?*

Exemplum tertium habemus in invictissimo Cætare Carolo V. Volvebat is animo maximi momenti negotium, ut scilicet ad instantem mortem, vitamque beatam se disponeret, quod ut commodius faceret, in locum solitarium in Hispania se recepit, ubi liber à turbis, curis & tumultu, sibi & Deo soli vacavit. Quocirca Franciscus Borgia olim sub

eo Dux Gandiæ, in ejus funere rogatus, ut oratione funebri ei parentaret: hoc Thema proposuit, Caroloque adaptavit: *Elongavi fugiens & mansi in solitudine.* Ostendens quam piè & sapienter egisset, qui prius mundum reliquisset, quam mundus ipsum, quod propediem futurum erat. Novum hoc fuit, totique mundo inauditum tanti viri exemplum. *Major fuit Carolus in sua eremo, quam in Imperio, quia major mundo, æquè ac seipso.* Ita noster Sacchinus tomo 2. Annalium Societatis JESU ad annum Domini 1558.

Exemplum quartum habemus in S. P. nostro Ignatio & primis Sociis ejus: qui exercitia & meditationes, quæ Deo revelante & B. Virgine docente hausit, primus Manresæ in spelunca, juxta mare obivit, ac per ea veterem hominem exuit, novumque induit, ac è milite mundi, in Christi militem transformatus fuit. His quoque exercitiis S. Franciscum Xaverium & alios è primis Patribus à sæculi vanitate abstraxit, & in viros spirituales atque apostolicos mutavit; quod non solum primis Patribus, verum etiam innumeris aliis in Societate evenit.

Ecce Charissimi, hoc tantum beneficium ex Dei gratia speciali contigit quoque vobis: habetis maximi momenti negotium præ manibus, scilicet vitam novam, vitam religiosam, vitam Angelicam. Hinc solitudinem ingressi estis; si verò fructum hujus solitudinis & exercitiorum magnam reportare desideretis, diligentiam magnam

ea obire necesse est : non sufficit esse in solitudine corpore , nisi etiam sitis corde & mente : non satis est , secessus simulatus & affectatus , nisi adsit secessus sincerus , in quo quis sinat se duci & regi à Spiritu S. à regula & à Superioribus. Nam ut ait Richardus de S. Victore in Psalm. 28. duplex est desertum & solitudo , una in Idumæa , altera in Cades : *Idumæa*, ait, significat : *desolatio sanctitatis*. *Cades* verò *desolatio terrena cupiditatis* ; in illo *desolatio sanctitatis*, regnat *terrena cupiditas*, in isto *abest concupiscentia*, *permanet sanctimonia*. Si quis vestrum non sincero corde se totum tradat exercitiis, nec servanda accuratè servet, sed tantum pro forma, ut dici solet, tantum corpore non mente adsit, evagetur ad exteriora, effundat se per garrulitatem, oculorum curiositatem, aliasque sensualitates. *Idumæa est desolatio sanctitatis*, parum perfectionis acquirat. Quod si verò sensus bene custodiat, linguam frænet, totumque se exercitiis impendat omni diligentia; erit in Cades, *Desolatio terrena cupiditatis*. Mox diffringet peccatorum laqueos, adnascuntur alæ, quibus ad superna evolet, qui plenus erat defectibus, speculum evadet religiosæ observantiæ, & qui velut truncus jacebat in luto passionum, mutabitur in cedrum Libani, quæ non solum seipsam servet à putredine peccati, sed suâ quoque fragrantia Sathanam in fugam convertat.

III.
Allocutio

III. *Et loquar ad cor ejus*. Dum quis sedet quietè in sacrâ hâc solitudine, & exercitiis spiritualibus vacat, Deus

loquitur ad cor ejus. q. d. 1. Loquar non exterius ad aures, sed interius ad cor, mentem & voluntatem, & ingeram ei suæ ingratitude, peccatorumque pudorem, terrorem, odium, quod Deum summum bonum dereliquerit, & creaturis turpiter adhæserit. 2. *Loquar ad cor ejus* & excitabo spem veniæ, & desiderium melioris vitæ, ut anima pœnitens ad Deum ac Dominum suum, quem deseruerat, redeat. 3. *Loquar ad cor ejus*, validis illud rationibus & efficacibus & argumentis convincam ac permovebo, atque ita ad me meique amorem cultum convertam. Sicut Ezechiel. 26. 26. ait : *Dabo vobis car novum & spiritum novum*, pro corde terreno cœleste, pro animali spirituale, pro impuro, purum ac mundum, emundatum ab omnibus peccatorum inquinamentis; pro vacuo, gratiâ & charitate aliisque Spiritus S. donis referunt. 4. *Loquar ad cor ejus*, id est ad affectum & gustum ejus : q. d. alloquar blandis & plenis consolatione verbis, deliciisque Spiritus, ac devotionis suavitate reficiam. Quasi sponsus sponsam ad me revertentem excipiam, ejusque cor mulcebo, lactabo, & ad me rapiam. 5. *Loquar ad cor ejus*, dum jam anima se mihi totam offert, ponit & consecrat, mihi jugiter inharere, & mecum colloqui desiderat; præsentem me illi sistam, quasi sponsus & amicus loquar, erudiam & consolabor. *Quo præsentem*, ait Richardus de S. Victore in c. 3. Cant. 2. 4. *innovatur anima, & quasi ei adherens sentit interni gustus dulcedinem, intell-*

intelligentiam spiritualem, fidei illuminationem, spei augmentum, charitatis incentivum, compassionis affectum, justitia zelum, delectationem virtutum. Cum Deo loquens & audiens quid loquatur in ea Dominus Deus. §. S. Bernardus serm. 57. & 58. in Cant. Ubi explicat. En dilectus meus loquitur mihi, surge propera amica mea, ait Deum in anima devota loqui humilitatem, patientiam, fraternam charitatem, obedientiam, pacem, mortificationem vitiorum, compunctionem, omnemque sanctimoniam.

O igitur rectè exclamat Cornelius Musius illustris nostri avi Delfis in Hollandia Martyr. *O beata solitudo! O sola beatitudo piis secessiculis!* quàm beati, Candidati, qui ad te volant alati, porro à mundiculis!

Quapropter Charissimi, si has locutiones Dei ad cor experiri volumus; 1. Libenti & alacri animo hanc sacram solitudinem aggrediamur: nam ut ait Philo Judæus lib. de Abraham. *Vir probus vita quiete amator, secessum & solitudinem diligit;* instar

Enoch, qui recessit ab omnibus. 2. Liberali animo ad eam accedamus, ut exigit S. P. N. offerentes nō Deo ad omnia & nos totos ei devotes. 3. Animo probè custodito & obferato exactissimè linguam, oculos, aliòsque sensus custodiamus, simulque tanquam hortus conclusus & fons signatus, in quo recreationem suam cœlestis sponus habeat. Hac ratione evadet exercitiorum solitudo schola virtutum, ait S. Basilius in tractatu de laudibus eremi; *Solitaria vita, cœlestis doctrina est schola, ac Divinarum artium disciplina, illic Deus est, totum, quod discitur:* Via quâ tenditur, totum per quod ad summæ veritatis notitiam pervenitur: Caminus Chaldaicus in quo ferventis incendiî vires, orationibus extinguuntur; fornax, ubi supremi Regis vasa formantur, & ad perpetuum nitorem malleo penitentia percussa ac limâ salutiferâ correctionis erasa, perveniunt.



EXHORTATIO II.

IN REGULAM V. SUMMARIUM,
Declarat modum instituendi exhomologesin, de totius vitæ
anteactæ peccatis.

T H E M A.

*Statue tibi speculam, pone tibi amaritudines, dirige cor tuum
in viam rectam. Jeremiæ c. 31. 21.*

V E L:

Ex Regula V. Summarium.



agna requiritur in Societate animi & conscientie puritas, ita ut quodammodo similis videri queat Hierosolymæ cælesti, de qua dilectus Domini Discipulus in Apocalypsi c. 21. 27. asserit: *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum, ut abominationem faciens, aut mendacium, nisi qui scripti sunt in libro vite Agni.* Sicut hujusmodi peccatis coinquinati non admittuntur in Societatem cælestis Patriæ, ita neque in Societatem JESU. 1. *Non intrabit aliquid abominationem faciens*, id est committens peccata lethalia aut capitalia, peccatum enim lethale est abominatio coram Deo, Angelis & San-

ctis; unde hæc antè expianda sunt, & usque ad supremum vitæ anhelitum non amplius committenda. Si quis enim in Religione, in Societate committeret peccatum lethale, monstrum foret, abominatio foret: *abominatio stans in loco sancto.* 2. *Non intrabit aliquid coinquinatum*; qualia sunt peccata venialia liberè & advertenter commissa, & in mundo immundo committi solita, eaque graviora; quæ omnia expianda sunt confessione generali, nec unquam amplius deliberatè perpetranda. 3. *Non intrabit in eam mendacium*: id est hypocrita & simulator: nam sicut ejusmodi non intrabit in cælum, sic neque in Societatem; hypocrita & simulator est; qui simulat se esse servum Dei & non est: hypocrita & simulator est, qui in confessione

essione generali peccatum grave, necessarium exprimendum, dedita opera reticet, adeoque remanet in peccato: Hypocrita & simulator est, qui non habet animum vivendi & moriendi in Societate, panem enim, quem manducet, suffuratur aliis dignioribus: hypocrita & simulator est, qui in sinu suo abscondit impedimentum grave seu essenziale, ut vocamus, nec aperit: Talis autem non intrabit in Societatem, in quam non intrat mendacium.

4. *Nisi qui scripti sunt in libro vite Agni.* Nisi quis per sinceram confessionem deleverit peccata sua omnia, & nomen suum, quod scriptum erat in libro mortis, in libro dæmonis, in libro æternæ damnationis, per gratiam Sacramenti pœnitentiæ, amicitia divini restitutus, *scripserit in libro vite Agni*, in libro æternæ prædestinationis; sanè Societate Jesu indignus erit, & malo omine intrabit in eam. Qua de causa sancti Ordinum Fundatores, S. Benedictus, S. Bernardus & alii ab origine, induxerunt, ut Novitii initio ingressus, Abbati suo, vel Superiori, vel alteri de tota vita confiterentur. Quod & S. Ignatius Parens noster Societati præscripsit in Exam. c. 4. §. 41. unde in *regulam quintam Summarii translatus est.*

Hac verò de causa S. Patriarcha noster ordinavit, sub ipsum ingressum Tyrocini exhomologesin generalem; ut mox ab initio à quovis Societatem ingressuro Tyrone tollatur impuritas, sceditas, scoria peccatorum, quæ nullo pacto puritati Agni Immaculati, cujus est Societas, convenit.

Quæ verò ratione, exhomologesin hanc de tota vita instituere oporteat, in præsentem exponemus.

1. Quomodo instituenda generalis confessio, optimè explicat Propheta Jeremias c. 31. ac tribus punctis complectitur: *Statue tibi speculam.* 1. Specula turris est, quam ascendimus, ut hostes à longè venientes prospiciamus. Talis specula cubiculum est, in quo exercitia prima peragimus, & circumspicimus hostes, id est, peccata nostra, tam remota & antiqua, ab in-eunte ætate commissa, quàm recentiora. 2. *Statue tibi speculam*, ut specularis, consideres, expendas, peccatorum enormitatem & scditatem, omnia mundi scda & cadavera superantem; malitiam & venenum, omnem pestem & toxicum vincens, singularum peccatorum tuorum, & pœnas promeritas; earumque magnitudinem, varietatem, & æternitatem, ex qua consideratione & meditatione, oriatur dolor, detestatio, amaritudo, propositum emendationis serium, integra & plena vitæ emendatio, validaque confessio. Atque ita redderis purus, & dignus, qui è prima, ad secundam probationem, in communitate cum aliis puris & perfectionis studiosis auspicandam descendas. 3. *Statue tibi speculam*: Septuaginta legunt *Statue te ipsam Sion.* Sion significat acervum, statue igitur peccata tua, & collige in acervum & cumulum, in hunc cumulum conjice omnia peccata cogitationum, verborum, operum: conjice omnia peccata aliena, omnia scandala, omnia peccata omissionis,

I.
Examen
conscientiæ.

omnia contra Decalogum , & contra præcepta Ecclesiæ admissa , eaque speculari , perpende malitiam & consideranda enormitatem.

II.
Contritio

II. Postquam consideraveris tantam sceleratam & tantum cumulum peccatorum ; *Pone tibi amaritudines.* Id est pone tibi , seu elice contritionem & amarorem cordis ; pone dolorem , afflictionem , pudorem & confusionem. Contritio , est odium & detestatio peccati , ex quo magnus dolor , tristitia , amaritudo , fletus & planctus , oritur. Quemadmodum enim , qui hostem habet infensissimum , quem ingenti odio prosequitur , miserabiliter dolet , & inconsolabiliter desolat , si se videat ab illo victum , ipsique subiectum : ita animo odio habens peccatum , ex odio erga illud dolet , plangit & amaro est animo , quia se peccato subiecit & ejus nexibus implicavit. *Pone ergo tibi amaritudines* , dole & desole peccata tua. 1. Quòd Deum tuum , Summum & infinitum bonum tuum peccatis , tot , tamque sceleratis , offenderis , quem summo amore ac veneratione prosequi debebas. 2. *Pone tibi amaritudines* ; quòd Creatorem tuum ac Summum Benefactorem , tam sæpe , audacter & protervè offenderis , à quo accepisti corpus , animam & omnia , totque ingentia beneficia , quot sunt vitæ tuæ momenta ; & mala pro bonis , pro benefactis peccata rependeris. 3. *Pone tibi amaritudines* , quòd amantissimum Redemptorem tuum , tanta pro te passum , pro te mortuum , & crucifixum , toties , tamque enormibus peccatis offenderis , ejus passionem &

mortem spreveris , ejus sanguinem pedibus quodammodo conculcaveris , eundem denudò crucifixeris , ostentui , ut loquitur S. Paulus , *habueris.* 4. Quòd Patrem dilectissimum , filium inobediens , Dominum & Regem clementissimum , subditus rebellis tam sceleratè offendendo , læsæ Majestatis reum te constitueris. 5. Quòd Deum O. M. ejusque infinitam potentiam , sapientiam , misericordiam , justitiam , immensitatem spreveris , & despexeris. 6. Quòd te ipsum gravissimè læseris , animam propriam occideris , gloriam æternam perdideris , æterna inferni tormenta , famem , sitim , vermem , ignem , tenebras &c. sempiternas promerueris. 7. Quòd proximum quoque læseris , famam ejus laceraris , bonis ejus damnati intuleris , eum seduxeris , scandalizaris , & æternæ damnationis ejus causa extiteris. Ob hæc & alia *pone tibi amaritudinem* , & dolorem , confusionemque excita. Qualis verò seu quàm magnus ac intensus esse solet ac debeat hic dolor , & amaritudo ex contritione progrediens ; S. Joannes Climacus in Scala gradu 1. non obscurè significat , dum illum dolorem lugentium defunctos , dolori assimilat : *Ante sepulchrum* , inquit , *sedet , nec desistit effundere fervidas & igneas lacrymarum guttas , cordisque tacitos mugitus.* Ad eandem quoque doloris amaritudinem Cæsarius Arelatenensis hortatur homil. 7. *Non est impossibile aut grave , quòd suggero , vel sic lugemus extinctam animam nostram , quomodo alienam carnem mortuam plangimus. Si aut uxor , aut filius , aut*

maritus

maritus mortui fuerint; in terra se collidunt homines, capillos trahendo, & tundendo pectora, in luctu, in abstinentia, in lacrymis, non parvo tempore perseverant. Rogo vos Fratres, exhibeamus animæ propria, quod illi exhibent carni alienæ.

Omnia hæc præclare; at majorem fletum exigit S. Propheta Jeremias, dum non dolorem, pro quibuscunque defunctis, sed pro unigenito concipi solitum, postulat. *Luctum unigeniti fac tibi.* Jerem. 6. 26. *planctum amarum.* Licet enim ad quosvis defunctos lugendos amor naturalis extimulet, miserabilius tamen & amplius lugemus unicum filium, in cujus locum nullus alius est qui succedit: sic prorsus dolor & luctus & amaritudo, peccati causâ suscepta esse debent, siquidem animam nobis unicam interfecit, cujus amissionem nequit alia supplere. Quis, quæso, ista expendens, non dolorem super dolorem, non amaritudinem super amaritudinem, non fletum super fletum agglomeret, videns se & propriam animam & unicam interemisse, & Christum Dei Filium crucifixisse & occidisse, ac Deum Summum bonum, Creatorem, Benefactorem, Patrem, & Dominum suum offendisse. Ergo *luctum unigeniti fac tibi planctum amarum;* peccata tua humiliter & integrè, tanquam paulò post moriturus confitere & pœnitentiam age, fructusque dignos fac pœnitentiæ, nam

III. *Pone tibi amaritudines.* Septuaginta Interpretes legunt *Fac tibi pœnam* per rigidam corporis tractationem. Et ut Theodoretus legit: *Sumo*

de te ipso supplicium. Jeremias L. c. *Filia populi mei accingere cilicio & conspergere cinere.* Qui enim Deum Patrem & Filium & Spiritum S. graviter offendit, animam suam unicam & Dei Filium interfecit; nonne si levi, pro tali offensa, satisfactione contentus maneat, potius irrisisse, quàm satisfecisse putare se debet? Alias sibi posuit amaritudines S. Fundator noster Ignatius, statim ab initio vitæ melioris; nam ex cannabe crassa peregrinorum tunicâ sibi comparatâ, quam fune præcinxit; & cucurbitâ aquariâ, ac viatorum baculo instructus, ut primùm Deiparæ Monferrati templum attingit, confessionem totius vitæ ex scripto fusè apud unum è PP. Benedictinis instituit, tam acerbo dolore, fletuque amaro, totis abruptam, ut tres integros dies tenuerit ac tum sub vesperam, latendi causa, vestitum pretiosum obvio pauperi in pertiens, ejusdem centones, ac desuper habitum peregrini induit, noctemque illam ante aram B. V. precando & vigilando intumpsit; pugionem cum ense pro anathemate parieti appendit, equum monasterio donavit. Ita omnino nudus, ac solâ deinceps stipe corrogatâ victurus Manresam secessit, & habitationem in nosocomio pauperum & ægrotorum obtinuit; ubi campum sui domandi nactus, in nuda semper humo somnum brevissimum capiens, magnam noctis partem precando transigebat, seque flagellando quotidie, interdum quinies, ter interdum catenâ ferreâ cædebat, aquâ & mendicato pane vivebat. Ita P. Tannerus in vita

pag. 4. Rectè ergo Jeremias: *Accingere cilicio, aspergere cinere.* Et ut Apostolus monet Rom. 6. 19. *Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditia, & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire justitia in sanctificationem.*

I.
Vitæ e-
mendatio

IV. *Dirige cor tuum in viam rectam.* per proposita bona & firma. Hactenus ambulasti vias curvas, distortas, difficiles; cum impiis ambulans in circuitu, & licet hæc via mundanis peccatoribus recta videatur, non est tamen recta, quia deducit ad mortem & ad inferos. *Est via qua videtur homini recta, & novissima ejus deducunt ad mortem.* Proverb. 16. 25. *Dirige ergo cor tuum in viam rectam:* in viam Domini: viæ Domini rectæ: in viam justitiæ, perfectionis & sanctitatis, quæ rectâ in cælum ducit. *Justum deduxit Dominus per vias rectas & ostendit illi regnum Dei.* Sap. 10. 10. Præclare in hæc sapientis verba S. Bernardus. *Justum deduxit Dominus, inquit, non alius, quia ipse est de via iniquitatis ad viam veritatis reducere, & deducere per eam. Per vias inquit rectas: via Domini via recta, via pulchra, via plena, via plana. Recte sine errore, quia ducunt ad vitam. Pulchra sine sorde, quia ducunt ad mundiciam. Plena multitudine, quia totus jam mundus est intra Christi sagem. Plana sine difficultate, quia donant suavitatem; jugum enim ejus suave & onus leve.* Dirige igitur cor tuum à via prava & distorta ad viam rectam, à via iniquitatis ad viam justitiæ, à via vitiorum ad viam virtutis, eveniet tibi, quod Jacobo Patriarchæ; *Ostendit*

regnum Dei, scalam in cælum porrectam, & Deum innixum scalæ; ita ostendet tibi scalam perfectionis, per quam ad Deum ascendas. Ostendet tibi & invenies regnum Dei in anima, quod intra nos est, & post hanc vitam regnum Dei, quod in cælo est. De quo rursus elegantissimè & suavissimè mellifluus Doctor Loc. cit. *Et ostendit illi, inquit, regnum Dei: Regnum Dei conceditur, promittitur, ostenditur, percipitur. Conceditur in predestinatione, promittitur in vocatione, ostenditur in justificatione, in glorificatione percipitur.* Unde est id: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum Dei.* Sic enim ait Apostolus: *Quos predestinavit, hos & vocavit, & quos vocavit, illos & justificavit, quos autem justificavit, illos & magnificavit. In predestinatione est gratia, in vocatione potentia, in justificatione letitia, in magnificatione est gloria.*

Quare Charissimi, ex his colligamus, quomodo initio vitæ religiosæ, instituenda sit de totius vitæ peccatis accurata exhomologesis, 1. Ut speculam nobis statuamus, peccata scrutemur, multitudinem colligamus, fœditatem & malitiam meditemur, ut cognoscamus & intimè penetremus, atque ita abhorreamus, ut nunquam deinceps isdem inficiamur aut sordidemur, sed omni coinquinatione & abominatione ablutâ, digni, qui aliis Tyronibus adjungamur, evadamus. 2. Ponamus amaritudines, & peccatorum probè cognitâ malitia, ea detestemur, doleamus, deploremus, sicut ob mortem unigeniti, & debitis ea pœnis castigemur atque ulciscamur. 3. Ut
cor

cor nostrum in aliam prorsus viam dirigamus, à via peruersitatis ad viam sanctitatis, à via damnationis æternæ, ad viam æternæ beatitudinis, & gloriæ regni cælestis. Quod si fecerimus, ut speramus, pro tam esimio beneficio gratias immortales agamus: si verò defectum nonnullum commiserimus, in quotidianis examinibus, & confessionibus hebdomadariis compensare, & negligentias resarcire allaboremus.



EXHORTATIO III. IN REGULAM V. SUMMARI,

Explicat Confessionis generalis utilitates.

T H E M A.

Confitebor injustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. Psalmo 31. 5.

Vel ex Regula.



Confessio generalis, aliquando necessaria est, & tunc nullo modo prætermittenda; aliquando utilis tantum, ac tunc prætermitti potest, nisi Ordo vel Regula secus exigat. Necessaria est in omnibus illis eventibus, in quibus constat, præteritas vitæ confessiones invalidas fuisse. Non quòd Salvator noster præceptum aliquod, de facienda confes-

sione generali, post factas bene stas temperibus particulares, tulerit; sed quia, cum istæ nullius valoris fuerint, instat præceptum consistendi omnia peccata vitæ, aut illius temporis, quo confessionis Sacramentum fictè susceptum est, eò quòd nunquam fuerint ritè confessione expiata. Quare qui per totius vitæ decursum, aut aliquam ejus partem, confessus est Sacerdoti non habenti potestatem absolvendi, aut sine ullo prorsus dolore, aut sine ullo prævio examine, aut sine emendationis proposito, aut sine debita

debitâ integritate , ut cum quis præ verecundiâ , vel præ insigni oscitantia , gravia peccata siluit , adstrictus præcepto est generalis confessionis faciendæ , aut totius vitæ , aut illius temporis , quo similes in confessione defectus admisit. At extra hos eventus , non est quidem necessaria generalis exhomologesis ; est tamen admodum utilis. Unde S. P. Ignatius in Exam. cap. 4. num. 41. pro primo Societatis ingressu eam præscribit ; *propter multiplicem utilitatem*, ut ait, *quæ ea in re deprehenditur.*

Quænam verò hæc utilitates sint , in hac exhortatione explicabimus , reducendo eas ad ternas , quas S. P. N. in Lib. Exercitiorum , post examen generale , allegat. Scilicet majorem dolorem de peccatis , majorem cognitionem malitiæ peccatorum , meliorem præparationem ad Sacramentum Eucharistiæ.

I. Utilitas confessionis generalis , major dolor de peccatis.

I. Utilitas prima , quam S. Fundator L. c. allegat est hæc : quia *confitenti multò plus commodi & meriti accedit , ob dolorem scilicet de peccatis , & malitiâ vitæ præteritæ , quem ita sentit vehementiorem.* Confitenti plus imprimis meriti accedit , 1. Propter victoriam insignem sui , quâ posthabita confusione maximâ & famâ propriâ ac honore , omnia etiam occultissima & scdissima peccata Sacerdoti revelat , qui actus cum maximam in se contineat difficultatem , ob verecundiam homini innatam utique , valde multum commodi & meriti inde ei accedit. 2. Non solum ob Sacramenti pœnitentiæ dignitatem & vir-

tutem , quâ meremur gratiam Sacramentalem , sed & ob sedulam hominis cooperationem , laborem , satisfactionem , per pœnitentias , orationes , indulgentias , meritum valde augetur. 3. Quod S. P. N. potissimum attingit , meritum augetur ob dolorem vehementiorem de peccatis , & malitiâ vitæ præteritæ ; nam omnibus totius vitæ peccatis , quasi unico intuitu conspectis , majorem ex eis dolorem , majus odium , majorem detestationem concipimus , qui actus meritum mirificè augent : nam ut Job audiens singulos servos , qui singulas adversitates nuntiabant , dissimulavit quidem & siluit , at veniente ultimo famulo , qui omnium filiorum mortem patefecit , tunc visitantis calamitatibus dolore concussus : *Surrexit & scidit vestimenta sua , & tonsit capite corruis in terram & adoravit.* Job. c. 1. 20. Ita homo qui in singulis confessionibus , quasi æneus apparebat , nec timorem aut dolorem sentiebat , tot simul flagitiis , tot scditatibus , tot iniquitatibus confideratis , solet magno timore concuti , magno dolore percelli , & ad verissimam contritionem excitari. Valde itaque hoc auget meritum , ita ut majori luce , pudore , dolore , & diligentiori discussione , una hæc , si potuerit , meritum omnium aliarum excellat. Ecce quantum meritum ! Huic merito S. Pater addit quoque *plus commodi* ex generali confessione accedere confitenti : quodnam verò illud ? quod omnium aliarum particularium confessionum , si qui fuerint , defectus suppleat,

pleat, irritasque redintegret: Ecclesia in alio licet genere nobis facem præfert; hæc namque unam solennitatem omnium Sanctorum instituit, in qua cunctarum solennitatum totius anni, defectus suppleremus; ita nos Ecclesie Filii piam matrem imitamur, dum uno insigni actu, aliarum confessionum defectus diluere, & merita perditæ restaurare conamur; præbuit etiam exemplum nobis ipse Christus Dominus & Magister noster; qui sicut à baptisate Joannis, tanquam insigni ac stupendo humilitatis actu, perfectionis prædicationem cepit; ita nos ab insigni quadam dejectione & confusione vitam sanctam & perfectam in Religione ordimur. Accedit quoque commodum religiosæ communitati, ne ad eam peccatis non abolitis descendentes, vitia illi affricemus & ipsam collatis è sæculo peccatorum sordibus inficiamus. Atque hæc est prima exhomologesis generalis utilitas; ingens nimirum, commodum & meritum.

II. Altera utilitas, quam S. Fundator noster L. c. insinuat, est: *quoniam inspecta, per spiritualem exercitationem, longe quam antea, manifestius, naturam & malitiam peccatorum, tanto amplius commodum & meritum percipitur est.* q. d. inspecta per meditationes clariùs, quam antea, naturam & malitiam peccati, dum scilicet in exercitiis spiritualibus, naturam & effectus peccati perpendimus, & invenimus quod sit 1. Transgressio legis divinæ. 2. contemptus Dei. 3. recessus & aversio à primo suo principio, & conver-

sio, seu accessus ad creaturas. 4. summa ingratitude, inobedientia & rebellio contra Deum, quæ ex Angelis Diabolo turpissimos, & ex Dei amicis, hostes & inimicos, damnationis æternæ reos efficit. Ad hæc dum imitamur mortem, iudicium, infernum, tanquam justissimas peccatorum pœnas à Deo inflictas; dum hæc inquam meditatur, manifestius naturam & malitiam peccatorum percipimus; eaque perspecta, commodum & meritum amplius percipimus. At quale? Primum commodum & meritum quod ex clariore peccati notitia oritur est, cognitio vera sui, & vera humilitas: videt enim homo peccator, quale hæctenus fuerit apostema & ulcus, quàm fœdum, quàm horrendum, ex quo tanta peccatorum sanies profluxit. Videt quàm abominabilis cloaca cor ejus fuerit, ex quo talis peccatorum fœtor & sordes prodierunt; ac sese profundè humiliat, coram Deo se confundit, superbiam sæcularem abjicit, suavi jugo Christi humiliter humeros subjicit; & dum agnoscit Luciferum, ob unicum peccatum lethale, æternis addictum suppliciis se verò tam multa commisisse scelera cernit, totus attonitus & confusus infra Luciferum se abjicit, profundissimum inferni locum sibi attribuit, justissimumque esse agnoscit, ut etiam simplicioribus & minimis Fratribus subjiciatur & postponatur.

Secundum commodum & meritum ex dicta malitiæ peccati cognitione scaturiens est, non solum ingens detestatio, odium & horror cujusvis peccati,

cati, ita ut cum S. Anselmo dicat : *Si inde viderem peccatum, hinc verò referatum infernum, mallem vivus sine peccato ad infernum descendere, quàm ullum peccatum contra Deum meum perpetrare.* Verùm etiam valde magnum odium sui ipsius, quo se & carnem suam rebellem persequitur ; quo stimulante statuit tantam suam malitiam vindicare, Deo illatam injuriam refarcire ; voluntariis operibus pœnosis carnem castigare, peccatorum radices extirpare, passionésque animi indomitas mortificare : atque ita implere, quod suadet Apostolus ad Titum c. 2. *Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri* (in vocatione, in exercitiis, in illuminatione mentis) *erudiens nos, ut abnegantes impietatem & secularia desideria, sobriè & justè & piè vivamus in hoc saculo, expectantes beatam spem & adventum gloria magni Dei & Salvatoris nostri.* Has ergo impietates, concupiscentias, & desideria prava initio statim damnamus, eis valedicimus, ea abnegamus, evellimus, abjicimus, conculcamus, ut in æternum non redeant, nôsque ad pristina peccata reducant. *Toties*, ait S. Hieronymus, *negamus nos, quoties priora vitia calcantes, desinimus esse, quod fuimus & incipimus esse, quod antè non fuimus.* Ut qui priùs superbus, ebriosus, obscœnus, iracundus fuit ; abneget se, incipiatque esse humilis, castus sobrius, mansuetus, & suâ sorte contentus.

Tertium commodum & meritum est : amor erga Deum. Nam quò manifestiùs cognoscimus malitiam peccatorum nostrorum, & multitudi-

nem eorundem, eò quòque clariùs infinitam Dei Bonitatem, Sapientiam & Potentiam agnoscimus. Et 1. quidem bonitatem : videntes enim iniquitates nostras esse innumeras & gravissimas, & ipsius nihilominus infinitam clementiam, quâ nos non abjecerit, ac bonitatem, quâ fecerit nos in visceribus animæ nostræ sentire suavitatem misericordiæ suæ, qui *facit solem suum oriri super bonos & malos*, mirificè ad redamandum inflammamur. 2. Agnoscimus infinitam ejus Sapientiam, qui tam suaviter sciverit vincula mundi, quibus constricti tenebamur, abrumpere, ac per tam suavia media nos ad se trahere, & ad vitam religiosam, meliorem allicere. 3. Agnoscimus ejus ineffabilem potentiam ; qui tot scelera & improbitates auferre possit, & velit per ministros suos, nec non quatrinduanum mortuum, jamque scetidum, solo verbo possit ac velit resuscitare. *Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit ?* Psalm. 112. §. Sic tu Domine JESU Re potentissime, nos pauperes, inopes, sordidos, & cœno peccatorum collo tenus immersos, de stercore elevas, & collocas cum principibus populi tui ! An non meritò ingratitude nostram agnoscimus ? an non tepiditatem meritò damnamus ? an non jure in amore tam boni Dei, toti inardescimus, & offensas ejus fidelibus servitiis compensare desideramus ? Hæc sunt commoda, ut alia omittam, è confessione generali promanantia, maximi sanè æstimanda.

III. Tertia

III. Tertia
 Meior talis à S. Pa
 ad 3. Ec- qui, con
 chaitia. confessam
 lra se hab
 nem, qu
 can, &
 nem &
 Na
 militat
 corpo
 que d
 via d
 felle
 I
 data
 do,
 dein
 stran
 Pir
 mot
 sup
 Re
 les
 tu
 ne
 orn
 ann
 nab
 jung
 fra
 rove
 v
 an
 2
 2
 Amores
 requit
 gultis, q

III.
Melior
dispositio
ad S. Eu-
charistiã.

III. Tertia utilitas confessioni generali à S. Patre attributa, est: *Quia, inquit, consentaneum est hominem, sic rite confessum atque dispositum, multò meliùs se habere ad Eucharistia sumptionem, quã maximè confert & fugam peccati, & ad gratia recepta conservationem & augmentum L. c.*

Nam præter antedicta commoda, huius militatem, charitatem, castigationem corporis, & abnegationem vitiõrum, quæ optimæ, ad SS. Eucharistiã, præviã dispositiones sunt. Accedit ex confessioni generali

1. Puritas animæ à peccatis jam mundatã. Quæ domus Principi suscipiendo, non priùs à sordibus expurgatur, ut deinde exornari queat? in domum nostram veniet Rex Regum, & Princeps Principum, cui confessio generalis mundat animæ domum: *Lavabis me & super nivem dealbabor:* ait Psalmista Regius Psalm. 50. Quæ sponsa, ad regales sponsi nuptias, corpus suum exornatura gemmis & unionibus, non à lotione, & macularum faciei absterfione, ornatum suũ incipit? instar Estheris, quæ anni spatio lavabatur, unguebatur & ornabatur, ut regio conjugio cum Assuero jungeretur. Esther c. 2. 3. Anima nostra Christi Sponsa est, hæc lota Sacramento pœnitentiæ, purior aptiorque est unioni cum Christo Rege & Sponso amantissimo.

2. Majus desiderium & appetitus alimonix cœlestis: qui enim malos humores in stomacho retinet, edere nequit cum appetentiã: iis verò expulsi, orexis & fames nascitur.

3. Tranquillitas conscientix: Christus enim Eucharisticus in anima tranquilla & pacata, atque à spinis peccatorum expurgata tanquam in lectulo florido ac nitido libentissimè, jucundissimèque quiescit. Hæc autem tranquillitas obtinetur, dum onus peccatorum, instar montis incumbentis humeris nostris, & aggravantis, excutimus, spinas peccatorum pungentes evellimus, & mundati jam, læto corde Deo servimus. Et licet quandoque Deus, nonnullos scrupulos & anxietates, in pœnam peccatorum præteritorum temporalem, aliquamdiu relinquat; eas patienter ferre, sed non nimium immergere aut anxietate nimia torquere nos oportet: Dum enim fecimus quod potuimus ex parte nostra, contenti pacatique esse debemus. Sequendo consilium doctissimi ac piensissimi Joannis Gersonis, p. 3. de remed. pusillanimitatis; ubi ait: *Si semel conscientia diligenter excussa, cum dolore debito, sacerdoti idoneo confessus es, animo nihil celandi, & sic absolutus es, securè apud te statue, rite te expiarum, omnemque scrupulum & metum depelle, nisi aliquid perspicuè occurrat, quod certò memineris, te non dixisse.* Hæc itaque est melior ad Eucharistiã sacrosanctam dispositio; quã præmissã, illa maxime confert ad fugam peccati, tanquam certum amuleum & antidotum: & tanquam alimonia cœlestis roborat, confortat, in gratia conservat, eamque mirificè augmentat.

Atque hæc Charissimi, sunt com-
moda & merita, quæ Sanctus Patri-
archa noster allegat, ex quibus dilu-
cidè perspiciamus, quanta gratia sit,
peccata sua, præviâ recollectione o-
ctiduanâ, meditatione, examina-
tione, discussione, exhomologesi to-
tius vitæ, expiare: O quantum be-
neficium! quod si multi sæculares,
multi hæretici, multi ethnici obtine-
rent, ad magnam fortè vitæ sancti no-
niam pertingerent! quanta com-
moda & merita, dolor vehementior,

particularium confessionum redinte-
gratio, vera sui cognitio, peccato-
rum detestatio, carnis mortificatio,
Dei dilectio. Puritas animæ, Eucha-
ristiæ præparatio, conscientiæ tran-
quillatio, delictorum fuga, confer-
vatio in gratia, & ingentia hujus in-
crementa? pro quibus commodis &
meritis an non summas nos oportet
Deo referre grates, animùmque gra-
tum, fideliter ac ferventer ei-
dem serviendo, reipsâ
demonstrare.

EXHORTATIO IV.
IN REGULAM V. SUMMARIÏ
De Confessione semestri & annuâ.

THEMA.

Negotiamini, dum venio. Lucæ c. 19. 13.

Vel ex Regula.



Causas institutæ à
S. Fundatore no-
stro exhomologe-
seos generalis, sub
ingressum Societa-
tis peragenda, ex-
hortatione proximè præcedente assi-
gnavimus: sed cur obsecro, quot an-

nis, aut semestribus, semestrem, an-
nuamve repeti voluit? nonne una om-
nium totius anteaactæ vitæ noxarum
expiatio abundè suffecisset? existi-
mant nonnulli, causam esse, ut ziza-
nia peccatorum repullulantia annuè
amputaremus, quo hortus animæ no-
stra foret mundior: alii censent eâ
motum

motum ratione, ut admissa; fortassis in exhomologesibus particularibus defectum, aut oscitantiam compensaremus: alii autumant, causam esse, ut Superiores, ac Directores spiritus, sibi commissos, magis perspectos haberent, & vel de profectus ubertate gauderent; vel pro sterilitate corrigenda, sarculum, stercoreationem, & irrigationem copiosiore adhiberent: Hortulanorum enim est, plantas suas cognoscere, earum incrementum, decrementumque considerare, & opem ferre: alii judicant, finem intentum esse, ut voluntas in vocatione & propositis bonis amplius, firmitusque solidaretur, & opus Diaboli destrueretur: alii denique volunt, S. Patriarcham desiderasse, ut Filii sui more prudentum mercatorum, & Oeconomorum, annis singulis vitæ rationes inirent, & perficerent; ut cum Dominus venerit eas exacturus, perfectas liquidasque valeant exhibere. Omnes rationes prædictas approbo, sed postrema placet in præsentis. Eveniet enim nobis in hora mortis & iudicii particularis quodammodo, quod Regi Balthasari; cui scriptum in pariete: *Mane, Thecel, Phares.* Numeravit, appendit, divisit. Ut igitur in illa hora rationes nostræ subsistant: *Ostendam,* quomodo pro exhomologesi semestri aut annuâ oporteat nos opera nostra numerare, appendere, dividere; mala à bonis discernere; ne in illa die à Deo numerentur, appendantur ac dividantur.

I.
Mane, id
est, nu-
meravit.

I. Verbum primum Balthasari Regi in pariete scriptum; fuit, *Mane*, id est

numeravit. Mercatores & Institores post navigationem longinquam, semestri aut anni spatio peractam, recolligunt se, perpenfitque empti venditque rationibus pecunias numerant, ut dispiciant, quidnam aut lucri fecerint, aut damni subierint: quod si damnum se incurrisse deprehendant, ejus causas indagant, ut deinceps caveant, novisque spebus conceptis, futuram navigationem & negotiationem feliciter instituunt.

Charissimi, omnes nos mercatores sumus: omnibus à Patre Familias talenta concessa sunt; omnibus dictum est: *Negotiamini dum venio.* Luca c. 19. 13. Itaque negotiandum est nobis non mercibus terrenis & vilibus, quales mundi Institores tractant; sed pretiosis, spiritualibus & cælestibus: ne autem detrimentum patiamur, ac tandem foro cedere cogamur; more negotiatorum mundi quot annis aut semestribus computum inire, & rationes perficere necesse est: ne in nos cadat illud Christi Domini acroama: *Filii hujus sæculi prudentiores in generatione sua sunt, filii lucis.* Luca c. 16. 8. Atque ut impleamus S. Patris nostri præscriptam, qui voluit, ut nondum in gradum constituti, quot semestribus; gradum verò ultimum adepti, quot annis generali exhomologesi, ab ultimâ inchoando, peccata admitta expient.

Quod ut debito modo præstetur ab omnibus, pro semestri triduana, pro annuâ exhomologesi octiduana accessis instituitur: atque in ea primo loco implendum, *Mane*, numeravit lucra,

& detrimenta expendenda, considerandumque, num omnia fuerint in pondere, numero & mensura peracta. Numerant ergo Novitii 1. unius anni spatio, peractas meditationes matutinas 365. totidemque vespertinas, universim 730. simulque examinant præparaciones, recollectiones, voluntarias distractiones, & negligentias in prædictis commissas. 2. Numerant examina conscientie meridiana 365. vespertina totidem; id est, simul 730. & dispiciunt, quam segniter conscientiam discusserint, quam perfunctione dolorem excitarint, quam inefficacia irritaque proposita formarent. 3. Numerant examina, ut vocamus, particularia 730. & inquirunt num verè vitia suppresserint, defectus correxerint, virtutes acquisiverint. 4. Numerant exhomologeses, Synaxes, Sacra, exhortaciones, lectiones asceticas, ac reliqua spiritus exercitia: & indagant, quæ ex eis lucra, quæ damna retulerint, & quoniam Deus etiam justitias judicabit, ipsi hoc iudicium præveniunt. 5. Numerant, quot etiamnum passiones, inclinationes pravæ, consuetudines malæ, & habitus vitiosi in eorum corde vigeant, quàmque noxios ac virulentos effectus produxerint. 6. Numerant denique peccata, negligentias, imperfectiones, cogitatione, verbo, opere, & omissione perpetrata; quæ ex dictis radicibus, veluti zizania nociva propullularunt. Numeratione absolutâ, omnia considerant, multitudinem cognoscunt, de noxis dolore concipiunt, emendationis proposita firma sta-

tuunt: atque ita demum pro tribunali sacro ea expiant, & eorundem veniam consequuntur; non sine animi tranquillitate & gaudio, de rationibus anni istius aut semestris liquidis & perfectis.

O quantum hoc est Dei beneficium! quàm eximia gratia à Deo per S. Ignatium nobis concessa! quàm si careremus, quàm confusas fortassis essemus in hora mortis & iudicii particularis habituri rationes! certò enim veniet Judex & villicationis ac negotiationis cuiusvis nostrum rationem exiget; idemque quod Regi Chaldæo, nobis offeret: *Numeravit regnum tuum & complevit illud.* Id est, *numeravit statum, officium, regimen & functionem tuam: numeravit annos, menses, dies, horas, minuta; verbo, omne tempus tuum & jam complevit illud: & si hoc ad annos plures, v. g. 42. ut mihi meisque cœtaneis accidit, extensum & prorogatum fuerit; vide, quàm ingentes tibi incumbant reddendæ rationes: numeravit enim & tunc tibi ob oculos ponet ac numerabit annuè 365. meditationes, & consequenter de annis 42. 5330. meditationes. Numerabit bina indies examina, quæ universim conficiunt triginta millia, sexcenta, sexaginta: & totidem examina particularia. Numerabit tot millena sacrificia, tot millenas confessiones & synaxes, tot millenas lectiones & exhortaciones: si autem ad peccata & omissiones devenierit, quantum chaos, quàm incredibilem numerum calculaturum arbitraris! si enim ut Job ait: gressus omnes dinumerat: peccata non dinumerabit? O charissimi, quis ad*

tam

tam exactam arithmetica non timeat? si Balthasar Rex ad ignotam manum scribentis, ita trepidavit præ timore, ut genua ad se invicem coliderentur: quid vobis accidat ad conspectum irati Judicis? quis pavor corda vestra concutiet? ne id vobis eveniat, exactas accuratæque quot semestribus conficite rationes: aspiciete diligentiam sæcularium in annuis suis rationibus concinnandis, & cavete ne in vos quadret illa Christi Domini sententia: *Filii hujus sæculi prudentiores in generatione sua sunt, filii lucis.* Luc. 16. 8. Sed omnia in numero, pondere & mensura disponite: & liquidas in fine vitæ rationes exhibebitis.

II.
Thecel,
appendit.

II. Verbum alterum Regi Balthasari in pariete scriptum fuit, *Thecel*, id est, *appendit in statera.* Mercatores monetam auream argenteamque, quam lucrantur, aut pro mercibus obtinent, explorant, num justis sit ponderis ac valoris, atque in statera seu bilance monetaria librant: nonnunquam etiam lapidem lydium adhibent, ut aurum ab orichalco discernant; pecuniam adulterinam falsamque à probata separant. Pari modo dum nos in ascensi annua aut semestri ad generalem exhomologesin comparamus, omnia nostra opera, etiam bona appendenda à nobis sunt in statera examinanda, ut, num pondus suum habeant, diducemus: quis enim ex nobis vitæ ad eod accuratæ est & sanctæ; ut cum Jobo sustinere atque asserere auit: *Ipsè Deus considerat vias meas, & cunctos gressus meos dinumerat: si ambulavi in vanitate, & festinavi in dolo pes meus, appendat me*

in statera justa; & sciat Deus simplicitatem meam. Jobi c. 31. 4. Hoc est, Deus sententiâ suâ declaret innocentiam, puritatem & fidelitatem meam in servitio ejus, quâ actiones meas omnes, juxta regulam Divinæ legis direxi. At quotus quisque nostrum est, qui ad hanc Dei stateram provocare, & se offerre audeat?

Quisquis igitur id non audeat: appende in statera opera tua & virtutes, scilicet humilitatis, devotionis, patientiæ, obedientiæ, penitentiæ & charitatis: & examina, num justo pondere gaudeant: quodque inde consequitur, num justum, debitumque valorem ac pretium apud Deum inveniant. Appende itaque in statera, & dispice opera, num intentione sincerâ, requisitâ attentione, debitâ circumspectione, intentione, extensione, fervore, charitate sint prædita, convenientibusque circumstantiis personæ, loci, temporis vestita. At undenam hoc deprehendes, aut colliges? Morte mercatorum, uni lanci pondus à Rege aut Republica exactum signatumque impone, alteri verò, auream argenteamve monetam; id est uni lanci injice præcepta Dei, & Ecclesiæ, atque Societatis Regulas; alteri opera tua, ac dispice num illis sint conformia atque ita pondus faciliè invenies. Deinde lydium applica lapidem, ut, num aurea sint, an cuprea, argentea an plumbea, pateat: sæpè numero vitium virtutis veste se palliat: sæpè putatur esse charitas & est carnalitas, ait Thomas Kempensis; & ut S. Albertus M in paradiso, meminit: Dissolutio, spiritualis mentis lætitia creditur; loquacitas censetur affabilitas

tas; pigritia, morum gravitas; tepor, discretio; hypocrisis, sanctitas; pertinacia, constantia; sed sicut falsis denariis nihil boni emitur, sic nec falsis virtutibus regnum calorum acquiritur. Ex adverso non raro à Tironibus, aliisve passione excœcatis, virtus, vitii nomine insignitur: nam ab imperfectis hisce, aut imperitis, quod ex vera humilitate nascitur, ex vana gloria proficisci creditur: quod ex pura, sanctâque intentione oritur, ex hypocrisi promanare existimatur: & quod ex zelo justitiæ, aut amore regulæ procedit, ex zelo vindictæ provenire mali interpretes arbitrantur. Omnia itaque appendenda sunt in statera: quod nisi feceris

In hora mortis & iudicii particularis, Iustissimus rerum Arbitrator omnia opera tua appendet in statera veritatis, eaque ponderabit exactissimè: & si levitatem deprehenderit, an non oggeret tibi, quod Balthasari Regi Babylonæ: *Thecel*, id est, *Appensus es in statera, & inventus es minus habens*. Appensus es cum virtutibus, cum bonis operibus, omnibusque actionibus tuis viciosis & inventus es minus habens: *Non invenio opera tua plena*; Apocal. 3.1. Sed defectuosa, vacua, inania pietate & virtute, minusque habentia, quam tu ipse arbitreris.

Ne id nobis in mortis hora accidat, voluit S. Parens noster ut præveniremus, singulisque semestribus vel annis, omnia opera nostra in statera examinis collocari, rationes & computa exactè iniri, debita exhomologesi accuratâ aboleri, ut coram Iudice supremo, probè subsistamus.

III. Tertium, quod Balthasari cum

tetore ob oculos positum fuit, est *Phares, divisit*. Mercatores pecuniâ numeratâ, ponderatâ, & probatâ, lucroque deprehensâ, falsam & adulterianam, ac justò leviores, à pecunia probata & justa dividunt & separant; falsam abjiciunt: bonam verò in thesauris suis reponunt, ut inde honestè vitam transigant, ac necessaria sibi comparent. Pari ratione, Societatis religiosus, singulis semestribus aut annis, opera sua, tanquam monetam, dividit; bona à malis, à perfectis vitiosa separat; illa tanquam libro vitæ jam inscripta, Deo offert & commendat; hæc autem contritione & confessione eluit, expungit, & deinceps corrigere statuit.

Regi Babylonæ in pariete scriptum: *Phares: divisum est* regnum tuum, datumque est Persis & Medis; ita, Charissime, aliquando dividetur quoque regnum tuum, & quidem quadruplex: unum est extra te, in terra, alterum prope te, tertium intra te, quartum supra te. 1. Dividetur regnum mundi; quidquid enim mundus habet bonorum, voluptatum, & honorum, mors dividet, & à te separabit accolet. 2. Dilectum corpus tuum, quod prope te est, & cui anima, omnes ejus facultates gubernando, præsidet, mors dividet: atque hæc divisio tanquam charioris, priore est amarior. 3. Regnum Dei, quod intra est, id est virtutes & opera gratiæ & charitatis dividet. Et si quis infelix, quod longè absit ab omnibus nobis, in hac vita, fidem & spem à charitate & gratia diviserit, & in hac divisione, vitam clausit;

serit, v̄ illi! huic enim Deus omnia auferet, & iusto iudicio, nec per fidem vivam, nec per spem, nec per gratiam habitabit in illo ultra in sempiternum.

4. Hac divisione facta sequitur postrema, ut qui in gratia, nondum omnino expurgatus decedit, tantisper à celesti gloria separetur, donec in igne purgante penitus emundetur; qui verò in peccato lethali diem suum obit, dividatur æternùm à regno cœlorum: & audiat tremendam illam sententiam Prophetæ; *Separetur impius, ne videat gloriam Dei.* Isaia c. 26. 16.

Ne tali modo dividamur, nos ex directione S. Patris nostri opera nostra in alceſi ſpirituali ſeparemus, diligentiffimè; ut rationes noſtræ omnium annorum ſint liquidæ & perfectæ, ut cum fiducia & gaudio hinc diſcedamus; exemplo R. P. noſtri Alphonſi de Avila zelottiſſimi Eccleſiaſtæ; qui febris ardente correptus, omnibuſque ſupremis myſteriis munitus, de propinquo laborum ſuorum termino, & felicitatis ſemper duraturæ principio, ingens gaudium præſentit, ad quam ſpectata anhelabat. Die poſtero cum ægrotum inviſeret Archiepiſcopus & unâ Medicus, hic inſtanter ab Alphonſo rogatus eſt, ut quantum ſibi vitæ adhuc reſtare cenſeret, liberè ediceret: qui non nihil quidem tergiverſatus, poſtquam tamen mirâ tranquillitate compoſitum Patris animum advertit, clarè edixit, non ſupereſſe ultra quaternas horas. Quo reſponſo tanto exiit gaudio, ut continuò ſe in lecto erigens, manum Medici arreptam oſculo petierit, exclamans: Bona nova

à Deo attuliſti, tam fauſtum dicendo nuntium. Obiitque inſtar adſtantium lacrymas Granatæ Anno 1556. 17. Octobris, anno ætatis triceſimo. Tannerus pag. 61. Liquidas ſanè Pater ille ſuas rationes habuit, undetanta iætitia & confidentia profluxit.

Quare, Dilectiſſimi, ſi in hora mortis & iudicii particularis oculos Iudicis læto vultu, & ſecurâ mente ſubire cupimus, ſemestribus ſingulis aut annis, rationes noſtras irreprehenſibiles, liquidasque reddamus: horrendum illud, *Mane, Thecel, Phares; numeravit, appendit, diviſit*, nos prudenter præveniamus: atque in exercitiis ſpiritualibus, annis aut ſemestribus, dum ad exhomologefin generalem nos diſponimus, 1. Numeremus mercatorum more damna & lucra; meditationes, examina, reliqua opera bona, adlaphora & mala, ut emendemus, 2. Appendamus omnia & ſingula in ſtatera, non dolosa, ſed æqua & juſta; atque examinemus, num pòſus ſuum habeant; num veræ virtutes, an verò harum pallio veſtita ſint vitia. 3. Dividamus mala à bonis, perfectâ ab imperfectis, virtutes à vitiis: & bona Deo offeramus ac pro iis gratias referamus; mala verò deploremus, & poenitentia Sacramento expiemus: ita à ſupremo Iudice non numerabimur, non appendemur, nec ab ipſo dividemur; ſed læto alacrique animo mortem aſpiciemus, & poſt illam meſuram bonam, conferatam, & cogitatam mercedem condignam & operibus bonis correſpondentem in cœlis reportabimus.



REGULA VI. SUMMARI.

De Examine, Confessione & Communione.

EXHORTATIO I.

IN REGULAM VI. SUMMARI.

Docet modum examinandi conscientiam.

T H E M A.

*Scrutemur vias nostras & queramus, & revertamur
ad Dominum. Threnorum 3. 40.*

V E L

EX REGULA VI.



Ratio vocationis nostræ similis est Archangelo Raphaëli, qui juniorem Tobiam per omnes peregrinationis suæ vias salvum atque incolumem deduxit & reduxit, quiq; ei dedit 1. fel piscis, quo parentis cæci oculos aperuit; & hoc fello denotatur examen conscientie, quod primo loco in hac regula præscribitur. 2. Deinde docuit eum corde piscis demonem fugare, quo significatur confessio sacramentalis, quæ alterum est, quod in hac reg. 6. mandatur. 3. Piscis carnes eidem comedendas tribuit, quo indicatur sacra communio, quæ tertium est, quod in hac regula exigitur. Nunc in primis agemus de examine conscientie; quid verò hoc aliud est, nisi fel piscis conservatum, & tanquam efficax reme-

dium cæcitati nostræ adhibendum; eò enim dirigitur illud, ut nosmet ipsos probè cognoscamus, defectum nostrorum displicentiam in nobis excitemus, & in amaritudine animæ eos detestemur. Si enim nunquam conscientie nostræ latebras discuteremus; eò paulatim dilaberemur, ut defectus quantumvis magnos non sentiremus, aut curaremus, multo minus emenderemus; atque ita in peccatorum sordibus perseveraremus.

Ostendam itaque, quomodo hoc perfectionis præstantissimum medium à S. P. N. præscriptum, & à gratia vocationis tanquam à Raphaële nobis communicatum, adhibere oporteat, ut duos effectus fellis Tobie, in nobis operetur & 1. oculos aperiat, 2. mordicat, atque amaritudinem causet, quæ primariæ examinis partes censentur.

I. Nolu-

I.
Puncta
examinis.

I. Nolumus detinere nos in laude
examinis conscientiae, prolixè satis à
S. Chrystomo, S. Basilio, S. Bernar-
do, S. Bonaventura aliisque SS. PP.
commendati, imò & à Seneca, Pytha-
gora, & Ethnicis aliis, laudati. Ut ve-
niamus ad methodum quinque puncta
complectentem.

Primum est gratiarum actio probe-
ficiis illo die, totaque vitâ à Deo ac-
ceptis, quo nihil Deo gratius, nobis-
que ad nova beneficia obtinenda uti-
lius: unde Apostolus suadebat 2.
Theff. 1. 3. *Gratias agere debemus
semper.* Et iterum 1. Theff. 5. 18. *In
omnibus gratias agite.* Hinc Veteres
semper in ore habebant: *Deo gratias,*
pro beneficiis corporis & animæ, na-
turalibus & supernaturalibus. Sed in-
primis nobis gratiæ sunt agenda, pro
incomparabili vocationis beneficio:
magnum beneficium est creatio, mag-
num redemptio: at quid utrumque
potuisset, si relicti in sæculo inuissemus
latam viam, cum multis ad perditio-
nem æternam? quare binis Indies vi-
cibus, minimum gratis Deo refera-
mus, pro tam eximio beneficio, S. Au-
gustinus sepe illud: *Non sicut Deum
glorificaverunt, aut gratias egerunt
Roman. 1.* ait: *Quod Deus dedit
gratis, tulit ingratis: non est dignus
dandis, qui agit grates de datis.* S.
Bernardus serm. 57. in Cant. *Ingrati-
tudo est ventus urens, siccans sibi fon-
tem pietatis.* Necessarium ergo est illi,
ait Humbertus, in Instit. vit. spir. c. 1.
quæ misericordia Dei se sæculo edu-
xit; ut magnitudinem gratiæ, quam
accepit, agnoscat, & frequenter de ea

gratias referat Deo; ut sic gratiam
acceptam custodiat, receptione al-
terius gratiæ dignus existat. Ad locum
unde exeunt flumina (gratiarum) re-
vertuntur; ut iterum fluant. Cùm e-
duxisset Dominus filios Israel de Æ-
gypto, in qua graviter premebantur;
voluit eorum beneficium in jugi
habere memoria; dicens eis: *Me-
mentose dies hujus, quâ egressi estis ex
Ægypto & sæpe eis hoc beneficium
in memoriam reducebat: Ego sum
Dominus Deus tuus, qui eduxit te de
terra Ægypti.* Non minus beneficium
esteductio de sæculo, per religionis in-
gressum, eductione corporali ex Ægy-
pto: cùm vita mundana major sit ser-
vitus. Igitur pro tanto beneficio
Gratias agere debemus semper. L. c.

Secundum punctum & petitio lu-
minis: quia non rarò cæci sumus in
propriis defectibus agnoscentes, sæpe
etiam passionibus obscuratur cor no-
strum, ut virtutem existimemus, quod
vitium est; proinde jure à Deo lumen
poscimus: præsertim cùm contritio
donum Dei sit, quod habere ex no-
bis nequimus: *Omne datum optimum
& omne donum perfectum de sursum est,
descendens à Patre luminum.* Jacobi
1. 17.

Atque hæc duæ primæ partes exami-
nis, sunt veluti ingressus, dispositio
ac præjudicia.

Tertium punctum est ipsa exami-
natio, quæ sicut fel salubre, oculos
mentis nobis aperit, de qua dixit Jere-
mias Propheta: *Scrutemur vias no-
stras, & quæramus, & revertamur ad
Dominum.* Thren. 3. 40. Quid est

ali d *Vias nostras scrutari*, nisi mores, affectus, opera, verba, & cogitationes indagare & discutere? quid est *Quarere*, nisi eadem, qualia sint, bona, an mala, perfecta, an imperfecta, Deo grata, an invisa per examen investigare: ut Inventâ malitiâ & pravitatem, per contritionem & pœnitentiam illam deleamus, atque ita ad Dominum Deum revertamur?

Hoc examen est veluti regula seu amulsis, quâ operum rectitudinem aut eum vitæ dignoscimus: sicut enim sæpe putamus nos lineas rectas duxisse aut scripsisse, at applicatâ regulâ, tortuosas & curvas esse deprehendimus; ita pariter in via spiritus, sæpe aberramus, & curvum rectum, atque rectum curvum erroneè iudicamus. Quemadmodum igitur artificibus regulâ opus est, ita & nobis. Hoc examen est quoque veluti scopula, quæ ex omnibus angulis sordes peccatorum educit, colligit, & quasi in unum cumulum congerit, ut postea per contritionem & confessionem foras ejiciatur, & animæ domus mundetur.

II.
Discussio
defectuum.

II. *Scrutemur vias nostras, & quaramus.* Juxta institutum nostrum duæ viæ sunt: Prima est perfectionis propriæ, quam institutum exigit. Altera perfectionis proximorum, quam pariter institutum requirit. Utraque via nobis scrutanda est. Est quidem in prima via personales errores sunt examinandi, qui ad triplicem ordinem reduci possunt: Ut enim qui in itinere aliquo versatur, tripliciter deficere potest; vel quia per devia aberrans, longius etiam recedit à termino ac re-

trogreditur, vel quia in ipsa via, hic & illic moratur, nec progreditur, sed hæret ac progredi cessat; vel quia à comœtu necessario, omnique perfectionis apparatu malè instructus est; unde aut omnino non progredi, aut certè non satis celeriter queat.

Ita simile quid in via perfectionis usu venit.

Primi generis defectus sunt, peccata omnia, quocunque nomine censeantur; omnia enim illa sunt devia, quibus à fine & perfectione retrocedimus. Hic ergo *Scrutemur vias nostras, & quaramus*, quomodo à fide & perfectione recesserimus, an acedia, iracundia, animi elatione, & vanâ gloriâ, an sensualitatibus &c. Ubi etiam ipsas radices scrutari oportet, ut nos penitus cognoscamus.

Secundi generis defectus sunt, in ipsa virtutum solidarum & perfectarum, quas institutum à nobis requirit, consideratione, ubi *Scrutemur & quaramus*, quàm longè subinde retro labamur, & quantum adhuc distemus à culmine & perfectione solidarum virtutum; v. g. quàm longè absumus à continua mortificatione, quam Regula 12. exigit; à sincera intentione, etiam circa omnes res particulares; quam Regula 17. requirit; à paupertate, ut matre diligenda; ab angelica castitate, à modestia, obedientia cœca &c.

Tertii generis defectus sunt, in omnibus illis omissionibus, quæ circa ipsa media Societatis nostræ, quibus ad omnem perfectionem consequendam nos instruit, committuntur. Omnia enim

enim hæc media sunt veluti commedatæ, & adjuncta itineris spiritualis, ad culmen montis perfectionis, & quidem efficacissima. *Scrutemur* igitur *& quæramus*, quomodo utamur meditatione, oratione, concione, examine, sacrificio Missæ, instructione, lectione librorum spiritualium.

Similiter in alterâ via, quoad salutem & perfectionem proximorum, *scrutemur vias nostras & quæramus*. Hic rursum triplex ordo examinandus: ut enim negotiator quivis trahat ex capite deficere potest, quò minus luctum faciat quàm maximum. I. vel quia mercatus aut nundinas negligat; id est occasionem & locum lucrandi: vel quia non omnes merces tractet, quas posset tractare nundinando; vel quia non omnia talenta & facultates suas negotiationi applicet, quas fructuosè posset: Ita simile quid est in negotiatione spirituali: verè enim negotiatores sumus, quibus dictum est. *Negotiamini dum venio*. Lucæ 19. Tot autem mercatus habemus commoditates, quot animis proximorum nobis propositas: tot genera mercium spiritualium; quod vel opera bona sunt, ad quæ incitare proximum possumus: aut vitia à quibus revocare, aut exercitia supererogationis & perfectionis, in quibus eum perficere valeamus. Tot denique sunt talenta; quot media in Societate habemus efficacissima ad proximos juvandos. Circa singula ergo examinando *scrutemur, & quæramus* quantum defecerimus, aut in quo: v. g. concionator circa auditores, magister erga discipu-

los, Superior erga subditos, confessarius erga pœnitentes, an ad bona incitarint, an à malo revocarint, an, ut par est, perficere laborarint. Sic pariter *scrutemur, & quæramus*, examinando media, ut sunt Sacramenta, conciones, missiones, catechismi &c.

Et hoc est *scrutari vias suas & quærere*, quomodo à regulis deflexerimus seu à gloria Dei, à voluntate Dei, ab imitatione Christi, quæ una quasi regula est, omnium aliarum, compendium, deviaverimus. Atque his tribus partibus, medius tantum quadrans dandus est.

III. *Et revertamur ad Dominum.* Ubi examen tanquam fel oculos aperuerit, ut viderimus defectus nostros; gustare debemus fellis amaritudinem, id est, elicere dolorem, & facere propositum emendationis. Sic idem propheta Jeremias ait: *postquam enim conversisti me, egi pœnitentiam* (graviâ tuâ adjuvante & præveniente: & *Postquam ostendisti mihi, percussi femur meum* Jerem. 31. 19.

Quamdiu homo non agnoscit paupertatem suam, eam non averfatur, & quamdiu nescit infamiam suam, dolore non commoveatur; ita nos pariter: at *Postquam ostendisti mihi, præ dolore percussi femur meum, confusus sum & erubui, quoniam sustinui opprobrium adolescentiæ meæ*. Puduit me probrosi adolescentiæ meæ affectibus servivisse. Similiter alius Propheta ait: *Spiritus levavit me* (ad locum quietis, ubi defectus meos considerarem.) *& assumpsit me* (à curis terrenis, ut studerem me cognoscere & purgare à

III.
Dolor & emendationis propositum.

malis (*Et abii amarus in indignatione spiritus mei. Ezech. 3. 14. Ex cognitione fel amaritudinis. dolor & indignatio spiritus profluxit. Et manus Domini erat mecum, confortans me.* Ecce fiducia & propositum emendationis, cſtm Dei ope & gratia.

Amator ergo & dolor nascitur ex cognitione peccatorum: *Amarum est reliquisse Dominum: 1.* Dum igitur considero Divinam iustitiam, quã peccata castigavit, etiam venialia, in Davide, Ezechia, Oza: *Erubui, percussifemur, abii amarus. 2.* Dum considero quantum per peccata amiserim: nam etsi duntaxat venialia sint; impediunt tamen aliquamdiu ab ingressu cœlesti, & deiciunt ad ignem purgatorii. *3.* Mſnuunt fervorem charitatis, animumque disponunt ad alios graviores defectus & vitia: nam unum peccatum viam sternit ad alia. *4.* Considerando quanta sit nostra ignavia & ignorantia, quanta debilitas, quanta difficultas redeundi ad statum, in quo antè fuimus, *Erubui, abii amarus.*

Denique requiritur propositum firmissimum emendationis & prævidenda media, quibus deinceps præservemur; ut est Dei præsentia: *Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi, ne commovear, & denuò succumbam Psalm. 15.* Et vigilantia; sicut enim qui am-

bulando portat vas vitreum precioso liquore plenum caute attendit; ita nos in vase fragili liquorem gratiæ portantes, ne effluat, caute ambulemus.

Hæc autem conscientiæ discussio maximas parit homini utilitates. *1.* Dum vitia non solum deregunt, & ad eorundem dolorem, sed & ad propositum emendationis accendit, atque etiam ad pugnam animat, ut ea, quibus subdebatur, vitia prosternat. *2.* Utilis quoque est ad virtutes inferendas, præsertim cognitionem sui & humilitatem. *3.* Instrumentum est apertissimum ad omnia opera exactè obeunda. *4.* Plurimum juvat ad puritatem animæ, omnemque perfectionem consequendam.

Quapropter, Charissimi, hoc tam præstans & efficax medium magnã diligentiam indies usurpemus, ferventer gratias agamus, lumen devotè efflagitemus, exactè peccata & circa nos & circa proximos commissa discutiamus. *Scrutemur & queramus,* amaritudinem fellis & dolorem degustemus, atque ita fructus uberrimos examinis percipiemus, quod si verò id neglexerimus, post multorum annorum decursum iisdem, imò pluribus defectibus & delictis nos quam antè irretitos, ex defectu accurati examinis deprehendemus.





EXHORTATIO II.

IN REGULAM VI. SUMMARI.

Explicat ternas Sacramenti Poenitentiae partes, Contritionem, Confessionem & Satisfactionem.

T H E M A.

Confitemini alterutrum peccata vestra. Rom. 10.

Peccata funes esse & vincula, quae peccatores constringant, & irretiant, Vates Regius de semetipso profiteatur, dum ait: *Funes peccatorum circumplexi sunt me.* Psalm. 118. 61. Tanta vero est virtus & energia Sacramenti poenitentiae, ut licet mille peccatorum funibus, mille catenis & vinculis sis alligatus, ad unum absolutio- nis verbum, *Absolve te*; mox omnia vincula dirumpantur atque dissiliant. Nec minus Confessio Sacramentalis vinculum est & funis, imò funiculus triplex, cui merito applicemus illud Eccles. 4. 11. *Funiculus triplex difficile rumpitur.* Confessio enim ex tribus partibus veluti tribus filijs componitur, scilicet Contritione, Confessione,

& Satisfactione; Hoc funiculo Divina misericordia animas ad se attrahit, illasque sibi denuò unit, & in amicitiam recipit, qui ingens fructus est confessionis; cum in tali unione & conjunctione, tota hominis felicitas consistat. Hic quoque *funiculus difficile rumpitur*, dum frequens confessio, oh serium propositum, & dolorem toties repetitum, retrahit, & retinet hominem ne facile in pristina peccata relabatur: exemplo religiosi illius, qui testabatur non meminisse se, quod unquam bis in idem peccatum incidit.

Hujus igitur funiculi triplicis partes in hac exhortatione explicabimus; nimirum cordis Contritionem, oris Confessionem & operis Satisfactionem; ut eisdem quot hebdomadibus & saepius, magno cum fructu usurpemus.

I. Primus

I.
Pars con-
fessionis
cordis
contritio.

I. Primus funiculus est, *cordis contritio*. Quæ nihil est aliud, nisi dolor & detestatio peccati præterito super omnia, quia est offensæ Dei voluntaria, cum proposito de cætero non peccandi. Quam confessionis partem insinuavit S. David dicens: *Sacrificium Deo, spiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non despicias.* Psal. 50. Ut verò hæc contritio sit legitima, requiritur in primis, ut ex motivo supernaturali concipiatur; v. g. ob amissam cælestem gloriam, aut promeritam inferni pœnam; atque tunc est imperfecta, attitioque dicitur: vel ob offensam Dei super omnia dilecti & tunc contritio perfecta nuncupatur. Requiritur ergo I. Detestatio peccati, seu displicentia atque odium peccati, voluntasque seu propositum nullo modo amplius peccandi: nam ut ait S. Gregorius: *Peiffellè convertitur, qui, cum semel, quod pravè egerat, plangit; quod rursum plangat, ultra non repetit.* 2. Tristitia seu dolor de peccato commisso, qui ex eo nascitur, quod intellectu peccatum perpetratum esse intelligit; & malum præsens inevitabile cognoscit. 3. Ex hac tristitia, sequitur nonnunquam etiam sensus quidam seu dolor in corpore, qui lacrymas subinde elicit & gemitus excitat atque planctum. 4. Consequitur etiam quandoque pudor, seu confusio: peccator enim advertens peccatorum suorum fœditatem ac turpitudinem, pudore suffunditur, ita ut non audeat oculos in cælum levare; sed in infimo loco jacens, sub omnium pedibus se

constituat, pectus percutiat, & velut publicanus ille, stans à longè ingeminet: Deus propitius esto mihi peccatori. 5. Requiritur denique occasio- nis ad peccatum allicientis evitatio; aut certè propositum evitandi; ut rectè monet S. Bernardus: *si vera compunctionis indicium, oportet non esse fuga, subtractio occasio- nis.* Serm. 1. de Resurr. Dom.

Habet hic dolor & detestatio, amarorem aliquem, sed quod amarum est ori, salubre est corpori, ut trita fert parœmia, amarum fuit fel à Tobia parenti allatum; sed cæci oculos illuminavit: amarum est rhabarbarum, aloë & absynthium, sed sanitatem restituit, & noxios humores expellit. Sic quoque contritio, amaro- re non caret, at magna commoda parit; gratiam amissam restituit, Deoque reconciliat & unit. Est enim velut lixivium, quod acre quidem est, sed sordes peccatorum eluit, atque abstergit: est velut lima quæ peccati rubiginem eradit: & anima peccatrix ceu æthiopissa ponit pellem suam, & pardalis varietates suas, instar Magdalenæ, candorem quæ gratiæ & spon- tæ decorem recipit.

II. Alter funiculus, est *oris confessio*: II. & ipsa peccatorum enarratio, quæ se- Oris con-
cunda pars est Sacramenti pœnitentiæ, fessio.
De qua sic loquitur Concilium Tri-
dentinum sess. 14. c. 5. Ex institutione
Sacramenti pœnitentiæ, universa Ec-
clesia semper intellexit, institutum esse
à Domino integram peccatorum con-
fessionem; & omnibus post Baptismum
lapis, jure divino necessariam esse:
quia

quia Dominus noster JESUS Christus, è terris ascensurus ad cœlos, Sacerdotes sui ipsius Vicarios reliquit, tanquam Præsides & Judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christi fideles ceciderint; quò pro potestate clavium, remissionis aut retentionis peccatorum sententiam pronunciant. Constat enim Sacerdotes incognitâ causâ judicium hoc exercere non potuisse; nec æquiritatem quidem illos in penis injungendis servare potuisse, si in genere duntaxat, & non in specie potius ac sigillatim sui ipsi peccata declarassent.

Ex quibus liquet, oportere à poenitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in confessione recenseri: nam ut ait S. Augustinus L. 50. hom. 1. *Deus noster quia pius est & misericors, vult ut ea confiteamur in hoc saeculo; ne pro illis postmodum confundamur in futuro, juxta Sapientem, qui ait: Pro anima tua non confundaris dicere verum: est enim confusio adducens peccatum; & est confusio adducens gloriam & gratiam. Eccl. 4. v. 2.*

Requirit autem confessio has præcipuè conditiones: Sit simplex, humillima confessio, pura, fidelis. Et quidem 1. Sit simplex: ut nec augendo, nec minuendo, simpliciter peccata tua recenseras, prout gesta sunt, certa ut certa, dubia ut dubia. 2. Sit humilis, quæ nullo respectu aut verecundiâ, à dicenda veritate superetur; Est confusio adducens gloriam & gratiam 3. Sit pura, quæ, ut explicat S. Bonaventura in spec. disc.

p. 1. c. 9. purè propter Dei amorem & peccati declarationem fiat; peccataque simpliciter dicantur, non secus atque si Angelo cuiuspiam cordis secreta cognoscenti, narrarentur, absque ulla falsitate aut ambagibus. 4. Sit fidelis, quæ quantum homini possibile est, juxta id, quod Deus de peccato cognoscit, ipse sua confisatur; *Effunde sicut aquam cor tuum, ante conspectum Domini. Thren. 2. 19.* Ita nullum grave delictum celes, si veni in ac remissionem desideres. *Non operui, ait S. Augustinus super Psalm. sed aperui, ut operires; non celavi, ne tegetes: nam quando homo detegit, Deus tegit. Cum homo celat, Deus nudat. Cum homo agnoscit, Deus ignoscit.* Confitenda itaque necessariò omnia gravia crimina; confitenda quoque necessariò illa, de quibus dubitamus, num sint lethalia. Confitenda etiam à Religiosis (licet non necessariò, sed utiliter) peccata venialia, ob statum perfectionis acquirendæ, quem profitentur: hæc enim fervorem charitatis immittunt, & profectum spirituales suffilaminant. Confitendus quoque est peccatorum numerus, & circumstantiæ speciem mudantes.

Et hæc quoque poenitentia pars animam nonnullum habet, sed animæ sanitas, Dei amicitia, & amor omnium vincit ac lenit. Accedit, quod con Genio cuiuspiam cœlesti purissimo, & à sordibus peccati remotissimo, peccata sint confitenda; sed homini similiter peccatori, infirmitatis abyssu, qui aut in similia, aut forte pejora peccata cecidit, aut Deo tantillam manum sub-

trahente cecidisse, gravioribusque miseris seipsum fœdasse potuit. Suavitatem quoque & dulcedinem confessioni addit, quod homo ille, cui peccata pandimus, Dei locum teneat, ejus potestatem ac personam referat, adeoque divinitus viscera misericordiae induat; absque omni contemptu sibi commiseratione magnâ, peccata in sinum patrum effusa recipiat, inviolabili secretum tegat; mortemque ipsam subeat potius, quam vel minimum delictum in tribunali sacro acceptum revelet.

O quantum igitur beneficium est, Sacramenti hujus Institutio! quis reorum mortis, quis maleficorum scelera sua Judici non libenter aperiret, si absolutionem securam nosset? libenter itaque ac promptè hebdomadatim peccata nostra Sacerdoti, tanquam ipsi Christo, qui per Sacerdotem ea remittit, aperiamus; nam ut ait S. Augustinus: *Confessio est salus animarum, dissipatrix vitiorum, oppugnatrix demonum. Quid plura? obstruis os inferni, portas aperis paradisi.* In lib. de pœnitentia.

III.
Operis satisfactio.

III. Funiculus tertius est, Operis satisfactio, quæ sicut duæ præcedentes partes essentielles sunt, ita hæc est pars Sacramenti Pœnitentiæ integralis: nam ut S. Ambrosius L. 2. de pœn. c. 5, advertit; Qui agit pœnitentiam, non solum diluere lacrymis debet peccatum suum; sed etiam emendatoribus factis operire, & tegere delicta superiora, ut non imputetur ei peccatum: Unde & Sapienter monuit: *De propisiatio peccato noli esse sine motu.* Eccl. 5. Et Christus: *Facite fructus dignos pœnitentiae.* Matth. 5.

Quo autem modo fructificare poterimus? interrogat S. Chrysostomus: si utique peccatis adversa faciamus. *Alienarum quis incipe jam donare? propria: injuriam intulisti; beneficiis placare contende.* Illicitas sectatus es voluptates, nunc etiam à licitarum usu suspendere. Neque enim vulnerato sufficit ad salutem tantummodo spicula de corpore evelere, sed etiam remedia adhibere vulneribus.

Proportionata igitur satisfactio pro peccatis & prudentis arbitrio taxanda, præstari debet, prout peccatorum qualitas & pœnitentis necessitas exigat: pro gravissimis enim delictis levem satisfactionem indicare, omnino inconveniens foret. Deinde apta sit, sicut medici non cuivis morbo quamvis, sed aptam medicinam præscribunt. Appositè hanc in rem docet S. Albertus scientiâ & vitâ magnus L. de virt. c. 41. Pro superbia ad satisfaciendum præscribantur opera humilitatis: pro avaritia eleëmolyntiarum largitio: pro impudicitia carnis castigatio per cilicia & flagella: pro gula, jejunium: pro loquacitate silentium & oratio: pro invidia charitatis opera: pro rapina opera liberalitatis.

Causas verò ob quas satisfactionem hanc Deus requirat; assignare possumus. 1. Quia Divinæ Justitiæ ratio exigit, ut quemadmodum in Baptismo remittitur peccatum aliena voluntate commissum, ideoque etiam pœna relaxatur; ita post Baptismum peccata propria voluntate commissa, etiam propria satisfactione castigentur & dele-

deleantur: 2. Quia alloquimur homines liberius peccarent; cum impunitas iuxta S. Bernardum sit incuria loboles, insolentiae mater, radix imprudentiae transgressionum: nutrix. 3. Quia peccatorum reliquiis medetur, dum habitus virtuosos virtutibus contrariis abolet satisfactio. 4. Quia ad augmentum meriti conducit, quod tum ex obedientia, tum ex ipsa Sacramenti efficacia, & meritis Christi, cui per eiusmodi satisfactionem conformamur, provenit.

Quare libenter iunctam à Sacerdote poenitentiam acceptemus, nunquam magnam, sed levem reputemus: quid enim, licet forent centum rosaria, centum jejuna, centum flagella aut cilicia, illa forent; si cum paucis etiam diebus in flammis purgantibus transigendis conferantur? Deinde citò, aut quam primum licet, eam adimpleamus, ac bene speremus: licet enim hæc poenitentiae, si æquã lance ponderemus, poenas promeritas in purgatorio minime adæquent; tamen quia eas sponte subimus, & charitate impellente perolvimus, id quod per se minus laboris & doloris habet, ratione tamen charitatis & spontaneæ oblationis plurimum apud Deum valet, & poenas in altera vita debitas extenuat.

Atque hæc sunt ternæ partes Sacramenti Poenitentiae, quarum binæ prioræ essentiales à Theologis, tertia Inregalis nuncupantur: quæ simul iunctæ funiculum nobis triplicem faciunt, & quinos sequentes effectus nobilissimos producant. 1. Remissionem peccatorum obtinemus. Ait enim

Christus Dominus: *Quorum remiservit peccata, remittuntur eis.* Joan. 20. & Prophetæ coronatus. *Tu remisisti impietatem peccati mei.* Psalm. 31. *Nullum tam magnum peccatum, quod confessione non deleatur; etiam si Lazarus quatuordecim annus esset, ac fœteret,* ait S. Augustinus. Et Richardus Victorinus tract. de extermin. mali. *Omnia, inquit, in confessione lavantur, conscientia mundatur, amaritudo tollitur, maris tempestas sedatur, tranquillitas redit, spes reviviscit, animus hilarescit: Siquidem beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Anima expurgatur; confessio enim veneni Diabolici est vomitus: si coactus fueris in edendo multum, surgo è medio, & vomo, & refrigerabis te.* Eccl. c. 31. *Confessionem puta esse egestionem impurissimam & spurcissimam, quæ intus erant inclusa,* inquit Chrysostomus, *Egere, & refrigerabis te.* 3. Gratia, quæ est animæ decor & ornamentum restituitur: *Ama confessionem, si affectus decorem, confessioni jungitur decor & pulchritudo: nam si peccata sunt, in confessione lavantur; si bona opera, mutantur,* ait S. Bernardus Epist. 7. 4. Valet ad evitandam confusionem coram Deo: *si tu peccata regis, Deus deo regit; si tu ea aperis, ille operit. Tu fecisti absconditè, ego autem faciam illud in conspectu Israel & in conspectu solis;* aiebat Dominus per Nathan Davidi. 5. Denique confessio ritè instituta promeretur regnum cælorum, ut docet S. Laurentius Justinianus de discipl. monast. *Confessio veniam impetrat, cælum aperit, pacem reddit, offensam Majestatem*

gestatem cito propitiat, dummodo debito modo fiat. Cui S. Ambrosius ad stipulatur dicens: *Confessio à morte liberat, aperit paradysum, spem salutis tribuit: quia non meretur justficari, qui in vita sua noluerit confiteri.* His igitur animati & excitati, magnâ diligentia & præparatione hoc Sacramentum frequentemus, & præstantissimos hosce fructus reportabimus.

Quapropter, Charissimi, quotiescunque, hebdomadibus singulis, aut festis vis diebus ad pœnitentiæ tribunal

accedimus, hoc funiculo triplici arcte nos Deo uniamus. Contritionem sinceram ex amore Dei, super omnia dilecti, eliciamus. Confessionem exacte, cum dictis conditionibus, peragamus. Satisfactionem quoque præscriptam, promptè alacriter, mox impleamus. Hâc ratione & peccatorum nostrorum remissionem, & animæ munditiem, & mentis decorem ac pulchritudinem; & à confusione liberationem, & perpetuam regni cœlestis gloriam nanciscemur.

EXHORTATIO III.
IN REGULAM VI. SUMMARII.

Ostendit Confessionis hebdomadariæ causas & fructus.

T H E M A.

Si confiteamur peccata nostra, Deus fidelis est & justus, ut remittat nobis peccata nostra & emundet nos ab omni iniquitate. 1. Joan. 1. 9.

Alterum puritatis conscientie conservandæ ariditum, in Regula 6. à S. Patre præscriptum, est exhomologesis hebdomadaria, quæ per cor piscis, suæ Raphaëlis Archangeli, à Tobia servatum, adumbratur. Dum enim Tobias interrogaret: *Obsecro te Azaria Frater ut dicas mihi, quod remedium habebunt ista, qua de piscis servare iussisti?*

Et respondens Angelus dixit: Cordis ejus particulam, si super carbones ponas, fumus ejus extricat omne genus demoniorum, ita ut ultra non accedant. Tob. 6. Atque ita prorsus evenit; Tobia enim Saræ cubiculum ingresse, ac partem piscis ignis imponente, atque in oratione sese prosternente, fugatum est demonium, ita ut deinceps nunquam reverterit. Pati ratione, dum nos per veram contritionem, & emendationis propositum, cor nostrum quasi

quasi in duas partes dissectum igni charitatis in Deum, imponimus, & generali exhomologesi peccata debite expiamus; Diabolus fugatur: & si peccata quaedam repullulantia, & insinuantes sese reliquias, quot hebdomadibus, amputemus & evacuemus, diabolus nunquam redit; ut experiētiā ipsemet dedidit: Deo enim cor jam occupante, sanctorumque Angelorum custodia illud circumvallante, hostis locum in eo non reperit, licet tanquam Leo rugiens circumeat, portam indagans, per quam denuo intret, ut hominem devoret.

Quare causas præscriptæ exhomologeseos hebdomadariæ, & fructus multiplices exhortatione præsentē explicabimus, ut eā magno cum fructu utamur.

1. Exhomologeseos de tota vitā, sub Ingressum Societatis instituendæ, causam, superius insinuavimus esse; ut scilicet peccatis nostris omnibus, in unum quodammodo cumulum coniectis, ac simul in conspectu positis, majore & intimiore doloris ac detestationis sensu feriamur. Annus verò causam esse asseruimus, ut Oeconomorum, Mercatorum, Quæstorum more, quorū annis rationes nostras rite perficiamus, meliusque coram supremo Judice in hora mortis subsistamus. At quænam, obsecro, causæ exhomologeseos hebdomadariæ? S. Patriarcha nullam quidem assignat? haud tamen difficulter eam augurabimur; nam

1.
Causæ &
fructus
hebdomadariæ

1. Ut efficax foret contra relapsum in peccata sæculi alexipharmacum. Quomodo enim, morbo depul-

so, remanent ejus reliquie, pravæque in membris dispositiones, quæ nisi contrariis evacuentur medicamentis, agritudinem facile revocant; ita in Tyronebus recēter è mundo, in portum religioni, appulsi, remanent habitus vitiorum, ab eis multis generati, qui nisi per exhomologesin, similiaque media curentur, facile in pristina peccata relabuntur. *Confessio*, inquit S. Isidorus L. 1. c. 12. *sanat, confessio justificat, confessio peccatis veniam donat, Omnis spes in confessione consistit.* Neque hoc alexipharmacum magno stat pretio, nec viscera dolore cruciat; sed expeditum est & facile. Num opes, interrogat S. Chrysostomus Hom. 10. in cap. 4 Gen. *aliquæ sunt hic expendendæ? num via prolixa eunda est? num dolorem & cruciatum affert hac medicina? Absque sumptu & cruciatu est præsens pharmacum, in pristina firmitatis valetudinem restituens.* Sicut ergo antidota & pharmaca præservativa crebra, morbo reditum præcludunt; & sicut scarificatio menstrua aut hebdomadariæ, noxios paulatim & successivè humores & sanguinem extrahit, atque ad servandam sanitatem corporis multum juvat; ita exhomologesis hebdomadariæ non minus ad animæ salutem conducit.

2. Ut fons esset, cujus aqua limpidissima, sordes quotidiano usu, adherentes, & maculas quotidianas identidem ablueremus; Sacramentum enim penitentię est fons ille per Zachariam prophetam Ecclesiæ promissus c. 13. *Fons patens habitantibus Jerusalem, in ablutionem peccatoris.*

Quemadmodum igitur indusia, mappa & similia ab iis, qui paulò honestioris conditionis sunt, singulis hebdomadis mundantur atque lavantur: sed & domus eorum frequenter purgantur: ita multò magis, hæc cura animæ per confessionem peccatorum, quot hebdomadibus, exhibenda est, ne eandem corpore villorem existimare puteatur. Et licet levia solùm peccata committamus, quæ veluti molitores, in mundi hujus molendino versantes, farinam ejusque pulvisculos penitus devitare nequimus; sæpe nihilominus ad pulveres hosce discutiendos, animæque vestem mundandam scopæ setaceæ sunt adhibendæ. Sicut enim navis sentina sæpius exhauritur, ne navem aquis stillatim intransibus, nimiumque excrecentibus, demergat: ita & animæ sentina quavis hebdomade & sæpius exhaurienda est, ne suâ multitudine, peccata licet levia navem demergant; id est damnationis æternæ obnoxios reddant.

3. Ut inquietudinum & perplexitatum esset remedium. Nam ut dixit Sapiens Proverb. 28. 13. *Qui abscondit scelera sua non dirigitur: qui autem confessus fueris, & reliqueris ea, misericordiam consequetur.* Veluti coma, quæ non frequenter peccitur, usque adeò implicatur, ut vix, aut certè non absque ingenti labore & dolore extricari valeat: ita & conscientia, quæ non frequenter per confessionem peccitur, intricata valde efficitur; nec sine magno labore purgari, ordinari & tranquillari potest. In crebrâ autem exhomologesi arbitri con-

scientiæ, prudentia & charitas, pœnitentis animum, dissolutis nodis, explicat ac tranquillat. Teste S. Gregorio hem, 40. in Evang. *Sicut canum lingua, dum vulnus lingit, curat, ita Doctor sancti, dum in confessione nos instruit, quasi vulnus mentis per linguam suam curat.* In animâ autem hæc ratione curatâ, ac pacatâ, locum non reperiunt Cacodæmonis fraudes & laquei, nec fallacia ejus ac sophismata. Sicut enim araneus vitat cubicula divitum, eò quòd sæpe purgentur: scopi quæ pulve es & telæ detergantur: ita & Diabolus, dum cernit tentationes suas frequenti confessione dissipari, fugit illos religiosos, qui hebdomaditim peccata expiant. Ex quibus omnibus rectè inferimus quàm providè, sapienterque S. Fundator noster filiis suis hebdomadariam exhomologesi demandârit.

II. Prædictis accedunt plures alii fructus nobilissimi, quos ex confessione hebdomadaria ac crebriore percipimus: nam

II,
Fructus alii
crebrioris
confessionis.

1. Sacramentum pœnitentiæ est fons aquæ salientis in vitam æternam: gratiæ scilicet, quæ est thesaurus inestimabilis, omnibus mundi thesauris, omni auro, & gemmis longè præstantior. Primò quidem ex parte Sacramenti, & ut scholæ Theologiæ loquuntur, ex opere operato: Christus enim Salvator noster huic Sacramento, sicut & cæteris, sui sanguinis pretiosâ virtute & merito quandam gratiæ portionem contulit, Sacramenta participantibus communicandam. Secundò ex opere operantis: propter religionem & virtutum

turum opera, quæ homo exercet in hoc Sacramento, sese humiliando, preces fundendo, genua flexendo, contritionis actus eliciendo, pœnitentiam in-junctam persolvendo; ita ut majori præparationi, devotionique gratia quo-que major respondeat.

2. Vi Contritionis, peccatorum cum lethalium, tum venialium culpa, & pœnæ pro iis debitæ certa pars ex opere operato remittitur: major ta- men pœnæ pars uni, quàm alteri ex o- pere operantis relaxatur.

3. Crebrior confessio pœnitentem præservat, ne facile in peccata præ- labatur: tum quia gratia sacramentalis robur addit; tum quia homo studio majore cavet sibi, dum peccata Sacer- doti in tribunalisacro manifestanda esse cogitat.

4. Crebrior animi expiatio peccata, habitus malos, pravaque inclinationes in nima radice, altiores agere non sinit; semper enim vellicantur, & crescere non sinuntur.

5. Crebrior exhomologesis ad men- tis directionem plurimum confert; Ar- biter enim conscientia Dei, vices ge-rens, non modò medendi; verùm eti- am illuminandi ac dirigendi gratiam à Deo obtinet. Cui enim Deus officium in Ecclesia committit; eidem ad illud ritè exercendum necessaria tribuit, ut vel hinc pateat, quanta eidem fides & reverentia sit adhibenda.

6. Tentationes minuit; mitius enim & tenuius à Diabolo tentatur ho- mo: quoniam fraudes ejus sæpius detegit, sæpius eum vincit, ac de- triumphat.

7. Conscientia pacem ac serenita- tem parit: ex qua gaudium spiritu- ale, ac fiducia filialis erga Deum na- scitur; nam mens sibi bene conscia, mens serena & tranquilla est quasi jure convivium.

8. Securitatem quoque pœnitenti adfert; in gratia enim statu constitutus nulla mortis mundive pericula veser- midat; *Nulla nocebit ei adversitas, si nulla ei dominetur iniquitas.* Hæc verò securitas augebitur etiam in hora mortis; quæ ei tranquilla accidit; nec ad reddendam Judici rationem ma- gnopere trepidabit; cum solatio non exiguo sit, recordari se toties conatum esse, ex sincero Dei amore, verum de peccatis dolorem elicere, totiesque per pœnitentiæ Sacramentum, an mæ sto- lam in sanguine agni dealbasse.

9. Majorem parit in cælo gloriam, quæ digna hujus Sacramenti frequenta- tione semper augetur: cum augmento enim gratia, charitatis & cujusvis vir- tutis, incrementum quoque capit cor- respondens gloria.

10. Confert majus auxilium proxi- morum; quò enim instrumentum est purius, perfectius, Deoque conjuncti- us; eò ad promovendam aliorum salu- tem & perfectionem aptius evadit.

Atque his fructibus, & emolumentis multiplicibus viri sancti gratia & per- fectionis cupidissimi, permoti fuere; ut Sacramentum hoc creberrimè fre- quentarent. S. P. noster Ignatius in- dices, nec ratiò S. Franciscus Xaverius si modò copiam Absolventis haberet, S. Franciscus Borgia binis in die vici- bus, se apud conscientia arbitram de peccatis

peccatis accusabat. R. P. Ludovicus de Ponte, quotidianâ exhomologesi animi exprobat: licet Sacerdos absolutorius [quod & de antedictis intelligendum est] vix culpam inveniret, à qua eum absolveret. L. 2. vitæ c. 6.

Quod igitur, ex præscripto S. Parentis nostri pœnitentiæ Sacramentum hebdomadatim frequentare debeamus, magnum sanè argumentum est, paternæ ejus sollicitudinis, & charitatis Divinæ, quam Deus pro nobis gerit; ut infirmitati nostræ meliùs consulatur. Similes enim sumus, ut antè diximus, nautis naves multis rimis fissas lacerasque habentibus, qui si certis temporibus aquam guttatim illapsam non exhauriant, sentinamque evacuent, naufragii periculum incurrunt. Ita pariter si in nos peccata per rimas sensuum tanquam noxii humores, non importarentur; hac regulâ opus haud foret; at cum illa indies in animam sese insinuent; absque dubio exantilatione assiduâ est opus: cum enim semper nobis cum peccatis sit negotium, ut etiam septuagies septies Petrus peccata jubetur condonare, semper exhauriendum est: & quoties confitemur ac cum Davide dicimus: *Peccavi Domino*: audimus

illud Nathan Prophetæ à Domino: *Transtulit Dominus peccatû tuum. Confitebor adversum me iniquitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.* Ps. 31. 5.

Quocirca, Dilectissimi, cum fructus tam nobiles, tamque insignia ex hebdomadaria & crebra confessione emolumenta proveniant: Deum laudamus, gratiesque ei referamus, quod per S. Ignatium, legem ad eò salutarem tuleri: dein de libenti ac prompto animo, debitâque cum diligentia, hoc Pœnitentiæ Sacramentum quot hebdomadibus frequentemus; hâc ratione contra relapsum in peccata alexipharmacum; pro ablucendis sordibus animæ fontem; pro perplexitatibus remediû habebimus, gratiam sacramentalem obtinebimus, culpam pœnamque delibimus, in virtute roborabimur, peccatorum radices extirpabimus, à conscientie directoribus illuminabimur, pacem & tranquillitatem animi consequemur, majus auxilium ad salutem proximi conferemus, in vita & morte securitate majore gaudebimus: ac denique illustriori in cœlo gloriâ coronabimur.



EXHORTATIO IV.
IN REGULAM VI. SUMMARI

Explicat dispositiones necessarias ante Communionem, ad
unionem cum Christo obtinendam.

T H E M A.

*Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in
me manet, & ego in eo, Joan. 6.*

Vel ex Regula.



Uem admodum Archangelus Raphael Juniori Tobiae in via terna suggestit alexipharmaca, & adjumenta, scilicet fel, cor, & carnes assas piscis Tobiae 6. Ita S. Fundator noster in via perfectionis & aeternitatis, terna praeclarissima antidota nobis in regula 6. Summarii suppeditat. 1. Examen conscientiae, quod, ut diximus, felle significatum, vim illuminandi oculos mentis, ad cognoscendos nosmetipsos, & simul amaritudinem contritionis continet. 2. Confessionem hebdomadariam adumbratam

corde piscis, quod carbonibus impostum fugabat daemones, veluti confessio, cor in igne charitatis conterit, & daemones expellit. 3. Hebdomadariam communionem. Sanctissimum Eucharistia Sacramentum sumant octavo quoque die. Reg. 6. & hoc representatur carne piscis assa, quam Raphael Tobiam secum in viam conferre iussit. Assavit carnes ejus, & secum tulerunt in via, cetera salierunt. Tobiae c. 6. v. 6. ut iis le confortarent in itinere, donec venirent in Rages. Piscis assus, est Christus passus, ait Venerabilis Beda, quem in sacra communionem comedimus. Piscis assus est Christus Eucharisticus, ut docet Theophylactus: naturam enim humanam, in hujus vita mari-
naran-

natantem, affans igne propria Deitatis, ejusque humiditatem exsiccars, à profundis undis extractam, secit escam divinam.

Ad quam escam divinam quæ nos disponere debeamus; ut eâ mediante, Christo uniamur, præsentî exhortatione explicabimus.

I.
Finis Eucharistiæ
est unio.

I. Finis virtus & efficacia seu effectus præcipuus sanctissimi hujus Sacramenti est unio cum Christo: Testatur hoc S. August. Serm. 9. de diversis dicens: *Virtus Eucharistiæ est unio.* Confirmat id ipsum antiquissimus Author Tertullianus L. de orat. c. 6. *Virtus Eucharistiæ est indivisitas:* hæc verò unio non est physica; sed moralis: non enim Christus nobis sic unitur, & in nostram carnem, & sanguinem transformatur; ut cibus naturalis in substantiam aliti transit; sed postquam illum verè, & realiter sumpsimus, operatur illud in anima nostra mortaliter, quod cibus corporalis physicè præstat in corpore, dum scilicet pascit, nutrit, auget, confortat & roborat. Hanc unionem variis similitudinibus SS. Patres declarant: S. Cyrillus Hierosolymitanus in Catech. ait: *in communionem fit unio continuationis, & mixtionis; sicut ex duabus aquis, vel ceris liquefactis fit una.* S. Dionysius Areopagita de Eccles. Hierarch. c. 3. ait: *in communionem est unio insitionis, & insitio spiritalis:* S. Paschasius L. de corpore & sanguine Christi, ait, *in communionem fieri unionem transformationis:* nam finis inquit Eucharistiæ est, ut in Christum transformemur, non physicè

sed moraliter, quoad mores & virtutes: Alii SS. PP. nuncupant *unionem ignitionis:* Sicut ignis ferrum occupat, & sibi quodammodo assimilatur, ut videatur esse ignis, & gaudeat proprietatibus ignis: ita SS. Eucharistia moraliter nos transformatur, quasi ignitos reddit, & Christi qualitates, ac proprietates nobis communicat.

Hanc unionem eò perfectiùs consequuntur extrema, quò magis sibi similia, & proportionata sunt, veluti ignis ligno, eò perfectiùs unitur, quò lignum siccius, & aptius est ad ignem recipiendum: sic & furculus eò perfectiùs unitur stipiti, quò stipes est aptior; nam furculus cereali aut pomi minus aptè quercui inseritur: Ita pariter Christus in Eucharistiæ Sacramento homini eò perfectiùs conjungitur, quò homo communionem recipiens est aptior.

II. Prima itaque dispositio ex via purgativa est puritas animæ; quæ quò erit puritati Christi similior; eò quòque erit unio perfectior. Consideranda ergo nobis est summa puritas ex parte Christi; ut ex parte nostra ad æmulandum permoveamur. *Non comedis ex eo crudum quid; nec coctum aqua; sed assum tantum igni.* S. Gregor. homil. 21. in Evang. In Eucharistia, inquit, *crudum agnum edunt, quò Dei præsentiam non satis expendant.* Expendamus igitur puritatem unius extremi, id est SS. Sacramenti, & ex alia parte extremi alterius, qui sumus nosmetipsi, impuritatem. In hoc SS. Sacramento omnia sunt mundissima: 1. Mundissimus est Sacramenti author,

Quis

II.
Dispositio est puritas animæ, humilitas aliaque virtutes.

Qui, ait, ex
2. Mundissimus
zymus
licum, ag
mæ sunt
4. Man
siam m
Mundiss
cur not
lach.
os em
cerdos
in q
quod
luit e
damin
st. C
que c
Christ
font
Angu
Rego
quint
veste
plena
front
bus in
spirit
Hæc
sicut
confec
iam d
ind
nuz
in m
cep
datur, & C
notati
litas, q
vedant,

Quis . ait, *ex vobis arguet me de peccato ?*

2. Mundissimus est cibus , qui est panis azymus , panis cœlestis , manna angelicum , agnus sine macula . 3. Mundissimæ sunt species panis candidi , & vini . 4. Mundissima est hostia , quæ Ecclesiam mundat à maculis & rugis . 5. Mundissima oblatio : *In omni loco offertur nomini meo oblatio munda* . Malach . 1. quæ & in se munda est , & alios emundat . Si igitur Deus illos Sacerdotes , qui portabant vasa Domini , in quibus nihil erat dignitatis , nisi quòd ad Dei cultum adhiberentur , voluit esse mundos , dum dixit : *Mundamini , qui fertis vasa Domini* . Isaia 52. Quid exigeret à Sacerdotibus , aliisque communicantibus ; qui ipsummet Christum Dominum omnis puritatis fontem suscipiunt & ferunt ? rectè S. Augustinus serm . 252. de tempore . *Rogo vos fratres , nunquid est aliquis , qui in arca sordibus plena , velit mittere vestem suam ? & si in arcam sordibus plenam vestis non mittitur pretiosa ; quæ fronte in anima , qua peccatorum sordibus inquinatur , Christi Eucharistia suscipitur ?*

Hæc autem puritas non solùm consistit in eo , ut à gravioribus peccatis per confessionem liberi simus ; sed etiam à venialibus & levissimis quidem , imò ut quantum fieri poterit , ne minimus quidem affectus inordinatus in voluntate resideat , quin verè & sincerè prius , coram Deo , totus effundatur , & Christi Domini ac Dei nostri voluntati , quàm simillima nostra voluntas , quoad actus saltem præsentis reddatur , ita ut nihil in ea turbidum ,

nihil inordinatum , nihil erga se aut creaturam aliquam , quæcunque illa sit , amore sensualitinctum appareat ; & si quid huiusmodi antè in ea fuerit , generosâ saltem contritione evacuetur . S. Franciscus jam Diaconus , cùm hæteret , num Sacerdotio initiaretur , nec ne ; Angelum obvium habuit , qui vitrum pellucidum liquore clarissimo repletum gestans , asseruit : Sacerdotes similes huic liquori esse oportere : unde ipse Sacerdotii dignitatem suscipere omnino detrectavit ; quia animæ suæ puritatem illi parem esse non censuit . Eadem de causa Sancti quique præcipui indies conscientiam expiabant , ut munditiæ quàm maximâ eniterent . Imitemur illos & mundemur ab omnibus inquinamentis nostris : nam hæc inter alias est causa , cur tam pauci Christo perfectè uniuntur in SS. Sacramento , quia pauci planè mundi reperiuntur .

2. Altera dispositio ad viam illuminativam pertinens complectitur virtutes , præsertim humilitatem , quæ nos valde ad unionem cum Christo aptat : neque enim humillimus Jesus , cum homine superbo & inflato perfectè uniri potest : ut igitur eidem uniamur . 1. Tali vitâ nobis vivendum est , quali Christus vivit in Eucharistiâ , ille se abscondit , & sua magnalia sub exiguis speciebus panis & vini occultit : quidquid habet thesaurorum cœlestium , quidquid sapientiæ & lucis , exiguo claudit orbiculo , verè *Deus absconditus* : ita & nos , si conjunctionem intimam seriò desideremus , nos & nostram non vanè ostentemus , sed

potius latere & abscondi cupiamus.
 2. Sicut Christus se minimum efficit, ita ut sit in quolibet hostiæ puncto, & in minimâ particulâ; ita nos quoque parvos ac minimos exhibeamus, & æstimemus: quod ut præstemus, hic consideranda est illius dignitas, & nostra vilitas, ejus immensitas & magnitudo, ac nostra parvitas, ejus infinita Sanctitas & bonitas, ac nostra malitia. Unde humiliabimus nos, quàm possumus profundissimè, ac dicemus. *Domine non sum dignus.* 1. Ut te pro me incarnatum, in terris conversatum, passumque suscipiam, ac participem tuam personam, merita, carnem, sanguinem, & Divinitatem; quia ego tuæ passionis ac mortis causa extiti, te non satîs amavi, exempla imitari non studui, nec tempus ac labores pro gloriâ tuâ impendi, & cum toties te mihi communicâris, ego tamen fructum exiguum retuli. 2. Agnoscamus & corde humili dicamus: *Domine non sum dignus*, ut tu gloriâ & honore coronatus, in dexterâ Patris sedens, cui data est omnis potestas in cœlo & in terra & in cujus faciem desiderant Angeli prospicere, ad me venias vilem corpore, & affectibus vitiorum veneno infectis repletum, more suis immundæ in luto peccatorum jacentem, & porcorum siliquas esurientem. 3. *Non sum dignus*, ut te judicem universorum, cum potestate magna & Majestate venturum in nubibus cœli, coram quo plangent omnestribus terræ, recipiam; ut de cœlestis gloriæ throno, ad me humilis & mansuetus descendas, qui toties te ad iram provocavi. Verè

igitur *Domine non sum dignus*, sed beneficio tam grandi & incomparabili longè indignissimus.

Tertia Dispositio ad viam spectans unitivam, requirit varios actus virtutum, per quas ultimò disponimur; ut Christo uniamur. 1. Est pura intentio. 2. Fides. 3. Spes. 4. Charitas, quia Sacramentum amoris est, in quo Christus infinito nos amore prosequitur: aliàs tam mira ac stupenda nobis nequaquam præstiturus. Ergo par pari reddendum est: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo* propter Nimiâ ejus charitatem quâ nos dilexit. Deinde oblatio, resignatio, adoratio, fames & desiderium: S. Bernardus sermone, qui incipit, *Panem Angelorum*, ait: *Potesne existimare, quale & quantum est Sacramentum Sacramentorum, Sanctum Sanctorum, dulcedo omnium dulcedinum? Hæ sunt spirituales d lacte Sanctorum: hîc bibunt in loco uberi torrentis lactis fluminis mellis.* Denique laudato succedit: *Edent pauperes & saturabuntur, & laudabunt Dominum*

Expurgate igitur, Charissimi, vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, (id est massa farinæ subactæ) 1. Cor. 5. 7. Sicut per septem dies Paschales non erat permittum Hebræis uti pane fermentato, sub pœna mortis Exod. 12. 15. Ita & nos toties communicantes simus pueri, azymi, simplices, innocentes: & tota vita nostra sit dies azymorum. Itaque epulemur non in fermento veteri malitia & nequitia; sed in azymis sinceritatis & veritatis. 1. Cor. 11. 8. Humilitate præditi, fide illumina-

minati, spe
 fi & omni
 ruti.
 III. Hu
 dum SS
 mus, vi
 refectio
 perleve
 unio ell
 subitan
 sua me
 carpo
 in nobi
 crefec
 sum pa
 pfo vir
 stanti
 ter sub
 omni
 super
 gloriæ
 in fav
 nobis
 instru
 imo ut
 reflect
 cum v
 cantes,
 nita, &
 consequ
 bonitat
 vu cur
 anim
 net:
 hucita

minati, spe roborati, charitate succen-
si, & omnium virtutum splendore co-
ruscii.

III.
Unio ipsa
Sacra-
mentalis

III. His præmissis succedit unio, dum SS Sacramentum realiter sumimus, vi cuius sumptionis vis & virtus refectionis Sacramenti, in nobis tota perseverat; non secus, ac si Physica unio esset, qualis est in cibo, qui in substantiam aliti transit: nam tribuit sua merita, confert gratiam, applicat potentiam & bonitatem, ut Deum in nobis, per actus & habitus virtutum crescere quodammodo faciat: *Ego sum panis vite*, qui dat vitam: *Nam in ipso vita erat*. Vita formalis, vita substantialis: Verbum est vita essentialiter subsistens: est vita tum naturalis, omnibus creaturis dans vitam, tum supernaturalis, quia est fons gratiæ & gloriæ, per quem *Vivent corda eorum in seculum seculi*. Itaque Christus in nobis existens, non operatur solum, ut instrumentum mortuum, sed vivum: imò ut causa principalis moralis, intellectu nimirum & voluntate. Nam cum videat & amet dignè communicantes, Deo pro illis sua exhibet merita, & pactum cum Deo initum, & consequenter applicat præsentem intimè bonitatem, misericordiam, justitiam, virtutem, & spiritualem refectionem, animæque & corporis sanctificationem: non secus atque olim degens in hac vita, eandem applicabat ad ope-

ra miraculosa. Nec verò transit citò eadem virtus; sed primò oblectat, deinde vires confert ad functiones spirituales, denique excitat ad omnia in Dei gloriam, reliquis contemptis, referenda; adversaque generosè sufferenda. O felix unio! O beata conjunctio, quæ Deus Opt. Max. cum misero homine, Christus animarum sponus cum anima tanquam sponsa dilecta, potentia cum fragilitate, sapientia cum ignorantia, Sanctitas cum impuritate, immortalitas cum mortalitate, lux cum caligine, vita cum morte, arcto amicitæ & charitatis vinculo copulatur, è quo meritorum applicatio, illuminatio, sanctificatio, operumque supernaturalium operatio sequuntur.

Quod ut obrineamus, Charissimi, facile dispicitis; quanto studio animas nostras disponere oporteat; ut tam optatâ beatâque unione potiamur: quantâ curâ animæ munditiem quàm maximam procurare expediat; ut puritati infinitæ conjungi mereamur? quantâ industriâ demissionem animi profundissimam comparare, ut humilitati summæ assimilemur? quanto conatu in virtutes Christi acquirendas incumbere, ut tanto bono uniri mereamur? cum quo per quem, & ex quo bono omnia tanquam fonte inexhausto, in nos assatim derivantur.

CC 3

EXHOR-

locutus sum vobis, spiritus & vita sunt: ait idem Dominus. Joan. 6.

Quare fructus duodenos, ligni vitæ, seu communionis & unionis Eucharisticæ, in præfenti exhortatione insinuabimus, ut non tantum per menses singulos, sed etiam hebdomades singulas juxta regulam sextam, iisdem refocillemur.

I.
Eucharistia fructus directio.

I. Inter cæteros fructus, quos lignum vitæ seu arbor Eucharistica, in communionem sacra & unione cum anima, in ea producit, est.

1. Fructus est, *directio*: constat ex Psalmo 22. in quo Vates Regius, Eucharisticæ affectus, & fructus ordine describit: *Ps. 1. 2. 3. 4. 5. 6.* & quidem primò auspicatur: *Dominus regit me. Ps. 1.* Dum enim, in sacra synaxi, te mihi unit; in medio mei, tanquam Rex in throno residens, *regit me*, gubernat ac dirigit: tanquam sol in medio stellarum, potentias meas illuminat, tanquam Magister in medio discipulorum docet: tanquam Dux in medio militum instruit: tanquam Pastor in medio ovium, me dirigit. *Tua Pater providentia gubernat Sap. 14.* & me non aliter regit, tanquam si solus in mundo forem. *Sic namque intendis singulis, ac si vaces à cunctis, & sic simul intendis omnibus, ac si vaces à singulis: omnia administrando implet, & regis implendo, nec univrsis dees, cum disponis unum, nec uni dees, cum disponis univrsam, cuncta nature tuæ potentia quietus operaris.* S. Gregor. L. 25. Moral. c. 17.

2.
Provisio.

2. Fructus est, *provisio de rebus necessariis, sive abundantia & plenitudo*

gratia: additur enim loc. cit. *Ps. 1. Et nihil mihi deerit.* Quid enim deerit illi, qui Deum possidet, habentem omnia? Quid deerit illi; in quo est præfens, pelagus immensum, charismatum divinorum & omnium cælestium donorum mare, plenum gratiæ & veritatis? Veluti vas plenissimum continere se nequit, quin effluat, ita ipse infinitam se suæque bona communicandi propensionem habet, & continere se nequit, quin ea liberalissimè profundat? Quid deerit illi, qui possidet solem justitiæ, qui non potest non splendoris sui infiniti radios diffundere? Qui tenet infinitæ activitatis ignem, qui non potest non materiam aptam calefacere & inflammare? Nihil ergo mihi deerit vel in corpore, vel in anima, quia tu me ô JESU! corpore & animâ tuâ pascis & reficis, facultates omnes replet: & es mihi *omnia in omnibus.* 1. Corinth. 15. Nam si premor fame, cibus es: si siti areo, potus es, si morbis obruor, medicus & medicina es; si tenebris involvor, lux es; si debilis sum, omnipotentia es, si insipiens, sapientia; si iniquus, justitia; si pauper, opulentia; si malignus, bonitas & sanctitas infinita. *Et quid mihi deerit: Deus meus & omnia?*

3. Fructus est, *Refectio anima.* Nam ^{3.} *Refectio.* tanquam panis vitæ pascit, vitam conservat, nutrit, augmentat, ac reficit: addit enim Propheta L. c. *Ps. 1. In loco pascuæ, ibi me collocavit:* & ubi in latino legimus, *Dominus regit me*, in græco textu est, *Dominus pascit me: ποιμαίνει.* Verè pastor bonus, qui in optimis

optimis pascuis nos collocat. *Bona pascua divina Sacramenta sunt*, ait S. Ambrosius. *O qualia pascua! caro JESU sanctissima! Caro mea verè est cibus. O qualia pascua sanguis JESU nobilissimus! & sanguis meus verè est potus. Spiritus diviniissimus, imò ipsummet verum, summum, & omne bonum. In pascuis uberrimis pasciameas, & in montibus excelsis Israël, erunt pascua earum; ibi requiescent in herbis virentibus. & in pascuis pinguibus pascuntur.* Ezech. 34. *Verè igitur, bona pascua: in quibus; novum florem capio, qui præbet mihi odorem resurrectionis, carpophilium, in quo est splendor aternitatis, carporeosam, divini corporis sanguinem.* S. Ambrosius.

II. Post ternos jam dictos, alii non minus utiles dulcèsq; ab arbore Eucharistica producentur fructus. Quorum.

4.
Potatio.

4. Fructus est, *Sitis extinctio*, cupiditatum inordinatarum sedatio, passionum refrænatio. Est enim Christus Eucharisticus, instar rosis vel aquæ, concupiscentiæ ardorem refrigerantis, & veluti in fornace Babylonica, flammias extinguentis: quod Propheta inuit *Ps. 2. L. c.* his verbis: *Super aquam refectiois educavit me. Fons sapientiæ verbum Dei in excelsis* Eccli. 1. 5. Ex hoc fonte scaturiunt aquæ, salientes in vitam æternam: ex quibus, mediante Communionè & unione Eucharisticâ, haurimus copiosè: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.* Isaia c. 12. nimirum *de fonte misericordiæ*, ut ait S. Bernardus serm. 1. de Nativ. *ad deluendas*

culpas, aquas remissionis; de fonte sapientiæ ad potendam sitim, aquas discretionis: de fonte gratiæ, ad irrigandos fructus bonorum operum, aquas devotionis. De fonte charitatis ad decoquendos cibos affectiois, aquas amulationis, zeli & fervoris, ad omnes cupiditates nostras restinguendas.

5. Fructus est, *Conversio anima*, & præservatio à quotidianis delictis. Et *animam meam convertit.* Ait Psalmista L. c. *Ps. 2.* Erravit anima mea, sicut ovis quæ perit; sed pastor bonus animam meam convertit. Unde verè cum S. Augustino fateor Soliloq. c. 13. *Quando erravi, ad viam reduxisti me; quando peccavi, corripuisti me; quando tristis fui, consolatus es me; quando desperavi, confortasti me; quando cecidi, erexisti; quando steti tenuisti me; quando clamavi exaudisti me; in manibus tuis desiripisti me, ut semper sit memoria mea apud te; venisti pro me, ut redimeres me; dilexisti me Domine, plus quàm te; quia miro voluisti pro me.* O quot modis, viisque tentasti, ut converteres & reduceres errantem me! nunc promissis, nunc donis, nunc minis, nunc trahendo funiculis charitatis: ingeminans: *Revertere revertere Sulamitis, revertere ut inveniamur te.* Cant. 6.

5.
Conversio

6. Fructus est: *Deductio in semitas justitiæ & perfectionis & inclinatio in bonum.* Insinuat id David L. c. *Ps. 3.* *Et deduxit me in semitam justitiæ.* Omnes nos, quasi oves erravimus, declinavit unusquisque in viam suam: sed benigna manus Domini reduxit nos in viam justitiæ. *Semita justitiæ est via*

6.
Deductio

man-

mandatorum Dei; semita justitiæ est semita consiliorum ejus, semita justitiæ est semita inspirationum ejus, denique semita justitiæ universalis est semita omnigenæ virtutis & perfectionis, in qua, ad quam, & per quam virtute S. Sacramenti nos deducit, gratiâ confortans, & exemplo præcedens. Hic enim docet & ostendit semitam humilitatis, infinitam Majestatem & splendorem sub villi specierum velo occultando; semitam obedientiæ, ad vocem Sacerdotis præsentem se sistendo; semitam mansuetudinis & patientiæ, ab infidelibus & hæreticis tot injurias tolerando; semitam charitatis & misericordiæ, omnia misericordiæ opera, absque personarum acceptione exercendo. Denique semitam perseverantiæ; eadem usque ad consummationem sæculi continuando. O *Domine, deduc me in via tua*, Psalm. 85. *Deduc me in semita mandatorum tuorum*, Psalm. 118. Consiliorum quoque & inspirationum; atque omnis Evangelicæ perfectionis; ut te duce ad optatam felicitatis æternitatis metam perveniam.

III. Præter dictos sequuntur fructus alii.

7. Fructus. Protectio & medela contra tentationes & pereundi pericula. *Nam et si ambulavero in medio umbrae mortis, non timebo mala; quoniam tu mecum es*. L. c. v. 4. Christus Evangelicus protector noster est: sub umbra alarum suarum animas, tanquam columbas pavidas, ingruente accipit, protegens. Hoc vivificum Sacramentum est contra omnia tela

nequissimi ignea scutum, est umbra oculum diei ab æstu prosperitatis & superbiæ: est tegumentum ardoris & cupiditatis suscitata à carne: est securitas & asylum à pluvia & turbine adversitatis, & tentationis in vita & morte: ejus enim præsentia defendit & animat: nam *Et si ambulavero in medio umbrae mortis, non timebo mala; quoniam tu mecum es*. Ingruant pericula peccatorum, occurrant præcipitia lapsuum, insurgant venti tentationum, sæviant fluctus concupiscentiarum, suscitent prælia phalanges Demonum; *Non timebo mala, quoniam tu mecum es*.

8. Fructus. Consolatio spiritualis; spes & fiducia: subdit enim coronatus Vates L. c. v. 4. *Virga tua, & baculus tuus, ipsa me consolata sunt*. Triplicem in scriptura Divina virgam seu baculum legimus: Regum, Pastorum, Pontificum, primâ rebelles subjugantur, secundâ oves ducuntur, tertiâ filii reguntur. Prima enim valet ad vitiorum expulsionem; secunda ad morum compositionem; tertia ad virtutum ordinationem. Prima est virga Joseph, quâ ei *Egyptii* subsiciuntur, secunda *Moylis*, quâ Pharaonis serpentes absorbentur; tertia Aaronis, quæ frondit, floruit, & fructum protulit. In S. Sacramento, triplici virgâ Rex noster & Pontifex & Pastor utitur. *Virga directionis*, virga regni sui, quâ nos sibi subjicit; virga Pastoris, quâ nos regit, & contra lupos protegit; virga & pedum Pontificis, quâ omni perfectione nos pascit & dirigit. Omnes verò solatio sunt, ac præcipuè

vi meritorum baculi sanctæ crucis, & pat. oclio virgæ B. Virginis, quæ est virga de radice Jesse, virga Aaronis, florida & fructifera,

9.
Confortatio.

9. Fructus, robur & fortitudo in adversis magnanimitas in persecutionibus. *Parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me.* 1. 5. Hanc mensam paravit Sapiencia Divina, quæ *adificavit sibi domum* (Ecclesiæ) *miscuit vinum* & *proposuit mensam suam*, & *misi ancillas suas* (præcones Evangelii) *ut vocarent*, & *invitarent*: *Venite comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis.* Proverb. 9. O qualia in hac mensa proponuntur fercula! Christi humanitas Sacrosancta, cum membris, potentiis, virtutibus, meritis. Christi Divinitas, cum omnipotentia, sapientia, bonitate, pulchritudine, sanctitate, & reliquis attributis. O quis hæc mensam confortatus, tribulantes reformidet; aut eorum infestationibus peccatore generoso non obnitatur?

IV. Fructus ultimi sunt.

10.
Unctio.

10. Fructus, Unctio, gratiæ, misericordiæ & lætitiæ. *Impinguasti in oleo caput meum.* 1. c. 5. Solebant Veteres in convivis inter primarias delicias adhibere unguenta pretiosa, quod, quia neglexit Simon Phariseus, audiit: *Oleo caput meum non unxisti.* Lucae c. 7. Sancta verò Maria Magdalena observavit, & hanc retulit. Math. 26 Christus Dominus, Unctus Domini, unctus oleo lætitiæ, gratiæ, unionis hypostaticæ, & visionis beatificæ, multiplex oleo electos suos impinguat. Nam scapulas & pectus in

Baptismo: frontem in Sacramento confirmationis; manus in Sacramento Ordinis, quinque sensuum organa in extrema unctione; sed specialiter in SS. Eucharistiæ Sacramento, impinguat eos oleo misericordiæ, gratiæ, charitatis, lætitiæ spiritualis; & confortationis, quo esurientes reficit, eorum vulnera sanat, papulum luminis & ardoris præbet, luctatores efficit, & in cibum, in manna seu panem olcatum se liberalissimè trahit.

11. Fructus Ebrietas spiritualis. *Et calix meus inebrians quàm præclarus est* 1. c. 5. *Hic est calix, novum testamentum in sanguine meo*: Quem Redemptor propter nimiam charitatem, quæ dilexit nos, quodammodo ebrius, infundit; & omnes fideles ad bibendum invitat: *Venite bibite vinum, quod miscui vobis. Bibite & inebriamini Charissimi.* Cant. 4. 1. O præclarum calicem! O sanctam ebrietatem! quam potus Eucharisticus causat: dum cor hominis lætificat, exhilarat, adversitatum oblivionem inducit, mœrores depellit, excitat, animat, omniaque ardua vincit, amara in dulcedinem, & dulcia in amaritudinem vertit. Hic calix lapides Stephano, craticulam Laurentio; crucem Petro, gladium Paulo, cultrum Bartholomæo, omnia termenta Martyribus, omnia adversa Confessoribus, omnia certamina Virginibus, in nektar & ambrosiam, in mel & saccharum commutat; ita ut ea præ sancta ebrietate, vix sentiant. O calix inebrians, quàm præclarus!

11.
Inebriatio.

12. Fructus. *Deductio in cælum.* Et *misericordia tua subsequetur me omni-*
bus

12.
Eternas
beatitudo.

bus diebus vita mea: ut inhabitem in domo Domini, in longitudinem dierum. y. 6. l. c. Hæc misericordia Dei in Sacramento Eucharistiæ, comitatur & subsequitur nos, omnibus diebus vitæ, quibus prædictos fructus in nobis præfert, & in morte ipsa; in qua tanquam viaticum æternitatis felicitis præbetur; & post mortem in purgantibus flammis, quò vis Sacrificii & Eucharistiæ penetrat. Donec perveniamus ad cælum, & inhabitemus in domo Domini in longitudinem dierum, vitâ beatâ, æternùm fruituri: nam *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Joan. 6.

O quam magna multitudo dulcedinis tuæ, quam abscondisti timentibus te! Psalm. 30. Verè *Venerunt mihi omnia bona pariter cum ea.* Sap. 7. 11. Sed quid faciemus, Charissimi, ut lignum vitæ, arbor Eucharistica hos fructus duodenos in nobis producat. 1. *Dilata os tuum, & ego implebo illud.* Psalm. 80. 11. Id est, præpara te, dispone, evacua te ab affectibus terrenis: ut purâ & sincerâ mente accedas. 2. Quemadmodum Christus Dominus tot quasi vicibus te tibi donat, quot in sacra hostia, particule sunt & puncta: ita vicissim tu te totum ei offer idque in omnibus actionibus tuis & vitæ momentis. 3. *Veluti Salvator tibi offert corpus suum, nunc quidem*

gloriosum, sed antè plagis vulneratam & contusum; ita quoque tu ei offer corpustum, non deliciis innutritum, sed asperè habitum, & pœnosis operibus castigatum, varièque mortificatum. 4. Velut ille animam suam, intellectum, memoriam & voluntatem, cum sensibus & potentiis atque omnibus eorum actibus, amore immenso inflammatis Patri cœlesti pro nobis offert: ita tu animam, intellectum, voluntatem fide, spe, & charitate ardentem, cum cæteris potentiis immola. Denique sicut Christus Dominus, per mutationem & transubstantiationem panis & vini, in corpus & sanguinem suum, in Eucharistia positus, servatis tantùm accidentibus; ita & tu per crebram communionem, in eum transmuteris, servatis tantùm vitæ communis & exterioris accidentibus, implens illud Apostoli ad Rom. 13. *Induimini Dominum Jesum Christum.*

Hæc ratione, ex hoc ligno vitæ directionem, provisionem, refecionem, mortificationem, conversionem, deductionem, protectionem, consolationem, fortitudinem, unctionem, ebrietatem spiritualem & æternam beatitudinem, fructus sanè nobilissimos copiosè decerpes,





REGULA VII. SUMMARI.

De conscientia integrè aperienda.

EXHORTATIO
IN REGULAM VII. SUMMARI.Ostendit sinceram manifestationem conscientiaë Confes-
sario stabili faciendam esse.

T H E M A.

Qui abscondit scelera, non dirigitur. Prov. 28.
Vel ex Regula.

Uanti momenti sit in longis difficilibusque itineribus gnaros viæ ductores nascisci, ostendit vel ipse Deus, qui quovis tempore populo suo dilecto, de optimis ductibus providit; quales fuere Moyses & Aalon, illique defunctis, Josue, & Caleb, qui Israëlitas in terram promissam deduxere: nec ignorant id viatores; nam iter maritimum in Indiam orientalem, aut occidentalem suscipi, non ignari mille occursum maris pericula navarchum conquirunt, cui se, vitamque suam tuò possint

committere. Pari ratione iter terrestre Hierosolymam aut Romam aggressuri, ante omnia gnarum viæ ducem reperire student; ne innumeros in via errores committant, & semper dubii, anxiique in horas, de viæ rectitudine inquirere cogantur. Nos quotquot hic sumus in viæ hujus pelago, inter syrtes, & charybdes, inter scopulos, & vada, aliaque naufragii pericula navigamus, atque ad portum æternæ felicitatis, ad terram promissionis; & ad Hierosolymam cœlestem proficiscimur. Dux ergo nobis & viæ comes opus est, id est vel superior, vel Spiritus director, cui conscientiaë latebras detegamus, qui pericula

cula edoceat, viam commonstret aberrantesque in semitam postliminio revocet, ac reducat.

Tria autem ostendemus observanda, ut Dux ille feliciter nos deducere valeat. 1. Sit stabilis. 2. Sincere eidem cor nostrum aperiamus. 3. Si alteri confiteamur, postmodum si quid notabile acciderit, illi declaremus.

I.
Confessarius stabilis
servandus.

I. *Quisquis suum stabilem habeat confessorium.* Clemens VIII. Pontifex Maximus in Decreto de reservatione casuum pro Regularibus, prohibuit religiosos adstringi ad confitendum Abbatibus, Prioribus, Guardanis aliisque Superioribus, exceptis Novitiis, sed ut Superiores, duos, vel tres, vel plures pro numero personarum confessarios designarent, apud quos subditi in Monasteriis & Domibus religiosis per exhomologesin peccata expiant: ordinariè bini in Collegiis nostris deputati sunt conscientiarum arbitri, quorum uterque validè & licitè potest à peccatis absolvere: uterque etiam (ut voluit dictus Clemens VIII.) ordinariè uomine gaudet: sed illorum alter simul Patris spiritualis munere fungitur, qui meditationum puncta dicit Patribus, juniores quot mensibus ad se evocat, & cum illis de rebus spiritualibus tractet: atque apud hunc ordinariè juniores peccata expiant, simulque in spiritu diriguntur. Hos viros Clemens VIII. in Constit. decrevit esse debere doctrinâ, prudentiâ & charitate præditos: & S. P. N. 3. p. Const. c. 1. n. 12. agens de qualitatibus Patris spiritualis: ait *talem esse oportere, ut cum omnes*

diligant, ad quem in suis tentationibus confugiant, & cui confidenter omnia sua desegant, & à quo consolationem, & auxilium sperent in Domino, nullamque tentationem celet.

P. Lancicius in Opusc. de Superioribus c. 1. ait suo tempore in Italiae Provinciis observatum fuisse, ut cum maximo delectu ejusmodi constituerentur Patres spirituales, qui omnium judicio, & quasi voce populi, quæ est vox Dei, haberentur viri valde spirituales. Sic ait Neapoli Romam evocatū ad P. Spiritualis officium P. Antonium Spinellum, virū insignem & Theologiæ Doctorem: Romam quoque Mediolano evocatum P. Joannem Baptistam Cicortum, ubi 40. annis, eo in munere, laudabilissimè versatus est, ac denique cum fama Sanctitatis mortuus: Item P. Nicolaum Barzettum, P. Bernardinum Rosignolum, P. Octavianum Navarolam, aliosque: Et hodie dum non rarè eliguntur in Patres spirituales, qui diu gubernarunt, ut cum majore fiducia ad eos accurramus, & illi peritius nos dirigant.

Quisquis igitur demum nobis assignatus fuerit illum amore & honore prosequi ac fiduciam erga eum magnam præferre debemus, constanterque ad illum pro exhomologesi instituenda recurrere non transcurrendo de uno ad alium: hoc enim vetat regula 6ta Summarii: *Quisque suum stabilem habeat Confessorium.* Valde quoque enorme, insolitum, & minimè tolerandum foret in religioso; si quosdam licentiæ, & laxiori vitæ addictos sæculares imitatus, graviora solum ad aliquem juvenem

Sacerdotem imperitum, & imperfectum, illegitimumque deferret; leves verò defectus, seni, prudenti, Venerabili, & legitimo confessario suo aperiret; sub quibus nescio prætexitibus, quibus hoc legitimare studeret: Ecclesiasticus c. 4. ab hoc confitendi modo detertere videtur, dum ait; *Ne subicias te omni homini pro peccato*: id est noli confiteri cuivis peccata tua; sed tibi designato & stabili. Reperire est sanè gravissimos auctores valde improban-tes, si quis binis utatur confessariis, uno cui gravia, altero, cui levia peccata confiteatur. Doctissimus Victoria in Summa, verbo confessio, nu. 196. esse sacrilegium asserit, viderique magnam fictionem, & irridere confessorem, faciens eum credere, quod si probus. Alii auctores, ut Sylvester & Emmanuel Sa, celebres Theologiæ Moralis Doctores: iusmodi pœnitentes enormis hypoëris damnant. Alii reprobant hunc modum, eò quòd omnem occasionem peccandi non adimar; quòd magis salutarem medicum refugiat, & certioris emendationis viam declinet. Doctissimus verò Antonius Diana to. 3. Tr. 4. resol. 131. per accidens esse peccatum mortale docet hoc modo confiteri, cum gravia ex eo damna oriri valeant; de quo dubitandi locus haud relinquitur. At hoc in Societate locum non habet.

Nos ergo ex mente S. P. N. stabilem habeamus conscientiam nostræ directionem, quem absque causa rationabili non deseramus.

II.
Cui confici-

II, Alterum quòd à nobis requirit S. Fundator noster, est; ut huic stabili

confessario, vel Patri Spirituali totam conscientiam nostram sincerè aperiamus: *Cui inquit ipsius conscientia prorsus aperta sit*: Sc. 1. peccata, 2. tentationes, 3. anxietates, & perplexitates, 4. scrupuli, & dubia, 5. passionēs & malæ consuetudines, 6. opera pœnitentiæ, 7. opera humilitatis & aliarum virtutum.

Ratio una: quia conscientiae arbiter, & est magister Spiritus, & animæ nostræ est medicus: jam verò si in morbis corporeis tam sollicitè omnia medico detegimus, quantò magis in morbis animæ medico spirituali, omnes morbi, & vulnera aperienda erunt? *Honora Medicum propter necessitatem; etenim creavit illum altissimus.* Ecclesi. 38. ait Spiritus S.; Si Deus tantum honorem medico corporis exhiberi vult, ut eum revereamur, morbos aperiamus, media præscripta adhibeamus; quantò magis id volet in medico spirituali, cum anima millies sit præstantior corpore, quod est vas sordium, etica vermium, ac velut tyrannus & proditor animæ.

Ratio altera est, quia Deus nos regit, non per quoscunque; sed peculiariter per eos, quos ipse nobis Patres, Magistros, Duces, ac Medicos ordinavit. Hæc enim est suavissima Providentiæ Divinæ ratio; ut per Patres Spirituales nos regat, atque ad perfectionem & ad cælum nos deducat; per hos enim ipse loquitur; nosque corrigit & sanat: *Neque herba, neque malagma, sanavit eos; sed sermo tuus Domine Sap. 16. 12.* His ergo nos penitus aperire oportet; quod enim medicus nescit, non corrigit.

Ratio

Ratio 3^{ta} : ab autoritate SS. Patrum desumitur; qui hanc sinceritatem unice requirebant à suis : ut S. Basilus in reg. fufius disputatis; S. Benedictus in regulis. reg. 7. S. Bonaventura, Casianus, B. Abbas Isaias; qui orat. 6. consultit: *cogitationes suas noli quibuslibet aperire; sed patribus tantum tuis, ne tristitiam contrahas in corde tuo.*

Ratio 4^{ta} est, ut Dæmonis technas, fallaciasque his ducibus animæ, feliciter evadamus; nam Diabolus variis nos impugnat tentationibus. 1. Prima tentatio diabolica accidit à timore nocturno; scilicet noctu, à somniis fœdis, nocturnis terroribus, ac illusionibus: sed aperi ea tantum & non timebis à timore nocturno Psa. 90. v. 5. S. Augustinus L. 10. Confess. c. 30. deplorat in se huiusmodi fœda somnia: sæpe quis hæret, num peccaverit, nec ne: aperiat confessorio & securus erit, nec timebit à timore nocturno.

2. *A sagitta volante in die* v. 6. hæc est altera tentatio dæmonis, in qua sub specie boni transfigurans se in angelum lucis, illudit: ita in Hispania cuidam persuasit, ipsum pervenisse ad summum perfectionis gradum, nec quidquam præter vitam mortalem gloriæ suæ obistere: quare statuit pulvini ori admoto v tam finire, sed à quodam superveniente impeditus, non acquievit tamen, donec collo laqueum immissit. Wadingus ad annum 1253. *Miser hic si tentationem aperisset, laqueum evasisset.*

3. Quando non successit sagitta volans, in die ad tenebras Dæmon convertitur sen ad negotium perambulans

in tenebris: id est, quidquid terret in tenebris, & ex improvise obrepit, ac perniciosè ingruit, sive latrones sint, sive lemures, vel ut exponit Bernardus; hypocrisis & cupiditates honorum, vel ut explicat Augustinus: vehementiores tentationes, quæ terrent ignorantes, Denique succedit.

4. *Incurfus est dæmonium meridiana*: id est omnis aggressor robustus, & potens, qui non timet ipso meridie nocere, & lædere: alii docent esse spiritum acediae, & pigritiæ: alii luxuriæ. Quis obsecro omnes has technas, virtutas, & machinas eludet, nisi conscientia suæ arbitro fideliter aperuerit?

Quod si neglexerimus, gravissima sanè pericula incurrere possumus: nam 1. Demus aliquem esse inter Novitios, qui vel nimis reflexionibus, vel nimis anxietatibus, vel nimia coactione caput vexet, nec Superiori aperiat: quid inde damni eveniet? hoc ut caput destruat, & ad meditando, vel orandum, se ineptum reddat, ac longo tempore hæc utilissima exercitia cum spiritu detrimento intermittere necessitas cogat. 2. Demus alium esse gravissimis impetum tentationibus, vel suggestis à dæmone, vel ortis ex consortio unius, & alterius socii laxioris, qui ei suggerant prava diabolina: quæ ille superiorem celet; quanta hic rursus pericula; sanè non rarè periculum dimissionis. Alius in Novitiatu clam legit libros à suo munere alienos, studet concionibus, concinnat adversaria, & locos communes pro concionibus digerit: Magister humaniorum, uti & Theologiæ auditor studiis à sua professione

fessione alienis vacat: quid inde periculi, si celent Superiorem? hoc, ut Novitius solidum fundamentum v. t. religioſe in tyrocinio non penat, ac poſtea tandem deficiat: Magiſter ut eruditio- ne debita diſcipulos defraudet, Theolo- giæ auditor, ut ſe neceſſariâ Theolo- giæ doctrinâ privet, & ad Societatis functiones perfectè obeundas minùs idoneum reddat.

III.
Si alteri fu-
erit confeſ-
ſus, ordi-
natio con-
ſcientiæ
vulnera
detegat.

III. *Qui autem alii, quàm ſuo Con-
feſſario designato confiteſtur, debet poſt-
modum (quantum recordari poterit)
eidem ſuo Confeſſario totam ſuam con-
ſcientiam aperire, ut nihil ignorando,
quod ad eam pertineat, melius in Domi-
no poſſit eundem juvare, Ita habet Reg.
7. Summarii,*

Praxis habet, ut ubi quis domo diu-
tius abſuerit, ſi nihil extraordinarium
occurrerit, id verbo inſinuet; ſi quid
occurrerit, id enarret quoque, & ape-
riat. Pono exempli gratia, quempiam
mitti ad vineas aut villas ubi pericu-
lum peccati gravioris incurrit, & re-
ipſa labitur, hoc ipſum oportebit poſt-
modum Confeſſario ordinario aperire;
tum ut periculum relapsûs evadamus,
tum ut media adhibeamus, &c.
omnia eo ſine, ut nos poſſit melius in
Domino juvare, Nam, ut inquit Hie-
ronymus ſuper cap. 20. Eccl. quod

*ignorat, medicina non ſanat: & quem-
admodum agroti ex ſanitati amore, &
deſiderio vincunt pudorem, neque ar-
dum habent manifeſtare defectus ſuos,
& membra nuda Medicis: ſic etiam ex
virtutis, imò ex Dei amore, difficile hoc
medium prodendi animas noſtras, moreſ-
que nudos minimè debemus exiſtimare.
ita ille: Medicorum Princeps Galenus
in libro de curandis animi morbis, in
eo penè totus eſt, ut Medum hoc
commendet, qua viri prudentiſſimi,
veridici, virtuoſi ductu agamur & re-
gamur: Qui abſcondit ſeculera ſua non
dirigitur Prov. 28. Qui autem confeſſus
fuerit, & reliquerit ea miſericordiam
conſequetur.*

Quapropter Dilectiſſimi. 1. Stabi-
lem habeamus Confeſſarium. 2. Et
totam conſcientiam & noſtram candidè
aperiamus, tanquam perito Medico,
tum quia per eum nos regit Deus, tum
ne pericula graviffima, huius negle-
cti, incurramus. 3. Quod ſi alteri in
abſentia, aut itinere confeſſi fuerimus;
poſtmodum ordinario conſcientiæ ar-
bitro, ſi quid occurrerit extraordi-
narium, id reteramus, ut ſic melius in

Domino juvemur, atque in viâ
Spiritûs, ſalutiſque ſempi-
ternæ, ſecurius diri-
gamur.



REGULA VIII. SUMMARII.

De Sancto Parentum & Consanguineorum odio,

EXHORTATIO I.

IN REGULAM VIII. SUMMARII.

Ostendit Parentes & Consanguineos relinquendos esse,
& odio habendos.

T H E M A.

Non veni pacem mittere, sed gladium. Matth 10. 34.

V E L

*Curandum est, ut omnem carnis affectum erga sanguine
junctos exuat.* Reg. 8.

Uilibet genuino Societatis JESU Spiritu imbutus Tyro, mysticè sibi faciendum existimet, quod ad literam Moyses Levitis præstandum, Dei nomine, mandavit Exod. c. 32. *Ponat vir gladium super femur suum: ite & redite, de porta usque ad portam, per medium castrorum, & occidat unusquisque fratrem & avicum, & proximum suum.* Admirabile facinus, & à quo vel ipsa abhorrere videtur natura, manu propria trucidare ac confodere Fratres, si bique sanguine junctos. Et tamen pa-

ruère Moyse Levitæ, strinxerunt gladios, de porta ad portam per castra universa irruerunt, Fratresque suos, & cognatos neci dederunt. Quo fortiter fideliterque peracto, ac peremptis tribus & viginti hominum millibus; Epiphonema hoc protulit Moyses: *Consecratis manus vestras hodie Domino, unusquisque in filio, & in fratre suo, ut detur vobis benedictio.* Præclara hæc Religiosorum virorum figura est; qui veri & spirituales sunt Levitæ; teste D. Ambrosio c. 2. de fuga sæculi: *Deo in Religione consecrati, Levitæ fugitantes sunt mundi hujus, ut placeant Deo: relinquunt patriam, parentes, filios, omnemque cognationem, ut uni Deo adhereant.*

Ee

Hi

Hi igitur, Levitarum illorum more, gladios evaginent, stringant, vibrent, ac feriant parentes, fratres & cognatos: quâ verò id ratione peragendum sit, nunc exponemus.

I.
Parentes
& cognati
relinquen-
di.

I. Admirandam, Veritas æterna, Matth. 10. protulit sententiam; dum dixit: *Nolite arbitrari, quia pacem veni mittere in terram; non veni pacem mittere, sed gladium.* Quid est hoc Domine? An non pacem mentis, pacem unionis fidelium, inter te, accum Deo & Angelis ejus, quæ ducit ad pacem & felicitatem æternam in cœlis, te allaturum vaticinatus est Isaias c. 9. v. 6. &c. 65. v. 25. Et an non te in terris nato, Angeli eam hominibus annuntiarunt Lucæ 2. 14. Quâ igitur ratione, veritati consonat: *Non veni pacem mittere sed gladium?* Omnino, pacem spirituales, pacem mentis volo: sed nolo pacem terrenam ac mundanam, sed *gladium: seu separationem*, ut habet Lucas c. 12. v. 1. Volo enim separari fideles ab infidelibus, Catholicos ab hæreticis, religiosos à mundanis, Filios à parentibus & cognatos à cognatis: *Veni enim separare, hominem adversus Patrem suum, & filiam adversus matrem suam, & nurum adversus socrum suam.* Et cur istud obsecro? *Quia inimicis hominis domesticus erit.* Eveniet enim, ut Pater filium, Frater Fratrum, conetur retrahere, vel à fide, vel à religione, pietate, ac divino obsequio: quo casu: *Veni separare.* Præclare in ista verba S. Chryostomus: *Vincet, inquit, Potestas Evangelii, aded, ut filii quoque contemnunt parentes suos, filia matres suas, & parentes liberos, inuò & animam (vitam) &*

omnia proprietate (& Religione) exponant.

Quisquis igitur vult Deo, sub crucis labaro, in Societate JESU militare, stringat gladium, necesse est, feriat, cædat, & faciat separationem, sejunctionem, divisionem sui, à parentibus & fratribus & cognatis. Hoc exigit Dux tuus Christus, qui te in militiam suam adscripsit, & hunc tibi gladium offert ac porrigit: hoc requirit Centurio tuus, in cujus cohorte stipendia meres, S. Ignatius: sic enim regulâ 8. inquit: *Unusquisque eorum qui Societatem ingrediuntur, existimet sibi: patrem & Matrem, fratres & sorores, & quidquid in mundo habebat, relinquendum.* Atque hoc est sacræ militiæ rudimentum, est vitæ religiosæ exordium; est primæ de mundo victoriæ trophæum: quod ante omnia est omnino necessarium. Quid enim? An non id postulat Apostolicæ vitæ ratio? Evangelii ubivis terrarum prædicatio? Ad fideles infidelisve missio? Separatio fiat, necesse est. Ut Apostolorum in omnem terram sonus exeat; ut fides incrementum capiat, gladio & separatione opus est. Parentes & patriam relinquere oportet: Non enim est *Propheta acceptus in patria sua:* nec Evangelista, nec Apostolus: Si Petrus & Andreas remansissent apud parentes Bethsaidæ, quis fidem invexisset Romæ & Italia? Quis Religionem Christianam, Thraciæ, Scythiæ, Achaïæ, aliisque regionibus? *Non ergo veni pacem mittere sed gladium, sed separationem.*

Separatio illa egregiè olim in Abrahamo Patriarcha Sancto, adumbrata legitur Gen. c. 12. v. 1. Cui à Domino manda-

manda-

mandatum fuit: *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo Patris tui, & veni in terram, quam monstrabo tibi.* Voci divinæ extemplo paruit Patriarcha: exivit enim de Ur Chaldæorum, & perrexit in Haran; cum verò ibidem reperiret parentem, ut summâ mandatum divinum perfectione adimpleret, nec eo loco substitit, sed aliò iter promovit. Eadem separatio adumbrata, Spiritûque Prophetico à regio Vate prædicta fuit Psalm. 44. *Audi filia & vide, & inclina aurem tuam, & obliviscere populum tuum, & domum Patris tui, & concupiscet Rex decorem tuum.* Quibus verbis, priore major perfectio exigitur: non enim duntaxat ait: *Egredere*; aut *desere*; sed *obliviscere*, quod est amplius: quid enim juvat parentes corpore deserere, si maneat in corde? Igitur *obliviscere populum tuum*: Si enim in mente vestigium aut populi, aut domûs tuæ resideat, haud Regi placebis, necis concupiscet decorem tuum.

Si separationis & oblivionis ejusmodi exempla desideremus, unde luculentiora, quàm ab ipsomet Salvatore, ejusque Apostolis depromemus? An non Redemptor noster Beatissimam Virginem Matrem suam, & S. Josephum educatorem suum reliquit; quando Hierosolymis in templo remansit, & post triduum inventus in medio Doctorum, interrogans & respondens illis? Cùmque sancta Mater quasi increpando diceret: *Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus & ego dolentes querebamus te.* Ipse reposuit: *Quid est quod me querebatis? Nesciebatis, quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* Lucæ c. 2. Et aliàs, cùm

singulari ratione, vacaturus erat iis, quæ Dei sunt; dictum illi fuit Matth. 12. *Ecce Mater tua, & Fratres tui foris stant, quærentes te.* Quibus ipse respondit: *Quæ est Mater mea, & qui sunt Fratres mei?* Non quasi non diligeret, non quasi virginem pauperem Matrem non agnosceret: nam & tenerrimo in eam ferebatur affectu, & intimè pernoscebat; sed ut, deserendos, oblivionique dandos esse parentes ac propinquos, ab iis, qui Dei servitio se manciparunt, nos edoceret. Nonne idem suo nos docuere exemplo Petrus & Andreas; quibus à Domino dictum fuit: *Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum: & illi continuo (absque mora) relicti retibus (& omnibus) secuti sunt eum?* Matth. 4. Et procedens inde vidit alios duos Fratres *Jacobum Zebedæi & Joannem fratrem ejus & vocavit eos.* Illi autem stetit (absque replica) relicto Patre Zebedæo, & navi, ac reti secuti sunt Dominum.

Quodnam verò præmium, parentes, & omnia relinquentibus à Salvatore promissum sit, indicatur Matth. 19. 29. Ubi cùm Petrus confidenter diceret: *Domine, ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: quid ergo erit nobis?* Christus mox respondit: *Amen dico vobis, quod vos, qui reliquistis omnia & secuti estis me; sedebitis super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel; & omnis qui reliquerit domum vel fratres, aut sorores aut Patrem aut Matrem aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet & vitam æternam possidebit.*

Quare, Charissimi, Christi & Apostolorum exemplo, nobis qui vitam Apostolicam amplexi sumus, parentes,

fratres & sorores deferendi sunt, patria & quidquid in mundo habebamus, relinquendum est. Id quod jam laus Deo, præstitimus; hic fuit primus perfectionis nostræ gradus, hæc prima victoria, de mundo, carne & sanguine à nobis relata: hæc primæ partis Regulæ 8. à S. Ignatio nobis præscriptæ; impletio: *Unusquisque existimet, Patrem & Matrem, & quidquid in mundo habebat, relinquendum.* Non solum re ipsâ, sed & affectu & cogitatione; ita, ut quasi omnium obliviscamur. Atque hoc ita seriò nobis exequendum est, ut si Deo placeret, & Superiores præscriberent, parati essemus propter Deum & Evangelium, in omnem reliquam vitam nostram, nunquam amplius parentes & propinquos vel oculo intueri, vel verbo affari: idque non solum Novitiatus nostri biennio; sed totâ insequente vitâ, quemadmodum innumeri de Societate, illustres viri, in Indiam, Chinam & Japoniam profecti re ipsa præstiterunt. Non degeneremus à præcellis cogitationibus majorum nostrorum: si magna pro Dei gloria aliquando præstare cupiamus.

II.
Parentes
& cognati
odio habendi.

II. Primo gladii ictu librato, & factâ speratione, minimè nobis est acquiescendum; sed denuò vibrandus gladius, & aut cæsum dividendus, aut punctim confodiendus, inordinatus atque carnalis erga parentes ac propinquos affectus & amor: isque in odium sanctum est commutandus. Et hoc est alterum, quod S. Patriarcha noster in præsentè Regulæ requirit; dum mox subtexit: Inò dictum sibi existimet verbum illud (Christi) *Qui non odit Patrem & matrem, in super & animam suam,*

non potest meus esse Discipulus. Non solet sanctus Fundator Regulas suas, divini eloquii sententiis stabilire; at in hac re adeò ardua ac difficili, eas minimè præmittendas existimavit. *Qui non odit Patrem & Matrem, non potest meus esse Discipulus.* Lucæ c. 14. 26. Ratio est, ut insinuat S. Hieronymus, & alii: Quia Christus utpote Deus, Dominus Salvator ac Redemptor noster longè parentibus, & omnibus cognatis est anteposendus: quare qui eum illis postponit, ut propter eos vel à fide, vel à lege Christiana, vel à religione & servitio divino desciscat, atque in peccatis mundique periculis persistat, Christum indignè tractat; summamque ei ignominiam irrogat: & ideò indignum se reddit, qui de Christi familia & schola recensetur. *Non est me dignus.* Matth. 10. 37. Non est dignus me Magistro, non est dignus, meo nomine, consortio, Societate, gratiâ, regno, cæterisque promissis meis.

Qui non odit. Sed quomodo, quærit S. Gregorius, *jubemur propinquos odisse; qui jubemur & inimicos diligere?* Respondeo odium, quod est rei malæ displicentia, esse duplex: unum est displicentia mali; quale est peccatum, aut inclinans, inducentive ad peccatum; quia verum bonum impedit: atque hoc odii perfecti nomen obrinet: de quo David: *Odio perfecto oderam illos.* Psalm. 138. Alterum est displicentia mali opinati; tale est, vita Christi, vita Sanctorum, Pietatis opera, Conciones, Jejunia, quæ odio habentur ab impiis, illa esse mala opinantibus, sed hoc nuncupatur odium iniquum Psalm. 24. *Odio iniquo*

iniquo oderunt me gratis: Et hoc odio mali oderunt bonos, locumque nonnunquam reperit inter servos Dei, præsertim inter Tyrones incipientes, & etiam imperfectos; quibus displicent jejunia, pœnæ in juncæ, correptiones Superiorum, & fratrum ferventiorum exempla. Secundum hoc odium longè sit à nobis; primum verò erga parentes & propinquos exercendum est; ut displicentiam habeamus, non erga personas, sed erga id quod verum malum est; tale autem malum est, quando nos à servitio Dei retrahunt; quando nos in vocatione Christi retardant; vel quando nos in Spiritu, virtutumque profectu impediunt; rursusque caducis mundi rebus involvere parant, atque intricare.

In hoc casu, gladio Spiritus utendum est: *Qui amat Patrem aut Matrem, plùs quàm me, non est me dignus.* I. c. *Qui non odit Patrem, &c. Qui non odit inimicum suum? Inimici autem hominis hac in re, domestici ejus.* Sed cur obsecro? An non inimicus tuus est, qui è naufragio littus jam contingentem, repellit in fluctus? An non hostis est, qui ex incendio profugum, retrahit in flammam? An non advertarius est, qui hostilibus manibus & armis elapsus, iisdem prodit & denuò objicit? *O durum Patrem! & sevam Matrem!* Exclamat Doctor melitiusus, Epist. 111. *O parentes crudeliter & impii! imò non parentes, sed peremptores, quorum dolor, salus pignoris; quorum consolatio, mors filii est: qui me malunt perire cum eis, quàm regnare sine eis. Qui me rursus ad naufragium, unde tandem nudus evasi; rursus ad ignem, unde vix semivivus*

exivi; rursus ad latrones, à quibus semivivus relictus sum, sed miserante Samaritano, jam aliquantulum convalesci, revocare conantur & militem Christi, prope jam raptò cælo, triumphantem, ab ipso introitu gloriæ tanquam canem ad vomitum, tanquam suam ad lutum, ad sæculum reducere moluntur!

Sub tali igitur qualitate parentes odio habendi sunt, quòd scilicet non amicos, sed inimicos se nobis exhibeant: non parentes, sed peremptores; quibus levamen est filium perimere, quibus solatium est damnatis habere socium damnationis: quibus non sufficit quòd in hanc sæculi miseriam, miseri miserum induxerint, & peccatores peccatorem in peccato suo genuerint, nisi etiam simul invideant misericordiam, quam consecutus est ab eo, qui non vult mortem peccatoris; & insuper filium gehennæ efficiant.

Quapropter, Dilectissimi, Christi Domini & Sanctorum exemplo instructi, non solùm, ut cœpistis, parentes, & amicos cum mundo universo relinquite; verùm etiam, crebram illorum memoriam, & cogitationes illecebras, deponite: imò generosos ad eò Spiritus concipite, ut mox à Tyrocinio, si Deo ac Superioribus placeret, parati essetis, illos nunquam ampliùs oculis intueri. Deinde casu quo parentes, aut propinqui, vos vel in obsequio divino impedire, vel quod pejus est, à religione avellere, & in mundi procellas ac pericula retrahere molirentur, prædictum odium sanctum concipite & in pectore fovete: *Oportet enim nos Deo magis obedire quam hominibus,* majorèque Deum

complecti amore, quàm parentes. *Qui amat Patrem aut Matrem, plus quàm me, non est me dignus.* Matth. c. 10. Denique si omninò importunitate aut violentià parentes urantur, & ut loquitur S. Hieronymus, Epist. 2. ad Heliodorum; *Conentur in pectore tuo Christum occidere*: tunc ut subjungit idem S. Doctor, *Licet*

parvulus in collo pendeat nepos; licet sparsa crine & scissis vestibus, ubera, quibus te nutrit, mater ostendat; licet in limine Patet jaceat; per calcatum perge patrem; per calcatum perge matrem; & sicis oculis, ad vexillum crucis evola: solum pietatis genus est, in hac re esse crudelem.



EXHORTATIO II. IN REGULAM VIII. SUMMARIJ, Ostendit, amorem carnis exuendum nobis esse, eumque in spiritualem convertendum.

T H E M A.

Si quis venit ad me, & non odit Patrem suum & Matrem suam; non potest meus esse Discipulus. Lucæ. c. 14. 26.

V E L :

Carnis affectum exuat ac illum in spiritualem convertat. Reg. 8.



Uanquam certum, indubitatumque est, Christi Domini Redemptoris nostri cor purissimo, tenerrimoque amore Beatissimæ Virginis Matris suæ flagrasse; nusquam tamen in divinis literis legi-

mus, illum honorifico eam matris nomine compellasse; sed mulieris. *Mulier ecce filius tuus. Quid mihi & tibi est mulier?* Et cur obsecro hoc? Ingeniosè pro more expendit id mellifluus Doctor in rem nostram, Serm. de mutat. aquæ in vinum, dum ait: *Quid mihi & tibi est mulier?* Quid tibi & illi Domine? Nonne quod filio & matri. Quid ad illam pertines, quæris? cum sis benedictus fru-

ctus

Etus ventris ejus immaculati? Nonne ipsa est, quæ salvo pudore concepit, & sine corruptione te peperit? Nonne ipsa est in cujus utero novem mensibus moratus es? Nunc ergo Domine, quid molestus es illi dicens: *Quid mihi & tibi est mulier?* Multum per omnem modum. Ut quid ergo fratres, ut sic quid responderet? Non velut indignans, non ut confundere volens ejus verecundiam; sed utique propter vos; ut *conversos ad Dominum jam non sollicitet carnalium cura parentum, & necessitudines illa non impediant spirituale exercitium.* Quamdiu enim de mundo sumus, debitores nos constat esse parentibus, ac postquam reliquimus nosmetipsos, multo magis ab illorum sumus liberi sollicitudine. Et paulò post, optime ergo nos docuit Dominus, ne solliciti simus super propinquis carnis nostræ plùs, quam religio postulet, quando ipsi matri, & tali matri respondit: *Quid mihi & tibi est mulier?*

Quare in hac exhortatione; cur & quomodo amorem carnis exuere, enim in spiritualem convertere, cognatosque ordinatâ Charitate complecti oporteat, declarabimus.

I. Primùm quod S. Ignatius pater noster postulat postquam quis parentes reliquit, est, ut omnem affectum carnalem exuere studeat. *Curandum est, inquit Reg. 8. Ut omnem carnis affectum erga sanguine janctos exuat.* Non possumus autem carnis affectum exuere, nisi probè sciamus, quid sit amor carnis, aut in quo ille consistat. Quid igitur est amor carnis, de quo sic S. Pater loquitur? Responderet: Affectus scilicet amor carnis

& sanguinis, seu potius amor sensualis est, qui respicit quidpiam, vel ad carnem & sanguinem, vel ad sensualitatem: vel ad conditionem aliquam naturalem spectans. Sic 1. Amor seu affectus carnem respiciens est, si quempiam amore prosequimur, quia ex eo nati sumus; vel si amore ferimur in fratres & sorores, quia ex iisdem parentibus orti sumus: vel quia nepotes sumus & sanguinis aut affinitatis vinculo connectimur: omnia ista fundantur in carne & sanguine. Huc quoque reducitur, dum erga certos, amorem fovemus, quia ejusdem nobiscum sunt Provinciae, Patriæ aut Civitatis. 2. Ad sensualitatem verò pertinet, si ad nonneminem tenerius afficiamur, quia morum suavitate & humanitate est præditus: quia formæ elegantia, nobilitate prosapiæ, cultu vestium elegantiore, aut honorum insignibus decoratus est. Omnia enim ista sensualitatis alimenta sunt. 3. Ad conditionem autem naturalem spectat, si quempiam amore complectimur, quia ejusdem nobiscum humoris, temperamenti, aut complexionis naturalis est, vel ejusdem conditionis, aut status, vel in moribus, aut modo agendi nobis est similis: quæ naturam respiciunt.

Hic porro affectus quaternis potissimum rebus cognoscitur, alitur, & fovetur, 1. Frequenti cogitatione. 2. Crebrâ colloquutione. 3. Literis. 4. Negotiis: quemadmodum ex adversò; dum erga quendam odium gerimus, à cogitatione, colloquio, literis ultro citroque mittendis, aut accipiendis atque à negotiorum cum eorum tractatione abstinemus. Quod si verò

eujus-

cujusdam teneamur amore, præsertim si parentes sint aut sanguine juncti eorum recordatione, alloquiis, epistolis, negotiis plurimum delectamur; nam

1. Libenter crebrâ eorum cogitatione & recordatione occupamur: Ubi Theſaurus noſter eſt, ibidem & cor noſtrum, & animus, & memoria erit. Id quod magnum Spiritui damnum parit: dum vel vanè effert, vel mæſtitia dejicit, vel cogitationes à Deo & divinis avertit: ac proinde parentes, eorum divitias, paupertatem, vitam, mores, filiorum collocationem, facultatum accrementa, fortunam, aut infortunia, identidem animo volvere; alienum eſto ab illo, qui conjunctionem cum Deo affectat, quemque ſollicitum eſſe decet de iis, quæ Domini ſunt; & curare, ut eidem placeat.

2. Elucet amor carnis, & fovetur, præſentiâ & colloquiis crebris, quæ multis pernitiem & ruinam peperere: excitantur enim parentum verbis, lacrymis, geſtibus, & manuum attractionibus, affectus amoris olim ſepulti, naſcuntur affectus gaudii in proſperis; ſollicitudinis verò, triftitiæ & melancholiæ in adverſis; atque ita pax & quies animæ perditur. Quis minùs impedire cognatos & affines ſuos potuit, quàm Chriſtus JESUS? Quis magis potuit aut voluit illos adjurare? Nihilominus, ejus præſentia, & Apoſtolorum, (quorum major pars ei ſanguine aut affinitate conjuncta erat) affectio ſenſualis, profectum eorum, & Spiritûs Sancti adventum impedivit. *ſi non abiero, Paraclitus non veniet ad vos*, inquit Chriſtus. Contrâ ve-

rò Joannes Baptiſta, qui cum Chriſto non convixit; Sed in eremo vitam egit, nec ſenſuali, ſed Spirituali, & perfectiſſimo in eum ferebatur amore, ad ſummam perfectionem, & Spiritûs Sancti plenitudinem pervenit. Hac de cauſa S. Franciſcus Xaverius, ut l. 1. c. 9. vitæ ejus legitur, Româ in Luſitaniam tendens, & inde in Indiam Orientalem profecturus, cum quatuor duntaxat leucis à patrio ſolo diſtaret, adduci nunquam potuit, ut vel paululùm de via deſectens, conſanguineos, imò & ſuperſtitem Matrem ſalutaret: quamvis efflictim id illa ſibi officii præſtari poſtularet; & ipſe noſſet, iſthâc ocaſione dilapſâ, nunquam ſibi ex inde eorundem viſendorum facultatem fore. Id ipſum præſtitit quoque R. P. Petrus Faber cum non niſi quin, à ſolo natali, leucis abeſſet.

3. Scriptione frequenti literarum, affectus carnis nutritur. Scribuntur enim non rarò quæ vel mentis tranquillitatem & malaciam perturbant, variarumque paſſionum fluctus, ac tumultus excitant, ut præteream, multum temporis pretioſi, crebris, prolixisque literis exarandis dilapidari. Præclaro nobis hac in parte præluxit exemplo S. Fundator noſter: dum enim, ut refert P. Tannerus pag. 3. depositis pretioſis veſtibus, indutus ſacco, & ſub vili habitu genus ſuum nobile occultans, domum Lojolæam, unâ cum omnibus paternis bonis deſeruit; omnem ſuorum amorem & cogitationem ita penitus ibi reliquit; ut nihil deinceps de domo & familia ſua reſcire cuperet, nullis ad quenquam de ſuis, toros

totos undecim annos, datis literis: quas verò ab ipsis in fasciculo aliquando, accepit, ut erant, colligatas, neque inspectas in focum injecit.

4. In expediendis parentum aut cognatorum negotiis, dignoscitur quoque & alitur affectus carnis: quod Apostolus vetuit; dum ait: *Nemo militans Deo, implicat se negotiis secularibus.* Si quis è nobis parentum promotiones procuraret, negotia urgeret, controversias forenses dirigeret, testamenta exequi velles; næ is negotiis sæcularibus sese intricaret, & divinis obsequiis subtraheret: *Quod enim ad alia officia confertur, hoc religionis cultui, & nostro officio decerpitur,* ait S. Ambrosius de fuga sæc. c. 2. Si talia Redemptor noster nè quidem in re pia permisit; quantum minus permitteret in rebus mundanis? Veniens enim nonnemo, ad Christi sequelam se offerens, sed prius Genitori parentandi licentiam reposcens: *Domine permittite mihi primum ire & sepelire patrem meum:* à Christo audire meruit: *Sine ut mortui sepeliant mortuos suos: tu autem vade & annuntia regnum Dei,* Lucæ 9. 59. Doctrinæ huic ad amissim sese conformavit Apollonius Anachoreta, de quo Cassianus collat. 24. c. 9. cum rogaretur à fratre secundum carnem, ut se juvaret ad extrahendum bovem præcipitatum; respondit se jam ante annos viginti mortuum fuisse.

Hæc igitur sit una è præcipuis curis nostris in Tyrocinio affectum carnis exuere; omnemque amorem sensualem & naturalem, in carne, sanguine, complexione, forma, patria, aliave re natu-

rali fundatum deponere; ut detrimenta spiritus & profectus spiritualis, ex eo prognata declinemus.

II. Hac verò non contentus S. Fundator, mox alterum, quod requirit, subtextit: ut non modò omnem carnis affectum quisque exuat; verùm etiam, *ut illum in spiritualem convertat.* I. c. Atque hoc est exuere veterem hominem, & induere novum, dum mandatum Dei novum impletur: *Ut diligatis invicem,* amore non alio, nisi spirituali. Quid verò est, affectum carnis in spiritualem convertere? Tunc id præstamus, quando iis, quibus antè carnalia bona volebamus, nunc spiritualia optamus, volumus, ac favemus: quando parentum & cognatorum animabus, omnis generis dona spiritualia, cœlestesque favores desideramus; ac precibus nostris à Deo illis obtinere contendimus: quando omnium bonorum operum nostrorum eos participes reddimus: eosque ineffabili Bonitatis Divinæ, providentiæ commendamus: quin &, si nos vitam Instituto nostro conformem duxerimus, nullatenus dubitandum est, quin Supremum Numen etiam intuitu nostri, ratione peculiari eos adiutorum sit. Cujus rei magnus Dei amicus Abraham exemplum præbet; qui quidem pro cognato suo Loth nihil petiit, & tamen Deus propter merita Abrahæ, illius meminuit, bonisque eum locupletavit. Appositè hanc in rem S. Ambrosius in c. 9. & 12. Lucæ scribit: *Necessitudini generis, divina religionis pietas antefertur.* Addo: *idcirco parentes relinquere debemus, ut magis grati his simus,*

II.
Carnis
affectus
in spiri-
tualem
conver-
tendus.

& eos magis amemus, ut eos meliori modo diligamus, etenim si eos reliquerimus, ut toti Deo tradamur, consequemur precibus nostris, quod Deus illorum miserus, ad salutem eos ducat aeternam, & sic pro vita corporali, quam ab illis accepimus, retribuemus spiritualem & aeternam. Deinde amabimus illos, non dilectione humanâ & sensuali, qua infida toties existit, sed Charitate Dei, qua fidelissima est, & miserum amorem carnalem, elevabimus in spiritualem, per quem plius & fidelius, & constantius, & utilius eos diligimus. Hactenus S. Ambrosius. Idem hoc prudentissimè in Regula citata commendat S. Ignatius. Si verò Tyronum quispiam, præsertim antequam in virtute bene fundatus sit, cognatos adjuvare velit, timendum est, ut veniat usque in Endor, & fiat ut stercus terræ. Hujus rei exemplum tragicum S. Bernardus refert Serm. 64. in Cantica: Vidi ego, ait, hominem incedentem bene, & ecce cogitatio (quidni vulpecula fuit) quantum, inquit bonum, quo solus fruor; si essem in patria, possem utique impertiri Fratribus & cognatis, notis & amicis: amant me; facile acquiescent suadenti. Ut quid perditio hæc? Vado illuc, & salvo multos ex illis, & me pariter: nec verendum in loci mutatione; etenim dum benefaciam, quid interest ubi? nisi quod illic procul dubio satiùs, ubi fructuosius degam? Quid plura? It & perit miser, non tam exul ad patriam, quam canis reversus ad vomitum. Et se perdidit infelix, & suorum acquisivit neminem. Hæc S. Bernardus.

Si tam periculosum est, nondum in perfectione stabilito, Cognatorum sa-

ludem quærere; quanto periculosius, secularia eorum negotia tractare? Id minime nobis eveniet, si carnis affectum in spiritualem transformaverimus; & spiritualibus obsequiis ac precum suffragiis, pro Instituto nostro, eos profecuti fuerimus.

III. His tertium à S. Patriarcha, in Regula dicta requisitum accedit; ut scilicet debitum Charitatis ordinem observemus. Eosque diligant eo solùm amore, quem ordinata Charitas exigit. Ordinata autem Charitas est, quando in amando debitum ordinem tenemus, & illos magis amamus, quos secundùm rectam rationem magis amare obligamur. Magis autem, secundùm rectam rationem, amare oportet eos, quibuscum majorem in Spiritu conjunctionem habemus. Sic, v. g. Primo loco & ante omnia amandus est Deus. 2. Anima nostra propter Deum. 3. Superiores, qui sunt Patres in Spiritu. 4. Reliqui Fratres secundum Spiritum, nempe Patres & Fratres Societatis; & interius quidem illos magis, qui majori perfectione sunt conspicui; exterius autem, æquali omnes benevolentiam prosequendi sunt. Huic tamen non obstat; ut libentius quis recreationis tempore, cum illis versetur, qui magis ædificant, & Spiritum juvant; modò non offendamus alios.

Post hos, amore spirituali completendi veniunt. 1. Parentes, 2. Fratres, sorores, consanguinei. 3. Proximi, apud quos habitamus ex obedientia. 4. Omnes reliqui Christiani. 5. Denique infideles. Ad ordinatam quoque Charitatem pertinet, ut Consanguineorum animam,

III.
Ordo dilectionis servandus.

nitiam, præ corpore diligamus : ut si infelices sint, contempti, infirmi, paupertate pressi, non cupiamus aut petamus aliter eos ab his adversitatibus liberari, quàm prout saluti eorum expedit. Contrà verò, si prosperitate, honore, sanitate, opulentiâ beentur, non alia de causa, gaudio perfundamur; nisi quia inde Deo & Reipublicæ Christianæ utilitas nascitur. In adversis non nimîa tristitiâ obruamur, in secundis non gaudio nimio exultemus; eos laude non nisi moderatâ prosequamur; non libenti animo de illis colloquia miscemus, non de illis inaniter efferamur, & nisi sint sancti, de illis non interrogemus, non crebrò invisamus, non literas frequentes exaremus, sed amori carnali & naturali mortui, solâ Charitate supernaturali vivamus.

Præclarissimum in his charitatis spiritualis specimen S. Pater noster filiis suis exhibuit, de quo in vita ejus meminit P. Ribadeneira L. 2. c. 5. Quando multis de causis Sociorum suorum suavis in patriam proficiscebatur; appropinquanti mox Fratres & cognati obvios misere, qui eum in arcem suam Loyolam adducerent: verùm id minimè ipsi persuaderi potuit; sed Aspeithiam ad oppidum Loyolæ vicinum perrexit, ubi Clerus, populûsque, supplicabundus, tanquam viro sancto, ante oppidi ingressum occurrit. Fratres quoque & propinqui, non modò demissè rogârunt, sed & adjurarunt quodammodo; ut Loyolam secum concederet: at nullis precibus, nullis rationibus aut sua-

tionibus locum dedit: ad Xenodochium & pauperes divertit. Quo deinde Fratris ejus uxor lectum magnificè exornatum, supellectilem, cibum & omnia viro nobili digna manu liberali submisit: sed neque lecto uti, neque cibo vesci sustinuit; verùm hoc in pauperes distributo, ipse humi somnum carpsit, & pane emendicato victitavit. O specimen prorsus illustre abnegationis carnis & sanguinis! quod meritò nobis ruborem injiciat, atque exuendum carnis affectum, eumque in spiritualem commutandum, ordinemque charitatis observandum inflammet!

Quocirca, Charissimi, exemplo Christi Domini & S. Patris nostri Ignatii, aliorumque plurimorum, animati, omnem carnis & sanguinis affectum & inordinatum erga parentes & cognatos amorem exuere conemur: & crebram memoriam illorum, crebram allocutionem, sermone, conversationem & negotiorum executionem devitemus; quæ grandia Spiritui detrimenta pariunt. Deinde puro, sincero ac spirituali amore eos in Domino amplectamur; ferventibus precibus, bonis operibus & religiosæ vitæ cursu eos adjuvemus, plûsque illis emolumentum spiritualis adferemus, quàm rebus aliis adiaphoris, vel illis, vel nobis, vel utrisque nocivis. Denique ordinatâ illos dilectione prosequamur; hæc viâ, famulis Deo dignis, charisque Christi discipulis ac Sociis accensebimur.



EXHORTATIO III.

IN REGULAM VIII. SUMMARI.

Explicat tres causas, seu modos parentes, & omnia
mundana relinquendi.

T H E M A:

*Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo
in Deo. Ad Coloss. 3, 3.*

V E L:

Vt qui mundo mortuus, Christo Domino nostro soli vivit. Reg. 8.



Utorque Christi Domini amore parentes, cognatos, & Mundi bona relinquunt, & odio sancto prosequuntur, multiplici à Deo benedictione complentur. Hanc benedictionem consecuti sunt Levitæ Fratres & cognatos, iussu Dei, trucidantes; iuxta Domini promissum: *Ut detur vobis benedictio. Exodi 32.* Hanc benedictionem affecuta fuit Regina, cui dictum, *obliviscere populum tuum, & domum patris tui Plam. 44.* Placuit enim Regi, & con-

cupivit Rex decorem ejus. Hanc benedictionem copiosè promeruit excellentissimâ obedientiâ, & mortificatione amoris erga patriam & cognatos, Patriarcha Abraham. Gen. c. 12. Dum promptè patriam deseruit, quamvis nesciret quò pergeret, totâque vitâ suâ peregrinatus est in terra Chanaan, omnem erga sanguine junctos affectum exuens. Cajetanus septenas ejus recenset benedictiones, ipsi à Deo promissas & præstitas. 1. Erat principatus & paternitas magnæ gentis: *Faciámque te in gentem magnam.* Gen. 12. 2. Copia frugum & opum: *Et benedicam tibi.* 3. Celebritas & gloria: *Et magnificabo nomen*

nomentum; ut sit celebre cunctis sæculis. 4. Complexio omnium benedictionum: *Erisque benedictus*. 5. Non solum ipsi, sed & amicis ejus data benedictio: *Benedicam benedicientibus tibi*. 6. Iplius verò hostibus maledictio inflictæ. *Maledicam maledicentibus tibi*. 7. *In te benedicentur omnes cognationes terræ*. Scilicet in Christo ex te nascituro, ut exponit S. Paulus ad Gal. 3.

Hæc beneficia corporalia, quæ parentes, patriamque deserentibus promittuntur, Religiosis, parentes, mundumque universum, Christi amore, relinquentibus, benedictione spirituali abundantius conferuntur: sed ad hoc præter quinque puncta binis exhortationibus præcedentibus explicata, tria insuper requiruntur, quæ sunt vel effectus, vel causæ, vel modi perfectè parentes ac mundum relinquendi, & à S. Patre Regula 8. allegantur, suntque ista: 1. *Ut qui mundo & amoris proprio mortuus*. 2. *Christo Domino nostro soli vivit*. 3. *Eumque locò parentum, fratrum, & rerum omnium habet*. Quæ tria, præsentè exhortatione enucleabimus.

I. Primum motivum, seu causa parentes, cognatos, & omnia mundi bona relinquendi, & odio sancto prosequendi est mors civilis Religiosorum: *Ut*, (sive tanquam) *qui mundo mortuus*, ait S. Ignatius, Reg. 8. *Mortui estis*, exclamat Apostolus, *& vita vestra abscondita est, cum Christo, in Deo*. Ad Coloss. 3. *Mortui estis*, per ingressum in religionem; Mundo, Carni, Sanguini, peccato, vitæ veteri & conversationi mundanæ: *& vita vestra* præsens, religiosa, pia, cum virtutibus & gratiâ, quas posside-

tis & gloriâ, quam expectatis, *abscondita est* ab oculis mundi, hominumque mundanorum. Si ergo mortui estis mundo, & carni & sanguini, erga ea instar mortuorum, vos geratis oportet. Quæ verò ratione instar mortuorum vos gerere poteritis? Explanat id S. Chrysostomus hisce verbis: *Quis non videt, mortuos quidquid circa se gerant nec exultare, nec affligi*. Cadavere Filii præsentè, Patens elevetur in thronum, & diadema te coronetur, *mortuus non exultat*: Patens idem privetur sceptro, exturbetur è regno; *mortuus non affligitur*. Pari ratione Societatis Religiosus erga parentes & res mundanas se habeat. Parentes augeantur honoribus, prosperentur divitiis, omnibus deliciis ad votum affluant, Religiosus non exultat: Parentes, fratres, sorores, nepotes, & sanguine propinquo juncti redigantur ad incitas, priventur dignitatibus, honoratisque officiis, obruantur litibus, morbis, infortuniis & adversitatibus; quin & è medio tollantur & morte cadant: Religiosus tamen eapropter non affligitur; nullas istæ in corde ejus perturbationes cient; quia mortuus est. En ideam; en imaginem symbolicam quam crebrius inspexisse juvabit. Si in Mundi Ægypto relictus, post multos exantlatos labores, diem vestrum obiissetis; ad cadaver vestrum accessissent, parentes, fratres, sorores, amici; sed hoc nec illos aspexisset, nec ullam ex eorum præsentia gaudium percepisset: varios coram cadavere, de rebus mundanis sermones intulissent: at hoc nec audiisset, nec ullâ voluptate, desiderio, aut amore captum fuisset: quia cadaver, quia corpus

mortuum exitisset: simili modo, erga Parentes & cognatos vos gerite.

Deinde addit S. Pater, *Ut qui mundo, & amori proprio mortuus.* Sunt quidem illa plerumque connexa: quoniam mundo mortuus est, etiam amori proprio mortuus est; quia tamen in regula conjunguntur, paucis exponenda sunt. Quidnam igitur est amor proprius, cui mori nos decet? Amor proprius est complacentia in bono proprio: bonum autem proprium est id, in quod superbia, vel sensualitas nostra fertur, contra, vel præter dictamen rectæ rationis: ideo dicitur proprium, quia sic convenit nobis, ut non conveniat Deo & communitati. Ejusmodi autem bona propria recensentur duplicis generis; alia pertinent ad honorem, dignitatem, excellentiam, præminentiam, ambitionem, pompam, & similia. Alia verò spectant ad sensualitatem, voluptatem, tractationem, recreationem, evagationem, libertatem, & amicitiam particularem. Quæ S. Maria Magdalena de Pazzis p. 4. vitæ c. 34. geminos amoris proprii oculos nuncupabat; propriam scilicet reputationem & proprium commodum, qui serviantur; amorem proprium haud esse reformidandum. Ita est: uterque hic oculus evellendus est, utrique generi moriendum, idque per mortificationem continuam, & per partes, atque paulatim: ut quemadmodum in homine jam deposito ac mortis victima, primò emoriuntur pedes, deinde manus, tum oculi ac postea aures, nares, ac tandem ipsum met cor: ita sensum per partes in nobis

comprimendus ac subigendus amor proprius; donec è cordis sinu expellatur ac penitus occumbat.

Quòd si autem dicto modo, & mundo & amori proprio defuncti fuerimus; ita ut nec mundi laudes & honores; nec carnis commoda, ac sensualitatis fomenta quæsierimus, nullo negotio inordinatum parentum, agnatorumque affectum exuemus, eumque in spiritualem, rectèque ordinatum commutabimus.

II. Alterum motivum; inordinatum erga parentes ac propinquos affectum ponendi, à S. Patre allegatum, est, quia *Christo Domino nostro vivit.* Unde hæc ratione licet arguere: Si soli Christo vivit; parentibus ac mundo non vivit. Religiosus autem genuinus Societatis Jesu, soli Christo vivit: illi uni vivit memoria, Christum cogitando: illi vivit intellectus, Christum meditando: illi vivit voluntas, Christum amore complectendo: illi vivit oculus, auris, manus, pes, pectus & omnia, Christo serviendo, & pro ejus gloria laborando. Ac proinde non vivit mundo, quia vitalia mundi opera non exercet, non quærit divitias, non ambit honores, non fertur desiderio, in ulla mundi bona: Non vivit quoque carni; quia carnis voluptates non sectatur, iis præsentibus, gaudio non perfunditur, sed potius cruciatur: non vivit sibi & concupiscentiis suis, quia eis non obedit, iisdem non delectatur, nec contra Dei legem fruitur: nec ulli creaturæ vivit; quia omnia reliquit. Liquet igitur, quòd soli Deo & Domino nostro Jesu Christo vivat; cui se

omnem

II.
Mori-
vum, qui
Christo
soli vi-
vimus

omnemque vitam suam ex asse consecrat.

Quam bellè igitur ejusmodi Religiosus Doctoris Gentium doctrinam & consilium amplectitur, 2. Corinth. 5. 25. datum: *Ut & qui vivunt, jam non sibi vivant; sed qui pro ipsis mortuus est. Non sibi vivant.* Id est, non suæ gloriæ, non suæ voluntati, non suæ voluptati; sed Christo, qui pro ipsis mortuus est, & morte suâ eos redemit; ac redemptionis jure sibi servos effecit: ideoque, quemadmodum servus, non soli laborat, non sibi vivit; sed Domino: ita Religiosus soli Christo Domino suo laborat ac vivit; & verè cum Apostolo asseverate valet: *Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Christus; & ego vivo Christo: & anima mea illi vivet. Debet enim, ut ait S. Anselmus, anima humana in se deficere, & proficere in Christo, qui mortuus est, ut nos moriamur peccato; & resurrexit, ut ad justitia opera resurgeremus: & quid est aliud, non sibi, sed ei vivant; quàm ut, non secundum carnem vivant, in spe terrenorum & corruptibilem honorum; sed secundum spiritum, in spe resurrectionis, qua jam ex ipsis in Christo facta est?* Si igitur soli Christo vivimus, consequens est, ut carni & sanguini, amorique proprio non amplius vivamus.

Veluti S. Apostolus l. c. 5. 18. mox subjungit: *Itaque nos ex hoc neminem novimus, secundum carnem: scilicet quod sit nobis cognatione aut amicitia junctus, ex eadem Hebræa stirpe progenitus, stemmatis nobilitate, formæ elegantia, doctrinæ excellentia exornatus: Ne, inem novimus secundum*

ista: his & affectibus naturalibus mortuus sum, quia in Christo regeneratus, illi soli vivo, ipsum solum, & omnes in ipso, secundum charitatis spiritum, non secundum carnem, diligo: hominibus placere non quero, laudes & gloriam humanam non desidero; sed solius Dei, cui uni in omnibus placere fatago. Occasionem hujus dicti sui desumpsit Apostolus ex eo, quod Pseudoapostoli, & æmuli ipsius, gloriarentur, se esse Hebræos, & semen Abrahæ; eaque de causa tacitè eos perstringit, asseritque se neminem nosse, in quo gloriatur secundum carnem, seu carnalis propinquitatis & amicitia ergò; nequidem in ipso Abraham. In quoniam igitur? *Gloriamur in Christo Jesu, & non in carne fiduciam habentes.* Ad Philip. c. 3. 3.

Pari modo Religiosi Societatis, Pauli amulatores se exhibent; viventes soli Christo, qui pro ipsis mortuus est; & ex anima dicunt: *Nos ex hoc* (quo Religioni nomen dedimus, & Christo vivere cœpimus) *neminem novimus secundum carnem.* 2. Corinth. 5. 16. In nullo illorum gloriamur; sed in Christo Jesu: nulli illorum vivimus, nulli servimus aut laboramus, nullius amore inordinato occupamur; à nullo quidquam lucri, aut commodi, aut boni temporalis speramus; sed à Christo Jesu bona æterna & cœlestia, nos obtenturos confidimus.

III. Tertium motivum à S. Patri-
archa propositum, affectum carnis,
erga sanguine junctos, exuendum sua-
dens, est, *Quia Christum Dominum lo-
co parentum, fratrum, & rerum omnium
habet.*

III.

Motivum
quia Chri-
stum loco
parentum
& rerum
omnium
habet.

habet. Quid obsecro à parentibus ac propinquis, mundoque universo præstolamur, quod millies abundantius, à Redemptore nostro, omniis boni fonte inexhausto expectemus? Quidni igitur huic uni vivamus, illique toto mentis affectu inhæreamus; quem parentum & omnium loco tenemus? Ipse in primis nobis loco Patris est: ut enim Isaias testatur, est *Pater futuri sæculi*; qui nos gratiæ filios efficit; & gloriæ, beatitudinisque suæ in futuro sæculo hæredes instituit, plùs quàm paterno amore nos complectitur; mortem pro nobis Filiis suis acerbissimam & ignominiosissimam oppetens, ut nobis vitam æternam promereretur. Deinde est nobis loco matris; quia nos quasi in utero portat, tanquam mater indulgentissima fovet, nutrit, lactat, mundat, consolatur, & singularem nostri providentiam gerit, nostrique aspectu, quasi filiorum, tenerrimè delectatur; quos, velut gallina pullos, sub alas congregat, atque à milvis stygiis defendit. Tertio est loco Fratris: est enim *primogenitus in multis fratribus*. Hinc sponsa Cant. 8. ad eum vehementer anhelat, dicens, *Quis mihi dedit Fratrem meum?* Quarto est nobis loco *rerum omnium*. Quid enim in illo, in quo omnia, per quem omnia, ad quem omnia, non reperimus? Si in tenebris versamur; ipse lux est, *lux vera, illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum*. Si pacem amamus, *Ipse est pax nostra, Princeps pacis*. Si in tristitia ac mœrore versamur, ipse est paracletus & consolator noster. Si iustitiam desideramus; *Iustus Dominus,*

& iustitias dilexit. Psal. 10. 8. Si sapientiam capimus: ipse est *sapientia Patris, Verbum patris, fons sapientiæ, verbum Dei in excelsis*. Si sanctitatem volumus: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum.* Isaia c. 6. 3. Si dirigi, & gubernari optamus; *Ipse reget nos in sæcula.* Psal. 47. 5. Ipse denique est Rex noster, Dominus noster, Creator noster, Conservator, Protector, Legislator, Salvator, Thesaurus noster, Gloria nostra, Beatitudo nostra, Merces & Corona nostra, verbo, Unus est omnia.

Quæ si perpenderit, quis non libens parentes & cognatos ab amore & perfectione retrahentes relinquit, nihilque commodi aut lucri ab eis speret, ut omnia in Christo, omnium bonorum fonte abundantius habeat? illamque loco rerum omnium plenè possideat.

Quæ cum ita sint, dilectissimi, si cœlestem benedictionem à Domino obtinere cupiatis, parentes & cognatos, sicut effectu, ita & effectu relinquit, sanctoque eos odio prosequimini; affectum carnis exuite, eum in spiritualem convertite, & eo solùm amore, quem charitas ordinata requirit, diligite: juvabit ad hoc, si crebrò mente revolveritis, vos mortuos esse mundo, & amori proprio, qui aliàs remora est, navem in cursu perfectionis retardans ac defigens: proderit, si soli Christo vivatis, eumque loco parentum, & omnium rerum habeatis. Quod si feceritis, benedictiones in exordio recensitas, modo spirituali referetis: 1. Patres spirituales omnium, quos in fide & doctrina Christi instruitis, evaderis. 2. Benedicatio-

nedictionibus spiritualibus omnibus & cognati vestri benedictione cœlesti re-
centuplo in temporalibus ditabimini. plebuntur. 6. Inimici verò maledictio-
3. Nomen vestrum in cœlesti gloria neferientur. 7. Omnes denique om-
magnificabitur. 4. Complexione do- nium operum bonorum fructum
norum variorum, & cumulo gratiarum copiosè participa-
locupletabimi. 5. Amici quoque & bunt.



REGULA IX. SUMMARI.

DE MANIFESTATIONE DEFECTUUM.

EXHORTATIO

IN REGULAM IX. SUMMARI.

Ostendit utilitates ex defectuum manifestatione promanantes.

T H E M A.

*Ne reverearis proximum tuum in casu suo, nec retineas verbum
in tempore salutis. Eccli. 4.*

V E L

*Contentus esse quisque debet, ut defectus ipsius Superio-
ribus manifestentur. Reg. 8.*



Ratia Instituti nostri illa in nobis operatur gratia Instituti
Societatis Filios non nostri? Ita sanè: illa enim efficit nos ha-
ab similes reddit qua- bere faciè hominis, virtute ac perfectio-
tuor animalibus, à ne præditi, & faciè leonis, Leonibus
Propheta Ezechiele, Infernalibus terribilis, idque à dextris,
Deo revelante, com- Id est invirtute Del, à qua omne robur
spectis cap. I. Similitudo vultus eorum e- nostrum. A sinistris: efficit nos habere faci-
rat faciè hominis & faciè leonis, à dex- cièm bovis, se totum per mortificatio-
tris ipsorum quatuor; & faciè bovis à si- nem Deo in sacrificium immolantis, id-
nistris ipsorum quatuor; & faciè aquila que à sinistris, ut ad sinistram partem
desuper ipsorum quatuor. Et totum corpus trahentia, mortificentur. Denique faciè
oculis plenum in circulo. An non omnia em aquilæ desuper, ad puritatem &

Gg clari.

claritatem solis justitiæ respicientis: *Et corpus totum oculis plenum in circuitu*, nos habere facit; quotquot enim in societate degunt, oculos in se mutuò apertos gerunt, ut defectus, quos notârint, Superiori aperiant; quo is pro paterna sollicitudine suâ medelam adhibeat.

Quantæ verò utilitates ex hac defectuum manifestatione enascantur, in præsentî declarabimus.

¶
Utilitas
manifesta-
tionis de-
fectuum est
profectus
in spiritu.

I Utilitatem primam ex defectuum insinuatione scaturientem, indicat S. Fundator in regula, dum ait: *Ad majorem in spiritu profectum, contentus esse quisque debes, ut defectus eius Superiori manifestentur.* Unum membrum vitio laborans, facile inficit alterum, nisi cura adhibeatur: *cogitemus*, ait R. P. Claudius Aquaviva in epist. de perfect. & Charitate *ex nobis univèrsis corpus unū coagmentari, eamque esse membrorum inter se consensionem, ut unicuique pertimescendum sit, suo ne vitio, in reliquum omne corpus aliquid redundet periculi.* Pari ratione pertimescendum nobis est, ne ex Fratris vitio damnum periculūve in corpus redundet, nisi manifestetur & corrigatur. Si ergo, ut inquit Apostolus *pro invicem sollicita sunt membra*, ut si pedi vulnus inflictum sit, mox oculi inspiciant, manus palpent, caput & corpus se inclinent, os & lingua chirurgum acciri jubeant: Et nos corporis mystici membra invicem curam gerere decet, ne ex unius membri infectione, reliquum corpus lædatur. Hac de causa requiritur *totū corpus plenum oculis in circuitu.* ad emendationem, ad profectum in spiritu, ad Fratris, totiusquæ Communitatis emolumentum,

Major in spiritu ac virtute profectus haud dubie nascitur ex defectuum emendatione, & minor in spiritu profectus, ex defectuum negligentia & dissimulatione oritur: quis autem non perspicit, si defectus Superiori aperiantur, nos longè melius juvari, faciliusque curari; quomodo enim Superior in subdito emendabit, quod ignotat? Exemplum habemus in filiis, qui nonnunquam vulnere, aut defectu occulto laborant, eumque vel ex metu, vel ex pudore Parenti aperire negligunt: & quanta hinc non rarò pericula profluunt? Potest enim accidere, ut vulnus neglectum gangrænam contrahat, eaque contractâ, faucibus pedes amputandi periculum præsens incurrat: cum è contrario, vulnus initio defectum, mediis adhibitis, nullo negotio curatum coaluisset. Ita pariter in vulneribus, morbisve spiritualibus, ex revelationis defectu, ingentia nonnunquam detrimenta enascuntur: neque enim Medicus curat, quod ignorat.

Deinde *ad majorē in spiritu profectū*, mirificè conducit hæc defectuum manifestatio; quia Superior subditos potest à relapsu præservare, pericula imminetia amputare, occasiones labendi præcavere: est enim non duntaxat Animarum medicus, sed etiam Navarchus & Gubernator, in hac periculosa, ad æternitatis felicitis portum, navigatione, cui subditus animæ suæ cymbam tutò committit. Jam verò si Navarchus, omnia secunda censeat, præsentia Scopulorum, Voraginum, vadum pericula nesciat; quis non cernit, quæ in discrimina navicula ejusmodi præcipitur: Gu-
ber

bernator navem strenuè progredi autumat, & suas illa latentes paritur remoras echeneides, quæ detineant, cursumque sufflamint: Gubernator carinam integram, & illæsum esse non ambigit, & varia illa fissuras & rimas agit; per quas aqua sensim perstillat, & navè tandem in profundum demergat.

Atque ob hanc eximiam utilitatem, virtutisque profectum, Sacri Doctores, & Ordinum Fundatores, manifestationem illam tam sedulo commendarunt. S. Basil. in reg. fusius disp. interrog. 46. ait. Quidquid est autem, in quo peccatur, id referri ad Antilitem debet; sive ab eo qui peccatum admisit, sive ab iis, qui conscii sunt, si illud ipsi curare non possint, & mederi eo modo, quo præceptum est à Domino, quando vitium dissimulatum, morbus est in animo oblitescens & supputris, qui etiam propterea incurabilis efficitur. Quemadmodum igitur nullo modo de nobis bene meritum illum diceremus, qui pestifera corpori nostro includeret, sed eum potiùs qui cum cruciatu, quod noxium esset, expelleret, atque è corpore extunderet. Ita pariter &c. Consentit Basilio D. Augustinus, in Regula sic loquens: Nec vos iudicetis esse malevolos, quando hoc indicatis, magis quippe innocentes non estis, si fratres vestros, quos indicando corrigere potestis, sacendo perire permittitis; si enim frater tuus vulnus haberet in corpore, quod vellet occultare, dum timet seculi, nonne crudeliter à te sileretur, & misericorditer indicaretur? Quanto potiùs ergo debet mani-

festari, ne deterius putrescat in corde, & tu vulnus fratris contemnis; tu eum perire vides, & negligis; pejor es tacendo, quàm ille committendo. Humbertus etiam super Regulam ejusdem Augustinicitat c. 99. S. Gregorium dicentem: Qui proximi mala conspiciunt, & silentio premunt, quasi conspectis vulneribus, usum medicaminis subtrahunt, & eò mortis authores sunt, quò vulnus, quod curare poterunt, nolunt. In Constitutionibus S. Domnici sic cavetur dist. 1. c. 17. n. 3. Ne autem vitia occultentur, Prælato suo quilibet denuntiet, quod viderit, vel audierit. Et rursus c. 18. Si quis autem tale quid extra monasterium commiserit, frater qui cum eo est, studeat ejus excessum Prælato quantocyus corrigendum intimare. In constitutionibus etiam Minorum, approbatis tempore S. Bonaventuræ sic edicitur c. 7. §. 4. Teneantur Fratres per obedientiam exeuntes, in reditu suo secretè Guardiani excessus notabiles intimare. Additur etiam, si per confessionem, & alià viâ defectum resciat, non esse contra sigillum, etiam tunc defectum Superiori manifestare, doctrinam verò oppositam, non sanam sed pestiferam esse, quæ cedere potest in detrimentum Ordinis, & præjudicium disciplinæ regularis, Idque sententiâ totius Capituli Generalis definitum.

Quare, hoc accuratè servemus, ut defectus Fratris, si vel ipsi, vel communitati, vel externis noxi, & vel maximè, si sint scandalosi, quantocyus Superiori pro correctione re-

regamus. Nemo dicat: *Nunquid custos fratris mei sum ego.* Gen. 4. Hæc vox pessimi Cain est, vox homicidæ est: *Vnicuique enim mandavit Dominus de proximo suo: & Vx his qui in viam Cain abierunt.* Defectus ob occultationem non correcti, sæpius rotam communitatem inficiunt, veluti ex una ove morbida grex totus destruitur: vel saltem profectum in Spiritu retardant.

II.
Secunda utilitas est profectus in humilitate.

II. Alteram manifestationis defectuum utilitatem S. Ignatius hisce verbis in Regula exprimit: *Præcipue ad maiorem submissionem & humilitatem propriam*; ad quam defectuum nostrorum apud Superiorem manifestatio plurimum conducit, ut demissionis gradus considerant liquet. Primus humilitatis gradus sui cognito, statuitur: an non ad hanc iurat, defectuum manifestatio, & Superioris correctio, dum sæpenumero, ad defectus proprios cæci sumus vel amore proprio ducti, eisdem excusamus? Secundus gradus est fuga laudis ac honoris: an non ad hanc quoque confert errorum & delictorum denudatio; quæ sanè laudem non parùm immittuat? Tertius gradus est: desiderium contemptus: quid magis contemptum promovet, quam vltiorum & à nobis perperam actorum declaratio, ob quam à Superiore, tanquam procul à perfectione distantes, defectibusque obnoxii monemur; & quandoque publicè non absque confusione reprehendimur? Quartus gradus est, defectus proprios animo libenti detegere, nec, si detegantur ab aliis, indignè ferre: *Humilitatis filia est sui accusatio*, ait S. Dorotheus Doctrina 2. An non huius gradus occa-

sionem & anam exercitii præbet fraternam apud Superiorem tanquam Patrem delatio? Quintus gradus est silentium in confusionibus, in accusationibus & increpationibus, in reprehensionibus & increpationibus. *Humilis, accepta confusione, satis bene est in pace, quia stat in Deo, & non in mundo*, ait Thomas Kempensis L. 2. c. 3. An non ad hoc rursus adjuvat Regula, in delatione quemque contentum esse iubens? Si enim contentus fuerit, silentium servabit, querelas & obmurmurationes fugiet, & in pace tranquilla subsistet. Verissimum igitur esse cernimus, defectuum manifestationem, ad submissionem humilitatemque non parum conferre; ac proinde animo pacato, ac volenti acceptandam exemplo S. Gregorii M. de semetipso asseverantis: *Ab omnibus corrigi, ab omnibus emendari paratus sum, & solum mihi amicum asstimo, per cuius linguam, ante districti iudicis apparitionem, mea maculas mentis tergo.*

III. Accedit & nova ratio, atque utilitas Religiosos Societatis præcipue tangens: cum enim horum sit, diversa loca peragere, & habitare in omnibus mundi plagis, inter fideles & infideles, inter orthodoxos & heterodoxos, ad procurandum auxilium animarum; an non à Superiore mittendi, necessariis documentis & consiliis sunt præmunendi? Quomodo autem præmuniuntur; si iis non fuerint perspecti, si eorum defectus absconditi? An non inde nasci poterit, ut variis defectibus obnoxii, si procul ab oculis Superiorum, & quidem nonnunquam soli, mittantur &

III.
Utilitas melior Superiorum directio.

cum

eum cujusvis sexûs & conditionis hominibus conversari jubeantur, ut in æternæ salutis discrimen manifestum adducantur? Deinde an non ipsa Societas infamæ notam incurreret, si parum notos, perspectosque in missionum pericula conjiciat? Quò igitur Superiores, ita necessitati missionum consulant, ut corpori Societatis, nec honoris nec famæ detrimentum pariant, necesse est, mittendos probè cognoscere, eorum propensiones, passionés, vitia & defectus non ignorare, ne in pericula dicta devolvantur. Ad hoc verò defectuum & errorum manifestatio, commodum adfert maximum. Ex quibus rursum elucet, quanta utilitatis, Imò & necessitatis in Societate sit ejusmodi detectio errorum, ne vel personæ, vel ipsa Societas detrimentum patiantur.

Patet quoque delatores non odio habendos; sed tanquam amicos ac benefactores colendos; rectè enim asserit S. Augustinus: *Plus amat objurgator sanans, quàm adulator dissimulans.* Et rursus: *Non omnis qui parcat amicus est; nec omnis qui verberat inimicus: quia qui phreneticum ligat, & lethargicum excitat, ambobus molestus, ambos amat: at quamdiu sunt agra indignantur; sed ambo sanati gratulantur.* Hinc quoque rectè colliget, quisquis amore proximæ, delicta manifestat; metu cujusdam offensæ, ab hoc charitatis officio non resiliendū. Eâ constantiâ & mente excelsa fuit S. Petrus Damianus, ut omni carnis sensu, voce mundi, & amore proprio contemptis, quidvis subire maluerit; quam hoc charitatis munere non perfungi: ait

enim c. 25. Gomorchiani: *Malo quippe cum Joseph, qui accusavit Fratres apud Patrem criminæ pessimo, in cisternam Innocens projici, quàm cum Heli, qui filiorum mala vidit, & tacuit, divini furoris ultione mulctari: cum enim per os Prophetæ divina vox terribiliter comminetur dicens: Si videris fratrem tuum inique agentem, & non corripueris eum, sanguinem ejus de manu tuâ requiram. Quis ego sum, qui in sacro Ordine videam tam pestilens facinus inolescere, & velut homicida alienæ animæ, servatâ censurâ silentii, divinæ distinctionis audeam ratiocinium expectare? & illius reatûs fieri incipiam debitor, cujus nequaquam Author existeram? cum Scriptura dicat: malè dictus qui prohibet gladium suum à sanguine? Gladium autem à sanguine prohibere, est correctionis verbum, à carnalis vitæ percussione compescere.*

Verùm oggerit non nemo: Christus in Evangelio Matth. 18. jubet: *Si peccaverit in te Frater tuus, corripe illum inter te & illum:* Non autem præcipit indicandum Superiori: an non igitur hoc esset correctionis ordinem, contra Evangelium, invertere? Sed palam est, hoc Christi Domini dictum in variis non obligare. Et quidem 1. Quando peccatum fratris est publicum. 2. Quando correctio privata non sufficit ad emendationem. 3. Quando correctio à Prælato, efficacius facienda existimatur. 4. Cum delictum in aliorum, aut etiam totius communitatis detrimentum cedit. 5. Cum quis ingrediens Religionem, utpote Dominus famæ suæ, ejus dominium in Religionem transfert, & quoad

ordinem correptionis Evangelicæ, juri famæ cedit: prout omnes in Societate solent; dum se ad regularum observantiam paratos, contentosque profitentur; quas inter & hæc clarè proponitur.

Neque instes leves esse defectus tuos, adeoque manifestatione minimè opus esse. Non asserimus, levissima quæque semper ad superiores deferenda prudentia dictabit, quid factò opus. Leves enim defectus, præsertim in consuetudinem deducti, ac crebrò repetiti, magnopere obesse queunt, & origines esse delictorum majorum. Deinde parva scintilla magnum sæpe excitavit incendium.

Quapropter, Charissimi, quandoquidem defectuum nostrorum apud Superiorem, ex Charitate facta manifestatio, tanta nobis commoda parit. Tum ut in Spiritu, ac virtute promoveamur, tum ut in submissione & humilitate conservemur; tum etiam ut notè perspicique Superioribus, in missionibus difficilibus, periculis æternæ salutis, aut decoris Societatis, optimæ Matris nostræ non exponamur: animo libenti nostrorum errorum delationem toleremus; hæc enim viâ, vulnera nostra, à peritâ Superioris, tanquam Chirurgi

manu sanabuntur; & à subsequituris lapidibus, velut à Governatore præservabimur. Deinde in demissione animi persistabimus, quando errores nostros & nos ipsi & Superiores perspiciemus. Ne igitur Manifestatores, oculis torvis intueamur, nec eos, inimicis, sed amicis annumeremus, non detrimenta nostra sed commoda & emolumenta Spiritûs unicè quærentibus. Nes nos in Lethargo excitantes, aut in phrenesi ligantes & constringentes odio, verbisque contumeliosis infestemur; sed grates rependamus, & benevolentiam exhibeamus: maculas nostras tergentibus, vulnera curantibus, misericordiam exhibentibus. *Sicut enim crudelis est qui vulnus in corpore fratris celat, crudelior vero qui vulnus peccati in anima Fratris non indicat, sic è contrario culpas detegenti magna, ut ait Hugo Victorinus in Regulam S. Augustini, Merces ab omnipotenti Deo debetur, qui dixit, Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam Dei consequuntur. Et Jacobus ait: Qui conversi fecerit peccatorem ab errore via sua, salvabit animam suam à morte, & operiet multitudinem peccatorum.*





REGULA X.

DE CORRECTIONE FRATERNA.

EXHORTATIO

IN REGULAM X SUMMARI.

Explicat condiciones Fraternalis correctionis.

T H E M A.

Vos qui spirituales estis, huiusmodi instruite in Spiritu lenitatis, Ad Gal. 6,

V E L

Boni etiam consulant ab aliis corrigi, & ad aliorum correctionem iuvare. Reg. 10.

Ecclesia in terris, non secus atque Hierosolyma caelestis, elegans quoddam templum representat, in quo Sanctissima Trinitas, laudibus extollitur, adoratione colitur, obsequiis honoratur. Templi huius lapides, fideles sunt; & lapides politi, homines iusti atque perfecti, Qui ut aptis juncti nexibus, locentur in fastigio, multâ rursus percipiendi, multo labore celandi, magnâ industriâ aptandi ac poliendi sunt. Eum in finem operi huic manum industriæ admover, Po-

tentia aeterni Patris, Sapientia Verbi; Charitas Spiritus divini, interpellatio Christi, intercessio gloriosae Gemitricis Dei, ac beatarum & iustarum mentium Chori, in terris verò, Superiorum, nos regentium, imò & aequalium & inferiorum vigiles oculi: Omnes hi perfectionis nostrae opus promovent; ut merito de quovis Societatis nostrae Religioso asserere valeamus, quod de sancto Sanctorum & iusto Justorum Zacharias Propheta affirmavit, c. 3. *Super lapidem unum septem oculi sunt: ecce ego calabo sculpturam eius, ait Dominus, exercituum. Nimirum oculi Dei Patris, Oculi JESU Christi,*

Christi, oculi Spiritus sancti, oculi beatissimæ Virginis, Oculi S. Angeli Custodis, Oculi Superiorum nostrorum, & oculi æqualium, scilicet Fratrum nostrorum, qui omnes super lapidem unum, seu quemvis ex nobis sunt intenti, ac vigiles: sic enim Providentia divina salutis justorum negotium disposuit, ut alter alteri manum auxiliatricem præberet; atque in cælando, corrigendo, poliando, ac tundendo adjuvaret.

Quâ verò ratione cælatura & correctio illa perfici debeat, præsentis exhortatione declarandum erit.

Præsens Regula tria insinuat verbis sequentibus: *Boni etiam consulant, ab aliis corrigi, & ad aliorum correctionem juvare ac manifestare sese invicem sine parati, debito sum amore & charitate ad majorem Spiritus profectum, præsertim ubi à Superiore, qui illorum curam gerit, fuerit ita præscriptum ad majorem Dei gloriam.*

I.
Acceptatio
correctio-
nis.

I. Primum hâc Regulâ commendatum est, placida admissio correctionis. *Boni, inquit, etiam consulant ab aliis corrigi.* Sive is, qui corrigit: atque admonet, sit Superior, sive alius ab ipso commissionem nactus, & Superior subordinatus, sive aliquis ex Fratribus. *Boni consulant;* & benignè admittant correctionem & reprehensionem; non investigent, quis rem ad Superiorem derulerit, non suspitione aut judicio temerario agantur, non ægrè ferant, aut indignentur, succenseantve monenti, sed tanquam pharmacum morbis suis placidâ mente suscipiant. *Oportet, ait S. Basilius cap. 6. sum. 72. moral. reprehensionem & ingropationem sic suscipere velut medica-*

mentum extirpatorium affectionis (inordinatæ) & preparatorium sanitatis. Aspiciendo scilicet finem, quem Superior intendit, profectum spiritualem. Admirabile est, quod legimus Exodi c. 7. de Virga Moysis thaumaturga, quæ ab Aarone, coram Rege Pharaone, projecta in terram, versa est in colubum, & devoravit omnes serpentes Ægyptiorum: colubum hunc, cum apprehendisset Moyses per caudam, rursum versus est in virgam, tantoque in honore habita est, ut unâ cum Libris Moysis posita fuerit in tabernaculo fœderis, Virga hæc, velut aptissimum Symbolum, adumbrat correctionem paternam & fraternam; quam si animo illubenti & refractario excipiamus, evadit in serpentem ac venenum, quod oportet esse medicamen. Si verò per caudam apprehendamus, id est, si finem correctio- nis, nimirum Spiritus profectum attendamus; eamque probo ac libenti animo suscipiamus, evadit in virgam, quæ devorat virgas, seu serpentes Ægyptiorum; dum imperfectiones, vitia, peccata, pravaque consuetudines, ex Mundi Ægypto nobiscum, velut venenatos serpentes allata, abolemus.

Boni, igitur, semper consulamus, si moneamur, si reprehendamus; placideque animo correctionem acceptemus, ne illis similes evadamus, de quibus Job loquitur c. 17. Cor eorum longè fecit à disciplina; ideo non exaltabuntur. Cor repudiantium correctionem, longè remotum est ab humilitate, à profectus desiderio, ab observantia regulari & disciplina: ideoque non exaltabuntur;
ad

ad culmen perfectionis; *non exaltabuntur hic per gratiam, nec in cælo per gloriam.*

I. Alienæ correctionis est, correctio alterius, seu auxilium ad eam; Boni, inquit, consulant, & ad aliorum correctionem juvare. Quod fit, dum vel ipsimet delinquentem de defectu admonemus, vel commissum defectum, pro correctione paternâ, ad Superiorem deferimus. Hæc autem delatio, seu manifestatio, ut cum fructu delinquentis & deferentis instituat quaternis sit associata conditionibus.

1. *Conditio, sit considerata*: id est, qui defectum alterius Superiori manifestaturus est, in conspectu Dei antè consideret, num revera defectus existat, an verò dumtaxat suspicio videatur: deinde si defectus esse deprehendatur, perpendat ulterius, num defectus ille, tanti censeatur esse momenti, ut existimetur deferendus: neque enim minimi quique aut levissimi defectus ad Superiorem deferendi sunt, nisi alicui pro certo vel certis quibusdam observandis, Syndici officium injunctum foret. Quod si verò, manifestum esse defectum, li- quidò constet, & quidem talem, qui vergat in notabile detrimentum boni communis, aut Societatis, aut Domus, aut cedat in damnum tertie personæ, aut in pernitiem propriæ animæ delinquentis, omnino Superiori indicet: nam *Frater Fratri, amicus amico, jure dilectionis & amicitie debet correctionem. Amici vitia si feras, facis tua*, ait Seneca in Proverb. Homo enim non raro, amore proprio, aliave passione excæcatur, unde pericula, aut peccata

propria non agnoscit, non cernit, adeoque non corrigit; hinc est quod monitore egeamus: ut rectè docet S. Gregorius Nazianzenus in tetrastichis:

Oculus tuetur cætera, at se non videt,
Ergo monitorem, rebus in cunctis habe:

Manus requirit nam manum, pes pedem.

Quasi diceret: quemadmodum manus manum lavat, & pes pedem in ambulando adjuvat: ita Frater Fratri, ut lavetur à sordibus, & rectè incedat te tanquam manum, pedemve alterum exhibeat. Quo etiam servit dictum S. Bernardi serm. de Nativ. S. Joannis. *Nemo, inquit, Fratris vitia palpet, peccata dissimulet: nemo dicat: Nunquid custos ego sum fratris mei; Est enim consentire, filere rem, quàm arguere, (aut per te, aliumve emendare) possis: Et scimus quia si- milis poena facientes manes & consentientes.*

2. Altera conditio correctionis vel delationis ad Superiorem est, ut sit *Sincera*: seu ex corde sincero, Charitate redundante, ac simplici profecta. Quare deferens, omnem ab animo suo sinistram affectionem, omnem aversionem, odium, iram erga delinquentem excludat, necesse est; quin potius magnum in se amorem & compassionem excitet. Deinde sinceram formet intentionem, spectans gloriam Dei, bonum proximi privatam, & bonum commune; gratiamque à Deo flagitet, hunc finem ope delationis, ex charitate sincera faciendæ, consequendi. Denique rem sincerè & simpliciter, ut gesta est,

Superiori exponat, nihil addendo, nihil adimendo, nihil celando; sed certa pro certis, dubia pro dubiis referendo; idque animo composito, tranquillo, & cum effectu commiserationis; rogando ut delatus juvetur ex charitate, vel aliâ ratione, prout Superiori in Domino visum fuerit, aut ut sibi, in simili casu, secundum ordinatam charitatem fieri vellet. Sic diligendi sunt homines, ait Hugo Victorinus, in Reg. S. Aug. ut non diligantur errores: sunt verò nonnulli, qui aliorum culpas redarguunt (aut deferunt redarguendas) non tam ex charitate, quam ex odii amaritudine: non tam ut eos corrigi velint, quam ut odium, quod corde gestant, exercere possint; & hoc ad vindictam pertinet, non ad disciplinam. Caveant ergo Fratres, ne aliquid reprehendant (aut deferant) ex ira & indignatione, sed ex dilectione.

3. Tertia, ut sit *Charitate & lenitate plena*. Quod docet Apostolus ad Gal. 6. *Si praoccupatus fuerit homo in aliquo delicto: vos, qui spirituales estis, huiusmodi instruite, in spiritu lenitatis; considerans seipsum, ne & tu tenteris*. Correctio igitur, instructio, uti & delatio, peragenda est in Spiritu lenitatis; ist est, in Spiritu Charitatis, qui donum est Spiritus Sancti. Correctio enim vel delatio est quasi pilula amara, quæ correpti vitium detegit vel inculcat: hinc saccharo & dulcedine vocis, & commodæ insinuationis, aut etiam extenuationis culpæ obtinenda est; ut amarities ejus dulcoretur. Omnia fiant in Spiritu lenitatis, sinceritatis, charitatis, mansuetudinis, humilitatis; sive Superior corrigat, sive

frater deferat: *Ex amore, non ex rancore*, ait S. Augustinus: & ne timeas, ut defectum committas, observa quod subdit idem S. Doctor: *Dilige & dic quod voles*. Dilige & defer ad Superiorem ex charitate, in charitate, cum charitate, propter charitatem; atque ita amando, bene volendo, & officio tuo, secundum Regulam, fungendo, proximi emendationem, correctionem & perfectionem promovebis, finemque intentum assequeris.

4. Conditio ultima est, ut sit *Constans & fortis*, eaquæ forte occurrunt obstacula perumpat. Ad hoc moveat 1. Major Dei gloria, quæ ex emendatione resultat, 2. Proprium deferentis meritum, dum Regulæ, obligationi suæ, & voluntati divinæ facit satis, qui unicuique mandavit de proximo suo. 3. Bonum spirituale delinquentis, qui hac via, purgatur, illuminatur atque ad unionem cum Deo disponitur. 4. Bonum totius Religionis, quæ pœnitentiâ & correptione delinquentis, pristinum famæ & honoris sui nitorem recipit. 5. Bonum aliorum proximorum, scandalum pastorum, qui rursus emendationis vitæ exemplis ædificantur.

Neque ideo intermittenda est vel delatio, vel correctio, quòd fructus speratus non referatur; spes non est abjicienda, qui initio durior se exhibet, paulatim mollescet. Proverb. cap. 28. *Qui corripit hominem, gratiam postea inveniet apud eum, magis quam qui per linguam blandimenta decipit*. Indignè ferens correctionem, ait S. Augustinus, Epist. 167 & 87. *non est ideo deserendus; sed instar phrenetici, aut lethargici, etsi nolit ligandus*

ligandus & excitandus. Idem Epist. 50. ad Bonificium. Si bruta etiam si recalcitrent, saepe curantur ab hominibus, etsi cum suo aliquo periculo, quanto magis curandus refractarius frater, ne pereat in aeternum?

Neque etiam absterreat à delatione superbia, quæ in mundanis dominatur; aut metus displicendi hominibus, ne habeatis censor aut delator; quamvis enim Superioris sit deferentem celare, illud tamen haud curandum est viro Religioso, cuius est cum Apostolo dicere: *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.* Lex noxia mundi est, defectus alienos reticere ac suppressere jubens, ut à mundo & sæculi filiis, vir probus & fidelis habeatur; plus apud nos valeat præfens Regula à S. Fundatore lata & Congregationis V. Generalis decretum 58. Unum ex Institutum nostrum essentialibus esse, definiens: Contentum esse, quemque debere, ut defectus eius Superiori manifestentur: ac proinde, etiam, alterum paratum esse oportere ut manifestet. Idque vel maxime, si lapsus foret enormis, & scandalo gravi obnoxius, qui in Religione florente rarissime accidit: in eo enim casu respectus humanus penitus est conculcandus, & cum S. Petro Damiano, cap. 25. Gomorrh. statuendum: *Malo cum Joseph, qui accusavit Fratres apud Patrem crinine pessimo, in cisternam innocens projici; quam cum Heli, qui filiorum mala vidit & tacuit, divini furoris ultione multari.* Cum enim per os Prophetæ divina vox terribiliter comminetur dicens: *Si videris fratrem tuum iniquè agentem, & non corripueris eum, sanguinem ejus de manu tua*

requiram. Quis ego sum qui in sacro Origine videam tam pestilens facinus inolescere, & velut homicida aliena anima, servat à censurâ silentii, divina districtiōnis audeam ratiocinium expectare; & illius reatus fieri incipiam debitor, cujus nequaquam auctor extiterim?

III. Tertium in Regula ordinatum est mutua inter Socios defectuum manifestatio: *Ac manifestare sese invicem sinparati debito cum amore.* Viget ea praxis in tyrocinis, ubi Tyrones ex sæculo recenter appulsi, defectibusque referti, & in iis perspiciendis cæci, ex profectus desiderio, obtentâ à Superiore licentiâ, defectus sibi suos indicari magna animi demissione flagitant, indicatosque placidè, demissè, tacitè & absque contradictione aut replica auscultant. Defectum verò insinuans, debito cum amore, lenitate, tranquillitate, absque impetu, irâ, odio, verborum asperitate, mordacitate, aut vexatione, risu ac sarcasmo id præstet. *Volas irrevocabile verbum,* ait S. Bernardus, *& quod sanare debuit, quia mordacius dicitur, gravius ledit.* Adstipulatur & idem obsignat D. Augustinus, *Quidquid, inquit, lacerato animo dixeris, punientis est impetus, non charitas corrigentis.* Et Humbertus in Reg. S. August. *Fraterna correptio, & defectuum manifestatio, cum lenitate est facienda: defectus enim suos audientes & delinquentes sunt quasi infirmi, idè leniter sunt tractandi, cum compassione, discretione, & moderamine.*


Quapropter, Dilectissimi, si Societatem nostram, tanquam templum perelegans, lapidibus quadris, propè cælati, & lævigati constructum, refulgere

III.

Mutua defectuum manifestatio.

fulgere cupiamus, Superiorum & Fratrum nostrorum oculos non reformidemus, & si quid in nobis asperum, inæquale, aut extans deprehenderit, id indicari, nosque corrigi, & coarctari, libenti animo sustineamus, & correctio, non venenum, aut serpens, sed alexipharmacum erit. Deinde quid in Fratribus corrigendum occurrerit, ad eorum correctionem juvare ne grave mur, hisce tamen probè servatis conditionibus, ut consideratè, sincerè, benignè & fortiter: quod emendatione egit, Superiori aperiamus: nec ullà al-

terius morositate, indignatione, emendationis desperatione à manifestando retrahi, retardarique sinamus: nec pollicitis, perveris que mundi principiis nixi, consorsique nomen veriti, defectus, præsertim graviores & scandalo obnoxios, silentio involvamus, atque ita alienorum delictorum nos reos, participesque constituamus. Denique defectus, mutuo nobis magna charitatis & benevolentia significatione, insinuemus, Hac ratione, coluber in theriacam vertetur & antidotum, correctio in medellam, ac morbus in sanitatem.



REGULA XI. SUMMARII.

De amplectendis Christi Domini insignibus.

EXHORTATIO I.

IN REGULAM IX. SUMMARII.

Ostendit, quod ab iis quæ mundus amat, Religiosum abhorreere oporteat.

T H E M A.

Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Ad Gal. 6.

V E L

Omnino & non ex parte abhorreere ab omnibus, quæ mundus amat & amplectitur. Reg. II.



Uemadmodum in veteri Testamenti Prophetæ, rem magni momenti populo Israelitico proposituri, præfatione quæpiam attentionem conciliare sunt soliti; ve-

luti Isaias prophetiam suam auspicatorus exclamat, cap. 1. *Audite caeli, & auribus percipite terra.* Similiter & Moses, Deuteron. 32. Populo Dei beneficia, & illis ingratitude imperaturus, in hæc verba prorumpit: *Audite caeli quæ loquor, & audiat terra verba*

verba oris mei: concresecat ut pluvia doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum: quia nomen Domini invocabo. Pari ratione Sanctus Fundator noster, Regulam undecimam, præter morem aliarum, quodam præloquio auspiciatur; ut quanta in ea per se lateat, quamque ardentem eandem nobis iaculcatam desideret, luculentius demonstret. Prælocutio autem ejus est hujusmodi: *Diligenter animadvertant oportet.* Id est, magno studio & industria notent, considerent, & penetrare conentur. *Magnis faciendis summisq; momenti id esse duccendo.* Id est, rem hanc, non tanquam rem exiguam, aut vilem, sed tanquam præstantissimam, utilissimam, sublimissimam, ac proinde maximi momentiteneant, & in qua omnis propè religiosæ perfectionis cardo versetur. *Idque in conspectu Creatoris ac Domini nostri.* Ita coram Deo & in lumine Dei judicando; non in oculis & luce mundi fallacis, vitia pretiosa, & pretiosa vitia; exigua magna, & magna exigua æstimantis.

Quænam verò illa sint, & quibus de causis, ab iisdem nos abhorreere oportet; contrariaque iis amplecti, explanabimus.

I. Dum S. Patriarcha noster, vult nos omninò & non ex parte abhorreere ab omnibus, quæ mundus amat & amplectitur; ne nos relinquat in tenebris, mox subdit, quænam illa sint, à quibus nos abhorreere oportet: *Quemadmodum, inquit, mundani homines, ea quæ mundi sunt, sequuntur, diligunt & quarunt, magna cum diligentia, honores felices, famam, magni nominis esti-*

mationem in terra sicut mundus eos edocet.

1. Primò igitur mundani quærunt & diligunt honore; honor autem est testimonium cujusdam excellentiæ; illudque exhibetur nonnunquam aperiendo caput, iustectendo se, aliisve signis honoris aliàs per elevationem seu promotionem ad sublimia officia ac dignitates. Utriusque generis honor, quatenus est restransiens, brevis & evanida, parvi faciendus est: primi enim generis honor exhibetur ab hominibus, ignorantibus, vel etiam malis, qui hodie sunt & cras fortè non erunt. Dignitates etiam semper sunt instabiles, & à potentibus auferri possunt, vel saltem in morte sunt relinquendæ: habentque annexa plurima incommoda, ac discrimina perpetuæ salutis, quæ in sequentibus indicabimus.

2. Quærunt ac diligunt mundani, famam: quæ aliud haud est, quam nomen, quod de allo spargitur; & vel in bonum, vel in malum accipitur: Famam & laudem in malum, sectantur illi, de quibus Sapiens Proverb. 2. 14. loquitur: *Latantur cum malè fecerint, & exultant in rebus pessimis.* In bonum fama sumitur; cum quis ob facta sua celebratur. Bonam famam non convenit quidem omninò fugere; quia hominibus de Societate necessaria est ad fructum, bonumque proximorum: *Melius est enim nomen bonum, quam divitia multa.* Proverb. 21. 1. illis præcipuè qui ex officio dispensatores sunt mysteriorum DEI & vacant salutis animarum: sed sequi, quærere

Hh 3 diligere

I.
Quænam
fugienda
sint.

diligere, optare nomen suum longè, lateque celebrari, ac famam suam vilitate per hominum ora, vanum est; & ab hoc nos omnino, & non ex parte abhorreere oportet: hujusmodi fama pluris ducenda non est, quàm ventus prætervolans; consistit enim duntaxat in opinione hominum, secundùm quàm iudicium ferunt, & verba proferunt: & veluti venti nunc ab una, nunc ab alia parte spirant, omnino instabiles, ita fama quoque mutabilis est in dies & horas.

Quod quæruat, diliguntque Mundi afflectæ, est, *magni Nominis existimatio*, quæ concipitur de doctrina, vel dignitatum gradibus, dum quis Doctoris, Senatoris, Consulis, aut Consiliiarii Principis, titulum nanciscitur; & ferè versatur circa nomina, quibus doctrina, vel scientia subest aut prudentia.

Atque hæc sunt quæ Mundus sectatores suos venari docet: hæc iis sequenda, amanda ac quærenda suadet, hæc tanquam magna, pretiosa, ac stabilia bona proponit. Ex his more Nabuchodonosoris autem, fulgentemque honoris statuam erigi ac consisti præcipit, quam ceu idolum colant ac deventerentur. At religiosi hæc omnia fugiunt, spernunt, larvam detrahunt, & ab illis tanquam à summè periculosis ac noxiis, salutisque æternæ inimicis abhorrent. Norunt enim cum S. Bernardo, quàm difficile sit, esse in honore sine tumore; in prælatione sine elatione; in dignitate, sine vanitate. Non ignorant, quàm facilè hæc superbix fomenta ambleantes, Deum offendant, & quodammo-

do derelinquant: adeoque; ænam à Jeneria prædictam incurrant. *Domine qui te derelinquunt, confundentur; recedentes à te, in terra scribentur, quoniam dereliquerunt venam aquarum viventium.* cap. 17. Qui enim honores ambiunt, & in terra scribi amant, facilè delentur de Libro vitæ; quia per ista potissimùm Diabolus trahit homines in interitum, ut docet S. P. Ignatius in medit. de duobus vexillis. Jure igitur S. Fundator suos alumnos ab hujusmodi honoribus vult omnino & non ex parte abhorreere. Sed nunc videamus, qualem ac quantum hoc odium & quantum horrorem esse oporteat.

II. Cupit S. Ignatius parens noster, ut ab honore, fama, vanè gloria, laude, prælatione, dignitate, & magni nominis umbra captanda, omnino, & non ex parte; id est toto corde, non ex parte, totamente, tota voluntate, desiderio, amore, & non ex parte abhorreamus; non secus atque ab impostoribus, latronibus, furibus, spectris, cadaveribus, peste ac veneno infectis abhorreere solemus. Si enim ista sectemur, quæramus, diligamus, totum vitæ religiosæ fundamentum collabascit, tota perfectionis fabrica susque deque vertitur & evertitur; à fine, ad quem conditi sumus, & religionem intravimus, qui est Dei gloria, toto cælo aberramus, dum nos ipsos, nostram gloriam inanem, vanè ac stolidè ambimus: omnisque nostra ministeria atque exercitia, velut peste ac veneno vanitatis inficimus.

Quis obsecro, sincera mentis & candidi pectoris homo, è fraudibus ac dolis

II.
Quomodo
fugienda.

dolis confarcinatos Impostores non averfatur? Ejuſmodi Impoſtor eſt mundus; Iponder & offert honores, famam, magnum nomen, tanquam bona ſolida, vera, ſtabilia ac diuturna: & quid ſunt niſi *vanitas vanitatum & omnia vanitas*? Quid ſunt niſi *vapor ad modicum parens*? Qui ſunt niſi ventus ocyus avolans, & fumus ſubito in auras evaneſcens? Quid ſunt niſi lignum putridum, & vermiculi, quos noctilucas dicimus, qui nocturno tempore in tenebris lux, ignis, & aurum eſſe videntur; at accedente lumine, ligna putrida & vermes eſſe deprehenduntur. O quam cito tranſit omnis mundi gloria! Ubi modo ſunt tot Czſares, tot Reges, tot Principes, tot Prælati, tot Superiores? tranſierunt, mortui ſunt; ſepulti ſunt & ab hominum memoria ſublati evanuerunt. Dum viverent, erant in honore & ſplendore; poſt mortem pedibus aliorum conculcantur. Quis igitur Sapiens ab huiſmodi Impoſturiſ, fraudibus & vanitatibus non penitus & omnino abhorreat? quis has verorum honorum umbras, non ex animo ſpernat, ut veros honores, & æternam gloriam conſequatur? *Notize effici pueri ſenſibus*: 1. Corinth. 14. 20. Pluris facit puer equum arundineum & puellula puppam, quam veros equos & veras Dominas; Ne proferamus umbram veritatis, ipſi veritati, atque hiſ nugis & honorum fumis animum adjiciamus: ſed omnino & non ex parte ab iſ abhorreamus; & veræ prudentiæ ductum ſequemur.

Quis deinde non abhorret à furibus,

latronibus, inimicis? quos nec in colloquia adducere, nec in conſpectum admittere, nec oculo blando intueri dignamur? An non ejuſmodi fures, latrones, inimici, ſunt honores, dignitates, ambitiones, vana gloria, fama, magni nominis æſtimatio quæſita inordinatè, quæ nos æternâ gloriâ, perpetuâ laude ac beatitudine cœleſti ſpoliant: quemadmodum & fures ſunt, qui iſta ambiunt; ut rectè docet S. Laurentius Juſtini unus de Regim. Prælat. c. 12. *Inſideles*; inquit, *ſunt, qui ſuam, non Dei gloriam quarunt, cum ſcriptum ſit: Dominus diſſipabit eſſa eorum, qui hominibus placent, confuſi ſunt, quoniam Deus ſprevit eos.*

Quis adeo firmi eſt cerebri, ut in altitudine conſiſtens, ad præcipitis profundiffimi conſpectum non horreat? Fama, honor, dignitas mons eſt, ſed propè eſt præcipitium; & lapſus periculum; faciliùs in monte aut turri poſito, quam conſiſtenti in valle, vertigo cerebrum rotat: faciliùs in monte, quam in imo ſitæ arbores à ventis ſternuntur. Via honorum amœna eſſe videtur, ſed noviffima ejus ducunt ad mortem, ad præcipitium. Nam tolluntur in altum, ut lapſu graviores ruant, canit Poëta, *Caveat igitur, omni ratione pietatis cultor*, monet S. Baſil. in conſtit. Monast. c. 25. *Ne honores conſectetur, ceteriſque præponi velit; Omnis enim qui ſeipſum exalcat, humiliabitur, & qui ſe humiliat, exaltabitur.* Cujus exemplum triſte præbet Lucifer ſuperbus, qui dum exaltari voluit, præcipitatus & humiliatus eſt uſque ad inferos. O quot per hæc præcipitia dejecti & devoluti ſunt in abyſſum, non jam

jam dico, Amani, Nabuchodonosores, Achabi, aliique Reges ac Principes profani, sed etiam Episcopi, Prælati, Superiores religiosi? Horrendum est, ac tragicum prorsus exemplum, quod de certi Ordinis Monasterio recenset Illustrissimus D. Joannes Caramuel Episcopus Misæ, SS. Theologiæ Doctor in Theologia sua regulari Tomo 2, in præmio ad Abbates; hisce verbis: Referam quæ à D. Bernardo Botyn mihi & nonnullis aliis ante tres annos confidenter & sincerè sunt dicta: referam, inquam, si horror aut linguam, aut calamum movere permittit. In Monasterio N. (nomen ne exprimam, impediunt lacrymæ) Mortui Abbatis cadaver, ut moris est, bene ornatum ad Capitulum in feretro defertur, atque inde ad Ecclesiam & Chorum. Erant ibi qui Psalterium, juxta piam Ordinis ritum legerent, qui vestes decentius componere it, & rosis ornarent: cadaverque in illorum juniorum præsentia, qui vota coram illo emisserant, horribili ejulans voce: *Ut quid hac omnia, inquit: siquid ego sum octavus decimus, hujus loci, Abbas qui ardeo in inferno.* His auditis, tanto omnes percillantur horrore, ut nec animum ad hærendum, nec vires ad fugiendum haberent. Tandem cadaver sine pompa sepeliunt, & quia vitandum erat scandalum, pompam funeream pro animabus purgatorii absolvunt. Examina postea, qui miser ille Dominus vixerit, aut devixerit: & audivi fuisse comestationum amasium, ebrietasque exemplo & indulgentia, in Monasterio suo promovisse: cæteroquin fuisse in bona opinione. Hæctenus Cara-

mauch

Periculosa hæc præcipitia, ac perditionis æternæ discrimina honoratis muniis, animatumque regimini annexa si quisquam aliis, clarissimè agnovit, & declinare studuit virtute ac scientia Eminentissimus Cardinalis Robertus Bellarminus, è Societate nostra, ad dignitatem istam & Archiepiscopatum Capuanum evectus. Quem cum Clemens VIII. Pontifex Galero purpureo ornaturus esset, non ignorans summè eum ab ista dignitate abhorretere; sub anathematis pœna, & culpæ lethalis noxa domo exire vetuit: cumque jam induendus purpura, Pontificiis pedibus advolutus, honorem deprecari inciperet, inhibitus est, sub eadem pœna; sed lacrymarum imbre decidente dolorem, cum verbis non liceret, contestari perrexit. Invitatus postea ad Collegium, metuens acclamationes in laudem dignitatis, jussit, omni gratulatione prætermisâ, carminis materiam assumi hanc: *Omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus, sicut flos agri.* De iique in Exhortatione ad Novitios Romæ habitâ, palam edixit: *Tot annis vixi in Religione, absque eo, quod scirem, quid esset tristitia, & jam Cardinalis, quid lætitia sit penitus ignoro. Vestes purpureæ, verè arumosa mihi sunt & graves, ut quotiescunque conspiciam, a fletu mihi non temperem.* Et pileum purpureum capiti detrahens atque ostentans, obortis lacrymis dixit: *In pœnam peccatorum meorum, dedis mihi hanc purpuram Deus.* Ita Tannetus in via pag. 536.

Quare, Dilectissimi, cum S. Fundator doctrinam hanc ad eò nobis, filiis suis,

falsis, inculcatam cupiat: quid sit honor, fama, magnique nominis umbra, penitentiis inspiciamus: & honores tanquam evanidos vapores; famam velut auram avolantem, & instabilem; magnam hominum æstimationem, ceu umbram inanem reputemus & despiciamus: illa enim sectando, vitæ religiosæ basin evertimus, omniâque opera vanitatis fordibus inquinamus. Mundus fraudulentus impostor est, falsa pro veris, vitrum pro margarita, aurichalcum pro auro, umbram pro veritate venditat: sed nolite pueri effici sensibus, ut fraudibus ejus capiâmini, & ematis. Mundus fur est, latro est & inimicus, hono-

rem, vitam, gloriam temporalem offerens, ut aeternam adimat & beatitudine perpetuâ spoliet. mundus seductor est pessimus, qui non secus ac Diabolus Christum, homines in montem excelsum & honoris culmen attollit, ut cerebro vertigine superbiæ rotato, facilius detrudat in præcipitia, horrenda: & in abyssum infernalem devolvat. A quibus ut liberi degamus, cum Bellarmino & aliis viris mundi contemptoribus, in valle humilitatis, in óque loco persistere optemus; sic omnia præcipitia,

salutisque discrimina, facilius declinabimus.



EXHORTATIO II. IN REGULAM XI. SUMMARI.

De quærendis & amandis, contumeliis, injuriis, contemptu;
à quibus mundus abhorret,

T H E M A.

Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt.

1. Joan. 2. 15.

V E L :

Admittere & concupiscere, quidquid Christus Dominus noster amavit, & amplexus est, ut contumelias, injurias, &c. Reg. II.



Uemediodum [Reipublica] Romanorum & Respublica Carthagenensium, semper studiis contrariis dissidentes, armis mutuis sese oppugnârunt, neutrá sibi

securitatem, tranquillitatemque pollicente, nisi alterutrâ eversâ. Ita mundus & status religiosus legibus, principiis, studiis, armis, animis, moribus, distant; quod unus amore, alter odio prosequitur. Mundus quærit opulentiam, Religio paupertatem: Mundus

fectatur voluptates, Religio cruces & mortificationes: Mundus ambit honores & dignitates; Religio amat contemptus, & contumelias. Vos non estis de mundo. *Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret: sed quia de mundo non estis, propterea odit vos mundus.* Joan. 15. 19. Et vos ea quæ mundi sunt odio prosequi decet. Atque id est, quod à nobis quodque postulat in hac Regula S. Ignatius, dum ait: quemadmodum mundus quærit honores & laudes humanas; *Sic qui procedunt in Spiritu, & serui Christi Dominum nostrum sequuntur: amant & ardentem exoptant, quæ iis omnino contraria sunt, scilicet et contumelias, falsa testimonia & iniurias pati, iudicari & pro stultis haberi & reputari.*

Quam legem adeò perfectam, sublimemque ut altius penetremus, mentibusque nostris interamus, rationibus & exemplis stabiliemus.

I.
Causæ
amandi
contumelias & iniurias.

1. Ut amore prosequamur, & ardenti desiderio feramur in contumelias, falsa testimonia, iniurias perferendas & stultitiæ opinionem; necesse est ea non oculo passionibus excecato mundanorum aspiciere, & cum vulgo mortalium exteriore specie duntaxat intueri; sed oculo mentis lumine fidei illustrato, intimè perspicere ac penetrare, quænam in iis bona recondita lateant; à mundanorum multorumque Religiosorum imperfectorum oculis remota. neque enim voluntas nostra in malum ut malum ferri unquam potest. Qui pharmacum amarum, potionemve medicam, ex aloë, rhabarbaro, colocinthide, aliisque palato ingratis herbis mistam, secundum exteriora conside-

rat, omnino ab ea abhorret, amaritudinem refugit, nauseam metuit, viscerum tormina & corrosiones odit ac detestatur. At si internam alexipharmaci vim, efficaciamque, morbum depellendi, mortem arcendi, sanitatemque restituendi perpendat, ambabus illud manibus amplectitur, pleno ore haurit, & præter stipendium, amplas Archiatro grates impendit. Pari ratione, in falsis testimoniis, iniuriis, contumeliis, cæterisque despectibus, exteriora solum intuens, abhorret, fugit & tanquam summè abominanda, gravissimæque mala execratur: at, qui cum famulis Dei perfectis, interiora, quæ in iis latent, trutinat, amore ea singulari complectitur, & viribus totis concupiscit.

Quidnam igitur boni in iis absconditum deprehendimus? Ingentes sanè thesauros ac divitias. In vitis PP. L. s. c. 15. n. 83. Frater quidam interrogavit senem, dic mihi rem quam custodiam & vivam per eam. Respondit Senex: *si potueris contumeliam pati & sustinere, magnum est hoc & super omne virtutes.* Quastum supponit tum tanquam thesauros complectitur.

1. Thesaurus, sine dubio, maximus *Humilitas*, omnibus mundi margaritis, ac lapidibus pretiosis longè pretiosior: utpote basis perfectionis & fundamentum sanctitatis; ad quam prædicta conducunt plurimum. Superbia est vile vitrum, Humilitas margaritum; Superbia plumbum, Humilitas argentum. *Superbia*, inquit S. Laurentius in Ligno vitæ, *accipit corticem, Humilitas nucleum; illa storem, ista fructum; illa pulchrum, ista bonum; illa opinionem, ista veritatem; illa*

illa ascendit & prosternitur, ista descendit & exaltatur. Ac proinde illa magnum est bonum, & nobile cimelium: est omni lapide pretioso præstantior; omni flore elegantior, omni odramento fragrantior.

2. Latet in iis assimilatio, & conformitas cum Domino nostro JESU Christo, quo quid præstantius? quid sublimius? Nihil enim excellentius, quam Christi vitam & mores æmulari, nihil dignius, quam ad ejus similitudinem proximè accedere, atque in ipsum quodammodo transformari: quemadmodum Aulici, quò Regi similiores, viciniore & propinquiore sunt, eò bonum majus, honorem, gloriam, auctoritatem & potentiam illustriorem consecuti existimantur. Gloria magna sequi Dominum.

3. Latet in iis augmentum gratiæ, & correspondens præmium vitæ æternæ: non enim fallit æternæ veritatis promissum infallibile. *Qui se humilitat exaltabitur.* Matth. 23. 12. Pro exigua contumelia animo forti, hilarique tolerata; æterna in cælis laus rependitur: pro falsis hominum testimoniis libenter susceptis, vera Dei Cælitum & Angelorum magnifica testimonia redduntur; pro levi contemptu amato, generosæque tolerato, perennis gloria exaltatio & beatitudo à Numine liberalissimo donatur! Quantum bonum! quantum thesaurus! At à cæcis sæculi filiis absconditus!

Quantæ igitur Sapientiæ est, brevem levemque contumeliam mortalium, pro gravissimis Cælitum præconiis; contemptum exiguum pro immenso

gloriæ pondere, ultro suscipere; gloriam mundi, instar puncti transeuntem spernere, nolle per hominum ora volitare, memoriam, plausum, encomia vulgi despiciere, ut Christo assimilari, honores sempiternos adipisci, Deoque ipso sine fine fruatis.

II. Ne verò arcum niniùm tendere; ac supra vires humanas elevare videamur; exempla non desunt, quæ intueamur & imitari conemur. In primis verò in hoc certamine præeuntem habemus Archistrategum nostrum supremum Dominum JESUM; quem nos ejus milites subsequi generosè decet. Quid enim? num honores mundi, num plausus hominum, num scepra & diademata ambiit? Minimè gentium, omnia ista calcavit, honores fugit, pro nativitatibus ioco graveolens stabulam, pro fatali lætulo funestum crucis lignum elegit, cum diademate eum insignire pararent, turbas declinavit; nec tantum quidquid honorem, gloriam, pompamque sapiebat, cane pejus & angue fugit & horruit; verum etiam in omni vitæ suæ periodo contraria omnia elegit; passionis præsertim tempore, quot enim *Contumelias* onerari se sivit; dum jam malefactoris, jam vini potatoris, jam seductoris populi, jam Demonium habentis titulis fuit insignitus? Quot falsis testimoniis obrui se permisit; dum jam censum Cæsari pendi prohibentem, jam subvertentem gentem, jam Sabbathum violantem falsò attestari fuere? Quot *Injurias* gravissimis laesus atque appetitus, quando pro doctrina calumniam, pro miraculis pœnam, pro beneficiis tormenta & ingratitude-

II.
Execo-
plum
Christi
Domini
& Apo-
stolorum.

mem summam, pro salute & vita æterna, quam offerebat, clavos, spinas, crucem & lanceam reportavit? Quin & stulti, stolidi ac bardi instar ab Herode æstimari, ac tractari voluit, quando nec verbo eum dignatus, illusus, spreus, & vestimento albo, ceu fatuus, fuit circumamictus?

Atque hæc omnia, cum æterna elegerit Sapientia, quã nemo meliorem de rebus cognitionem, æstimationemque habere poterat contra mundi iudicium falsum, & sensum erroneum: ingentia utique in iis bona latere concludimus: deinde ut suo nos exemplo eadem bona consequi moderno quoque tempore doceret, atque ad imitandum attraheret, contrariamque illo ævo, & grassantem opinionem mundique vanitatum æstimationem aboleret. Tota vita Christi, inquit Magnus Augustinus L. de vera Relig. cap. 16. morum disciplina fuit. *Satellites voluptatum divitias perniciosè appetebant, pauper esse voluit. Honoribus & imperiis indiabant; Rex fieri noluit. Carnales suos filios magnum bonum putabant; tale conjugium, prolemque contempsit. Contumelias superbiſſimè horrebant; omne genus contumeliarum sustinuit. Injurias intolerabiles esse arbitrabantur: quæ major injuria, quàm justum, innocentemque damnari? Dolores corporis exerebantur: flagellatus atque cruciatus est. Mors metuebatur: morte multatus est. Ignominiosissimum mortis genus crucem putabant: crucifixus est. Omnia quæ habere cupientes, nec rectè vivebamus, carendo vilia fecit: omnia quæ vitare cupientes, à studio deviamus veri-*

tatis, devicit. Hactenus Augustinus. Tota hæc vita Christi nostra est disciplina & eruditio; ideòque innuit Sanctus Ignatius, eos qui Christum nostrum sequuntur, eadem quæ Christus amavit, amplecti.

Secuti sunt, præ reliquis Christum Magistrum ac Ducem optimum Apostoli; ejusque disciplinam probe apprehenderunt: quando de illis legimus: *Ibant gaudentes à conspectu conoiti, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati.*

Unde verò tantum gaudium? Non verant thesaurum in contumeliis latentem, quem à se repertum gratulabantur: easque non ut ignominias; sed ut dignitates obtentas lætabantur: Agnovit quoque thesaurum hunc in contumeliis, injuriisque absconditum Gentium Doctor Paulus; ut verbis illis restatum reliquit: *Placeo mihi in infirmitatibus, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo. Placeo mihi inquit in contumeliis; non utique ceu rebus vilibus & odiosis, sed tanquam in pulchris pretiosis gratis, omnique æstimatione dignissimis. Complacent filii hujus sæculi sibi in honorum titulis, in laudibus vanis, in dignitatibus & eminentiis: ego verò mihi in contumeliis, infirmitatibus, persecutionibus atque opprobriis mirificè placeo & unice delector. O insignem Christi Assèclam! ò dignum tanto Magistro in crucis & ignominie gymnasio discipulum!*

III. Quodd si præter vetera jam recentia, nova quoque hujus virtutis & lectionis

III.
Exemplum S.
Ignatii

lectionis specimina intueri aveatis, mentis aciem in Sanctum Patriarcham nostrum Ignatium conjicite: qui non verbis solum & Regulæ Præscripto; sed exemplo quodque se reconditam in contumeliis, injuriisque thesaurum agnoscere atque ardentè amplecti contestatus est. Accusatus est Compluri, quasi pietatem heteroclitam inveheret, & ab Inquisitoribus Fidei per lictores palam ac in omnium conspectu in carcerem conjectus est. *Ecce falsa testimonia!* Compluto profectus Salmanticam, cum ejus vita & doctrina novitatis haberetur suspecta, rursus in carcerem cum Sociis conjectus, & catenis revinctus est: non sine animi gestientis lætitiâ. *Ecce injurias.* Parisios profectus cum ibidem in Collegio S. Barbaræ Studiosos ad pietatem formaret, Professores eum virgis excipere decreverunt. Nobilis quidam (Lopius nomine) ob admonitiones de corrigenda vita, dudum Ignatio offensus, ut Socios à dandâ eidem eleëmofynâ absterret, hominem nequissimum & hypocritam flagitiosissimum nuncupat: qui si non rogo (inquebat) planè dignissimus est, velim ipse vivus concremari; id quod eodem die, dum ignes festivi ob natum Philippum II. excitarentur & scintilla flatu iræ divinæ perhata in pulveris acervum & ex eo nata flamma totum Lopium involvit atque incendit. *Ecce contumelias:* licet à Numine vindicatas. Dum in Italia ei iter agendum per loca Gallico ac Hispanico milite infesta, aliquoties tanquam explorator attentus, vestibus nudatus, per media ca-

stra traductus atque ad Ducem pertractus, ita interim inter ludibria & probra, in meditandam Christi patientis nuditatem absorptus, ut se quid fieret, diu non adverteret. Et quia graviorum tolerandorum appetens, in respondendo quæstionibus Ducis, hominem bardum & stolidum consulto simulabat, non absque indignatione hujus in milites, qui stultum præ exploratore nescissent distinguere, dimitti receptis vestibus jussus est. Quod ab iis non prius factum, quam pugnis & calcibus barbarè contudissent. En opprobria, injurias, falsa testimonia, contumelias, & stultitiæ titulum ardentè à sancto Viro exoptatum ac toleratum! Quæ omnia Ribadeneira in vita & Tannerus in Societate Apostolorum imitatrice pag. 8. & 9. recenset. *Qui fecerit & doxerit, magnus vocabitur in Regno calorum,* Matth. 5. 19. Quod optimè illi convenit.

Sed ne exempla Virorum Apostolicorum, & in perfectionis culmen evectorum duntaxat Tironibus proponere videat. Audite, Novitii mei, exemplum Novitii in primo Tyrocini limine etiânum versantis, sanè egregium. Fuit is Melchior Nunnus Barretus, qui eo ipso die, quo Doctortus apice à Conimbricensibus donatus fuit, pompâ & apparatu præter morem affectato, ad nostrum Collegium à plena & illustri Academicorum catervâ ductus, Religionis meliorem lauream assumpturus. Vix dum substiterat, cum jubetur eo ipso die, ut pallio mutato in detritum, & futile amictum, humeris sublatum vervecem

mediam per urbem dono ferat Marco Romæo Theologiæ Professori, cujus patrocinio fuerat in ipso doctoratûs ritu pro more usus. Præstò fuit imperio, dorsum onerans animali, stupente populo, pergit ad Romæi domum & munus offert; ille insolentiâ spectaculi attonitus hæsit: at Nunnius jam tum genuinum se Ignatii, imò JESU Christi Assèclam, generoso mundi contemptu demonstravit. *Nierenbergius L. 3. doct. asiet. 2. c. 25.*

Quæ cùm ita sint, Charissimi, nolite in ignominia, & contumelia injuriæe cortice hære; sed ea penitiùs inspicite, & thesaurum latentem, virtutem humilitatis, Christi Domini similitudinem, Apostolorum æmulationem, præter ingentes gratiæ & gloriæ cælestis gradus in iis reconditos eruite, & aliâ mente affectûque ea complectemini. Unde, obsecro, nascitur, quòd contumelias, injurias, contemptus, quasi velis remisque refugatis, & vel eorum audito nomine horreatis? Plus dico, unde promanat tanta fragilitas, & teneritudo tanta, ut nonnulli Tyrones, nec

verbum asperius, nec dictum mordacius, nec factum injuriosius, nec minimum signum contemptûs, absque impatientia, indignationis ac vindictæ stimulis ferre, aut superare valeant? Arbitror ex eo, quòd oculis mentis è sæculi tenebris recenter egressis, nondum caligo, aut glaucoma excussum sit; ad eoque thesauros in contumelias, injuriisque reclusos oculis etiamnum cæcipientibus non sat videant, aut languidis adhuc ex passionum & vitiorum morbo viribus, onus tantum, perfectis ac robustis leve, portare nondum valeant. Quare excitent nos ingentia illa bona, quæ prædicta conferunt, animent illustria Christi Domini exempla, impellant Sanctorum Apostolorum, S. Ignatii, aliorumque heroum ac pugilum Christi, morum documenta; atque à minimis auspicando ad majora paulatim progrediamur: hæc viâ ad sublimem in Regnia præsentem contentum perfectionis gradum cum gratiâ divinâ eluctabimur.





EXHORTATIO III.
IN REGULAM XI. SUMMARI.
DE CAUSIS FUGIENDI HONORES.

T H E M A.

*Qui se exaltat humiliabitur; & qui se humiliat exal-
tabitur. Matth. 23. 12.*

Vel :

*Amant & ardent exoptant que mundo contraria
sunt. Reg. 11.*

Mira Moysis ani-
mi demissio in
deprecanda Is-
raëlis præfektura
omnibus sæ-
cularibus, Re-
ligiosis, & So-
cietatis nostræ
hominibus illustre præbet exemplum.
Veni, inquit Deus, Exodi c. 3. 10.
& mittam te ad Pharaonem, ut educas po-
pulum meum, filios Israel de Ægypto. Va-
de Moyses, migra ex eremo ad regiam,
præris deinceps non gregibus; sed tri-
bubus; ex opilione eris legatus Nu-
minis ad Principem. Exinde non de
compascenis ages; sed de victoriis, pro-
figabis exercitus, Dux eris populi,

mare subjugabis, imperabis igni, cœ-
lo vectigal indices; verbo, Deus eris
Pharaonis. Verùm quid ad tanta mu-
nia Moyses? *Obsecro*, ait, Domine, non
sum eloquens ab heri, & nudius tertius.
Exodi cap. 4. 10. Perge, reponit Deus,
Eggero in ore tuo, doceboque te, quid loqua-
ris. Sed perstat in profunda animi
demissione Moyses: *Obsecro*, inquit,
Domine mitte, quem missurus es. Audin?
Spernit penè dixerim, ipsum Nu-
men, mavultque à se abesse Deum,
quàm vulgo præesse. Et quid dimitte-
bat? Hircos. Et quò abducebatur? In
regiam. Et in quem retingebatur? In
Deum Pharaonis. Attamen tantis &
titulis & gemmis, oblatæ tædium
præfekturæ antefertur. O præclarum
humi-

humilitatis speculum ! O egregius mundi & honoris contemptus ! Cujus specimen præbet sæcularibus, tanquam populi Antesignanus, Religiosis tanquam mundo mortuus, nobis tanquam singulare gloriæ divinæ instrumentum, & Apostolus, seu missus.

Tantum virum ut æmulemur, ternas adducam rationes, unam communem omnibus, alteram propriam Religiosis, tertiam magis consentaneam nobis; ut magis magisque à mundo, & quidquid mundus amat abhorreamus.

I.
Ratio honores mundi aspiciendi, ex ipso mundo & honore eviuitur.

I. Motivum primum, mundi honores, laudes, altitudines averſandi & floccipendendi, ex ipso mundo, ejusque honore deprimuntur. *Honor fugiet eum sequitur, sequentem fugit*; ut communi fertur paræmiâ. Hoc tenore res mundi hujus, divina disponit Providentia; ut superbos ignominia, humiles ac mundi contemptores subsequatur gloria: ut filii sæculi, sese exaltantes deprimantur, & Filii Dei sese deprimentes exaltentur. Ipsâ id discimus quotidianâ experientia: nam mundus amatores suos quanto cyus obliviscitur; at contemptores suos, à quibus odio habetur & spernitur, obliviscitur nunquam. Quare si vis, ut recordetur tui mundus, sperne eum; & nunquam tui obliviscetur. Quorum enim, obsecro, recordatur mundus? quosnam cultu & honore prosequitur? Eos, qui mundum fugerunt, qui ad antra deterti sese receperunt, qui honorem & gloriam, tanquam ventum spreverunt & omnes Orbis plausus, pompas ac dignitates, pedibus conculcarunt, S. Hieronymus, S. Antonius,

S. Paulus, S. Maria Ægyptiaca, si in mundo permansissent, dudum oblivione sepulti jacerent: Verùm quia in eremo vixerunt, quia in caverna, à mundi strepitu remoti, latuerunt, atque uni immortali Deo fideliter servierunt, perpetuâ memoriâ celebrantur: & in cælo gloriâ immortali potiuntur. *In memoria æterna erit justus.* Psalm. III. 6. At è contra, de impiis canit idem Psalmista regius. Psalm. 9. 8. *Perit memoria eorum cum sonitu.* Quorumnam, recordatur Roma? An Cæsarum victoriis & triumphis inclytorum? An Principum, sanguine & bellicâ laude illustrium? Non: sed Petri piscatoris, mundum relinquentis, & honorem ejus ac fastum conculcantis; adeo ut ipsi Pontifices & Reges, eum devenerentur: qui fastum & gloriam mundi, ceu pomum putridum abjecit. Verissimum igitur elutrium adagium antedictum: *Honor fugientes sequitur, sequentes fugit*: & illud Salvatoris: *Qui se exaltat, humiliabitur; & qui se humiliat, exaltabitur.* l. c.

Vel una hæc ratio Religiosos ad contemnendam omnem mundi gloriam in terris, posset inflectere; ut nimirum eorum gloria & memoria, æternum perennaret in cælis; sed communis ratio ista est omnibus, binas religiosis magis proprias, modò discuteam.

II. Motivum alterum, ardentis animo religioso ad abhorrendum ab omnibus, quæ mundus amat, & totis viribus concupiscendum contraria, ea scilicet quæ Christus amavit, facies subiciens, est ipsemet status religiosus:

II.
Causa fugiendi honores ex ipso statu religioſo deſumitur.

glofus: Is enim Bernardo & aliis attestantibus, status est hominum mundo mortuorum, & Christo soli viventium; quisigitur non videt, iis illa minimè sectanda esse, quæ mundus amat? Si enim secus fecerint, denuò mundo vivere & Christo emori occipiunt. *Nemo enim potest duobus Dominis servire; Nec Christus & Mundus, Demissio & fastus, Vita & Mors honoris bene conveniunt.*

Imò Religio est Schola Crucifixorum cum Christo, & quidem crucifixorum mundo, cum Apostolo profidentium: *Mibi mundus crucifixus est, & ego mundo:* Ad Gal. 6. Hanc artem in hoc gymnasio totâ vitâ & discimus & exercemus. Quàm verò alienum sit à crucifixo, ambire mundi honores, & pompas; apperere æstimationem & laudes, preñare prefecturas & dignitates; quis non videt? Sanè Cruci ignominiosè affixus, à Crucifixo nihil gloriæ sperat, nihil favoris & auræ popularis expectat, omnia spernit; nihil concupiscit, nihil respicit, nisi alteram vitam & portum æternitatis, cui appropinquat.

Religio ulterius, ex SS. Patrum sententia, est status Pœnitentiæ; est congregatio lugentium: est cœtus peccata sua in amaritudine animæ deflentium: est grex mortificatorum, Christum imitantium; & Christo patienti compatientium; de quibus ipsa Veritas asserit: *Mundus gaudebit; vos verò contristabimini.* Joan. cap. 16. 2. Quid igitur pœnitentibus cum gaudio? Quid cum mundi risu, peccata sua deploran-

tibus? Quid cum honoribus, humilis JESU vestigia legentibus? Quid cum vanitatibus sæculi, sectantibus veritatem? *Quare misero data est lux, & vita his, qui in amaritudine anima sunt?* Interrogat meritò Job. cap. 3. Religiosus à mundo miser creditur: Cur huic misero datur lux, honor, gloria? *Et vita his qui in amaritudine anima sunt?* Quid lacrymanti sæculi crimina, cum prosperitate sæculari? Quid mortuo cum luce, cum splendore, cum felicitate, cum vita hujus sæculi? Quid amaritudini animæ sanctæ, cum lætitia mundana? Non bene conveniunt, nec in una sede morantur, tristitia & lætitia, lacrymæ & gaudium, amaritudo & voluptas, gloria & ignominia, plausus & contemptus.

Adextremum Religio est cæterva servorum Christi, est cœtus singularium amicorum DEI & hostium mundi. Ergo miles & amicus Christi deseret amicitiam & signa Christi, ac velut turpis transfuga deficiet ad castra & amicitiam mundi, sectando ea quæ mundi sunt? An nescitis: quia *Amicitia hujus mundi inimica est DEI?* Jacobi cap. 4. *Quicumque ergo voluerit esse amicus sæculi hujus, inimicus Dei constituitur.* Quare veluti abhorremus ab inimico, ita à mundo & omnibus quæ amat, abhorreamus.

Eximio hac in parte exemplo præfulsere varii sanctitate conspicui Regulares. Sanctus Petrus Damiani dicitur Cardinalis & Episcopi Hostiensis

munere perfundus, ad pristina sese Monachorum studia recepit; egregioque Scripto facti sui ratione reddidit: ut refert Tympius in Spec. Episc. signo 103. n. 5. Doctor Mellissius a ternis civitatibus in Archi-Episcopum electus, nunquam adduci potuit, ut dignitatem admitteret. *Syrus in vita.* S. Dominicus quancopere a dignitatibus abhorruerit, quaternos Episcopatus constanter recusando, abunde demonstravit, contestans mori se malle, quam tali onere gravari. *Tympius l. c. signo 112.* S. Gregorius Magnus in Pontificem electus, nec precibus, nec incredibili omnium Ordinum consensu permoveri potuit, ut Tiaram acceptaret; cumque exitum omnem obseptum cerneret, in dolio exportandum se ad vicinum montem curavit, & in antro latuit, donec columnæ igneæ indicio proditus, & in latebra deprehensus, onus acceptare coactus est, ut recenset *S. Gregorius Thaumaturgus. Et Tympius l. c.*

Horum igitur Virorum sanctimoniâ illustrium, ab omni honore, ac dignitate omnino abhorrentium exemplo, & nos ab omni honore ac pralatione, non tantum extra Societatem, verum etiam intra eandem, animum geramus alienum; & subesse potius, quam præesse eligamus. Non offeruntur quidem hodie nobis Insulæ Episcopales aut Galeri Cardinalitii. Non proponuntur Tyronibus, Collegiorum, Domuumve gubernacula: Non deest tamen illis occasio frequens in parvis animum elatiorem suppressendi. Hæc ergo se se offerente, ab omni, quantum obedientiâ salvâ licet, munere honorato, ab omni gloria

inani, plausu, laude, fanâ, ac magni nominis umbrâ penitus abhorreamus.

III. Motivum tertium Societatis JESU magis proprium, & a mundi vanitate ac gloriâ fluxâ fortius avellens est gloria divina, quam Societatis Alumnus, tanquam Aquilæ pullus genuinus Solem, unice oculis fixis intueri debet. *Ad majorem Dei gloriam*, Acroama & Symbolum est Ignatianum; hoc nisi corde, ore, opere præferat Ignatii Filius, degener & spurcius habebitur. Deus solus omni gloriâ & honore est dignus; homo autem indignus. Quare tota mens, animus, cor, amor, voluntas huius feratur, id unum intendat, quærat, cupiat, desideret, atque sollicitet: *Non nobis Domine, non nobis; sed Nomini tuo da gloriam.* Psalm. 113. Atque ita cor divini amoris studio, ac zelo disten- um genent non libebit proprium honorem venari. Præclare in hanc rem S. Laurentius Justinianus de instruct. & reg. Pralat. c. 12. *Non igitur licet nobis in hac peregrinatione honorem appetere: Non licet gloriam temporalem ambire; cum scriptum sit: Regi saeculorum immortalis & invisibili soli Deo honor & gloria in saecula saeculorum.* 1. Timoth. 1. Si totus honor Deo soli debetur, quæ portio homini conveniet?

Plentiori lumine illustratæ, beatæ in celo Mentes, quantumvis eximii a Deo gratiis ac gloriæ dotibus eondecoratæ, nullâ in re suam aucupantur gloriam, sed in unam divinam penitus abreptæ, coronas suas ante Dei thronum projiciunt, omnem illi gloriam deberi palam profitentes. Et nos homunciones, nos (ut loqui ut Bernardus) velut è plauden-

III.
Causa ex
sine Socie-
tatis depro-
mitur.

nostrâ

nostrâ prorepentes ranæ, nos miseris, infirmitatibus, & ærumnis innatantes vermiculi, nudi, cæci, egeni, in hac lacrymarum valle, positâ fronte & vercundiâ, Deo liberalissimo debitos honores audebimus usurpare? Sanè si ingentiam vilicatem uostram, Deique eminentiam ac celsitudinem perpendamus, omni nos contemptu & opprobrio dignissimos jure censemus; & ad honorem quemvis non secus atque rusticus ad oblatum honorem Regium sibi indebitum etubescimus, nosque derideri existimamus. Præclare rursùm S. Laurentius Justinianus l. c. *Nescit Deum, & semetipsum prorsus ignorat, qui ante oculos hominum honorabilis apparere desiderat. Utique si sciret Deum, à quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, qui universa, qua sunt, fecit ex nihilo, cuius cuncta famulantur arbitrio, & quem Angelorum, Archangelorumque innumerabilis colis exercitus: ipsi soli honorem deferrere concupisceret, ipsumque corde venerando, & ore laudando timeret. Denique si se ipsum agnosceret, profectò se humiliando deprimeret, neque præ sui cordis confusione, oculos ad calum levare præsumeret; quemadmodum Publicanus ille Evangelicus. Non enim potest non gemere, neque honorem prætereuntem non fugere, qui propriæ infirmitatis est conscius, propriæque conditionis est gnarus. Quomodo (quæso) valet se continere à gemitu, qui mentis oculos in semetipsum reflectens videt se densissimis ignorantie involutum tenebris, diversarum cupiditatum irrecitum vinculis, noxiarum cogitationum agitatam procellis, variis perturbatum tentatio-*

num fluctibus atque innumerabilium vitiorum catenis astrictum?

Sanctus Familix nostræ Conditor Ignatius, summus gloriæ divinæ Æstimator, & honoris proprii Contemptor, quanto molissime, licet omnium suffragiis electus, Præpositi Generalis munus à se amovere initio; & decennio in eo exacto, postmodum deponere coactus fuerit, narrat Ribadineira & Tannerus pag. 91. & 21. Pari modo; quanto studio R. P. Jacobus Laynez Societatis JESU secundus Generalis, quantoque conatu à se Episcopatum Labacensem, & Pisanum, uti & Archi-Episcopatum Florentinum; nec non Dignitatem Cardinalitiam, ipsumque summi Pontificatus apicem (ad quem duodeni Cardinales Electores jam suffragia illi contulerant) amolitus fuerit, abhorruerit, ac fugâ periculum evitare decreverit, v. dere est apud Tannerum pag. 95. & 96. Tantos Duces secutus R. P. Joannes Nunnus è Societate nostrâ, ad Patriarchalem Dignitatem Æthiopiæ evehendus, tantopere ab ea abhorrebat, ut asserere et, malle se in compede ac catenâ vitam trahere, quàm oneri huic humeros supponere; quod tamen tandem obedientiâ adactus sustulit, *Histor. Societ. p. 1. l. 14. n. 15.*

Cognitis ergo, carissimi, causis fugiendi honoris mundani, laudis, gloriæ & omnis vanitatis, ac memoriæ perennaturæ apud mortales, quæ fluxa est, quæque fugiendo potius, quàm quærendo obtinetur; & cuius despectu loco acquiritur gloriæ æternæ in cælis: cognitio, inquam, & despectus rationibus, quod scilicet ambitio & vana gloria

ipsemet Statui Religioso repugnet tanquam statui Mundi mortuorum, crucifixorum, pœnitentium, & peculiarium Dei fervorum atque amicorum, illi soli servientium & in illo uno gloriantium, Deinde quòd Societati JESU, peculiari titulo ad Dei gloriam sectandam, propagandamque institutæ, mundanos plausus, favores & encomia aucupari, omnino adversetur; jantum à tyrocinio hæc à vanitatibus istis averfio, & fuga auspicianda est. Non exigit quidem sanctus Parens Noster à Tyronibus apicem perfectionis hujus Regula; sed in examine saltem desiderium d. fiderii hujus perfectionis requirit; quo habito, à parvis contemptibus, modicisq; confusionibus inchoandum est, atque hæc viâ pe-

detentium ad majores, ac magis arduas ascendendum. Quod si neglexerimus, nunquam erimus Mundo mortui, aut crucifixi; nunquam evademus veri Pœnitentes, nec servi aut veri Amici Christi; adeoque nunquam veris Religiosis annumerabimur. Deinde hoc neglecto, nunquam genuinæ S. Ignatii proles, unquam veri gloriae divinæ zelatores nunquam veræ animi demissionis possessores, nec sancti Ignatii & Lainii, nec Moysis, nec aliorum Sanctorum humilitate excellentium imitatoribus accensebimur; sed potius sub veste religiosâ cor superbum, cor tumidum cor vanum & ambiciosum, & si non penitus, saltem semimundanum circumferemus.



EXHORTATIO IV.

IN REGULAM XI. SUMMARI.

Dilucidat pericula dignitatum & honorificorum munerum.

T H E M A.

Judicium durissimum his qui prasunt fiet. Sap. 6. 6.

V E L

Optant imitari Creatorem & Dominum JESUM Christum, ejusque vestibus indui. Reg. II.



Sapientia & dignitate eminentissimus Cardinalis Joannes Bona, in libello, quem viæ Christianæ principia indigitat p. 1. §. 35. hanc doctrinam graviter inculcat. Sapiens est qui suis morientis ponde-

rat res, & æstimat, prout sunt; non sicut prædicantur & æstimantur ab hominibus. Quælibet enim res duas veluti facies habet; unam veram, fucaram & apparentem alteram. Vera est, quæ rationibus divinis & ideæ in mente Dei existenti conformis est; falsa est, quæ secundum ideas & affectus

affectus hominum, pravasque amoris proprii præscriptiones efformatur. Sic Dignitas Episcopalis (ait dictus Author) secundum veram, divinamque ideam onus est vel Angelicis humeris formidandum; & servitus, quâ Episcopus, ad Divinarum & Apostolicarum Institutionum Præscriptum, animarum salutem consulere tenetur, strictissimam in supremo Judicii die, de illis Deo rationem redditurus. In falsa autem atque apparente hominum ideâ Episcopale munus est dignitas, ad quam promotus gradum in Ecclesia Dei conspicuum obtinet, divitias amplas adipiscitur, & ab omnibus honore cumulatur. Unde accidit, ut hoc munus secundum veram ideam respiciens, tanquam onus grave refugiat oblatumque constanter repudiet: Qui vero idiplum secundum ideam falsam vulgi more inuenerit, illud optat, quærit, ambit; & quovis modo, non licito duntaxat, sed etiam non raro illicito procurat. Idem de aliis gradibus ac dignitatibus, tam Ecclesiasticis, quam Religiosis adstruendum est. Atque hinc totius orbis & omnium Ordinum perversitas ac perturbatio oritur, quod veris rerum idelis & definitionibus plerique careant, hujus mundi nebris & præstigiis assurti; nec idonei sint ad Dei lumen recipiendum.

Ut igitur & nos his tenebris & erroribus non involvamus, sed sub vitæ religiosæ primordia veras honoratorum officiorum ideas in mente formemus & concipiamus; rigidissimum illorum examen, judicium durissimum, & gravissimum supplicium discutiamus,

quibus perspectis, haud dubiè ab hisdem omnino abhorrebimus.

I. Si itaque faciem & ideam veram Munerum Episcopaliū, Prælatorum & Superiorum Religiosorum intueamur; deprehendimus primò grande onus, reddendæ in die Judicii strictissimæ rationis de omnibus subditis. Disertè id adituit Doctor Gentium in Epist. ad Hebr. c. 13. 17 *Obedite Præpositis vestris, & subjacete eis: Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddaturi.* Superior ergo de cujusque subditi anima rationem debet, & animam suam pro illa quodammodo oppignorat, ac pro eadem æternæ mortis periculo se exponit.

Ejusmodi onus in se suscipit summus Pontifex pro animabus totius Ecclesiæ: Dicitur enim est illi à Domino: *Pasce oves meas. Pasce agnos meos.* Agnovit hoc Innocentius XII, Pontifex Maximus, quando peractâ paulò ante mortem Ascensu Ignatianâ, Patri nostro Baldesano exercitia tradenti, dixit: *Quantò felicior essem, si binos Fratres meos secutus fuisset (qui fuerunt Societatis nostræ) cum nunc ratio de Ecclesiâ universâ Deo reddenda mihi incumbat.*

Onus idem admittit Episcopus pro Diocesi sua, & ovibus singulis sibi commissis. Unde quidam Episcopus dum morè ordinandus, jamque Habitu Pontificali amictus, ex Rituali Libro pro more rogaretur: num velle animam suam obstringere pro ovibus suis? Extemplò vestes exiit, & se cum tali onere honorem nolle edixit, lacrymansque profugit ad montes.

I.
Onus Prælatorum
examen
strictissimum.

Non ab simili modo S. Nilamon Monachus, cum adigeretur munus episcopale suscipere, pauculum temporis postulavit, quo in conclavi Deum per orationem consulere intravit, oravit, & in oratione animam Deo reddidit, mortem præeligens dignitati & oneri reddendæ rationis de ovibus. Niceph. L. 13. c. 17.

Onus simile Præpositus ordinis Generalis sibi imponit pro tota Religione; Provincialis pro tota Provincia, Rector pro toto Collegio, vel Domo; danda igitur huic Rectori ratio, de subordinatis sibi Officialibus, de Professoribus, de Verbi Divini Præconibus, de rerum temporalium adiutoribus. Danda illi erit ratio de singulorum operibus bonis & malis, de profectu ac defectu; de rebus spiritualibus & temporalibus, usque ad novissimum quadrantem. Danda illi erit ratio, non solum de defectibus ac delictis propriis, verum etiam alienis; imò & de omissionibus. Refert Cardinalis Bellarmus in Libello de arte bene moriendi L. 2. c. 6. Ægrotasse ad mortem Episcopum pietate ac doctrinâ conspicuum; rogatum quæ à Sacerdote, num conscientia pacata foret? respondisse; nihil gravioris de se sibi occurrere. Addidit Sacerdos, an conscientia omissionum ipsam non reprehenderet; cum Apostolus tam sollicitè Timotheum Episcopum admonuerit dicens: *Testificor coram Deo & Jesu Christo, qui judicaturus est vivos & mortuos; per adventum ipsius, & regnū ejus: prædica verbum, in sua opportune, importune, argue; obsecra, increpa in omni patientia.* 2. Tim. 4. His auditis ingemuit bonus Episcopus; & ait: *Verè omissiones me non parùm exterrēt: &*

his dictis cœperunt oculi ejus profundere flumina lacrymarum.

Quam verò hæc ratio reddenda sit ardua, quis non videt? S. Laurentius Justinianus de Inst. de reg. Prælat. c. 1. verè scribit: *Ceteris negotiis magis periculosum est regimen animarum; atque ad illud, prout oportet, ministrandum difficillime quisque reperitur idoneus. Verum si quis pro se ipsorum rationem reddere nequaquam sufficit, quanto minus pro se sibi que commissis: Omnes, inquit, apostolus, stabimus ante tribunal Christi, reddituri procul dubio rationem de collatis muneribus, de ommissis bonis, perpetratis criminibus, & de ministerio credito. Ceterum ad hoc quis sufficiens est, quis securus, qui redargutione reperitur immunis? Judicium durissimum his, qui præsumunt, fiet, inquit Sapiens. Nempe si hoc homines considerarent, minimè ambirent præesse, neque Ecclesiastica dignitatis cathedram tanto cum studio quarerent. Eisdem difficultates perpendens S. Joannes Chrysostomus in Epist. ad Hebr. c. 13. 17. Homil. 14. concludit: *Mirum si potest aliquis Rectorum salvari: Quis igitur tam stolidus & salutis suæ negligēs, tam securitatis pertæsus erit, ut ejusmodi dignitates ambiat?**

II. Onus alterum est judicium rigidissimum & irrevocabile sententia Judicis, secundum illud Sap. 6. *Durissimū his qui præsumunt judicium fiet.* Si enim, qui præest, officio sibi imposito non faciat satis, judicabitur, & dura tremendi Judicis sententiâ ferietur. Officium Rectoris animarum est, omnium peccata portare, omnium tentationibus & animarum periculis occurrere, omnium morbis spiritualibus medelam adferre; &

II.
Onus, Je-
dicium du-
tissimum.

tamque

ramque domum oratione ac sanctis defenditis, velut humeris, sustinere; quæ si neglexerit, durissimū iudiciū præstolatur. Jam si quis de propriis defectibus atque excessibus, formidabilem Iudicis sententiam iure metuat; quo pacto de propriis simul & alienis non formidabit? Timuit profectò valde hoc iudicium mellissimus Doctor Bernardus, qui Ep. 42. scribit ad Henricum Senonensem Archiepiscopum: *Si tentatio sit cuiusq; hominis visa super terram, quantis, putatis, patet periculis visa Pontificis (id est Episcopi, addamus & Generalis, Provincialis, Rectoris, Superioris,) cui omnium necesse est ferre tentationes? Si ego latens in caverna, & quasi sub modio non quidem lucens, sed fumigans, ventorum tamen impetus nec sic declinare sufficio; sed continuis tentationum, varisque fatigatus impulsibus instar vento agitata arundinis huc, illucque circumferor; quid postus supra montem, posticus supra candalabrū? Solus mihi servandus: solus tamen ipse mihi sum scandalo, solus radio, solus oneri, atq; periculo; ita ut propria gula, & ventri & oculo scandalizanti, frequenter irasci oporteat: quibus ergo molestis angitur, quibus lacessitur injuriis, cui etiam etsi propria cessens, nunquam tamen de alienis desunt, foris pugna, insus timores?* Hactenus Bernardus.

Deinde officium Gubernatoris animarum est. 1. Sibi commissos purgare à vitis, arguere, monere, corripere, ac pœnis etiam castigare. 2. Illuminare, in omni virtutum genere instruere, exhortari, prædicare verbum Dei, quod est lucerna pedibus nostris. 3. Sibi creditos perficere, pro iisdem preces ad Deum fundere, vitæ perfectæ exemplo eis præluere,

Sacramentis pascere. Quæ si animarum Curator negligat: qualem sententiam à Iudice Supremo audiet? Non aliam, nisi quam olim Deus per Zachariam prædixit c. 11. 17. *O pastor! ô idolū derelinquens gregem!* Et illam Ezech. c. 34. *Quod infirmum fuit, non consolidastis; quod agrotum, non sanastis; quod confractum, non alligastis; quod abjectum, non reduxistis; quod perierat, non quasivistis. Propterea Pastores audite verbum Domini: Ecce ego ipse super Pastores, requiram gregem meum de manu eorum. Scilicet in magno illo & decretorio die, coram sanctis Angelis, & cœlitibus, hoc tonitru, hoc fulmen in eos torquetur: O Pastor! ô idolū! ego te vocavi, elegi, oviumque mearum rectorem constitui: sed tu gregem meum dereliquisti, quod infirmum fuit, non consolidasti: Sanguinem ejus de manu tua requiram: I, maledicte in ignem æternum! ô fulmen terribile! ô quam felix tunc erit, cui dicere cum Redemptore licebit: Quos dedisti mihi, non perdidisti ex eis quonquam! quam contra infelix, cujus culpâ, anima vel unica perit, iuste propterea Rectorem suum in iudicio accusatura, & in inferno maledictura in æternum!*

III. Onus tertium est pœna Præsidū, officio suo malè fungentium gravissima: neque enim solum iudicium, his qui præsumt durissimum fiet, sed gravissimo queq; supplicio plebentur: testatur id Sapiens, Sap. 6. v. 7. *Exiguo conceditur misericordia a potentes autem potenter tormenta patientur. Exiguo, id est, pauperi, plebejo, privato, qui peccando minus lædit, facilius venia indulgetur; potentes autem, id est, Reges, Principes, Episcopi, & animarum regimini præfecti,*

III.
Onus, gravissimum
supplicium

potentier

potenter tormenta patientur. Horum enim delicta longè sunt graviora, tum quia sublimis eorum status maiorem virtutem & perfectionem exigit; tum quia Subditis scandalum & peccati illecebram præbent. *Regis ad exemplum totus componitur orbis.* Tum quia peccatis erubescenciam quodammodo adimunt, quæ quasi agger est vitia continens, ne in publicas exundent vias, & omnem honestatem demergant. Tum denique quia aliis iniustitiâ suâ damna gravia inferunt, dum quidquid libet, licitum credunt. Quare meritò *potenter tormenta patientur.*

Mandavit Deus Moyfi, ut Principes Tribuum Israël, fornicantes cum filiabus Moab, & earum idola colentes, *suspenderentur contra Solem in patibulo.* Num. 25. 4. Origines ibidem Homil. 20. addit eos suspensos fuisse, eò quòd populum non docuissent, non monuissent, non sollicitè arguissent. Quare concludit: *Hac sic cogitent homines, Principes non ambirent. Potenter tormenta patientur.*

Rogat Theodoretus Quæst. 43. in Deuteronom. Quamobrem Moyses levis dubitationis ergò à Deo exclusus sit à terrâ promissâ; populus verò gravioribus delictis obnoxius in eam sit introductus? Respondet quæ: docet nos eâ te Dominus, summam se à perfectis virtutem reposcere. Et cum erga ceteros homines graviter delinquentes sit longanimis; Sanctis tamen hanc veniam non concedere. *Exiguo enim datur misericordia.* Et *Potentes potenter tormenta patientur.* Et *Cui plus datum est, plus requiretur ab eo.* Hoc ex capite

Pharaonem, Nabuchodonosorem; Antiochum, Mauritium, & alios sexcentos Deus suppliciiis gravissimis castigavit.

Atque his de causis Infulas fugere S. Gregorius Thaumaturgus, S. Athanasius, S. Basilus, S. Chrysostomus, S. Gregorius Nazianzenus, S. Ephrem, Sanctus Ambrosius, S. Augustinus, S. Fulgentius, alii quæ quam plurimi. Qui tamen hoc munere extiterè dignissimi, illud quæ coacti, admittentes, summâ cum laude gesserunt. Unde Leo Imperator Anno Domini 469. L. 31. de Episc. & Cler. ait: *Presbiter non est dignus Sacerdotio, nisi fuerit ordinatus invitus.* Inviti enim clarius Episcopalis oneris & honoris pericula perspiciunt, ideo quæ majori strenuitate ac sollicitudine officio suo funguntur.

Hoc periculum æternæ damnationis valde apprehendit Beatus Pius V. ex Ordine Sancti Dominici ad Ecclesiæ gubernacula assumptus, qui dicere solitus fuit: Quando factus sum Religiosus, cœpi de salute mea bene sperare; Factus Cardinalis cœpi timere; Creatus Pontifex cœpi penè desperare.

Hoc periculum salutis tenuit sanctum Augustinum, dum de seipso ita scribit, de div. serm. 5. 43. *Usque adeò timebam Episcopatum, ut in quo loco sciebam non esse Episcopum, ne illo accederem, caverem. Et hoc agebam, quantum poteram, ut in loco humili salvarer ne in alto periclitarer.*

Hoc periculum reprobationis agnovit Doctor Angelicus, inter tria enim, quæ in votis habebat, tertium erat, ut ad nullos honores aut Prælaturas pro-

promoveretur : eaque de causa Archi-Episcopatum Neapolitanum sibi à Clemente IV. oblatum recusavit. Et in morte sibi gratulatus est. Deoq; gratias egit, quòd titium votorum suorum compotem reddidisset.

Hoc periculum interitùs scivit Gofredus Religiosus Cisterciensis, cui cum Dignitas Episcopalis offerretur, renuit. S. Bernardus eum instanter, ut admitteret, rogavit; sed abnuìt. Eugesius Pontifex literis hortatus est; sed constanter recusavit. Defunctus autem cuidam Religioso conspicuus dixit: Feliciter res cecidit, quia Episcopatura repudiavi; nam DEUS mihi revelavit: *Si fuisset de numero Pralatorum, essem de numero damnatorum.* Simile narrat Thomas Cantipratanus L. 1. Exempl. c. 201. de Canonico Sancti Victoris, qui à morte apparuit amico, dicens: *Si de numero Episcoporum fuisset, in damnationis periculum incidisset, & de numero Electorum non essem.*

Periculum denique salvationis in praelatione agnovit Sancta Theresia, quæ in vita sua c. 38. hæc refert de suo Patre Provinciali, honestæ, probæque vitæ viro, piè defuncto: *Quem ut demortuum audivi (ait) mirum in modum turbata sum, quia de salvatione ejus timebã, viginti quippe annis Superiorem egerat, quam ego rem certè valde timeo: Mihi enim perquam periculosum videtur, animarum regimen habere. Itaq; magno cum pavore me intra quoddam Oratorium abdididi, totiusq; vitæ meæ bona opera in illum transtuli, ut Anima in flammis Purgatorii, si fortè egeret, juvaretur: Et mox vidi illum in calum efferrì, elapsis vix à morte*

binis hebdomadibus. Comperi verò postmodum illum cum maxima Circumstantum adificatione diem suum obiisse; admirantium, Virum hunc tanto cum dolore, penituntine, humilitate & lacrymis ex hac vita migrare.

Quæcirca, Charissimi, si fortassè de Prælatorum muniis honorificis in vel extra Societatem, grandem quandam æstimationem in cerebro vestro effinxistis: Si muneri Provincialis, aut Rectoris splendor oculos fortassè vestros perstringit, ne respiciatis hanc faciem; sed alteram, onera gravia præferentem; onus scilicet reddendæ strictæ rationis de omnibus subditis, seu examen rigidissimum: deinde durissimum Judicium & fulmen Judicis in supremo die; denique gravissimum supplicium, si munere suo non rite fungantur. Quis nisi amens, & ambitionis furo, fumoq; penitus excæcatus, postquam mundum contempsit, Deoq; in humilitate servire elegit, ad aliorum regimen aspiret? Quis securitatem Subditi cum Prælati periculo, nisi temerarius, commutet? Quis tot sanctorum, prudentissimorumq; Patrum exemplo non sapiat? Quis rationibus propriis sat gravatus, alienis quoque intricati appetat? Nec pro se duntaxat, sed & pro aliis judicii extremi aleam subire, & in pœnarum sempiternarum pericula sese conjicere audeat? Quare Subditorum præ Rectoribus securitatem, felicitatemque agnoscite: & officia honorifica non secundùm vulgi aspectum & intuitum, sed secundùm ideam veram & Dei lumen & judicium respicite:

nunquam eò studia, conatus, ac talenta dirigite, ut suo tempore aliis præesse valeatis; sed (salvâ semper obedientiâ) quantum licet, humilliora semper sectemini, & subesse potius, quam præesse

eligatis atque opteris. Hâc viâ strictissimam de alienis animabus Deo reddendam rationem, iudicium durissimum, Præsidibus incumbens, & supplicium gravissimum feliciter evaderis.



EXHORTATIO V. IN REGULAM XI. SUMMARI.

De induendis Christi Domini Insignibus ac vestimentis.
Scilicet contumeliis, falsis testimoniis, injuriis,
& stultitiæ titulo tolerandis

T H E M A.

Induimini Dominum Jesum Christum. Rom. 13. 14.

VEL:

Optant Insignibus & vestibus Christi indui. Reg. II.



Uemadmodum Aulici, Ephebi, aliique Cæsarium ac Regum famuli certo vestimentorum colore ac formâ tanquam insignibus resplendent, quibus ab aliorum Principum famulatio distinguantur: ita Rex Regum, ac Cæsar Cæsarium Christus Dominus, Ejusque ministri sua circumferunt Insignia, quibus & Nos indui hâc Regulâ cupit S. IGNATIUS.

In veste summi Sacerdotis & in malis paucis ad eam vestimenti ejus pendentes

tibus quaterni refulgebant colores, ut Cap. 28. 15. Exodi legitur. Conficiebantur enim ex hyacintho, purpurâ, cocco bis tincto, & bysso retortâ; qui colores tropologicè virtutes sacerdotales adumbrabant. Colores iidem mysticè relucunt in veste Summi Regis ac Sacerdotis nostri JESU Christi; Ejusque excellentissimas virtutes indicant. Hyacintho, ejusque colore cæruleo seu violaceo representatur profundissima Christi humilitas, demonstrata in perferendis tot tantisque contumeliis, Purpura denotatur Ejus patientia, ostensa

In tolerandis falsis testimonis, aliisque e
pœnis ac tormentis. Cocco bis tincto,
qui est coloris rubicundi & ignei, figu-
ratur ardentissima ejus erga Deum &
Proximum Caritas, patefacta in suffe-
rendis tot tantisque injurijs. Denique
colore candido in bysso retortâ ostend-
tur eximia Christi Domini Innocentia,
castitas, & tolerantia in contemptibus,
irrisionibus, & stultitiæ titulo,
In alba veste apud Herodem sustinen-
dis.

Hanc vestem, hæc Insignia Christi
cupit nos induere S. Parens noster, quod
ut animosius, alacriusque præstemus,
luculenta Christi Redemptoris nostri
exempla in exhortatione hodiernâ in-
tuebimur.

I. Vestimenta Imperatorum ac
Regnum terrenorum auro gemmisque
diradiant, quo honorem, veneratio-
nemque sibi concilient, & Majestatem
Imperatoriam aut Regiam declarent.
Eorumque Insignia sunt paludamenta
polymita, diademata aurea in capite,
sceptraque in manibus coruscantia.
Quemadmodum Augustissimus Impe-
rator Leopoldus hoc anno 1700.
16. die Februarii in throno sub uranisco,
auro fulgente residens, Proceribus Aulae,
auro quodque & gemmis radiantibus
stipatus Legationem Turcicam, pariter
auro & gemmis rutilantem excepit.
Hæc sunt vestimenta, ornamenta atque
Insignia Regum terræ. At Rex noster
cælestis, cæli ac terræ Monarcha humil-
limus aurum & gemmas, splendorem &
pompâ externam despicit, rejicit, calcet,
illisque omnino contraria exoptat & e-
ligit. Nam. I. Pro Paludamento Regio,

aut tunicâ sacerdotali assumpsit hyacin-
thiam vestem humilitatis, quâ omnis
generis contumelias sustinuit, ut nos ad
imitationem accenderemur: atque ut ad
particularia descendamus.

1. Rex & Sacerdos noster summus
omnis temperantæ ac modestiæ erat
regula: & tamen audire debuit: *Ecce
homo vorax & potator vini*, Matth. 11. 19.
2. Erat speculum absolutissimæ demissi-
onis & perfectionis; & insimulatur su-
perbiæ. *Nunquid (inquunt) Tu major es
Patre nostro Abraham? Quem te ipsum
facis?* Joan. 8. 18. 3. Summus erat: Patris
sui honoris, laudis & gloriæ zelator; &
ceu blasphemus traducitur. *Blasphema-
vit*. 4. Erat Debellator omnipotens
Principum tenebrarum; & tanquam
pactum cum iisdem habens diffamatur,
*In Beelzebub Principe demoniorum ejicit
demonia*, Lucæ 11. 15. Et *Demonium ha-
bet*, Matth. 9. 14. 5. Erat omnis religio-
nis & obedientiæ norma: Et Violator
Sabbati nuncupatur.

Atque hic primus est color vestis
Christi, quem amavit, elegitque;
nobis præbens exemplum, ut sequamur
vestigia Ejus. At ubi est ejusmodi
in nobis amor & desiderium? Eluxit hoc
in Apostolis, Martyribus, Confessoribus
eximie perfectionis: At quàm longè
ab his distamus? Qui laudes & plausus
majore gaudio, quàm contumelias
contemptusque suscipimus? Unde verò
istud? Nondum Mundum, ejusque
vanitates perfecte sprevimus; nondum
fructus in iis reconditos perspicimus;
nondum ardente Christi amore & imi-
tandi desiderio ardemus; nondum seridè
ad laudes & honores æternos aspiramus

O si Beati Juniperi S. Francisci Socii Intellectu & affectu præditi essemus ! Qui contumelia & ignominia affectus , gaudis exultabat , apertoque vestis sinu dicebat : *Huc mihi hos lapides preciosos conijcite* Ejusmodi probra & scommata omnibus lapidibus preciosis anteponens. Nunc verò cum nobis tenuis cognitio , amorque Christi debilis ac remissus sit , exiguum quoque illorum desiderium sentimus : Mensura etenim amoris, mensura est operationis ac disciplinæ.

II.
Vestis
Christi
purpurea.

II. Vestis altera Christi purpurea , & Insignia , falsa sunt testimonia , quæ Salvator noster amavit , optavit , ac invictima mansuetudine , patientia & caritate pertulit. Ejusmodi falsa testimonia audire desideratis ? Audite.

1. Erat summus omnium benefactor , & malefactoribus annumerant ; dum Pilato Interroganti : *Quam accusationem affertis adversus hominem hunc ?* Respondunt : *Si non esset hic malefactor , non tibi tradidissimus eum.* Joan. 18. 19. Tanquam si dicerent : nostra testimonia sufficiunt , ut eum sceleratum & mortis reum arbitreris , ulteriore examine superfedere poteris. 2. Erat Princeps pacis , calum & terram reconcilians ; Hebræos & Gentiles in Ecclesia una artificino pacis , caritatisque vinculo uniens. Et seditiosum , populorum concitatore , ac discordiarum factorem falsissimè testimonii proclamant. *Subiit Gentem ; prohibet tributa dare Cæsari , & docens commovet populum.* Luca c. 22. 3. Erat Salvator Mundi , animas ab erroribus & peccatorum labyrintho eripiens. velut lux

illuminans , per viam cæli ducens , atque omnes falsitatis nebulas dissipans ; & publicè tanquam seductorem delusum , impostorem , & in via perditionis derinentem proscindunt , & attestantur. *Non est bonus* (Inquunt) *sed seducit turbas.* Joan. 7. 13. Et rursum. *Recordati sumus , quia seductor ille dixit adhuc vivens ; post tres dies resurgam.* Matth. 27. 63. Quæ orania Redemptor noster summa patientia , mansuetudine , & silentio sustinuit.

Quam præclarè R. P. Alphonfus Salmeron , unus è denis S. Ignatii Sociis , Christum Dominum imitatus sit ; recenset Tannerus in vita pag. 200. Quando falsis testimoniis , calumniisque sparsum : ipsum in vincula conjectum , rogò publicò exustum , in hæresin prolapsum , Neapoli Genevam profugisse ; quæ omnia pugil invictus forti animo pertulit , donec Pontificis & Cardinalium testimoniis contrariis , ab omni falsitate defensus , & honori restitutus fuit.

Vestem istam , Carissimi , excontumelliarum & falsorum testimoniorum centonibus meris contextam Salvator noster concupivit , elegit , gestavit : in inimicorum neminem , iram , vindictamque spirans , aut fulmen è caelo evocans ; nec verbo sese defendens aut objecta diluens. O quam semus nos Regi nostro dissimiles ? Quam facilè ad minimum verbum succensimus , refellimus , excusatus , vindicamus ; Deferat quispiam innocentem ad Superiorem ex errore , ob rem exiguam , ob delictum non grave , & patebit virtus nostra,

III.
Vestis
Christi
coccinea.

III. Tertia Christi vestis coccinea sed rubicunda, & ejus insignia, sunt varia injuriarum, ex amore nostri toleratarum; quae ed difficiliores, Redemptori accidere, quod ab hominibus ingratis, plurimisque beneficiis devinctis inferretur.

I. Quanta injuria fuit, & ingratitude? Innumera pararat miracula, infirmos sanarat, caecos illuminarat; mortuos suscitarat: Et quid rependere statuunt? *Quid facimus quia hic homo multa signa facit? Si dimittamus eum, omnes credent in eum.* Joan. II. 47. Quid facimus igitur? *Expedi ut unus homo moriatur pro populo.* Et omnes exclamant *Morsatur.* 2. Quanta injuria & ingratitude? Judam Apostelatus honore condecorarat, triennio instruxerat, educerat, Collegii Apostolici Procuratorem constituerat; & ab eodem osculo proditur, venditur, & in manus hostium infensissimorum traditur. 3. Quanta injuria & ignominia; Dominum licet innocentem à Pilato declaratum, tam nihilominus vilem reputatum, ut ad voluntati Judaeorum vellificandum & ad morem iis gerendum, acerrimè flagellandum curaverit, populo tamen hoc flagellationis supplicio nequaquam acquiescente; sed crucifigi insuper postulante?

Atque ut prorsus extraordinarius & inauditas injurias paucis perstringamus: quanta injuria existit Christum Dominum Barabbæ homini flagitiosissimo seditioso homicidæ, à Pilato postponi? Spinis instat Regis fictitii, coronari, detrita chlamyde per ledibrium Indui, arundineo baculo, sceptri loco,

donari, carne discissâ, & facie sanguinolentâ, contupta, ac tumida toti populo lugubre spectaculum proponi, & ab illo nulla commiseratione moto, succlamari: *Crucifige, crucifige! tolle, tolle!* Ac denique Redemptorem mundi, Filium Dei, inter latrones probrosè in crucem agi. Quenam obsecro, injuria major vel excogitari valet? O quam spleadet igitur hîc in Christo vestis purpurea patientiæ & coccinea charitatis? Quam meritis de populo suo pronuntiarit illud Ps. 108. *Posuerunt adversum me mala pro bonis, & odium pro dilectione mea.*

O injuriarum Salvatoris prorsus stupendæ! & aliàs inauditarum! atque ex cordibus aded ingratis, furoris, odiique mortalis felle repletis profectæ! tam instabili nihilominus humillitate ac mansuetudine acceptatæ! O quam confunditis impatientiam nostram? Quis, Charissimi, his exemplis non animetur, ut in pimas injurias saltem (quales ferè Novitius accidunt) patienti, si non libenti animo sufferat? Quis obganniat vel obstrepat, si innocens, culpæ reus judicetur; si qui ferere debebat, adversarium agat, si vilioribus postponi se videat, si non promeritus levem poenam subeat? Quantas hisce generosè toleratis in caelo sibi coronas fabricaret? Sanè S. Egidius S. Francisci socius asserere non dubitavit: *Melius esse unam injuriam insignem aut infamiam cum humilitate supportare, quam quotidie centum pauperes alere, ac plurimum jejunare.*

IV. Quanta Christi Sacerdotis magni vestis est ex bysso retorra, vestis alba, vestis irrisoria & illusoria, & fatuitatis, stoliditatis ac stultitiæ index,

IV.
Vestis
Christi
byssina.

Hanc vestem induit Salvator sub prædicationis suæ exordia, dum enim tanta libertate Evangelium annuntiaret populûsque frequens accederet; ait S. Marcus cap. 3. 21. *Cum audissent sui* (Sytus, Theophylactus, Euthymius, Beda vertunt Fratruales) *exierunt tenere eum, & ligare, quoniam in furorem versus est.* Causam allegat Cardinalis Cajetanus in Matthæum: *Viderant cognati usque ad tricesimum annum Mechanicis artibus occupatum, sciebant literis operam dedisse nunquam; ac propterea, audientes, quòd cum concursu populi prædicaret, existimarunt eum versum esse in insaniam, ideoque comprehendendum, ligandumque censuerunt, ne cum infamia cognationis, vagaretur garriendo.*

Induit quoque Rex noster vestem byssinam, & illusoriam comparens coram Rege Herode, cum videre desiderante, non ex devotione, sed curiositate vanâ, ut rarum quoddam prodigium videndo oculos pasceret. Verùm cum nihil horum impetraret, nec verbum quidem exprimeret, sprexit eum cum exercitu suo, ceu hominem vilem, imperitum, idiotam, nec scientem, nec ausum coram aula loqui, nec utentem, oblatâ occasione, gratiam regiam captandi & liberationem obtinendi: ut explicat S. Bonaventura in cap. 23. Lucæ. Quare tandem albâ veste induit veluti stultum, toti que populo in plateis deridendum proposuit, & ad Pilatum remisit. Hac ratione Dominus humillimus nostram voluit confundere superbiam; qui sapientiæ & doctrinæ titulum ubique captamus, Magnatumque

gratiam & favorem adulando procurare studemus. Voluit quoque pro nostris delictis satisfacere, nosque admirabili suo humilitatis exemplo ad uicia hominum, & favores Magnatum contemnenda excitare. Non licet quidem nobis absque expressâ Superiorum licentiâ stultitiam simulare; & si absque culpâ nostrâ accidat, ignorantæ, insipientiæ, imprudentiæ vitium, titulumve nobis impingi, occasio Christum imitandi arripienda, a videque amplectenda erit.

Viri sancti & moniâ illustres, quàm plurimi strenuè Christi Domini vestigia legere. S. Martinus Episcopus, à multis contemptibilis, Episcopatu indignus, veste sordidus, crine deformis habitus fuit: at ipse solatio gaudioque repletus calumniatores diligebat, ac pro iis preces fundebat: ut refert Surius in vita.

S. Simeon Salus, vir sanctitatis admirandæ, ac prodigiorum magnorum patror, Christum imitandi studio, ignominias, stultitiæ titulum, injurias, contumelias, contemptus ardentè à Domino flagitavit atque obtinuit. Surius in vita.

B. Jacoponus tamen si sapientiâ insigni præditus, ex amore Christi Domini, ac mundi contemptu, stultitiam simulavit, adeò ut aliquando plumis versicoloribus coopertus, Domum Fratris nuptias celebrantis ingressus, eas turbârit, & cum pueris in platea luserit, ut contemptui ac ludibrio esset. Teste Joanne Baptista Modio in vita.

Noster P. Gonzalvus ex contemptus sui desiderio coram gynæcœo Regiæ Lusitæ.

Lusitanæ Catharinæ, veluti à potestate mentis dejectum se gessit: ut refert Nicolaus Godignus in vita L. 3. c. 6. Similia in vita R. P. Bernardi Colnago, & S. Philippi Nerii legere est.

R. P. Simon Rodericus unus è denis primis Patribus nostris Conimbricæ, Ambrosio Forreiræ Societatis Candidato, periclitandæ constantiæ ergo, imposuit, ut mediâ ille, per urbem mediam, absque pallio & pileo, cranium dextrâ præferret, & in obviis templis aliquid orans subsisteret. Erat is ob multæ periclitam totâ urbe notissimus. Quis eum non delirare credidisset? Hoc experimento peracto, ad Societatem admissus fuit. Nec ista S. Ignatius intelligens improbavit, asserens se scire; Viros sanctos olim sanctas id genus insanendi rationes, præsertim conversationis suæ initio, magno in virtute profectu ad sui victoriam adhibuisse. Laucicius in opusc. de confus. quaerenda.

Quæ cum ita se habeant, Dilectissimi; & Christus Dominus Rex noster, vestem hanc, pro salute & exemplo nostro induerit; si servi ejus esse cupiamus, ejusdem vestimenta & insignia lubenti animo amplectamur, scilicet contumelias, falsa testimonia, injurias & irrisiones; saltem in minimis & obviis, Tyronibus crebro occurrere solitis: hâc enim viâ, sensim sine sensu ad graviora superanda disponemur; quod

nisi præstiterimus, signum est parum nos in Spiritu proficere; nam S. Ignatius ait in Regula. *Qui procedunt in Spiritu, ardentè exoptant*, &c. Cavendum tamen ne ista, commissa à nobis culpâ, eveniant; sed exequamur Apostoli monitum: *Quod bonum est faciamus, fideliter, nemini dantes ullam offensionem*; sed ex parte nostra omne malum, maliq; speciem fugiamus, ut non (culpâ nostrâ) vituperetur ministerium nostrum: sed in omnibus exhibeamus nos sicut Dei ministros in multa patientia, res omnes adversas ac molestas, undecunque ecciderint, generosè supportando. *Per arma justitiæ*, id est per opera bona, justa & sancta, fortitudinem, constantiamque servemus: tam tempore prosperitatis, quàm adversitatis transeuntes, *per gloriam ignobilitatem, per infamiam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam*: ut illâ non dejiciamur, hâc non efferamur, aut in arrogantiam, ac vanam complacentiam extollamur; sed illam cum animi submissione toleremus, pro illa laudes Deo & grates referamus, qui omnia ordinar in Electorum suorum bonum. Hæc observando Christi vestes & insignia, velut Aulici & Ministri ejus, gestabimus, ejus similitudinem acquiramus, animi demissionem nobis comparabimus, in Spiritu ac perfectione valde proficiemus, ac denique animas nostras meritis ac donis cælestibus locupletabimus.





REGULA XII. SUMMARI.
EXHORTATIO I.
IN EANDEM.

Declarat abnegationem & mortificationem internam ac
externam sub gemini gladii schemate.

T H E M A.

*Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat
crucem suam, & sequatur me. Matth. 16. 14.*

V E L

*Impensius studium cuiusque fit, querere majorem sui in
Domino abnegationem. Reg. 12.*



Amatissimus Redemptor noster, jamjam abiturus ad montem Oliveri, amatissimamque passionem suam auspiciaturus ad Discipulos, in Cœnaculo adhuc congregatos dixit Lucæ c. 22. 39. *Quando mis-
si vos sine sacculo & perâ, nunquid aliquid
defuit vobis? At illi dixerunt, nihil.
Dixit ergo eis; sed nunc qui habet saccu-
lum, tollat; similiter & peram, qui non
habet, vendat tunicam suam, & emat gla-
dium. Dico enim vobis, quoniam adhuc
quod scriptum est, oportet impleri de me:*

*Et cum iniquis deputatus est. At illi dixe-
runt; Domine, ecce duo gladii hic: at ille
dixit eis: satis est. Per binos hosce gladios,
symbolico, mysticoq; seusu, optimè in-
telligimus, geminas virtutes, abnegationem
& mortificationem; internam scilicet
& externam. Ad binos autem hosce gla-
dios comparandos, necessè est vendere
sacculum, peram & tunicam. Primò sac-
culum, id est curam & sollicitudinem car-
nalis ac commodorum ejus; & quâ id ratio-
ne præstandû sit Regula 28, & 29. osten-
dit. Deinde peram, id est, amorem om-
nem proprietarium paupertati repug-
nantem. Quî verò id intelligendum sit,*

Regula

Regula 23. 24. 25. 26. de paupertate, clarè exponit. Denique vendere oportet *tunicam*, id est, omnem amorem proprium, ac præcipuè, æstimationem sui; quo verò pacto id effici debeat. Regula 31. & sequentes declarant. Quamvis etiam possumus dici acquirere, seu emere binos illos gladios, seu virtutes, abnegationem & mortificationem, dum illas assiduè exerceamus, atque ita illarum ope perfectionem acquirimus. Hoc intendit præfens Regula; atque hoc sensu continuo usurpati illi duo gladii tam sunt præclari, ut si quis illos in Societate nostra habeat, Christus Dominus asserat, *satis est*. Quia tendit ad perfectionem magnis passibus.

Exponemus igitur quomodo geminushæc gladii utendum sit, juxta Regulam 12. ut ea, quæ à S. Patre, in undecima, proposita sunt, assequamur.

I. Primus gladius est abnegatio sui. Dicitur gladius, quia noxia amputat, vitia resecat, & dolorem quendam parti inferiori hominis infert: sed quia interior est, & palam non videtur hæc abnegatio; est quasi gladius reconditus in vagina; & conferri potest, cum gladio, quo Sanctus Petrus est usus. Quid verò est hæc abnegatio? Eam definit Sanctus Basiliius, est *totalis præteritorum oblivio, & recessus à propriis voluntatibus*. Vel est *hominis inferioris per Superiorem correctio*: Vel est *animalis hominis per Spiritum subjectio, seu appetitus sensitivus per rationem coercitio*; qui appetitus in Scripturis divinis *Caro* nuncupa-

tur: *Caro concupiscit adversus Spiritum, Spiritus adversus carnem*. Ut omne quod carni indomitæ malè lubet, Spiritus generosè & constanter denegat. Fingite Medicum infirmo noxios cibos petenti denegantem. Cogitate Patrem filio insipienti, stolidè multa postulanti, omnia obfutura subtrahentem.

Ratio fidei lumine illustrata, & Dei gratia munita, tanquam Pater est, qui in appetitu suo sensitivo, binas habet proles, Filiam & Filium: illa concupiscibilis appetitus est, hic irascibilis. Filia, petit semper, grata, amœna & jucunda sensibus; cupit videre, pulchra & speciosa, sive liceat, sive non liceat cernere. Optat audire, quod animum turbat vel inquietat, vel saltem à Dei consideratione distrahit: petit tangere blanda, quæ vase fictili fracto thesaurum dissipent, quem in vasis hujusmodi pretiosum portamus: gestit olfacere rosas, lilia & balsama: desiderat gustare omnis generis cupedias & delicias, ac vina falerna: petit dormire diutiùs, cubare molliùs, liberari à corporeis molestiis, pœnosisque operibus; appetit recreationes, deambulationes, confabulationes privatas, sensuales amicitias, mundum muliebre, gemmas, annulos, thestræ, rara cimelia, inaures, armillas, specula, aliâque ornamenta pretiosa. Quid verò adhæc prudens ratio? Tanquam Pater discretus, negat filia noxia, adhibet gladium, resecat superflua, & solùm concedit necessaria omninoque convenientia. Pari ratione Filius, id est, appetitus irascibilis petit gladium, sclopetum, bombardam,

M m equum,

I.
Gladius
abnegationis
in
tetræ.

equum, aliâque arma: cupit se verbo aut facto vindicare; si id non concedatur, alterum contemnere, desplicere, invidere, irâ contabescere, de alterius infortunio gaudere. Quid hîc rursus faciat Parens? Gladium adhibet, scriptum est enim: *Maledictus qui prohibet gladium suum à sanguine.* Jerem. 48. 10. id est, ab illicitis, seu à peccatis. Qui hîc gladium otiosum in vagina & rubigine obductum retinet, maledictus est. Hinc refecat vindictam, jugulat iram, perimit invidiam & superbiam. Abnegat omnia. Et hæc est abnegatio quæ ad perfectionem & sanctimoniam viam sternit. *Subter erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius* Gen. 4. 7. Tunc autem dominaberis, si abnegaveris. Atque hoc est quod volebat Christus Dominus Matth. 16. *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum.* Lucæ 9. 14. additur: *Et tollat crucem suam quotidie.* Idem desiderabat Sanctus Fundator noster Reg. II. *Majus cujuscunque studium sit, querere in Domino majorem sui abnegationem, & continuam in rebus omnibus, quoad poterit mortificationem.*

Verùm oggeret fortassè quispiam vestrùm: Ergone Tyrannus est aliquis Sanctus Ignatius, qui nostris se cruciatibus & asperitatibus oblectet? Cui jucundum accidat, filios suos dilectissimos, continuis abnegationibus, vim sibi inferre, cupiditatibus frenum injicere, omnia grata & amena mortificationis gladio amputare? Cui gratum sit, socios suos ciliciorum asperitate compunctos, flagrorum diritate laceros, atque dissectos, famelicos, siti-

bundos, humiliatos, afflictos, omnique in hoc orbe solatio destitutos intueri? Huic respondendum est, vel ex hoc ipso colligi, quantum boni in abnegatione lateat; cum S. Patriarcha eam tantopere filiis suis commendet. Et singularem profectò in hoc tuum erga nos amorem patefacit. Declaremus id similitudine. Si quis Pater Filium haberet præclarum, omnibus naturæ talentis probè instructum, pulchritudine, morum elegantia, modestia, eloquentia, cæterisque donis naturalibus exornatum; sed in valetudinario publico decumbentem videret, admodum jam deformem, phreneticum, adeoque debilem, ut nec brachium movere queat; palato autem ita vitioso, ut solis immunditiis, ffordibusque victaret; atque remedium ipse nòset, quo non mortem solùm arcere, sed integræ valetudini restituere miserum valeret. Nunquid crudelis, impius, aut prorsus inhumanus parens foret, si hoc medicamentum celaret, & Filio non præberet? An non ejusmodi parens filium odio gravissimo prosequi jure censeretur? Tales filii nos sumus, æri, debiles, phrenetici, facibus cupiditatum & vitiorum sordibus nos oblectantes; ob naturæ depravatæ & infirmæ miserias. Noverat è divinis literis unicum remedium Sanctus Ignatius, scilicet abnegationem & mortificationem continuam; quâ sanitatem recuperare possemus; an non igitur crudelis fuisset hoc alexipharmacum nos celando? An non maximo nos beneficio obstrinxit, illud nobis suppeditando? Ita est, Charissimi;

rissimi : Nam hoc medio vitiorum morbos sanamus, inordinatos affectus componimus, abjectis sordibus, cibos sanos manducamus, appetitus exorbitantes cogimus in ordinem, purgamus intellectum, renovamus Spiritum, in pristinam asserimus libertatem; atque in majori, quàm unquam fuimus, gratiæ, perfectionis & sanctitatis gradu collocamur.

Deinde, si perpendamus, quàm brevia, quàm futilia, quàm inania sunt illa bona & fallacia, quæ cupiditatibus obsequendo obtinemus, & nos abnegando repudiamus, longè majus abnegationis bonum, & Sancti Ignatii ideam præscribentis beneficium esse agnoscemus. Quid enim sunt ista omnia, in quæ uterque appetitus noster tanto ardore rapitur, & quæ nos abnegando abjicimus, nisi umbræ veri boni, gaudii & quietis, non ipsùmmet bonum, gaudium & quies. Utpote quæ in momento transeunt, & in nictu oculi clauduntur: Et meritò somnia, rerùmque apparentes imagines nuncupantur. Psalm. 75. *Dormierunt somnum suum.* Et Psalm. 32. *Velut somnium surgentium* (quando jam à resurrectione transit somnium) *Domine, in civitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges.* Hinc pulchrè Livinus Brachtius Poëta Christianus:

Luxus, deliciæ, pompæque sæculi,
Falces, nobilitas, stemmata, purpura,
Nomen, divitiæ, fluxæque gloria,
Ecquid sunt aliud, quàm breve
somnia?

Umbra sunt. *Transferunt omnia
tandem umbra.* Sap. 1. Ac proinde minime fatiant. Non satiatur oculus visu,

nec auris auditu, nec odoratus sufficit,
nec gustus cupediis, nec Tactus deliciis.
Non satiavit Mathusalem ætas;
Alexandrum felicitas; Salomonem
Sapientia; Samsonem fortitudo;
Absalonem pulchritudo; Cræsum
divitiæ; Sardanapalum voluptates
non expleverunt: Biberunt aquam
maris salsam, quæ suum accendit:
Nullus dicit: satis est; omnes plus ultra;
quare omnia verè imagines sunt,
umbræ sunt, modicum & nihilum;
ut rectè Sanctus Bernardus Serm.
de S. Clemente innuit: *Omnis delectatio
hujus mundi, omnis gloria ejus, & quidquid
denique concupiscitur, prorsus modicum est,
in illius beatitudinis comparatione; si ta-
men vel modicum dici debet, & non potius
nihilum vapor ad modicum parens.* Imò
non solum vana & caduca, sed &
noxia sunt, impedimenta salutis, &
vincula & funes, quibus tot milliones
hominum tracti sunt, & trahuntur
hodie dum ad interitum sempiternum.

Quis igitur salutis & perfectionis
avidus hoc abnegationis gladio, à
S. Patre nostro, imò ab ipso Salvatore
porrecto, non strenuè utatur?
Quis sive appetitus concupiscibilis alliciat,
sive irascibilis concitet, non generosè
omnia malorum irritamenta,
blandimenta sensuum, & salutis, sanctimoniamque
impedimenta resecat, &
averruncet?

II. Alter gladius est mortificatio
exterior, & que continua, ut suadet
regula, in rebus omnibus: quæ omnia illa
abscindantur, quæ interior abnegatio

Mm 2

anipu-

2.
Gladius
mortifi-
cationis
externæ.

amputanda iudicat. Insinuat illud Dominus; quando asserit: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam & sequatur me.* Matth. 16. Prius oportet abnegare sese, id est, omnia, quæ Mundus amat, & Concupiscentia appetit, tanquam vilia, vana, & noxia detestari & fugere. Deinde sequitur: *Tollat crucem suam.* Id est, gladium mortificationis adhibeat, omniâque actu resecet. Hanc mortificationem quoque suadet Doctor Gentium ad Galat. cap. 5. *Qui Christi sunt, inquit, carnem suam crucifixerunt cum vitis & concupiscentiis.* Ubi per carnem, intelligit totum hominem carnalem, de quo idem ad Coloss. cap. 3. *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram.* Manus, pedes, oculos, aures, linguam, *cum vitis & concupiscentiis*, id est, affectibus & amoribus terrenis, quibus affixi estis: semper gladium portantes, semper resecantes.

Mortificatio ista rectè gladio S. Petri comparatur, quo Malcho auriculam abscidit: nam & nos eo gladio abscindere decet, imperfectiones omnes; non solum auriculam, sed & manus, & pedes, & oculos & linguam, omniâque reliqua, quæ perfectionem nostram sufflaminant. *Melius enim est, Salvatore teste, cum uno oculo intrare in vitam æternam, quàm duos oculos habentem, mitti in gehennam.*

Ad hanc verò nunquam pertingemus, nisi hujus gladii usus sit assiduus, & mortificatio nostra sit continua: quia ex corrupta nostra natura continuò de-

fluunt imperfectiones, tanquam ex fonte rivuli, aut ex mati flumina, quæ animæ nostræ Cymbam ad ima traherent, nisi continuò eas per mortificationem impediremus. Navigamus etiam tanquam naucleri, in mari mundi hujus, quasi adverso flumine, contra fluxum luctantes & obnitentes, unde nisi assiduè remigemus, & vel unâ horâ ab opere desistamus, plus amittimus, quàm pluribus horis acquisieramus.

Continuus itaque sit gladii usus, continua abscissio, *continua* in omnibus mortificatio. 1. In omnibus horis diei à puncto signi horâ quartâ dati ad somnum usque, imò & per noctem. 2. In omnibus exercitiis, surrectione, meditatione, labore, corporis resurrectione, &c. In omnibus sensibus, visu, auditu, gustu, odoratu & tactu. 3. In omnibus rebus externis, in vestibus, cibus, lecto, cubiculo, supellectile. 4. In omnibus affectibus, passionibus, concupiscentiis, desideriis inutilibus. 5. In omnibus tribulationibus, tentationibus, morbis, crucibus, & quibuscunque adversis. Atque hoc nostrum debet esse studium, ut vult Sanctus Pater noster, nimirum ut tantam adhibeamus diligentiam in acquirenda per mortificationem continuam sanctimonia; quantum literarum studiosi in acquirenda doctrina. Quo in genere exemplo præclarissimo præluxit Sanctus Franciscus Borgia in mortificatione continua externa & interna: corpus ut hostem tractando, imbres & ventos amicos compellendo, pharinaca amarissima sorbillando,

billando, catapotia & pilulas commandendo, carnem flagellando, ciliciis horridis comprimendo, & in horum instrumentorum defectu, capillos evellendo, puncturis & unguium pressuris ad livorem & sanguinem carnem vellicando. Nec verum Religiosum agnoscebat, qui non quotidie, saltem quater & vices sibi moreretur: & mortem infelicemque sibi noctem obventuram dicens, si nullâ sui sensuumque victoriâ præparatum opprimeret. Tamen in vita pag. 133.

Finio & concludo verbis Apostolorum: *Ecce duo gladii hic.* Ecce duo præstantissima & efficacissima, perfectionis acquirendæ instrumenta, usui futura ad hoc, ut abhorreamus ab omnibus, quæ mundus amat, & amemus quæ Christus Dominus noster complexus est. Estne, Charissimi, vobis serium ad illum apicem perfectionis conscendere, quemadmodum Regula decima & vocatio divina à nobis exigit? Semper binos hos gladios manibus præferamus. 1. Abnegationis continuæ

internæ, ut sive appetitus concupiscibilis, carni & sensibus jucunda ac blanda appetat; sive appetitus irascibilis, in iram, vindictam, aliisque affectus exsurgat, omnia tanquam somnia & imagines, tanquam umbras & quisquilias satiare animum minimè valentes, imò tanquam perfectionis remoras, & salutis æternæ obices reputemus, ideòque strenuè & constanter abnegemus. 2. Mortificationis continuæ gladium, quoad exteriora, de manibus non deponamus; sed à mane ad vesperum, in omnibus sensibus & potentiis, in omnibus exercitiis ac rebus internis atque externis exemplo Sancti Francisci Borgiæ generosè usurpemus. Hac ratione crucem Christi tollemus, Christum sequemur, illuc, quò ipse, pervenimus, requiem animabus nostris suavem, solatium in morte singulare, & in æternitate felici, gaudium perenne invenimus.





EXHORTATIO II. IN REGULAM XII. SUMMARI.

Probat mortificationem continuam, omnibus quidem Religiosis; sed cum primis Hominibus Societatis, ex officio incumbere.

T H E M A.

*Semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes;
ut & vita Iesu manifestetur in corporibus nostris.*
2. Corinth. 4. 10.

V E L:

Majus cujusque studium sit quærevit continuam in rebus omnibus quoad poterit mortificationem. Reg. 12.



Pud Romanos æquè atque apud Hebræos olim nuptias cõemptione quâpiam institui solitas, tum sacrarum, tum profanarum historiarum monumenta commemorant. Hâc ratione Oseas Prophetâ uxorem emit quindecim argenteis. *Osee c. 3. 2.* Pari modo Patriarcha Jacob Rachelem duplicato laborum septennio ac servitute sibi comparavit. Ipse Dei

Filius Dominus JESUS sanguine suo & trium ac triginta annorum labore Ecclesiam sibi Sponsam acquisivit. *est Cap. 20.* David quodque Saulis Regis filiam obtinere sponsam nequirit, nisi antè, præsentis vitæ periculo centum præputia Philistinorum, tanquam dotem, Regi numeraret. Acceptavit David lubens conditionem, exivit in prælium, gladium strinxit, Philisthæosque omnino ducentos trucidavit, eorum præputia Regi attulit; atque ita in Sponsam Filiam Regiam obtinuit, generique Regis evasit. *1. Reg. 18. 25.* Terrenas ac carnales nuptias omnes, quotquot

1.
Offitiam
moriu
catioem
contra
amrequi
ia

quæquor ad
Non ambior
nobis avell
& regnet
nomen r
vite lan
Pia Re
fiffimo
nobis o
argen
& ind
& mo
Dom
in D
parat
rum
fion
nob
gula
led
SU
rabi

par
M
99
offi
am
Est
mul
tiffi
terr
pot
obf
tali
Dey
is est
sibi à
tribut
hoc

quotquot adsumus, dudum sprevimus. Non ambimus Sponsam, quam mors nobis avellat, sed quæ nobiscum vivat & regnet in ævum. Sponsa hæc, si nomen rescire aveatis, perfectio & vitæ sanctimonia nuncupatur: estque Filia Regis cælestis nobilissima, speciosissima, ditissima. At quo eam pretio nobis comparabimus? Non quindenis argenteis, ut Oseas; sed labore assiduo & indefesso, ut Jacob: sed sanguine & mortificatione continuâ, ut Christus Dominus noster; sed pugna indefinente, ut David; gladium stringendo & amputando centum præputia Philistinorum: id est, abnegatione continuâ passionum & vitiorum nostrorum. Hoc à nobis reposcit vocatio nostra, hoc Regula requirit, hoc exigit vita religiosa; sed vel maximè Professio Societatis JESU: veluti exhortatione præsentè declarabimus.

I.
Officium
mortifi-
cationem
contiou
am requi-
rit.

I. Mortis & mortificationis sicut paronymia, ita & analogia magna est, Mors autem, ut docet Seneca Lib. 6. qq. natur. c. 32. est *lex naturæ, tributum officiumque mortaliū, ac malorum omnium remedium*. Quid autem mortificatio? Est Lex non naturæ, sed gratiæ, promulgata ab Apostolo ad Coloss. 3. *Mortificate membra vestra, que sunt super terram*. Lex hæc omnes quidem, sed potissimum vitæ religiosæ Sectatores obstringit. Est *tributum officiumque mortaliū*, quo suum cuique penditur; & Deo, quod Dei est, Cæsari, quod Cæsaris est: Proximo, quod Proximi est; sibi à quovis, quod suum est, redditur: tributum hoc ab omnibus præstandum, hoc officium à nemine non exequen-

dum; licet ab Ascetis potissimum. Est denique *omnium malorum remedium*, ab Adamo in posteros, eorumque naturam corruptam promanantium. Quod naturam depravatam restituit; intellectum cæcutientem illuminat; voluntatem infirmam corroboret; appetitum furem compescit; sensus fallaces corrigit; corpus deficiens & collabascens sustentat: peccata rejicit; vitia extinguit; inordinata componit: & sicut mors animam hujus vitæ malis eripit, & in statum immortalitatis & immutabilitatis mittit; ita mortificatio ab inquietudinibus hujus vitæ liberat & quendam immutabilem, satis amabilem statum importat.

Hoc itaque tributum, hoc officium est hominis, præcipuè in Religione Deo consecrati; hoc ejus status & obligatio postulat, ut mortificationi assiduæ intendat. Hoc Religiosi officium, hæc obligatio ex Christi Domini verbis clarè colligitur. Matth. 16. 17. *Si quis vult post me venire, me sequi, vitam meam imitari, meus esse discipulus ac famulus, abneget semetipsum*: Hoc ab illo requiro, hoc ei officium injungo; quod nisi præstiterit, servus meus & discipulus esse nullatenus poterit. Colligitur deinde ex verbis Apostoli: *Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis*. Ad Galat. 5. Qui Christi milites sunt, ut explicat S. Anselmus, ejusque spiritu aguntur, vivunt, ac militant; hi carnem suam cum vitiis & concupiscentiis, id est non tantum vitia & concupiscentias; sed ipsam quoque carnem corruptam, quasi formitem concupiscentiarum castigant, mortificant, crucifigunt,

per

per jejunia, cilicia, labores & pœnitentias. Id qui negligunt, non sunt Christi milites & famuli, sed mundi carnisque mancipia. Omnes quidem Christiani, Christi sunt, & Christum sequuntur, sed plurimi à longè tantùm: Religiosi verò penitens & omnino Christo oblatis & consecrati sunt per vota sua; & propius Christum sequuntur, ac proinde, plus quàm mundani, se abnegare & carnem cum concupiscentiis crucifigere tenentur. Ea de causa S. Joannes Climacus, *Monachum*, (id est Monachi vitam) definit, *perpetuam natura violentiam*. Hoc, ait, *nostrum pensum est, hoc munus nostrum, hæc militia nostra, vim ipsi natura inferre: per nos regnum cœlorum vim pati debet: nam violenti rapiunt illud*. Idem S. Augustinus verbis disertis stabilis serm. 13. de verbis Domini. Hoc, inquit, *est opus nostrum, in hac vita, actiones carnis spiritu mortificare quotidie, affligere, minuere, frœnare, interimere. Hæc est actio nostra, hæc militia nostra*. Quemadmodum operarii munus est, assiduè laborare; & militis officium est constanter pugnare contra hostes: ita quoque vita & occupatio Religiosi est, gladium mortificationis indefinenter stringere, contra passionum & vitiorum assultus strenuè dimicare; frœdus, inducias, aut armistitium nullum cum illis pangere; sed continuè affligere, minuere, frœnare, interimere: quod nisi faciamus, nulla tranquillitas cordis, nulla pax Religionis, nulla mentium malicia speranda est, sed meræ fluctuum pugnae & collisiones, meræ tempestates expectandæ erunt.

Deinde addit S. August. l. c. *Nobiscum quoque loquitur S. Petrus dicens: in hoc vo-*

cari estis, quia Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius nimirum, *ut sequamur Iesum, abnegantes nosmetipsos, & tollentes crucem nostram* Hoc est, non solum officium, sed *status noster, desideria seculi opprimere, jugulare appetitum, truncare omnem motum natura*: Sicut enim, qui aliquam artem exerciturus est, instrumenta illius quaerit: sic nos instrumenta perfectionis, scilicet paupertatem, castitatem, obedientiam quaerimus, quia perfectionem & mortificationem exercere propositum nobis est, tanquam proprium officium & professio. Ad quid enim relinquemus res omnes, si desideria retinere liceret: nonne foret ridiculum ac stultum renuntiasse mundo, & ipsum avidè concupiscere & rumpi votis, pro iis, quæ mundi sunt: hoc ipso enim quod relinquimus materiam, & ipsas cupiditates relinquere tenemur.

Denique idem Magnus Doctor hac ratione discursum suum concludit. *Quare ratione nostri officii & propositi, non tantùm debemus res, sed & cupiditates relinquere, & vincere desideria carnis & sanguinis & quidquid secundum naturam est, non secundum spiritum & gratiam. Hæc vocatio nostra, hæc professio, hoc officium: & nihil hac vocatione sublimius, nihil hac professione dignius, nihil hoc officio honoratius, nihil felicius*. Hactenus D. Augustinus. Si igitur nihil dignius, nihil honoratius, nihil felicius illo officio, sanè minimè illud à Religioso negligendum erit, cum milites, opifices, operarii alacritate tantà officio suo fangantur, eoque probè expleto latentur & gloriantur.

II. Offi-

II. Offici
Officium
Religiosum
Societas
membra-
tionem
costitui
exige.

II. Offici
IESU postu-
tionem: U-
S. Paula
per mortifi-
pro circun-
nifesta
enim nos
dedimus
facimus
mortifi-
imitari
ne nos
vel ut
morti-
tenemur
nobis
tifica-
laxa,
tu im-
ta, m-
y. I
Ra-
ficatio
cunctis
cupiscen-
tis no-
ta dep-
Relig-
Relig-
cumb-
quos
hi se
scare
nim-
R. P.
cuncta
pitt. 2
fuit
religi-

II.
Officium
Religiosi
Societatis
mortifica-
tionem
continuā
exigit.

II. Officium & Status Societatis
JESU postulat continuam mortifica-
tionem: Liquet id perspicuè ex verbis
S. Pauli 2. Corinth. 4. 10. ubi ait. *Sem-
per mortificationem JESU in corpore no-
stro circumferentes; ut & vita JESU ma-
nifestetur in corporibus nostris.* Cum
enim nos, quotquot Societati JESU nomē
dedimus; JESU vitæ imitationem pro-
fiteamur? nos quoque JESU crucifixo,
mortificato ac mortuo, in vita, gestisque
imitari necesse est, ne nudum sine omi-
ne nomen circumferamus. *Semper ergo,
vel ut loquitur S. Ignatius, continuo JESU
mortificationem, & abnegationem imi-
temur: Ut & vita JESU manifestetur in
nobis. Scilicet hinc vita sancta, vita mor-
tificata ac domita, simulque vita fortis,
læta, alacris, ex forti, vegetoque spiri-
tu; tum etiam in futuro sæculo, vita bea-
ta, manifestetur in carne nostra mortali.*
✠. II.

Ratio autem ulterior; semper morti-
ficationem JESU in corpore nostro cir-
cumferendi, motusque pravos & con-
cupiscentias subigendi, ex fine vocatio-
nis nostræ, & ex ipsa Societatis Jesu vi-
ta deponitur. Si enim hoc officium est
Religiosorum omnium, quanto magis
Religiosorum Societatis, quibus in-
cumbit, vitam Apostolicam imitari, &
quotidie conversari cum proximo? Nisi
hi se strenuè semper abnegent, vitii
scatebunt innumeris, officioque suo mi-
nimè facient satis: ut præclare monet
R. P. Claudius Aquaviva quintus So-
cietatis nostræ Præpositus Generalis, E-
pist. 2. §. 8. *Quod si hac cura, inquit, (al-
situdè frangendi nimios animi motus)
religiosis viris necessaria est, quando tan-*

*dem magis iis, qui opitulando aliis, in ho-
minum cœtu, quasi in acie versantur?*
Nam ut prudenter disserit S. Chryso-
stomus L. 3. de Sacerdot. *In hisce homini-
bus, ea bellua (sic viciosa animi affecti-
ones appellat) pabuli multò plus habent.
Superbia enim laudibus & honoribus
alitur, qui suapte sponte consequuntur
concionandi munus, literarumque & a-
liarum rerum tractationem, que homi-
num oculis patenti. Invidia alienâ existi-
matione & famâ inflammatur. Ira si quis
nobis se opponat. Quamobrem ejusmodi
Christi milites, necesse est gloriae con-
temptores esse, cæterosque animi motus
subactos, in sua ditione ac potestate ha-
bere. Quare idem Chrysostomus l. c. ait:
*Ut ignis metalla probat; ita Clerici (in quo
est Societas) exacta probatio mortalium
animos secernit, atque interno scit. Ac si
quis est vel iracundus, vel pusillanimis,
vel arrogans, vel alio quovis morbo ob-
fessus, id omne detegit, & latentes statim
morbos nudat.**

Deinde ipsa Apostolicæ vitæ ratio,
quam pro modulo suo Societas imitari
satagit, ex natura sua continuam postu-
lat mortificationem; quietem verò ac
propria commoda excludit. 1. Ea de
causa Redemptor noster Apostolos e-
legit, non homines delicatulos, non
nobiles, non molliculos, non otio, cor-
porisque commodis assuetos; sed labo-
ribus & sudoribus innutritos, sed fame,
siti, frigore, ac durâ carnis tractatione
exercitos. Et si quis aliter educatus fuit,
hunc ad dura instruxit, dicens: *Si quis
vult post me venire, abneget semetipsum
& tollat crucem suam.* Luc. 22. 2. Quam-
obrem, obsecro, ad vitam Apostolicam

N n

vocos,

vocatos, nunc piscatores, nunc ovium pastores, aliàs agri, vinearum cultores appellat; nisi ut palàm faciat non oportere eos detrectare labores, sudores, vigilias, non sectari otium, non desidiam, sed plurimas mortificationes ac molestias ultro subire; nec non spiritalia contra tarrareas phalanges hominum animos obsidentes, arma jejuniorum, vigiliarum, & orationum crebrò usurpare. 3. Cùmnam Salvator illos misit sine sacculo & pera, sine viatico & pecunia, appositisque contentos esse iussit; nisi ut gulæ, & sensualitati frœnum injicerent; nec prætextu necessitatis, hospitibus difficiles se ullâ ratione præberent, aut secum ea, quæ delicias redolent, & ab Apostolico rigore aliena sunt, sui nimîâ sollicitudine, terrent. 4. Iisdem de causis permisit illos fame premi, ut spicas inediæ levandæ causâ vellere cogerentur, idque sabbatho, id est, die festo. Et cùm eorum animos laboribus fessos post missionem in solitudine recrearet; nihil ad victum tot perforarum inventum est, præter panes hordeaceos & pisciculos paucos, quos illis apposuit. Ita nullo non tempore Discipulos suos in abnegationis schola optimus Magister exercuit.

Quin & continuæ mortificationis usum ipse Dominus exemplo suo constanter docuit, non in omni solùm vita, sed vel maximè tempore prædicationis, vitam trahendo in penuria, in laboribus plurimis, in itineribus, in humicationibus; non enim habebat, ubi caput reclinaret; in fame & siti, in sudoribus & fatigationibus: Nam Joan. c. 4. Cùm fatigatus sederet ad fontem, con-

versioni Samaritanæ intentus, jamque hora esset sexta, id est, secundùm horologiorum nostrorum taxin, duodecima, & fame presso, Apostoli, coëmptis cibis, ad refocillandum corpus, invitarent hisce verbis: *Rabbi manduca: ipse reposuit: Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis: meus cibus est ut faciam voluntatem Patris mei, ut perficiam opus ejus.* Nimirum tantâ Dei Patris glorie fame, & animarum siti premebatur, ut præ illa quævis corporis incommoda non sentiret.

Eundem quoque mortificationis continuæ & commodorum propriorum fugæ Spiritum à Christo hausere Apostoli, attestante S. Paulo 2. Cor. 11. *In laboribus plurimis, in labore & erumna, in fame & siti, in jejuniis multis, in frigore & nuditate.* Hæ erant ipsorum delicia, hæ cupedix & tragemata Apostolica. Quod si pro occasione, commoda aliqua admittere necesse erat, Apostolicum verbum non ignorabant: *Scio abundare & penuriam pati:* ut nimirum abundantia non dissolveretur animus; sed ita vitium integritati pro occasione consulerent, ut eas ipsas ad majores labores & dolores deinde conferrent.

Non absimilis mortificatione continuæ genius eluxit in Indiarum Apostolo S. F. Xaverio, qui eo usque excreverat, ut teste P. nostro Oliva in Concione quapiam de ipso, mortificationem maximam haberet, si eâ careret. Illustre quoque hujus abnegationis speculum præbet nobis Hispania in R. P. Antonio Sanchez Anno 1601. in Civitate Xerez in obsequio pestiferorum gloriosè defuncto. Venit is ad Societatem Hispani-

pali anno ætatis 32. atque ad Tyrocinium Montillam missus, ibidem viribus omnibus ad summum perfectionis apicem connisus est, fervore tam ardenti, tamque continuo mortificationis & asperitatum studio, ut illud admiratus Tyronum Magister quæsierit aliquando: Quid sibi volunt tam insolitæ mortificationes & pœnitentiæ? Cui Pater: Si jumentum quoddam bene pastum in diversorio, postque longam quietem, in viam prosequendam eductum, languidè incederet, & segniter; nonne mereretur calcaribus & virgâ urgeri ad progrediendum? Atqui jumentum ejusmodi corpus meum est, quod in sæculo bene pastum, & longâ quiete deses ad currendam perfectionis viam, necesse habet ejusmodi stimulis & verberibus ad cursum incitari.

Neque hunc mortificationis continuæ fervorem, cum sine Tyrocinii, more nonnullorum, deposuit, sed magnis auxit indes incrementis, novas & novas corporis domandi artes & praxes adinveniens, corpus à capite ad calcem flagellis cædebat ad horrorem audientium: si quando ictus falleret, increpans semetipsum, canem commerita flagra declinantem appellabat. Lavans scutellas, aut ollas, immittebat manus ad cubitum usque aquæ calentissimæ, rogatusque qui posset tantum ardorem sufferre, reponerat: *Et quomodo possum ardores sufferre sempiternos?* Aliàs brachiis suppõebat candelam ardentem, seque increpans dicebat: *Adurere porce, adurere.* Ad parcissimum, vilissimumque cibum, præter aquam nihil unquam admittebat, monitumque ne id faceret,

valetudinis & senectutis causâ: respondit: Si perdomare abstinentiâ non possum canem hunc mortuum; bibendo vinum quomodo illum subjugabo? Atque ita strenuè, constanterque à Tyrocinio ad obitum usque mortificationis continuæ & pœnitentiæ rigidæ studium adhibuit.

Hujus igitur uti & SS. Apostolorum atque in primis Christi Domini nostri exemplo; ferventiores Tyrones in bono proposito, & usu moderato mortificationis pergant, tepidiores sese excitent; ut officio suo ritè fungantur: non licet quidem ad eâ inusitatam, absque expressa Superiorum licentia suscipere austeritates, quæ admirandæ potiùs quàm imitandæ proponuntur, sed in levioribus occasionibus, quotidie occurrentibus, internis præsertim animi motibus & passionibus, mortificationi continuæ studendum, *quo ad fieri potest*, (ut in Regula ad discretionem insinuandam additur) Hoc enim, ut diximus, officium, pensumque & Religiosorum omnium: hoc Regula & Professio nostra exigit, & vel maximè in Societate JESU, in qua cum proximis agendum nobis est, & vitam Apostolorum imitatricem, innumeris laboribus, molestiis, difficultatibus ac mortificationibus implicatam amplexi sumus; adeoque cum illis connexam, & necessariò colligatam, ut absque iis Religiosi & Socii JESU nomine indigni futuri sumus. ac velut sylvescentes & ramis, stolonibusque redundantes arbores fructum exiguum, aut propè nullum pro Deiglória & animarum salute relaturi.



REGULA XIII. SUMMARI.
DE EXERCITIO OPERUM HUMILIORUM.
EXHORTATIO I.
IN EANDEM.

Proponit suscipienda esse ea opera humilitatis, à quibus sensus magis abhorret.

T H E M A.

*Vilior fiam, plus quam factus sum, & ero humilis
in oculis meis. 2. Reg. 6. 22.*

Vel ex Regula.

*Vel: In exercendis operibus humilibus promptius ea suscipi con-
venit, à quibus sensus magis abhorrebit. Reg. 13.*



Avid in flore juvenæ etiamnum constitutus, cum inter fratres minimus esset, aliis martem prosequentibus, & volitantibus in armis, ipse ad custodiendos ovium greges à parente amandatus est. Eo in munere exercebat sese paulatim, majora indies fortitudinis & victoriæ specimina præbendo, gregemque à bestiis propugnando: & primò quidem ursum, agniculum fortè quempiam, innatâ ferociâ, aggredi parantem, invasit, stravit, enecuit: hæc victoriâ parvâ animatus, leonem quoque irruentem, atque è grege

vervecem, rictu, unguibusque apprehensum, rapere ac dilaniare molientem, fortiter tenuit, & pecude liberatâ, interemit; quibus victoriis in tantum Juveni increvit animus, ut deinceps difficiliora etiam certamina haud reformidârit. Novitii, quemadmodum David, in Religione Fratres sunt minimi; qui, Fratribus natu majoribus in campum prodeuntibus, & contra hostes stygios pro salute animarum dimicantibus, custodiunt gregem suum, suos nimirum sensus, cupiditates & potentias: quo in munere S. Patriarcha noster, eos morem animi que Davidis induere exoptat; ac methodum eximiam sensus & vitia debellandi suggerit; ut scilicet, nausæ & horrori in operibus vilibus at-

que

que abjectis, instar urfi aut leonis in eos irruenti, animosè resistant, ac fortiter repellant, & hâc ratione à facillioribus ad difficiliora, magisque ardua certamina & v. Glorias assurgant.

Id quod præfente exhortatione declarabimus.

I.
Vincendus urfus
sensualitatis.

I. Primò igitur vincendus urfus, in nos, operibus humilibus intentos, insiliens; qui prosternitur, dum calcata sensualitatis repugnantia, horrorèque repulso, functiones humiles magnâ alacritate & promptitudine obinus. Ejusmodi officia abjecta & humilia censentur, quæ ab hominum fæce & mediastinis exerceri solita, à mundo vitia reputantur; hominésque primarii abhorrent, & dedignantur: Religiosi verò virtutis assequendæ, Christi que imitandi studio ultrò suscipiunt. Qualia sunt, scopis pavementum evertere, lances tergere, ollas cacabósque mundare, coco in culinæ ministeriis operam navare, peregrè adventantibus pedes abluere, in Nolo-comio, aut domi infirmis ministrare, cibos mensæ inferre, aliâque similia, quibus S. Fundator noster Tyrones exerceri ac probari desiderat, cap. 4. Exam. Ut hoc modo sensualitatem subigant, fastum deponant, humilitatisque virtutem acquirant: ejusmodi enim functiones humiles & in opinione vulgi viles, ad animi demissionem mirificè conducunt: *Humiliatio enim corporè humiliatur & anima*, ut ait S. Dorothei. serm. 2.

At hîc occurrit interdum urfus parvulus in nos insiliens & agniculum auf ferre parans; quando nimirum caro repugnat, quando difficultas se ingerit, sensus abhorret, jam calor, jam frigus,

jam fœtor, jam fœditas nauseam ac fastidium parit; jam ipsa laboris molestia, inclinationi nostræ adversa retrahit & retardat. Verùm urfus hic generosè invadendus est, & nullo negotio sternetur: modò insultum ejus retundendi methodum calleamus. Quænam verò ista methodus? Sumendum illico scutum fidei: capiti imponenda salutis galea: stringendusque gladius Spiritûs: aut quod Jobi 4. suggeritur: *Pones circulum in naribus ejus*. Urfus molles & peracris sensûs nares habet: inferre illis circulum & domabis. Cogita circulum vel anulum æternitatis omni fine carentem: pensa laboris, nausæ, aut molestiæ brevitate, æternitatis longitudinem, bonorum futurorum, quæ humilitate ac patientiâ acquiruntur, diuturnitatem; & extemplo horror concidet, & molestia asperitasque lenietur. Est, fateor, difficultas nonnulla in ejusmodi operibus ac victoriis, sed semper tendit in ardua virtus: *δύσκολα, τὰ καλὰ*: difficulta quæ pulchra. Quis nobilis, quis heros & athleta, in acquisitione gloriæ sensum non superat? Quod incipientibus difficile, proficientibus facile, jucundum perfectis accidit: & vel ex hoc collige, in quo perfectionis gradu verferis. S. Fundator noster de quopiam Fratrem nostro murario, Antonio nomine, asseribat: Quot collocabat lateres, quoties tundeat malleo, quoties calcem exponerat, tot sibi in cælo coronas adornabat. Simili modo de operibus humilibus dicere licebit: quot lances tergis, quot mensæ infers fercula, quot pulveres everris, tot coronas & diademata in cælesti gloria tibi fabricas.

Alium vincendi modum suppeditat obedientia; quam in presente Regula Legislator insinuat hisce verbis: *Si in junctum fuerit, ut in eis se exercent.* Si itaque sensus abhorreat, si repugnantia se prodat, extemplo clypeum obedientiæ oppone: Obedientia imperat, ac per illam DEUS mandat, quare parendum est, cedendum est, quamvis corruptæ naturæ, sensualitatisque vis nonnulla inferenda veniat: Dic cum Prophetâ Regio Psal. 72. *Ut jumentum factus sum apud te.* Ideoque onera religionis feram, vilissimæque obibo libens munia, propter te, DEUS, & propter nomen sanctum tuum, qui equum curru jungit, licet is fremat ac recalcitret, constanter tamen illi jugum imponit, & aratro, curruive adaptat, atque ad trahendum scuticâ propellit. Religiosus, ait S. Basilius, *Se Dei in Religione mancipium esse arbitretur*, adeoque intra terminos servitutis se contineat, ex alienâ, non suâ voluntate cuncta peragat, mancipiique instar ex arbitrio Domini semper dependeat.

Charitas quodque animat, & ad usum istum superandum roborat: vilia enim officia minimè æstimanda sunt abjecta ac vilia; sed pretiosa & excellentia; utpotè à Caritate, virtutum omnium Reginâ, imperata, nobilitata ac inaurata; cum ex amore erga Deum & Proximum obeantur. Mundani corticem duntaxat exteriorem respicientes, ea vilia autumant & despiciunt: ac cælestes Genii, virique perfectione conspicui latentem charitatem intuentes, preciosissima reputant. Hos inter S. Basilius in Constit. Monast. c. 24. ait: *Debet cultor*

pietatis viliora etiam munia magno cū studio, atque animi alacritate suscipere; seivæque nihil esse minutum & vile, quod Dei causâ fiat: sed grande & spirituale, & hujusmodi, quod calum nobis & premia caelestia conciliet.

Aliam ad usum hunc detriumphandum praxin docet nos S. Franciscus Borgias è Duce Gandiæ Tertius Societatis Jesu Præpositus Generalis; armis propriis hostem jugulare solitus. Verfabatur is in Xenodochio, inter pauperes & hominum quisquilias; quando humanâ specie Cacodæmonem superbè appellentem audit: *Quid tibi hic negotiit? Tantus cum sis, in hominum face qui versari potes?* Retudit fastum Franciscus: *Egusdem miror magis, te tam superbo præditum ingenio, miserum me atque peccatorem appellare dignatum.* Neque ullus dubitandi locus relinquitur, quin idem generis humani hostis, eundem Virum sanctum, sub vitæ potissimum religiosæ primordia, summo studio in omnia sensualitati atque æstimationi propriæ contraria incumbentem, rostro ac unguibus urfinis petierit. Dum enim in Ognatensi Tyrocinio ipse etiânum Tyro operam coco juvando constanter addiceret, Sociorum communè servum, Domusque Mediastinum ageret, ligna & aquam comportaret, verret pavimentum, lances & ollas mundaret, omniâque Tyronis ex infima conditione exosculandis identidem advolveretur; errata sua, lapsusque deprecaretur, ac publicas reprehensiones & pœnas flagitaret: Ad hæc dum excurreret in pagos vicinos, sacco Mendicantium more onustus

onus, panem ostiatim, & stipem mendicaret; aliàs tintinnabulo pueros convocaret, longo ordine eosdem ad templum vel forum canentes ductaret, ibidémque explicaret Fidei rudimenta & quà interrogando quà sapiens eadem repetendo inculcaret; quis Ursum stygium sapiens in ipsum insiliisse, & vel Ducis Gandiæ dignitatem, vel operum illorum vilitatem objectasse ambigat? Quis quòque Ursum hunc consueto gladio: *Franciscus peccator* (quod nomen sibi proprium fecerat) jugulatum fuisse, in dubium revocet?

Insilièrat sanè in Tyronem quempiam Septimanæ; qui à lancium sordibus purgandis penitus abhorrebat; invitisque hoc onus, cetera perlibenter suscipiebat. Accidit fortè ut Septimanæ veniret S. Franciscus Borgias; qui ut Novitii hanc in parte difficultatem accepit, quò metum inanem illi eximeret, eo labore perfunctus, altero spectante, aquam sordibus inde inquinatam toto ore hausit, hoc spectaculo fractus Adolescens, ad pedes illi accedit, veniâque exorata, horrorem nullum ampliùs aut nauseam expertus est. *Tanner. pag. 127.*

II. Debellato Urso, ad robustiora certamina paulatim ascenditur, & cum Davide Leo prosternitur; in quo gravior difficultas cernitur, quæ à levioribus ad difficiliora scandendo superatur. S. Indiarum Apostolus Xaverius Lib. 3. Epist. 5. Literis ad Socios Goanos exaratis hæc insertit: *Fortassis intra biennium plurimos vestram in Japoniam per literas evocabo.* Ubi utiq; Leones plurimi, id est, objecta ardua superanda

occurrent, ubi opera heroica Heròibus generosis digna exantlanda se offerent. Verùm quàmnam sanctus hic Thaumaturgus requirit interea animi præparationem? *Proinde (inquit) medis animi interea, ac diligenter colite humilitatem; omnibus in rebus, à quibus depravata natura abhorret, vos ipsi vincite.* Hanc victoriâ eluctabimini ad ardua, heroicâque facinora.

Ea quippe facta Heroum, magnorùmque Sanctorum intelligo, quibus ipsi inusitatis, raris, eximisque victoriis, seipfos ad stuporem magis aliorum, quàm ad imitationem devicerunt; stygiosque Leones confuderunt, aut Spiritus sancti peculiari instinctu, aut obedientiæ expressæ permissio, ac proinde Tyronibus, nisi duce obedientiâ Superiorùmque facultate obtentâ, minimè æmulanda.

Leonem hujusmodi, & naturæ horrorem devicit S. Patriarcha noster Ignatius, quando Manresæ in hospitali domo ministravit ægrotis, & pus non semel ex ulceribus eorum hausit. *Tanner. pag. 4.* Leonem similem stravit Sanctus Franciscus Xaverius, quando exemplo S. Catharinæ Senensis Venetiis in Hospitali incurabilium, ut vocant, ægris serviens pus ex eorum ulceribus exsuxit, ut sensus sui delicatioris fastidia frangeret; & quam purulenta & graveolentia illa semi-cadavera tractans refugam sentiebat nauseam, forti Caritatis violentiâ ulcisceretur. *Bartolus inquit a L. 1. n. 4.* Leonem æquè, si non magis ferocem superavit V. P. Bernardus Colnago, quando sepulcræ Collegii conditorium ingressus, ibique

2.
Vincen-
dus Leo
in rebus
arduis.

ibique recens defuncti Patris Theologi
cranium manibus prehensum diu
tenuit, verbis tenerimis allocutus fuit,
ac mundi, carnis, sui que victor egregius
defluam ex putrefacto capite tabem,
quæ manibus infusa erat, ingenti Spiritu
hausit; duo inde rara cœli dona conse-
cutus, scilicet ut nullas ex eo tempore
sordes, tabemque ægrotorum fastidiret;
& miro pietatis sensu, & cœlesti qua-
dam dulcedine semper deinceps liqui-
dò perfunderetur. Joannes Paullinus in
vita. L. 2. 19. §. 6.

Neque recentiorum pugilum, cum e-
jusmodi leonibus duellantium præclara
desunt exempla: atque ut è sexu fragi-
liore unum atroxamus. Obiit Ruræmun-
dæ anno 1686. 26. Julii, Venerabilis &
opinione non vulgaris sanctitatis con-
spicua, Virgo Deo devota, Joanna de
Randerath, ingenti & ad stuporem fer-
vido sui vincendi Spiritu semper inflam-
mata; quæ S. Franciscum Xaverium i-
mitandi desiderio, petita obtentaque à
Conscientiæ arbitro facultate, è cujus-
dam virginis foetenti ulcere, pus magno
fervore hausit: ac denuò petita veniâ,
ternarum Salutationum Angelicarum
spatium lambendo & exlugendo idem
ulcus insumpit, eoque peracto magnas
Patri pro indulto hoc favore grates re-
tulit. Eadem Virgo reperit fortè in hor-
to suo, molles, sit venia verbo, felis sor-
des, vermibus scatentes, quibus conspe-
ctis sub initium eo perculsa horrore fuit,
ut ocyus profugeret; mox tamen re-
sumptis animis redux, quo nauseam ge-
nerosius vinceret, prona faciem in sor-
dibus istis diu multumque volutavit,
linguâ allambit; idque non unâ dunta-

tax vice, rotius hebdomadis decursu
quotidie. Verè heroina, sui domandi,
cupidissima.

Sed ne longè abeamus, vel in hacip-
sa Probationis Domo Trevirensi (ubi
hæc scribimus) hujusmodi victoria lu-
culenta exempla non desideramus. Vi-
xit in ea R. P. Mauritius de Büren, vir in
sæculo magnus, illustrissimæ suæ fami-
liæ, antiquissimorum Baronum & Dy-
nastarum Bürensiùm superstes ultimus,
Cæsari à consiliis intimis, & Cameræ
Imperialis Spirensis Præses: is ubi reli-
cto Baronatu Burano, nec non Geista-
no, Ringelsteiniano, ac Volbuxano Do-
minis, has probationis ædes subiit, mox
victoriæ sui strenuè se totum impendit,
verè implens illud Ecclesiastici; *Quantò
magnus es, humilia te in omnibus, & co-
ram Deo invenies gratiam.* Quare non
solum utfos, opera humillima obeundo,
Coco in culinæ ministeriis serviendo,
stabulum purgando, domum verrendo,
lances tergendo, devicit; verum etiam
leonem superavit. Accidit enim ut Co-
cum accedens servitia sua oblaturus, eun-
dem in evacuanda fovea, in quam culinæ
sordes defluunt, occupatum reperiret, in-
torrogaretque, si quid agendum foret,
aut num opem in aliquo ferre posset:
subinfert Cocus, si placet me juvare, gra-
tum accider: placet enim verò ait P.
Mauritius, foveamque istam usque ad
fundum exhaustit. Eoque peracto, de sui
victoriâ gaudere ac tripudiare est visus.
Ut vita ejus manuscripta perhibet. Ex-
emplo hoc animati, dum ante biennium
eadem cloaca, integræ diei spatio, urnas
implendo & attrahendo per funes, e-
vacuaretur, Tyrones complures, ultrò
manum

manum admovère , opemque fortiter
& constanter tulere , non sine sui
victoriâ.

Quapropter , Dilectissimi , secundum
hanc Regulam strenuè exerceamus nos
in iis operibus vilibus atque abjectis ,
à quibus sensus noster delicatior magis
abhorret : Et si ursor quispiam nobis
occurrerit , id est , si nausea , si fastidium
aut horror nos inceserit , circulo æterni-
tatis eum compefcamus , aut obedientiæ
ac caritatis freno eum cohibeamus ,

ne nos mordeat. Ita paulatim cum
Davide animos erigemus , confortabi-
murque ad Leonem quodque aggredi-
endum , sed non nisi quando vehemens
Spiritus sancti impulsus nos urserit , &
Superiorum , Dei locum tenentium ,
facultas ejusmodi in inusitata indulserit.
Quod si præstiterimus , non solum victo-
riam plenam sensualitatis ; sed etiam
profundissimæ demissionis & obe-
dientiæ virtutem , Deo adjuvan-
te , reportabimus.



EXHORTATIO II.

IN REGULAM XIII. SUMMARI.

Suadet amplectendas sui confusions.

T H E M A.

Proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contemptâ.

Hebr. 12. 2.

Vel ex Regula.



DAVID , in vernantis
ætatis flore ad gregis
custodiam à Patre
ablegatus ; à minore
paulatim ad majus
fortitudinis speci-
men edendum counitus est ; nam primo
certamine Ursus trucidavit ; deinde
Leonem in frustra discerpit ; denique
Goliathum Philisthorum Gigantem ,
virum robore validum , animo tumidum ,

staturâ procerum , audaciâ ferocem ;
loricæ , galeæ , hastæ & gladii armaturâ
præfidentem aggredi , & cominus
cum eo decertare non est reveritus. Et
quamvis in arenam descendere paranti
Saul Rex oggereret. 1. Reg. 17. 33.
*Non vales resistere Philisthao isti , quia
puer es , hic autem vir Bellator est ab ado-
lescentia sua.* David tamen animum
non despondit ; sed Regem bono animo
esse iussit , & adductis prioribus fortitu-
dinis

dinis exemplis animavit ; dicens : *Nam & Leonem & Ursam interfeci ego servus tuus ; eris ergo & Philisthaus hic, quasi unus ex eis.* Erectus igitur Saul, eum armis suis, galeâ, loricâ & gladio munivit. At ipse opposuit: *Non possum sic incedere, quia non usum habeo;* & tulit baculum suum pastoralem, & quinque limpidissimos lapides, atque ita adversus Philisthaum processit, molémque illam carneam stravit. Haud absimili ratione nobis pugnandū est, & primò quidem, ut exhortatione proximè præcedente declaravimus, ursus & leo sensualitatis prosternendus est; eoque prostrato, contra spiritum superbiæ, tumidum & ferocem, instar Goliathi nos quotidie oppugnantem, heroico quodam ausu in certamen descendendum est, armorum loco assumptis, baculo crucis & quinque limpidissimis lapidibus, id est, sacris Eius vulneribus & confusionibus ab ipso in cruce perlatis, nec non favoribus, præmiis & Sanctorum exemplis, quibus ad generosa facinora & confusiones insignes pro Christo subeunda animabimur ; ut exhortatione præsentè ostendemus.

Confusio
quintu-
plex est.

Inter alia humilitatis heroicæ exercitia locum non postremum occupat studium efficax quærendæ, ex Dei amore, nostræ coram aliis confusionis, & qui inde nasci amat apud imperitos, rerumque cælestium ignaros, contemptus. Honestæ autem ac laudabilis hujus nostræ coram aliis confusionis materia ad quina fermè capita reducit. Primum est publica defectuum nostrorum manifestatio, sive eos ipsi

proferamus, sive ab aliis Superiorum consensu aut imperio detegantur. Alterum confusionis genus, vilia & abjecta officia, mundique judicio despecta complectitur ; qualia sunt domum, arcamve publicè verrere, multis spectantibus : cum pauperibus in loco cunctis pervio cibum sumere, ostiatim stipem cogere ; quod passim primis denis Societatis nostræ Patriarchis in more positum fuit. Tertium genus est in Nosocomiis ægris defervire & palam res eorum sordidas & inquinatas ablueri, quod hodie in Italia Tironibus nostris in more est positum ; aut res in foro, macellove coemptas, humeris injectas domum deferre. Quartum genus est viles, squallidas, obsoletas, attritas, centonibusque consutas vestes gestare, quod quodque Novitiis usitatum est, dum antiquâ, tritaque lacernâ sese amittunt, humilitatis exercendæ gratiâ. Quintum genus est, in accusationibus, vel pœnis injunctis, innocens licet sis, excusationem, purgationem, defensionemque nullam prætexere : quod Sanctis compluribus familiare extitit, & viri perfectionis avidi etiâ nunquam æmulantur. His adjungi potest : Si juniores te, minusque, ut reris, digni, te præterito, ad honorum gradus promoveantur ; non absque multorum, causam ignorantium admiratione ; aut si te ex honoris culmine in imum, nullâ datâ ansâ, dejici videas : ut in his aliisve casibus ruborem & confusionem debelles, Philisthæumque honoris & propriæ existimationis prosternas ; sequentibus quinque lapidibus limpidissimis utere.

I. Primus
Philisthæum
in rebus
Beneplacitum
maque pe
Deo Op
dete &
liques
litas :
consci
in ter
Hac
suis p
afin
plac
unxi
Dav
frat
ove
eun
bus
I. A
Vi
su
dig
Re
mo
mi
eju
pro
qu
&
sub
L
rima
plac
est h
de n
appe

I.
remediū
est Bene-
placitum
divinum.

I. Primus limpidissimus lapis, quo Philisthæum, id est, confusionem tui in rebus abjectis vincas; est *Divinum Beneplacitum*, seu consideratio, certissimaque persuasio, ejusmodi victorias Deo Optimo Maximo gratissimas accidere & perplacere. Id autem vel ex eo liquet, quod Deo gratissima sit humilitas: Deus enim, ut David Psalm. 112. concinit: *Humilia respicit in celo & in terra.* Ex visu autem amor nascitur. Hâc ratione respexit Saulem in oculis suis parvulum & humilem, in agris asinas Patris sui quærentem, aspexit, placuit, & per Samuelem eum in Regem unxit. 1. Reg. 9. Respexit quodque Davidem parvulum, & inter octo fratres natu minimum, & in pascuis oves pascentem; aspexit, placuit, & eundem quodque per Samuelem omnibus fratribus prælatum unxit in Regem. 2. Reg. 16. Respexit etiam Beatissimam Virginem. *Respexit humilitatem ancilla sua,* & placuit ei, atque ad Matris Dei dignitatem evexit. Respexit Zachæum Raturâ pusillum, & coram populo, sicomorum conscendendo, confusionem sui minime reformidantem, & in domum ejus Salvator divertit.

Placet ergo Deo humilitas, ac proinde tolerantia prompta confusionis quæ & soboles & parens humilitatis est, & semita ad gradum humilitatis sublimiorem, displicere haud poterit.

Deinde. Si Deo, qui Dominus virtutum est, omnes virtutes mirificè placent, quantopere ipsi placeat necesse est humilitas, quam S. Cyprianus Serm. de nat. SS. 49. *Fundamentum sanctitatis* appellat: Joannes Abbas apud Pal-

ladium, *fundamentū*, non qualecunque sed *primum omnium virtutum*: S. Chrysostomus Hom. 30. in Acta; *matrem, & radicem, & altricem, & fulcimentum, & vinculum honorum: qua non virtutes duntaxat, sed (ut Christus revelavit S. Birgittæ Lib. 6. c. 1. 16.) ipsum Deum in cor introducit.*

Rationem hujus ulteriorem reddit sanctus Cyprianus de zelo & livore. *De humilitate (inquit) ad summa crescimus: didicimus unde placeamus. Deus veritas est, quam obrem & diligit veraces, & odio habebit mendaces: Superbi verò mendaces sunt & stulti, qui cum nihil sint, se aliquid esse putant, & ab hominibus magni haberi volunt, qui digni odio habentur. At humiles sunt veraces, qui sentiunt se nihil esse, qui se ipsos despiciunt, & ab aliis dispici cupiunt; unde & æquum est ut à Domino diligantur. Et quidē quos Dominus diligit, extollit, & ejus diligere, efferve hominē & distare est.* Quis igitur ut Deo placeat, hominibus displicere refugiat? Quis ut Dei delectionem, honorem, elevationem promereatur, hominū irrifusionem & confusionem subire detrectet?

II. Alter limpidissimus lapis, quo Philisthæum petamus, confusionem libenter suscipiamus; est consideratio favorum cælestium, quos Divina Bonitas, confusionem Dei amore quærentibus elargitur; neque enim infinita Numinis liberalitas ab homine vinci se finit. *Deus humilibus dat gratiam.* Jac. 4. *Humiliare Deo, & exspecta manum ejus.* Eccli. 13. 9. *Qui emittis fontes in convallibus.* Psalm. 103. *Qui intraveris abyssos Dan.* 3. Id est, cognitione sui dejectos. *Intraveris ut exaltes, & de stercore erigas pauperes.*

II.
Favores
cælestes.

Exemplum habemus in Rege Achab; cui ob impietatem gravissimas DEUS pœnas comminatus est per Eliam Prophetam, L. 3 Reg. c. 21. *Si mortuus fuerit Achab in civitate, comedens eum canes; si in agro, volucres cali.* Verùm quoniam egit pœnitentiam, publicamque sui confusionem subiit, ibidem v. 37. dicitur esse sepultus in Samaria. Quam ob rem verò? Quia *Scidit vestimenta sua, & operuit cilicio carnem suam, jejuna- vitque & dormivit in sacco, & ambula- vit demisso capite.* Hâc de causâ factus est sermo Domini ad Eliam Thesbiten: *Nonne vidisti Achab humiliatum coram me: Quia igitur humiliatus est, non indu- ram malum in diebus ejus.* Hâc perpendens S. Basilius exclamat: *Si homo impius humiliatione externâ Dei irâ placat, & flagella à domo suâ avertit; quanto magis justus, & Dei servus, ac religiosus Deum fleat ad concedendam ei perfectionem?*

Exemplum quòque luculentum præbet S. Maria Magdalena, nobilis Domicella sæculi vanitatibus dedita, quæ non absque magnâ sui confusione in domum Simonis Pharisei intravit, in omnium convivatum mensæ accum- bentium conspectu, ad pedes Christi sese abiecit, eosdem lavit lacrymis, capil- lisque terfit, rem non modò Redemptori gratissimam præstitit, sed complures favores eximios reportavit. Ponderat id S. Gregorius: *Ardens dolore, flere etiam inter epulas ac convivantes non erubuit: nam quia semetipsâ graviter erubesc- bat intus, nihil esse credidit, quod vere- cundaretur foris.* At quidnam hâc ingenti confusione sui promeruit? Remis- sionem peccatorum. *Remittuntur ei pec- cata multa.* 2. Christi Domini defensio-

nem: *Simon vides hanc mulierem? Aquâ pedibus meis non dedisti: Hac autem lacrymis rigavit pedes meos.* 3. Lazari fra- tris sui resuscitationem à mortuis. Quâ de re præclarum extat ipsiusmet Christi testi- monium in revelationibus S. Birgittæ L. 4. c. 72. ubi inter causas quaternas resus- citationis Lazari hanc recêlet: *Quia Ma- ria Magdalena humilitas tantû meruit in lotione pedum meorum, ut sic in con- spectu multorû lacretur & honoraretur.*

Exemplum recentius nobis exhibet V. Pater Bernardus Colnago Societatis nostræ Sacerdos, qui cùm interiùs senti- ret impelli se, & à P. Rectore suo Anto- nio Spinello Viro sancto & hujusmodi confusionibus addiçto, Neapoli, veniam obtinisset, vestemque laceram & ex centonibus confutam induisset, ac devictâ ingenti, quam ab eo sentiebat, repugnantia, præcipuas urbis plateas obivisset, cum magnâ sui confusione & pudore, quippe multis in ea notus, & publicus Theologiæ Professor; atque ob id factum contemptus, irrisus, & à multis ad insaniam redactus habitus esset; & ipse id ex eorum ore accepisset, Deus illum ab eo tempore copiosissimè suis donis & gratiis gratis datis ac virtu- tibus cumulavit: nam primò excellen- tissimum ei contulit donum concionan- di, hominûmque corda permovendi; deinde donum prophetiæ; denique donû patrandi innumera, eaque manifesta miracula: quemadmodum ipse R. P. Nicolao Lancicio Romæ retulit. Atque hic Opuç. 8. de humil. testatur. Quem verò tanti è cœlo favores ad quandam coram mundo confusionem tolerandam non alliciant?

III. Tertius limpidissimus lapis est

consideratio
Quanta eni
dum ad
pedes tele
m. Aug.
Magist
se lum
quiere
ret. ju
gesim
lum
Es p
lotio
quē
m. q
S
& c
ta c
bli
is
tus
tot
tus
de
ro
Re
Do
IV.
Exem-
plum San-
ctorum.
est
gen-
tium
su
m
qu
re
m
mon
& d
con
ter

III.
Exempli
Christi.

consideratio *Exempli Christi Domini* :
 Quanta enim ejus humilitatio exitit,
 dum ad sordidos Apostolorum & Judæ
 pedes sese abjecit? *Hoc sciens Dominus*,
 ait S. August. tract. 10. in Joann. *humilitatis*
Magister & clarum speculum ejus, cum in
se humillimus esset, nec ullo medio ejus ac-
quirenda egeret, & nos viam hanc doce-
ret, toto tempore privatae vite suae, ad tri-
gesimum annum, innumera horum humi-
lium operum exempla praeiuit. Luc. 2.
Et post conciones mirum illud exemplum
lotionis dedit, à Discipulo humillimo,
quæ diligebat? ESUS, tam distinctè descrip-
tum, quod reges & principes imitari cœperet

Sed quântò major Domini depressio
 & confusio, quando ligatus per compi-
 ta ductus? Qualis confusio, quando pu-
 blicè coram Anna in faciem cæsus? Qua-
 lis confusio, quando ab Herode ut stul-
 tus illusus, à Pilato, spinis coronatus,
 totusque deformatus populo propo-
 situs, ac denique in crucem actus? Quan-
 do proposito sibi gaudio sustinuit crucem
 confusione contempta? Hebr. 12. Si hæc
 Rex, qualia Subditi? Si ista Magister &
 Dominus, quid Discipuli & Servi?

IV.
 Exem-
 plum San-
 ctorum.

IV. Quartus lapis, superbiæ strator
 est consideratio *Exempli Sanctorum* Re-
 gem ac Ducem suum strenuè insequen-
 tium: & mundi gloriam, sui confusione
 superando calcantium. Non commemo-
 rabo hic prolixè Prophetam Isaiam,
 qui dum c. 20. à Deo iussus est se exue-
 re: *Solve saccum (id est cilicium) de lumbis*
tuis, & calcamenta de pedibus tuis tolle:
mox obedivit. & 2. Fecit sic vadens nudus
& discalceatus. Non absque maxima sui
 confusione & verecundiâ; ut portende-
 ret summam & extremam nuditatem,

spoliationem, captivitatem & ignomi-
 niam tolerandam in Ægypto & Æthio-
 pia ab Assyriis. De quo S. Ambrosius
 L. 6. Epist. 36. ad Sabinum Episcopum
 scribit: *Non est confusus Isaias, qui nudus*
& discalceatus per populos ibat, oracula
clamans cœlestia. Præteribo quoque in-
 gentem Jeremiæ Prophetæ confusionem,
 quando Deo jubente, c. 27. 2. *Fac tibi*
vincula & catenas, & ponas in collo tuo,
 Ligatus fuit catenis, quo portendeba-
 tur Nabuchodonosorem Judæis, aliis-
 que gentibus jugum impositum ser-
 virtutis, eò quòd ipsi excussissent jugum
 Domini, dicendo, *Non serviam* Jer. c. 20.

Omni ignominiâ & confusione con-
 temptâ, quàm liberè & candidè sua de-
 licta Sancti vulgare? Quoties David
 se in iniquitatibus conceptum, egenum,
 pauperem, mendicum, vermem, non
 hominem, sed opprobrium hominum
 proclamat? Quoties Doctor Gentium
 se indignum Apostoli nomine, Ecclesiæ
 persecutorem, blasphemum, contume-
 liosum, peccatorum primum palam
 profitetur? An non Augustinus furta sua
 enarrat, totique mundo evulgat delicta
 sua L. 1. Confess. c. 19. &c. ? An non
 Hieronymus Epist. ad Chromatium
 sua scelera recenset & apertè fatetur, se
 in lubrico adolescentiæ itinere lapsum
 esse. Et Epist. ad Heliodorum, se ob
 luxuriam naufragium passum esse?
 An non quoque S. Bernardus serm. 54.
 in Cant. S. Nazianzenus, S. Basilus,
 S. Ephrem, S. Anselmus & alii delicta
 sua enarrant & propalant? O egregios
 mundi & honoris sui contemptores!
 ô insignes confusionis & ignomi-
 appetitores!

Illustre in alio confusionis genere recenset Albertus Crantzius Hamburgensis Decanus, ibidem in summa æde tumulatus, & statuâ honoratus L. 8. Saxonix c. 7. de Adolpho Holsatiæ Comite, qui relicta filiis Toparchiâ, Ordinem S. Francisci amplexus, in oppido ditionis suæ, lac ostiatim à subditis suis emendicare solitus fuit: cumque lac in hydria portanti, Filii media in platea equis phaleratis vecti ac magno comitatu stipati occurrerent, nonnihil humani passus, dum rubore perfundi inoperet, hydriam in caput effundens invertit, dicens: *Hic erubuisse Christi pauperiem, lac in manibus bajulans; nunc vel in capite ostende, quid portaveris.* Actu hoc heroico confusionis sui Comes non solum grandem in celo coronam, sed & hic eximium humilitatis gradum, & sui victoriam præclaram obtinuit.

V.
Præmia
Beatorum.

V. Quintus lapis, ut verbo attingamus, ne prolixiores simus; quo metum confusionis dejicias & ferias, est cælestis gloria: non enim fallit æterna Veritas dicens: *Qui se humiliat, exaltabitur.* Luca c. 14. Quod & ipse Salvator expertus est: *humiliavit semetipsum, usque ad mortem, mortem autem crucis, ignominiosissimam: Propter quod & Deus exaltavit illum & donavit illi nomen, quod est super omne nomen.* Ad Philip. c. 2. 8.

Quapropter, Dilectissimi, cum Davide, contra Philisthæum forti pectore, manûque dimicare decernamus. Occurrit non raro materia, aut occasio confusionis: jam enim ipsimet sponte defectus ac tentationes nostras Præsidi detegimus; aut ejusdem permissu palam recensemus: jam excessus nobis

insinuantur ab aliis (quemadmodum Davidi à Nathan) aut publicè non absque confusione quapiam, recitari jubentur, ut disciplinæ fiat satis, ac corrigantur. Aliàs Religiosis viris, ac potissimum Tyronibus, humilitatis exercendæ & acquirendæ gratiâ, ob eunda veniunt officia abjecta & vilia, etiam aliis inspectantibus. Nonnunquam operam navant infirmis, aut tritis, obsoletisque amiciuntur integumentis, aut stipem cogunt ostiatim, aut ex errore, reprehensionem innocenter sustinent, pœnamque dare coguntur. Omnibus autem illis nonnulla lese immiscet confusio ac verecundia; quæ adolescentes in perfectione, nondumque robustos instar Philisthæi aggreditur, ad conflictum lacescit, atque impugnat. Quod si vobis id contigerit, confestim cum Davide unum è quinque lapidibus prædictis depromite, eum fundæ intellectûs imponite, considerando circumducite, hostemque petite. Nunc divinum beneplacitum, quamque Deo accepta sit confusionis ejusmodi victoria pensate: nunc favores vincens à Deo præstari solitos, animo volvite; nunc in Christi Domini ac Sanctorum exempla heroica, mentis aciem defigite; nunc præmia cælestia & æterna ad trutinam revocate. Quibus tantum vobis roboris accrescet, ut & hostes prosternatis & animo libenti, secundum Superiorum voluntatem, confusiones quaslibet subeat. His igitur animati, si publica eveniat reprehensio, promptè acceptate: si labores viliores exantlandi, haudquaquam obmurmurate: si elemosyna vicatim

corro-

eroganda, alacriter parete, vestimen- tionem, solidam patientiam ac man-
ta detrita cum gaudio gestate, in dese- suetudinem, victoriam vitiorum, ac
ctum, non adeo gravium, delatione, promissa humilibus præmia
apud Præsides, nequaquam vos purga- celestia reporta-
te. Atque ita intimam animi demis- bitis.



REGULA XIV.
DE TENTATIONIBUS.
EXHORTATIO I.
IN EANDEM.

Declarat naturam, causam, & varietatem tentationum.

THEMA.

*Fili accedens ad servitutem Dei, sta in iustitia & timore, &
prepara animam tuam ad tentationem. Eccli. 2. 1.*

VEL:

*Antevertere oportet tentationes, adhibitis earum con-
trariis. Reg. 14.*

Vitam hominis univer-
sam, cujuscunque de-
mum conditionis aut
statûs, ex Jobi sen-
tentia militiam, aut
de septuaginta In-
terpretum expositione, tentationem
esse super terram, neminem vestrum
fugit. Verum id vel maximè in vitam
religiosam, in primis autem Tyronum,
cadit: Unde illos cautè ac sapienter
præmonet Sapientissimus Jesus Pl-
lius Sirach l. c. *Fili accedens ad servitutē
Dei, sta in iustitia & timore, instar rupis
inconcussa, & prepara animam tuam ad*

tentationem. Curnam verò Dei servi-
tium auspiciantem infestior molestat
tentatio? In promptu causa est: & qui-
dem princeps: quia Dei famulatum a-
diens, à servitute Sarhanica recedit:
quare is indignans se dominio hominis
istius & jure herili privari, eum ut ser-
vum fugitivum persequitur, atque ad
castra, jus & dominium suum reducere
fatagit. Ita eleganter S. Isidorus L. 3.
de summo bono c. 5. *Quia, inquit, Dia-
bolus in Sanctis intrinsecus non regnat,
contra eos extrinsecus pugnat: & qui in-
trinsecus amisit dominium, extrinsecus
commovet bellū.* Causa altera est, quia in
saeculo

saeculo degentibus, vitia, & concupiscentia innata, & indulgentia vitae prioris aucta spiritui dominabantur; nunc vero in vitam novam auspiciantibus, Spiritus sese opponit, bellumque ciet; & dum premuntur, acrius exurgunt, & caput exerunt instar aspidis. Ut recte observavit Venerabilis Beda in Proverbiiis: *Ante conversionem, ait, praecedit turba peccatorum; post conversionem sequitur turba tentationum: amor enim saeculi, contemptus est Dei, & vicissim amor Dei contemptus est saeculi.* Tertia denique ratio accedit: quia Deus lege aeterna sanxit, ut famili, filii & milites sui, tanquam athleta & pugiles adversus probentur, & exerceantur; exercitati corroborentur, corroborati perficiantur: teste Salomone Sap. 3. *Quoniam Deus tentavit eos, & invenit illos dignos se, tanquam aurum in fornace probavit eos.*

Cum itaque ad certamen jugiter nos stare succinctos, paratosque oporteat contra tentationes: earum naturam, causas & varietatem juverit investigare, ut contra easdem nos armare noverimus.

Notandum praevie, non loqui nos hoc loci de tentationibus, quibus nunquam Divinae Bonitati electos suos probare lubet, quemadmodum tentavit Abrahamum Patriarcham, ut filium suum unigenitum Isaacum immolaret: haec enim probatio non in malum, sed bonum finem a Deo ordinata fuit: verum de tentationibus proprie acceptis, quae in finem pravam excitantur atque ex parte tentatoris, ad nos in flagitium pertrahendos, diriguntur. His praemis; quaritur.

I. Quid est tentatio? Respondetur quod sit *Impugnatio a Diabolo, Mundo, Carne, aliave quavis creatura proveniens, qua homo ad malum allicitur.* Ex quo liquet tentationem, quantumvis ad enormia scelera impetuose alliciat, impellatque, peccatum haud esse, nisi consensus voluntatis accesserit; in ipsum peccatum, quod suggeritur, aut saltem in delectationem; sed esse meram incitationem in peccatum, motumque primoprimum, ut vocant, ante omnem mentis considerationem, seu rectae rationis advertentiam, insurgentem; qui diligentiam ordinariam praeveneri nequeat. Declarat id D. August. L. 12. de Trinitate & D. Thomas 1. 2. q. 74. a. 1. asserens in omni tentatione reperiri quaternam illam, quae in prima protoplastorum parentum nostrorum tentatione cernuntur: videlicet, *lignum pulchrum visu, inescans, serpentem suggerentem, mulierem audientem, & virum comedentem.* Lignum inescans est bonum quoddam temporale quod allicit, *Serpens suggerens* est Diabolus, qui vel per se, vel per mundum, vel per Carnem, aliamve creaturam, cogitationes illicitas ingerit, & desideria prava excitat. *Mulier audiens* est sensualitas, aut concupiscentia, quae vel opus ipsum, vel praesentem delectationem absque opere appetit. *Vir comedens*, vel comedere renuens, est Ratio, seu rationalis Voluntas, quae illos sensualitatis motus, aut admittit, aut respuit: ubi advertas velim, nondum peccatum esse in primo 2do & 3tio, sed duntaxat in quarto.

Ex quibus clarè satis, quid tentatio sit, perspicitis, quae cognitio omnino est necessaria. Deinde cernitis,

quanti

I. Natura tentationis.

II. Causa tentationis.

quanti momenti in bono aut in timore, ut in tentatione.

II. Causa tentationis.

mens

lus, q.

Tanquam

quem

Prin-

(arel-

tus

reli-

nan-

dos

nat-

in m-

phis

Luc-

ber-

null-

son-

ctis.

laq-

per-

rum

tiop-

rat-

ce-

in

mi-

los,

ces,

fem-

me-

quanti momenti sit, voluntatem firmari in bono, stabiliri gratiâ, solidari in timore Dei, aliisque virtutibus, ut vitili pectore constanter resistat tentationibus, vincatur nunquam.

II.
Causa
tentationis

II. Causa efficiens tentationum ad malum nos allicientium & inclinantium, in sacrarum literarum monumentis quadruplex adstruitur.

1. Prima ac principalis est Diabolus, qui, ut S. Petrus Epist. 1. c. 5. innuit, *Tanquam leo rugiens circuit, quarens quem devoret.* Is enim ceu tenebrarum Princeps ac rector reliquis tanquam satellitibus suis, scilicet mundi versutiis, carnis blanditiis, creaturarum reliquarum illecebris, ad nos impugnandos, illaqueandos, & prosternendos abutitur: quemadmodum S. Ignatius in aureo exercitiorum libro, in meditatione de duobus vexillis graphicè depingit. Quomodo nimirum Lucifer dæmones innumeros per orbem universum spargat ad nocendum, nullis civitatibus & locis, nullis personarum generibus, immunibus relictis. Quomodo eos instiget, ut injectis laqueis & catenis, homines primùm pertrahant ad cupiditatem divitiarum, inde in mundani honoris ambitionem, atque ex hac in superbiæ barathrum præcipitent.

2. Altera causa est Mundus, qui teste S. Joanne Epist. 1. c. 5. *Totus est in maligno positus.* Mundi autem nomine, homines mundanos ac perversos, Reges quoque & Principes, Judices, seductores, Socios pravos, viros, feminas, una cum omnibus terculamentis, blandimentis, ac respectibus

humanis intelligimus. Quem ideo plenum laqueis olun vidit & ingemuit magnus Antonius.

3. Tertia causa est Caro seu homo vetus, cum omnibus vitiis & concupiscentiis suis, cujus assiduas impugnationes præsentiscens Apostolus exclamare non dubitavit. Rom. 7. *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae, & captivantem me in lege peccati.* Id est video concupiscentiam in membris meis; quæ concupiscentia est quasi lex peccati, quia est fomes ad peccatum sollicitans, peccatum dictans, & suggerens, & captivat me in seipsa. *Repugnantem*, id est rebellantem legi mentis meæ, & contra eam militantem: & *captivantem me in lege peccati*: non voluntatis consensione, ut vult S. Chrysostomus, sed exponit S. Augustinus, commotione: ut scilicet captivus reddar & subjiar legi peccati, id est concupiscentiæ: ita ut etiam invitus, ejus vitiosas inclinationes, dictamina & impulsus sentire cogar, ejusque laqueos ac motus evadere nequeam. Quare *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* l. c. 24. Id est à corpore moribundo & peccandi affectibus, ac proinde morti & corruptioni obnoxio?

4. Quarta causa est congeries omnium creaturarum vel pulchritudine, vel delectabilitate, vel commoditate suâ, vel aliâ quavis fucatâ boni ratione incautos illaqueantium, atque ad contemptum, vel saltem ad neglectum veri, æterni & infiniti boni pellicientium, secundùm illud Sapientiæ c. 14. *Creatura Dei in odium facta sunt, & in*

tentationem animabus hominum, & in muscipulam pedibus insipientium.

Hi igitur quadruplices insensibilissimi salutis ac perfectionis nostræ hostes sunt, qui nos diu nocturne impugnant, semper cingunt, nec unquam deserunt. Neque suis carent instrumentis & armis, videlicet sensibus corporis, appetitu concupiscibili & irascibili, cum reliquis animæ rationalis potentiis. Et quidem Cacodæmon mille utitur fraudibus, præstigiis, suggestioribus, impulsionibus, ad omne genus flagitiorum, contra Deum, contra proximum, contra nosmetipsos. Mundus speciosis opum, honorum, & respectuum humanorum umbris, fucatis impostorum lenociniis, ac pravis perverforum exemplis. Caro imaginariis omnigenarum voluptatum, comestationum, recreationum, libidinum & commoditatum superfluarum repræsentationibus. Reliquæ demum creaturæ suâ specie & pulchritudine, suâ pretiositate, suavitate & amabilitate, nec non innumeris propè pravorum desideriorum illecebris & irritamentis ad omnis generis crimina alliciunt, inescant, atque illaqueant.

Cum itaque tot hostes capitales in nos insurgant, armisque tam variis nos impetant, videmus profectò, quantâ armorum spiritualium panopliâ nobis opus sit, quantâque curâ, vigilantia & industria, ne superemur, ac in tentationum laqueos inducamur & involvamus.

III.
Varietas
tentationis.

III. Perpendimus tentationis naturam ac causas, nunc quoque ejus multipliciter dispiciamus; nam tentationes variæ sunt; aliæ apertæ, aliæ occul-

tæ. Tentationes apertæ sunt, quæ palam & veluti aperto Marte nos adoriuntur; eæque sunt quadruplices, nimirum repentinæ, violentæ, importunæ & perplexæ.

1. *Repentina* tentationes sunt, quæ ex improvise irruentes mentis considerationem præveniunt, in quas incauti crebrò impingunt & facile consentiunt, dicentes cum Threnographo: *Velociores sunt persecutores nostri aquilis cæli.* Thren. 4. Quæ celerrimo impetu in prædam involant: sic nonnunquam tentatio subita, fulminis instar, hominem totum pervadit.

2. *Violenta* sunt, quæ eâ violentiâ, impetûque irruunt, ut eis absque abundantissima gratia nequeat resisti. Tales fuere tentationes Martyrum; qui cum Apostolo dicere poterant 2. Corinth. 1. *Supra modum gravati sumus, supra virtutem.* Ejusmodi quoque tentationes sunt blasphemiarum, desperationis, superbiam, ambitionis, fornicationis & similes, à Diabolo modo quodam extraordinario concitatæ, cum tam vivaciter, tamque repente imaginationi sædas, blasphemias, aliâsve horrendas species objicit; ut ægrè animam, num consenserit, discernit: quæ ideo vocari solent spiritus blasphemiarum, spiritus fornicationis, spiritus superbiam, à quibus proinde in Litanis liberari petimus.

3. *Importuna* sunt, quæ semel repullæ, instar muscarum rejectarum identidem redeunt: quæ licet primâ vice nos minimè prosternant, sapius tamen recurrentes vacillare faciunt; & non rarò in ruinam trahunt, similesque

lésque sunt gutris, lapides excavantibus. Ejusmodi sunt cogitationes blasphemæ, suspiciones temerariæ, distractiones & similes; quæ non quidem impetuose nos obruunt; sed molestâ illâ recurfatione fatigant, & nonnunquam dejiciunt.

4. *Perplexæ* sunt, quæ eodem tempore, variis oppositisque vitiis mentem impetunt, & veluti navem ventis contrariis agitaram obruere tentant: ut dicere cum Gentium Doctore cogamur 2. Corinth. 7. *Foris pugna, inbus timores.* Atque hæc sunt tentationes apertæ.

Verùm humanæ gentis hostis callidissimus, ubi apertâ vi nihil adversus suas mentes assequitur, dolis cuniculisque grassatur: variis eas versat modis, multis commotionibus agitatur, & artibus subtilissimis perit. Harum verò occultarum & fraudulentarum tentationum diversæ quoque sunt species, quas ad ternas hasce reducimus.

1. Species prima est earum, quæ sub specie boni amplectendum malum, vel sub specie mali, bonum fugiendum suadent: quod D. Paulus innuit, 2 Corinth. 11. dum ait: *Sathanam solere se transformare in Angelum lucis.* Sic tentator sub specie talenti exercendi suadet ambitionem, sub specie zeli contemptum majorum; sub specie majoris perfectionis in alio statu, inconstantiam in vocatione.

2. Altera species tentationum occultarum, continet eas, quæ prius oculos mentis excæcant, aut appetitum vehementiâ passionum & illecebrarum sensualium inquietant; deinde in

manifesta flagitia quæ non videntur, vel non apprehendantur, pelliciunt. Sic Judas antè cæcus, postea aperuit oculos, dicens: *Peccavi tradens sanguinem justum.*

3. Ad tertiam speciem pertinent eæ, quæ subinde ad tempus nos oppugnare cessant, ut incautos & quasi jam securos ex improvise opprimant; instar vulpecularum, quæ se mortuas simulant, ut gallinas propius accedentes, sibi que nihil metuentes, capiant.

En, Charissimi, quàm varii, quàm multi, quàm potentes & callidi sunt adversarii nostri, tam externi, quàm interni! quanto numero & impetu, castrum animarum nostrarum impugnant! quàm variis machinis & artibus occultè & apertè nos invadunt! quàm sedulò proinde nobis omni ex parte vigilandum, ne ullus uspiam hostili incurfui aditus aperiatur! quàm sollicitè monitum Spiritus Sancti auscultandum est: *Omni custodiâ serva cor tuum, quia ex ipso vita procedit?* Proverb. 4. præsertim cum athletæ spirituali, totâ vitâ & continuè cum iis sit dimicandum, nec speranda, dum spiramus, ab hac colluctatione respiratio; multò minùs securitas? ô quis cum Sancto Antonio non exclamet: *Domine quis tollatqueos evadet?* Quis tyronum non expallescet, si plures etiam veteranos milites, imò heroes, post reportatos ab hostibus triumphos, turpiter tandem irretitos, captos, vulneratos ac prostratos succubuisse recogitet? verum absit, ut ideo quis hanc luctam detrectet, animùmque despondeat; quisquis non suis viribus confidit; sed ejus, qui ait:

Confidite, ego vici mundum. Joan. 16. Quin potius certa cum fiducia speret, se protectionis Divinæ clypeo munitum, facile omnes hostium insidias, incursumque propulsaturum; modò ido-

neis mediis, ac præsertim prædicto, tentationes antevertendi, & contrariis repellendi constanter adhibendis, cooperari voluerit.

EXHORTATIO II.
IN REGULAM EANDEM,
Docet tentationes contrariis vincendas.

T H E M A.

Prepara animam tuam ad tentationem. Eccli. c. 2.

VEL:

Antevertere oportet tentationes, adhibitis earum contrariis. Reg. 14.



Utiplurima in e-
loquiis divinis,
Sanctorumque
Patrum voluminibus adver-
sus tentationes
antidota sug-
geruntur: cu-
jusmodi sunt oratio, jejunium, diffi-
dencia sui, fiducia in Deum, vigilantia,
sensuum custodia, occasionum fuga,
proscriptio otii, manifestatio sui coram
Prælati; quæ omnia contra tentationes
arma perquam efficacia merito reputan-
tur; verum hisce in præsentia dimissis,
unicum duntaxat alexipharmacum à S.
Ignatio in Reg. 14. suggestum, expo-
nendum sumemus. *Antevertere*, inquit,

*oportet tentationes adhibitis earum con-
trariis.*

Quando Medici aphorismum suum
vulgarem proferunt: *Contraria con-
trariis curantur.* Sensu duplici intel-
ligi queunt: nimirum vel de febris ipsa
seu morbo, vel de paroxysmo febrili,
in utroque autem dictus aphorismus
locum repetire cernitur: primò enim
febris calida antevertitur & paulatim
curatur contrariis, dum adhibentur
frigida: deinde ipse quoque febris af-
fectus & paroxysmus herbarum salu-
brium succo, aut tenui potu, simili-
busque reprimitur, & levamen senti-
tur. Non dissimili ratione in morbo-
rum spiritualium cura procedendum
suggerit S. Ignatius, sive de ipso vitio
aut

aut passione, tentationum radice, sive de ejus paroxysmo loquamur. Ex mente S. Ambrosii L. 4. in Lucam c. 4. *Febris nostra avaritia est, febris nostra libido est, febris nostra luxuria est, febris nostra ambitio est, febris nostra iracundia est.* Tam autem febris hæc, quam ejus paroxysmus & actualis tentatio, contrariis est superanda.

Quâ verò id methodo practicè peragendum sit, exhortatione præsentè declarabimus.

I,
Vitia &
radices
tentatio-
num cu-
rantur
contrariis

I. Primò quidem intendit ac vult S. Patriarcha noster, morbos ipsos, id est pravas inclinationes, passiones & vitia, contrariis armis oppugnanda: mox enim, tanquam regulæ exemplum, at-
texit: *Ut cum quis animadvertitur ad superbiam esse propensus: & sic de aliis pravis anima propensionibus.* Reg. 14. Si igitur quis ad superbiam vitium propendere se sentiat: *exerceri*, inquit, *is debet in rebus abjectioribus, quæ ad humiliandum ipsum utiles futura videantur.* *Exerceri debet*, non semel, iterùmve, sed sæpius & identidem; neque enim arbor annosa ictu uno concidit. Et veluti lima ferrum crebrò repetitis ductibus abradit ac polit: sic vitium repetitis virtutum contrariarum actibus.

Illustre hujus praxeos specimen Juditha Hebræorum Heroïna fortissima nobis ob oculos ponit; quæ debellando alium, demonstrat, quâ quis arte vincat semetipsum; dum Holofernis vitia antevertit, ac virtutibus contrariis sese instruit; & superbiam animi demissionem, ferociam mansuetudinem, temperantiam & sobrietatem gulæ, denique

effrenatâ libidini opponit castitatem.

1. Etenim Holofernes, devictis jam aut præ terrore ultro sese deditibus reliquis viribus, elatus, ac fastutimudus exercitum centum & viginti millium peditum, & viginti duorum millium equitum circumfusus, extremam Bethulæ perniciem intentabat. Jamque Sacerdotes Urbem hostis arbitrio submittere decreverant, nisi quintiduo auxilium è cælo affulgeret. At quid generosissima juxta ac demississima Judith? Opponit illa velut clypeum inexpugnabilem, profundam animi demissionem: ait enim: *Qui estis vos, qui tentatis Dominum? Posuistis vos tempus miserationum Domini?* cap. 8. *Non sic; sed humiliemus animas nostras & exspectemus humiles consolationem ejus, & in spiritu constituti humiliari, dicamus flentes Domino: ut secundum voluntatem suam faciat nobiscum misericordiam suam.* Deinde ad alios demissionis actus progreditur, suam imbecillitatem agnoscendo, viribusque suis diffidendo, & omnem fiduciam in solo Numine reponendo: *Da mihi*, inquit, *virtutem; neque enim superbi ab initio placuerunt tibi; sed humilium & mansuetorum semper tibi placuit deprecatio.* *Deus calorum exaudi me miseram, & de tua misericordia presumentem.* *Erit hoc memoriale nominis tui, cum in manu fermina dejeceris eum.* En quot actus virtutum, tot velut arietes & catapultas ad fastum Holofernis labefactandum admoveat. Neque unius humilitatis, sed & aliarum virtutum insigne specimen edit.

2. Secundò enim erat Archistrategus iste ingenio ferox, irâ, furore ac vindictâ inflammatus; qui, ut cap. 3. Judith legitur, nullis populorum flectebatur obsequiis: & *quamvis Principes ac civitates obviam sponte procederent, cum coronis & lampadibus, ducentes choros, in tympanis & tibiis*: ferociam tamen immanem pectoris ejus haud mitigare valuerunt: nam & *civitates eorum destruxit, & lucos succidit*. At quâ arte Juditha furorem hunc domuit? quâ ratione tigridem hanc effêratam cicuravit? non aliâ nisi mansuetudine, suavitate, & lenitate: verba lenia depromendo, sese ancillam, ipsum Dominum compellendo, in terram se prosternendo, atque adorando: *Qua sum ego, inquiebat, ut contradicam Domino meo?* Et audiit: *Invenisti gratiam coram me,* cap. 12.

3. Erat Dux ille Assyrius, fœdæ libidinis mancipium, ut passim Assyrii: ideòque mox intuitu primo *captus est in oculis suis*. Verùm ex adverso Judith summâ castimoniam laude florebat, ciliciòque carnem suam domabat.

4. Erat Holofernes ventri & abdomini suo natus, temulentiam perquam addictus, vino somnòque sepultus: *jacebat in lecto, nimiam ebrietate sopitus*, cap. 15. Sed in Heroinâ illâ summa elucebat temperantia & sobrietas; utpote, quæ nec vetitos ac immundos Assyriorum cibos degustabat, nec genio cum Holoferne indulgere sustinebat: atque hac ratione virtutibus contrariis, contraria vitia antevertens, prostravit, victrix temulento caput acinace demessuit, hostibusque debellatis, civitatem, cum

plausu & gloriâ æternâ, obsidione liberavit.

Quod Juditha in alio, unusquisque in praxin redigat in semetipso: vitium quodvis, aut passionem indomitam, autumet esse hostem suum & Holofernem suum: Juditham verò rectam rationem seu voluntatem gratiâ & fide armatam: cujus est hostium machinationibus viriliter sese opponere, easque armis contrariis elidere.

Unusquisque, ait S. Jacobus in Epist. c. 1. *tenetur à concupiscentia sua, abstractus & illectus*. Concupiscentia autem seu appetitus est pars inferior animæ, ad quam passiones pertinent, quæ nos excæcat, & à rerum cœlestium ac meliorum consideratione abstrahit, ne ea cum rebus vilioribus, ad quas ipsa nos allicit, comparemus; atque ita abnegemus illa, quæ ipsi placent, atque ad meliora convertamur: ubi verò partem superiorem sic abstraxit, ipsa ignescit suavitate rerum, erga quas afficitur, & in quas ex naturâ suâ corruptione fertur, juxta illud Apostoli: *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritûs*. 1. Corinth. 2. 14.

Huic igitur abstractioni mentis, & illectioni voluntatis, ac tentationi, ut non cedamus, nec vincamur: *antevertere oportet* & illam concupiscentiam prius tentare, aggredi, & oppugnare armis mortificationis, antequam illa nos tentet. Quemadmodum Juditha ante conflictum cum Holoferne, se ipsam prius tentabat, ac per jejunia, cilicia, orationes & afflictiones præparabat, ne ullo modo ab illo traheretur & superaretur, quem ipsa superare cupie-

cupiebat: Sacer
te volentes rep
ad preces & je
hanc animâ fidu

Initari hoc
tyrocinii sui
quâ viâ super
excitiis, in
proprium vo
hæciviam co
lam temperat
primere, fra
linunt. Arq
re sanctus I
revertere, c
ac jugulare.

Hoc igitur
etiam postea
strum, si H
amputare cu
radices destr
tidem prop
stantiâ viril
alteròve iâ
juvat alveu
fontem,
ter scaturit
vat liliu f
si radicem

Quid ju
paroxytu
calidam
go oport
tiam, q
tratis pe
nim con
quunt,
succedat.
II. Al
statuio. gredend

cupiebat: Sacerdotisque Urbem tradere volentes reprehendebat; & similiter ad preces & jejunia hortabatur; ut non humanâ fiduciâ, sed divinâ niterentur.

Imitari hoc conantur Tyrones, dum tyrocini sui tempore, & in omni reliquâ vitâ superbix febrim abjectis excitatis, iracundiam mansuetudine, propriam voluntatem, obedientiâ, lasciviam corporis castigatione, gulam temperatiâ & abnegatione, suppressimere, frangere ac debellare non desinunt. Atque hoc ipsum, quod desiderat sanctus Legislator; *tentationes antevertere*, contrariisque armis subigere ac jugulare.

Hoc igitur sit in Tyrocinio, atque etiam postea continuum studium nostrum, si Holoferni, id est vitio caput amputare cupiamus: & tentationum radices destruere, ex quibus illæ identidem propullulant. Atque hinc constantiâ virili est opus: neque enim uno alterove ictu res conficitur. Quid verò juvat alveum aliquoties exhaurire, si fontem, ex quo aqua nova indefinenter scaturit, non obstruamus? Quid juvat liliam superficie tenus abrumperere, si radicem pariter non evellamus? Quid juvat, unum alterumve febris paroxysmum superare, si febrim ipsam calidam non curemus? Antevertere ergo oportet & prævenire, concupiscentiam, agnatâque eidem passionibus contrariis petendo, ac destruendo: duo enim contraria eidem simul inesse nequeunt, quin expulso uno, alterum succedat.

H.
Actuales
tentatio-

II. Altera pars pugnx sita est, in ag-

ritualium paroxysmis: id est, ut non solum concupiscentiæ morbum, præveniamus atque antevertamus; sed ipsos etiam paroxysmos, ac tentationes actu nos infestantes aggrediamur, contrariisque armis perimere satagamus: quemadmodum Juditha, non solum præviè sese disposuerat, sed etiam actuali invitationi & tentationi resistebat, delicatas epulas cum Holoferne non manducando, sed viles secum allatas; non bibendo vinum, sed aquam; non se recreando cum hostibus, sed orando Deum seorsim, ac jejunando. Non abfimilem tentationes jam præsentis retundendi methodum docuit Dominus S. Birgittam L. 4. Revelat. c. 4. *Diabolus, inquit, est quæficans venaticus, currens ad te cum tentationibus & suggestionibus: sed si ei opposueris aliquod durum, quo denies ejus doleant, & obstupescant, mox resiliet à te.* Quodnam verò est istud durum, quod diabolo aut concupiscentiæ tentanti objiciendum? Respondet S. Basilii in Regulis fusiùs disputatis, responso 51. *Contraria contrariis superanda: inanem gloriam, inquit, abjectioribus exercitiis imponendis, futilem & otiosam loquacitatem silentio: immodicum somnum vigiliâ & exercitiis orationum: signitiam corporis laboribus suscipendis gravioribus; edacitatem indecoram jejunio: murmurationem, à reliquis segregatone.*

D. Basilio subscribit S. Ignatius, qui dura, id est contraria tentationi objicienda hortatur: 1. ut si quis ad superbiam propensus cernatur, aut actu infestetur, ad humilia opera confugiat,

nes curaa-
tur con-
trariis.

giat, quæ superbis dura videntur & gravia. 2. Si quis carnis blandimentis ac titillationibus se infestatum senterit; asperitatem vestium, cibi potusque parsimoniam; aliâsque corporis afflictationes adhibeat. 3. Si quis ad vanam sui, talentorumque suorum complacentiam, aut ad aliorum despicientiam impellatur; seipsum profundissime, in nihili sui abyssum deprimat; & omnium nequissimum esse arbitretur. 4. Si ad indignationem, ob reprehensionem aliquam, aut aliam quamvis existimationis suæ læsionem, commoveri se sentiat; heroicis despicientiæ sui actus eliciat, se omni honore indignum, omni vituperio dignissimum habeat. 5. Si ad vindictam, de eo, à quo læsus est, quoquo modo fumen-dam incitetur; in ardentem fraternæ charitatis actus erumpat, eum ceu Dei filium, membrum Christi, Sponsam Spiritus sancti, & SS. Triados imaginem, brachiis dilectionis complectatur, optando illi omnia vera bona, nulla omnino mala, cum desiderio, multò indigniora ab eo patiendi, & si opus foret, mortem ipsam oppetendo, amore Domini nostri JESU Christi. 6. Si ad impatientiam, actus absolutissimæ resignationis; si ad blasphemiam, Dei laudes; si contra fidem, fidei actus, atque ita in aliis, contraria contrariis retundat.

Quò autem certaminis hujus praxin clarius adhuc perspiciamus, non abs re erit, eam Christi & Sanctorum exemplis illustrare. Matthæi c. 4. Sathanas Redemptorem terro assultu impetiit, sed toties telis contrariis repercussus

abcessit. In primo impetu suggerebat: *Dic ut lapides isti panes fiant*: erat tentatio hæc de carne pascenda: & quid remedii opposuit? Amorem rerum spiritualium, verbi divini pabulum. *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* In altero impetu tentabat vanitate & gloriâ inani, inquit: *Mitte te deorsum, Angelis suis mandavit de te.* Atque ita illis te in lapsu cadentem excipientibus, honorem & plausum à spectatoribus referes: at quâ ratione impetum fregit? extraordinaria & insolita declinando, non se deorsum precipitando, sed viâ ordinariâ per scalarum gradus descendendo. Tertius assultus erat, ambitionis: *hæc omnia tibi dabo.* Quo autem scuto telum hoc repulit? Humilitate, subjectione, adoratione Dei: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* In omnibus ergo his conflictibus, arma contraria, contrariis opponendo, modum contra tentationes dimicandi nos docuit.

Haud ab similem discipulorum morbos curandi methodum Salvator usurpavit. Venerat cum illis Capharnaum; & cum scientiâ plus quam humanâ cognovisset eos ambitionis cupidine actos in via disputasse: *Quis eorum videretur esse major.* Matth. 9. dissimulavit, donec venissent domum: quando eos ad se vocatos suaviter rogat: *Quid in via trahebatis?* At illi tacebant: nimirum miseri notantes se deprehensos, rubore suffusi obmutuerunt. Tunc medicinam adhibuit contrariam; & toto illos cælo aberrare

aberrare docuit : eum enim , qui ambit primas , ostendit omnium fore postremum : & puerulo in medium producto , dixit : *Amen dico vobis , nisi conversi fueris & efficiamini sicut parvuli , non intrabitis in regnum caelorum.* Et si quis vult primus esse , erit omnium novissimus. Et qui se humiliaverit , sicut parvulus iste , hic est major in regno caelorum. Ita non minus suaviter , quam effilaciter , ambitionis morbo medicinam contrariam applicuit & sanavit.

Pari methodo correxit Joannem & Jacobum Apostolos : qui dum transirent per Samariam ; & à Samaritanis inurbanè ex oppido excluderentur , injuriam senserunt : & memores facti Eliæ ignem è caelo evocantis , & Quinquagenarium extinguentis , vindictæ cupidine acti ad Dominum eijunt : *Vis , dicimus , ut ignis de caelo descendat & consumat illos.* Lucæ cap. 9. 54. Sed Dominus increpavit eos : *Nescitis , cujus spiritus estis : Filius hominis non venit animas perdere sed salvare :* zelo vos agi creditis , sed vindictam spiratis ; parùm in schola mea profecistis , lectionemque de mansuetudine & patientiâ toties inculcatam nondum assecuti estis.

Christum Dominum imitati sunt Sancti , qui vel in se vel in aliis tentationes contrariis extinxerunt. S. Benedictus , tentatus à carnis illecebris , in præcutis se volutavit vepribus , quod S. Gregorius Lib. 2. Dial. cap. 2. refert , causamque annectit :

Ut per cutis vulnera ; voluptate in dolorem tractâ , à corpore , vulnus mentis educeret. S. Franciscus gelu & nive carnem cum vitis & concupiscentiis perdomuit , teste S. Bonaventura in vita cap. 5. S. Bernardus in lacum , tempestate perfrigidâ , insiliit , in eoque , collo tenuis immerfus usque eò constitit , ut exanguis & tantùm non congelatus , omnem libidinis calorem extingueret. Simile quid præstitit S. Ignatius Parisiis , ut impudicum juvenem à libidinis actu absterret , teste P. Ribadeneira L. 1. vitæ cap. 2. Idem P. Nicolao Bobadilla uni ex decem primis sociis , petenti , ut liceret ex angusto & incommodo cubiculo ad aliud laxius migrare , renuntiari jussit ; ut potiùs in angusto illo cubiculo reculas suas ita aptaret , ut pro duobus aliis accessuris locum faceret. Libens acquievit Bobadilla , Nimirum paupertatem fugienti S. Pater dare voluit occasionem paupertatis majorem , & morbum contrâlo fugavit. R. P. Joannes de Abetodo Hispanus , Ecclesiastes Apostolicus ; quando à viris primæ nobilitatis honori exhibebatur ; ad eum averendum objiciebat ; aut nescirent , cujus ipse originis , ex infami & perfida Maurorum gente foret ? Morti jam proximum demon visibiliter apparens stratagemate & telo vanæ gloriæ aggressus , enumerabat tot ejus per omnem vitam in Dei & Ecclesiæ causâ labores & merita. Cui ille , altâ , quam omnes astantes percipere

306 EXHORTATIO II. IN REG. EAND.

voce; Quid ais miser? Cur non potius in memoriam revocas vilitatem mei generis? Cur non inculcas parentes meos pauperes arte fabrilis vitam sustentantes? Quo audito, disparuit Tentator, & Pater placidissima morte defunctus est Hispali anno 1578. 14. Maji, Tannerus in Soc. Apost. imitat. pag 159.

Quapropter Charissimi; dictum S. Ignatii consilium vel ab ipso Tyrocinio adhibeamus, tam in ipsis animi morbis, quam in paroxysmis eorum, per contraria curandis. Et quidem primò morbos, & radices tentationum, id est, vitia & passiones antevertere studeamus; exemplo Judithæ & superbiam humilibus exercitiis continuis, iram mansuetudine, libidinem asperitate, gulam temperantiâ, vanam gloriam contemptu, odium charitate,

timorem magnanimitate, hilaritate tristitiam. Deinde insurgentibus paroxysmis, eosdem quoque contrariis retundamus; exemplo Christi Domini, aliorumque Sanctorum, voluptatum dolore, inanem gloriam demissione, calorem frigore domando atque expellendo. Tentamur contra fidem, fidei actum eliciamus; contra misericordiam, exerceamus spem; irruat spiritus blasphemiæ, laudemus Dominum Deum nostrum, suspiciendo, magnificando, & glorificando cum in omnibus judiciis, operibus & permissionibus suis. Atque ita contraria contrariis facilè, feliciterque curabimus, & cum Juditha Holoferni stygio, ac concupiscentiis, ejus satellitibus, caput generosè amputabimus.



RE-



REGULA XV.

De exacta Regularum observatione.

EXHORTATIO I.
IN EANDEM.

Suadet constantē & perfectam observationem Regularum.

T H E M A.

Inspice & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est. Eccli. c. 25. 40.

V E L

Omnes constanti animo incumbamus, ut nihil perfectionis in absoluta omnium constitutionum observatione praetermittamus. Reg. 15.

Andavit olim Dominus Moyſi, Exodi c. 25. ut ad cultum Divinum, populi- que devotionem tabernaculum exstrueret. Erat illud, ut refert Joſephus, quaſi templum mobile ac portatile, ambulans una cum Hebraeis per deſertum, & tentorii caſtrenſis ſimilitudinem referens, quod dum caſtra eſſent movenda, ſolvi & convolari poterat. In hoc igitur tabernaculo, tanquam in Domo Dei ac templo caſtrenſi, Hebraei Deum cole-

bant & hic viciffim, ſe illis umbraculum & protectorem eſſe ſignificabat. Cum vero Moyſes modum & ideam hujus tabernaculi à ſe exſtruendi ignoraret: dixit illi Dominus: *Inſpice & fac ſecundum exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt.* Exodi c. 25. Quando ſcilicet quadraginta diebus in monte Sinai commoranti, ibidem tibi à me deſcriptum eſt vivâ voce tabernaculum, & idea quaedam ſenſibilis demonſtrata fuit. Secundum quam Moyſes illud in tres partes, ſeu tria quaſi cubicula diſtinxit. 1. Erat atrium pro laicis, 2. Sanctum pro Sacer-

dotibus & Levitis, 3. Sanctum Sanctorum pro summo Pontifice.

Ejusmodi quoque tabernaculum, ac perfectionis templum omnibus nobis in corde nostro exstruendum est, secundam exemplar, quod nobis in monte monstratum est, id est ad exemplum Christi Crucifixi ac perfectionis ejus, quam Dominus nobis in Sancto Ignatio tanquam exemplari vivo proposuit & per illum in regulis ac constitutionibus delineavit. *Nescitis*, ait Apostolus 1. Corinth. 3. *Quia templum Dei estis, & Spiritus Sanctus habitat in vobis*; In hoc templo ac tabernaculo perficiendo & ornando in dies nobis laborandum est. Et ne aberramus: *aspice & fac secundum exemplar*, id est secundum regulas, quæ sunt exemplar à S. Ignatio nobis monstratum, in quibus seipsum ad vivum depinxit, & altissimum nobis perfectionis fastigium ostendit.

Dividemus autem hoc templum seu tabernaculum in tres partes, in atrium, Sanctum, & Sanctum Sanctorum; in primo collocabimus Tyrones & incipientes; in secundo proficientes; in tertio perfectos; & quid singulis, secundum exemplar regularum præscriptum, faciendum incumbat, explicabimus.

I. Hisce verbis fabros & operarios suos S. Patriarcha noster excitat, animaque: *Omnes constanti animo incumbamus, ut nihil perfectionis in absoluta omnium constitutionum observatione prætermittamus*. Omnes, inquit, Patres, Magistri, Fratres, omnes seniores & juniores: incipientes, proficientes &

perfecti. Nullus enim, etiam Novitius, in Societate est, qui ad studium perfectionis non teneatur: ideo enim seculum deseruimus, ideo Patrem & Matrem, cæteraque mundi bona dereliquimus: ideo omnes venitimus, ut turrim perfectionis ædificemus, ut hoc tabernaculum in cordibus nostris exstruamus: cum in finem gratiam vocationis à Deo obtulimus, quæ gratia in hoc opere sancto nos mirificè adjuvat & confortat, Tyronibus tamen & incipientibus, qui quasi in atrio religionis adhuc versantur, potissimâ curâ incumbendum est, in perfectione atrii tabernaculi.

Atrium istud locus erat destinatus Laeis, nunquam tabernaculum interioribus ingredientibus, continebatque duo, *Labrum æneum*, & *altare holocaustorum*. Labrum æneum seu lavacrum significat Sacramentum penitentia, quo tyrones valde indigent, & altare holocaustorum significat vitiorum enecationem & mortificationem in Dei obsequium. In utroque rite obeundo, omnes constanti animo incumbant, ut nihil perfectionis prætermittant ex regularum præscripto.

1. Primum quidem labrum æneo, seu Sacramento penitentia, perquam diligenter utantur, tum in exhomologesi de totâ vitâ, tum in semestralibus, & hebdomadaris, quemadmodum in expositione regulæ quintæ, sextæ, & septimæ summarii insinuavimus. Quid peccata sunt aliud, quam sordes, quibus anima maculatur? sordes sunt avaritia, sordes luxuria, sordes superbia, invidia & reliqua peccata: de quibus Jeremias ait Thren. 4. 5. *Qui nutrieban-*

L.
Perfectio
Incipientium.

sur in croceis, amplexati sunt stercore. Hebræus Interpres legit: Qui in cocco & purpurâ Divinæ charitatis fulgebant, amplexati sunt peccata infamia. Et Isaias Propheta sæculi sui crimina deplorans, inquit: *Facti sumus, ut immundus, nos omnes & quasi pannus menstruata omnes iustitia nostre.* c. 64. 6. Quid sunt peccatores, nisi upuxæ, de quibus Aristoteles L. 9. Hist. animal. c. 15. quod nidum potissimum faciunt ex stercore hominis. Quid sunt impudici, nisi scarabæi fœtentes, in scelerum suorum sordibus sese volutantes.

Quod si igitur Tyro religiosus mundanæ vitæ decursu his sordibus conturpatus fuerit; qui dñi ad solum æneum, ad Sacramentum pœnitentiæ recurrat, & sordes abluat; dicatque cum Vate regio pœnitente; *Lava me, mundame.* Psal. 50. Atque ut exponit Pepinus a. 5. in Psal. pœnit. Lava pedes affectionum mearum depravatorum, sicut olim lavisti pedes discipulorum. Lava manus ab operationibus malis, ut earum sordes misericordiâ tuâ eluantur. Lava caput meum à cogitationibus iniquis, lava corpus à corruptione carnis, lava oculos ab aspectibus impudicis, lava os & linguam à verbis mendacii & detractionis; lava aures ab auditione alienæ diffamationis; lava me integrè, ut partem tecum habere merear, quia scio quod nullus nisi omnino mundus potest tecum habitare in cœlestibus. Ita ille.

Nec sufficit semel lotum esse, sed iterum iterumque, ampliùs & ampliùs lotionem indigemus, petamusque necesse est cum eodem Vate coronato;

Amplius lava me. Innocentius Pontifex hoc loco asserit iteratam lotionem adhiberi, quia culpa quæ nunc recenter dimittitur, licet tota per pœnitentiam diluatur, adhuc tamen pœnitenti sordet & fœtet; eò quòd serenitatem & securitatem conscientie nondum habeat. Unde meritò flagitat. *Amplius lava me.* Ut exponit Augustinus, ab omnibus immunditiis in omnibus facultatibus & corporis sensibus. S. Gregorius ob maculas inveteratas, malitiâ magnas & oblivione deletas, Hesichius, ob peccati reliquias, ita ut nullum vestigium remaneat. S. Athanasius, ut præter remissionem peccati, sanitatem, robur, pulchritudinem & tranquillitatem animi obineat. Ut non modò è numero reproborum recedat; verùm etiam nomen iustorum adscribatur; nemini enim certa est remissio; unde Eccli. 5. 5. *De propitiato peccato nolite sine metu.* Denique amplius lava me, quia nunquam poterit esse puritas tanta, quæ Deo sit digna. *Lavabis ergo me, & super nivem dealbabor.*

Deinde lotionem peracta ad Altare holocaustorum Tyrones accedant, oportet & se totos Deo immolare. Holocaustum, vox græca est ὅλον καυσθόν, id est totum combustum, quia totum in honorem Dei igne consumebatur, ad significandum summum Dei in res omnes dominium: & quòd illud offerentes protestarentur se totos esse Dei, eidemque se totos consecrare, ut quasi corpore pessundato, animum cum hostiæ suæ fumo in cœlum sustollerent, atque in Deum transferrent. 1. Holocaustum

locustum erat bovis : id est corpore robustorum, qui labores suos commo- dis fraternis substernunt. 2. Ovium, id est eorum, qui imbecilles corpore operum innocentia, & morum simplicitate alios pascunt. 3. Avium, id est eorum, qui scientia & contemplationi vacant. Vel, ut exponit Ribera L. 4. de templo c. 3. Holocaustum columbae & turturis significat eos, qui per jugem carnis macerationem, & voluntatis abnegationem, se quasi hostias vivas Deo immolant, Rom. 12. 1. Hæc igitur est universa Tyronum occupatio, quamdiu versantur in religionis seu tabernaculi attrio, sese amplius purgare; & per abnegationem Deo immolare, juxta regulam Summarii octavam, undecimam, duodecimam &c. & in his constanti animo sese exercere, nihilque perfectionis prætermittere.

II.
Perfectio
Proficien-
tium.

II. Religiosi proficientes, & aliquam jam perfectionem majorem affecturi : quales in Societate censeri possunt, Scholastici, emissis votis, Magistri, Theologiae auditores, cæterique Fratres, nondum votis ultimis obligati versantur in altera tabernaculi parte, quod vocatur Sanctum. In quo tria reperiuntur his necessaria atque utilis. Altare thymiamatis, candelabrum & mensa panum propositionis.

1. Altare thymiamatis, ut exponit Ribera L. 2. de templo c. 11, significat eos, qui se dedunt orationi, laudi Dei, meditationi & contemplationi : optantque cum Davide : *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu Domini*, sive enim meditationi matuti-

nae vacent, sive Sacrificio Missæ assistant, sive conscientia latebras excutiant, sive officium aliâve preces recitent : dirigatur oratio sicut incensum, suave & redolens in conspectu Dei, à quo eâ mediante obtineant gratiam fructuosè juvenutem teneram erudienti, in studiis proficiendi, castitatis, charitatis, justitiæ, prudentiæ, aliarumque virtutum habitus comparandi, ac roborandi. Oratio enim, ut tradit S. Laurentius Justinianus L. de discipl. pag. 190. c. 18. est *Virtutum nutritrix, vitiorum interceptrix, charitatis robur, justitiæ regula, prudentiæ speculum, scientia lumen, domestica Dei*.

2. Candelabrum aureum, septenis lucernis instructum : significat Ecclesiæ Doctores, & eos qui fidem Christianam ignorantibus tradant ; qui vitâ & doctrinâ in Ecclesia aut religione lucent. Ejusmodi candelabra in sæculi hujus tenebris lucentia, conentur esse Magistri ac Theologi nostri. Quorum prima lex sit à S. Bernardo tradita : *Doctor sit concha, non canalis* ; Hoc est, prius scientiam recipiat, eaque se impleat, ut eam deinde plenius in alios affundat, prius se doceat, quam alios. Secunda lex non tantum intellectum, sed & affectum imbuat ; nam *Doctrina spiritus non curiositatem, sed charitatem accendit*, inquit S. Bernardus. Tertia lex : prius doceat factò, quam verbo : sic enim Jesus prius cepit facere, quam docere. *Doctrina* inquit S. Gregorius, *cum omni imperio decetur quando prius agitur, quam dicatur, nam doctrina subtrahit fiduciam, quando conscientia præpedit linguam.*

3. Tertium in Sancto repertum, est mensa panum propositionis, eos representans, qui se dedunt, eleemosynis & operibus charitatis. Quid agunt aliud, literarum humaniorum, imò & Philosophiæ ac Theologiæ Professores, quam opera misericordiæ præstare, ignorantes docere, charitativè multiplicia munia exercere? quid Fratres nostri Matthæ officii addidisti aliud agunt, sive cibum præparent, sive potum depromant, sive panem pulant, sive vestes laiciant, quam assiduis misericordiæ & charitatis munitis vacare? quam verò grata Deo opera ejusmodi accidant, sacramentorum paginarum autoritas innumeris locis, & SS. Patrum consensus enuntiat. Ex omnibus seligo S. Chrysostomum, qui homil. 9. in Matth. ait: *Eleemosyna, amica Deo existit, & semper ei propinqua est: pro quibuscunque voluerit, facile munus impetrat, vincula peccatorum ipsa dissolvit, fugat tenebras, extinguit ignem: hunc cum mala fiducia porta cœteraperuntur: & veluti Regina intrante, nullus janitorum, nullus custodum, quis assistunt, audeat dicere: quæ es tu vel unde? sed omnes eam ut Reginam suscipiunt.*

Quo: quot igitur commorantur in tabernaculi Sancto; orationem, doctrinam, misericordiam, secundum regularum apicem exactè observare studeant, quemadmodum regula vicefima prima & secunda, regula decima quinta & 17. regula 44. & 45. alique officiorum propriæ postulant, & nihil peccationis, in absoluta eorum observantia præmittant.

III. In Sancto demum Sanctorum versantur Religiosi veterani diu multumque probati, in virtutis palæstra exercitati, charitate Dei & proximi succenti, quales esse decet Professos & Præsides ac Prælaros, per arcam & propitiatorium designati.

1. In Sancto Sanctorum erat arca Domini, de lignis Setim compacta instar parvæ cistæ quadratæ, vel quadrangulæ: alta cubitum cum dimidio lata cubitum cum dimidio, longa verò cubitos duos cum dimidio. In hac arca tria erant, tabulæ legis, Virga Aaronis & manna; tria Præsidium & Rectorum præsidia & dona; Arca Ecclesiæ aut religionis, ejusve Præses habeat tabulas legis, virgam disciplinæ & correctionis, ac manna dulcedinis in gubernatione: Ita S. Gregorius Ep. 25. l. 1. *Hinc Samaritanus, inquit, vulnerato infudit oleum & vinum; ut per vinum scilicet mordeantur vulnera, per oleum foveantur. Sic ergo amor, sed non emolliens; sic rigor, sed non exasperans. Habent apes mel, habent & aculeum, quo defendant alvearia. Sic qui regit, habeat mel, id est clementiæ dulcedinem, habeat & aculeum justitiæ, quo adversus sceleratos Rempublicam tueatur.*

2. In Sancto Sanctorum reperire erat Propitiatorium. *Facies & propitiatorium de auro mundissimo.* Exod. 25. Eratque propitiatorium tabula operi nsarcam, seu ejusdem operculum: sic dictum, quasi locus propitiacionis, eò quòd illic Deus apparet & Moyse loquens placabatur & propitiabatur populo, idem propitiatorium

III.
Perfectio
Perfectorum.

rium, quatenus complectebatur cherubinos cum aliis, erat quoque oraculum, è quo Deus edebat oracula, eratque velut thronus Dei, in quo sedere dicebatur: *Loquar ad te supra propitiatorium, ac de medio duorum Cherubin, qui erunt super arcam.* Exodi c. 25. 22.

Ejusmodi propitiatorium viros perfectos, & sanctimonia conspicuos adumbrat, qui precibus suis & sanctis operibus Deum placant, per quos Deus oracula & monita salutis edit; Angelos & Cherubinos vitæ puritate referunt & Sapientiæ luce. *Unusquisque ait S. Gregorius hom. 6. in Evang. si quantum sufficit, proximum à pravitate revocat, si exhortari ad bene operandum curat, si æternum regnum, vel supplicium erranti denuntiat; cum verba sancta annuntiationis impendit, Angelus existit.* Idem homil. 34. *Qui secretorum celestium summa capere prævalent, & nuntiare, isti in Archangelorum numero deputantur. Et sunt nonnulli, qui tantâ Dei & proximi dilectione pleni sunt, ut Cherubin jure nominentur. Quia enim Cherubim plenitudo scientia dicitur, & Paulo dicente didicimus, quia plenitudo legis est charitas; omnes qui charitate Dei & proximi amplius pleni sunt, meritorum suorum sortem inter Cherubim numeros perceperunt. Et sunt nonnulli, qui superna contemplationis facibus accensi, in solo Conditoris desiderio anhelant; nihil jam in hoc mundo cupiunt, solo æternitatis amore pascuntur, terrena quoque abjiciunt, temporalia cuncta mente transcendunt, amant & ardent, atque in*

ipso suo ardore requiescunt, amando ardenti, loquendo & alios accedunt, & quos verbo tangunt, ardere protinus in Dei amore faciunt, hi inter Seraphim numerum sortem suæ vocationis acceperunt. Hujusmodi ergo viri perfecti, ætate & sanctitate, ac charitate conspicui, nihil perfectionis in regulis suis intermittendo, sed & apices minimos observando ad culmen sanctimonie conscenderunt.

Conentur itaque singuli, secundum ideam, à S. Ignatio in regulis monstratam, perfectionis templum in semetipsis fabricare. Incipientes in atrio constituti, virtutibus quidem insistant, sed potissimum pœnitentiæ Sacramento animam magis, magisque emaculant, & passiones, vitia, concupiscentias, pravas consuetudines in altari, instar vitulorum & animalium in holocaustum mortificatione concrement. Proficientes in Sancto, in altari thymi-amatis preces puras offerant, instar candelabii doctrinæ & sapientiæ luce, alios illuminent & è mensa propositionum panes desumant, & opera misericordiæ exerçant. Perfecti denique arcam Dei, cum tabulis legis, virga correctionis, & manna suavitatis in corde suo circumferant; alios Deo reconcillent, & orationibus sustentent, & Cherubinorum, ac Seraphinorum more charitate purâ ardeant, aliosque accendant. Hac ratione omnes nihil in absoluta omnium constitutionum ac legum observatione prætermittent,



EXHORTATIO II.

IN REGULAM XV.

Suadet minimarum regularum exactam observantiam.

T H E M A.

Qui in minimo fidelis est, & in majori fidelis erit. Lucæ 16. 10.

Vel ex Regula.



Ælestis Sponsus in Canticis cor suum à Spon-
sa amore occupa-
tum ac vul-
neratum in uno
oculorum & in
uno crine colli
asseruit. Mira sanè conjunctio oculi
& capilli : quid in corpore humano
nobilius, quid præstantius oculo? Quid
ex adverso vilius & exilius capillo? Et
tamen in utroque amore se captum,
sauciaturque Sponsus prædicat: *Vul-
nerasti cor meum, Soror mea Sponsa;
vulnerasti cor meum, in uno oculorum
tuorum, & in uno crine colli tui.* Cant.
4. 9. Cur nam verò istud? Manifesta-
re voluit, non tantum præcipua mem-
bra, sed etiam viliora: non tantum il-
lustriora & grandia opera; verum
etiam minima, rectâ intentione per-

acta, sibi placere. Hac de causa
S. Ignatius, dum in regula præsentè,
præscribit, *nihil perfectionis, in absoluta
omnium constitutionum observatione,
præmittendum esse*, non tantum nos
majora implere, verum & minima mi-
nimè negligere voluit: ac proinde,
ubi verio latina habet: *Nihil perfe-
ctionis; sanctus Legislator in idiomate
Hispanico, quo Constitutiones ab eo
designatæ sunt, scripsit: No perder
puncto de perfeccion; adnitendum nobis
esse, ut nec unum punctum, apicemve
perfectionis, perdamus aut amitta-
mus.*

Quemadmodum verò, ex sententia
Davidis, geminæ sunt justitiae, hominisve
pii officia, *declinare scilicet à malo &
facere bonum*; sic hominis religiosi of-
ficia duo sunt: etiam minima quæ ve-
rita sunt, declinare; & minima, regulis
præscripta observare: minima enim
neglecta

neglecta multum perimenti pariunt, minima exactè observata, plurimum emolumenti adferunt, quod exhortatione præsentè explanabimus.

I.
Minima in
regulis
vetera,
cavenda.

1. *Declina à malo.* Id est cave etiam minimum, quod regula sancta vetat. Duplicis autem generis reperire est defectus, excessive contra regulam; alii accidunt citra peccatum, alii peccato obnoxii existunt. Violatur enim nonnunquam regula citra peccatum, quia Fundator ad peccatum transgressorem obstrigere nolit; v. g. dum rumpitur silentium. Quamvis sæpissimè peccatum vel ob contemptum regulæ, vel ratione votorum, vel alia de causa intercurrat.

1. Si regula violatur citra peccatum; est nihilominus ejusmodi transgressio, quædam imperfectio, est quædam à via perfectionis exorbitatio, & in cursu ac studio perfectionis remora seu retardatio. Cupit autem unicè Deus, nos non stare; sed currere ad bravium & ad metam perfectionis: sic currite ut comprehendatis. 2. Corinth 9. 24. Enixè optat nos ad perfectionem sublimem evolare: *Estote perfecti, sicut Pater vester celestis perfectus est.* Matth. 5. 48.

Denique quædam ingratitude est, erga Divinam Bonitatem, quâ nos è sæculi Labyrintho ad perfectionis semitam, ducendo, ac media ad eò præclara, regularumque præscripta ad eò salutarè offerendo, maximo nos beneficio afficit; nos verò hujusmodi donum negligendo, nostramque ei sensualitatem, aut commoditatem, pro-

præmve voluntatem anteponendo, ingratos quodammodo Benefactori tanto nos exhibemus, nec illud Apostoli observamus: *Grati estote.* Ad Coloss. 3. 15.

Denique est negligentia quæpiam acinobediencia, quæ & Deo minus grata accidit: & ipsimet S. Fundatori nostro displicet, cujus voluntas fuit, etiam minima à regulis vitia declinare ut velex eo patet, quod Neapoli sub ejus Collegii initia designavit: Nicolaus Bobadilla unus è primis sociis, in Collegii illius gubernatione superintendentis nomine præsidebat: Andrea Oviedo Rectore, quem postea Patriarcham Pontifex in Æthiopiam misit, Inter eos autem non satis conveniebat, in ratione gubernandi; cum quidquid Andreas astringeret, Nicolaus relaxaret. *Putidum*, inquit Orlandinus historicus noster L. 12. n. 23. *Bobadilla videbatur, sanctitatem Societatis, exiguis quibusdam legibus alligari: censebatque domesticam disciplinam, non tam ad munitissimarum legum nervam, quam ad solida virtutis rationem, dirigendam.* Quasi verò solida virtus, quidquam quod gratum sit Deo, minimum putet; vel consistere, & absolutionem suam habere, sine his ornamentis & coloribus possit. Quid inde secutum est? Leviorum neglectu legum, veluti quibusdam fractis vinculis, fluere sensim disciplina domestica visa est ac dilabi. Quod ubi cognovit Ignatius, remedium adhibuit, curam minimorum atque observantiam. Jussit Oviedum suum munere, totâ libertate defungi nec se

interponere Bobadillam, advigilarique ad custodiam legem minutissimarum. Sentiebat enim in his violandis, plus plerumque latere periculi quam in maximis, propterea quod maximarum damnum, si violentur, apparet; facileque pœna in promptu est; at eorum quæ pro minimis habentur, exitium, nisi progrediente tempore non sentitur. Hæc Orlandinus. Ex quibus voluntas, consiliumque S. Patris abundè elucescit.

2. Si verò Legum prævaricatio cum peccato conjuncta est, liquet, longè studiosius esse declinandam. Ratio ima est quoniam peccatum quodcumque etiam minimum Deo displicet, illumque offendit; quid verò, quantique offensa Divina sit æstimanda, patet consideranti; majestatemque divinam æquâ lance ponderare scienti Etenim offendere Baronem, aut Comitem, magni ducitur: offendere Regem aut Principem etiam leviter, ob sublimitatem personæ, longè gravius censetur: quid igitur erit, infinitam Numinis Supremi Majestatem offendere? Rectè S. Isidorus ait: *Qui infinitatem Dei considerat ex minimis offensam; nequaquam minima vocat, sed horrenda: profectò satis hoc est, ut magna putemus, qualibet minima; qua contra maximum committimus.* Appositè quoque in hanc rem S. Anselmus Epist. 6. ad Monach. Cister. *Si de virtute in virtutem, de profectu in profectum vultis ascendere, semper timete in minimis Deum offendere. Non debetis conside-*

rare, quàm parva sit res, quàm contra prohibitionem facitis; sed quantum malum sit inobedientia, quàm pro parvitate incurritis. Præclara est institutio B. Paulæ apud Hieronymum Epist. 27. ad Eustoch. *Furtum, inquit, quasi sacrilegium detestabatur, & quod inter sæculi homines vel leve putatur vel nihil, hoc in Monasteriis gravissimum dicebat esse delictum.*

Ratio altera est, quantum exiguæ legum transgressiones Deo displiceant, ex earum pœna cognoscimus, & minima delicta, in conspectu Dei haud esse minima, si viderè perspicimus. Quid enim? an leve piaculum esse censebimus, quod Humen benignissimum ipso mortis supplicio plectit? Veluti observavit S. Chryostomus in supplicio Uxoris Loth. *Cur, inquit, hæc mulier, qua serva Dei erat, occisa fuit & in salis simulacrum versa? Occiditne aliquem? An adulterium commisit? an perjurium? non; sed id fecit, quod nos nihil putamus; hoc solum, quod retorsit oculos.* Quare infert S. Chryostomus; *Neque leve dicendum est, quod hominem contemnendo occidit.* Non absimiles pœnas in levibus delictis, Oze, Davidis, & aliorum graviter punitorum videre est. Et ne ætatem nostram taciti prætereamus; mirum est, quod Annales nostri de zelosissimo Patre nostro Christophoro Ortizio viro Apostolico tradiderunt; hic, quod apud Præsidès suos officium honoratius sibi delatum nimis deprecaretur, fulmine à Deo percussus est. Licet noxa ea

honorem deprecantis minima fuerit : & viri optimi gloriam, mirandis operibus illustrare eidem Deo placuerit.

Nemo igitur dicat hæc legis nostræ transgressio modica est ; si silentium rupero, si absque licentia, rem modicam aliis tribuero, aut accipero : si alienum cubiculum ingressus fuero, si verbis charitatem læsero, si temporis exiguum intervallum inutiliter consumpsero, si officii mei partes negligentius explevero ; minuta hæc sunt ; stillæ sunt, scintillæ sunt, res exiguæ sunt. Verè nescisne, nautam, si parvam navis rimam non obturet, per stillas illapsas, tandem cum nave submergi ? Nescisne, quantum vel una scintilla non raro excitarit incendium ? Unus curiosus oculorum jaëus, in quam criminum voraginem, Davidem præcipitavit ? Unde sæpius horrendi Religiosorum exitère lapsus ? Unde ruinæ & casus ? à minimis, à stillis, ab exiguis regularum transgressionibus, ad graviores paulatim sunt prolapsi. Recte Abbas Theodoretus Cassianum Coll. 6. cap. ult. ait : *Lapsus quisquam, nequaquam subitaneâ ruinâ corruisse censendus est : quod apta declarat similitudine. Quem admodum domus, nunquam subitaneò ad ruinam procumbit impulsu, sed per stillicidia neglecta, aut per vitium fundamenti. In pigritiis enim humiliabitur contignatio, & in segnitie manus, stillabit domus. Eccl. 10.*

17.
Minime,
in regulis

II. Deinde alterius generis minima sunt, quæ à regulis præscribuntur

observanda ; & his complectimur præscripta, verbis : *Fac bonum* : id est ad amul-
sim observa omnes leges Ordinis scri-
ptas, Constitutiones, Regulas cum-
munes, & officii proprias : leges item
non scriptas, sed à Superioribus vivâ
voce traditas, uti & consuetudines
approbatas, modumque præscriptum
hæc omnia probè exequendi. Hu-
jusmodi actiones à regula mandatae, in
oculis mundi, & imperitorum exi-
gui non raro momenti esse judicantur,
at in oculis Dei, ac virorum spiritua-
lium magni ponderis & meriti esse
censentur. Quare imitari nos oportet
sedulos Aurifabros, qui exigua
auri, argenteive fragmenta, pul-
visculosque abrasos, colligunt, atque
ex illis probè collectis non levem tan-
dem metalli pretiosi massam con-
stant.

Quin & colligere easdem actiones
oportet, tanquam minutas, sed pre-
tiosissimas margaritas, quibus animas
nostras ornemus, gratumque Deo
omnipotenti, domicilium exhibea-
mus. S. Paulinus Epist. 20. ad Aman-
dum: *Non ideo, inquit, margarita vilis
est, quia exigua; sed ideo magis pretiosa,
quia & in exigua mole, magnum pre-
sium habet. Status religiosus, ut Au-
thor est Doctor Mellissus Homil. de
margar. Margarita est Evangelica, pro
qua universa Deo dare debemus : Nec
tantum status in se, sed ipsæ etiam vir-
tutum functiones, S. Chrysoctomi ju-
dicio Homil. 14 in 1. Tim. sunt mar-
garitæ: igitur magni faciendæ, licet
vulgi opinione erronea æstimentur
exiguæ.*

exiguæ. Veritati enim consentaneum est, quod scribit S. Basilius Constat. Monast. c. 24. *Nihil est minutum, quod Dei causâ fiat; sed grande & spirituale, & ejusmodi, quod cælum nobis, & præmia cœlestia conciliet.*

Causæ autem, cur Divina Liberalitas minimas actiones, ex obedientia & præscripto regulæ præstitas tantis donis remuneret, sunt varix.

1. Est fidelitas, mirè Deo grata, quam servi fideles erga Deum ac Dominum suum demonstrant: hæc enim fidelitas in minimis, gratitudine condita, Divinam Bonitatem excitat ad conferenda beneficia majora: *Euge serve bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, super multate constituam.* Matth. 25. quemadmodum & Principes mundi hujus, thesauris suis præfectos, si fideles reperiant in minimis, maximas eis gazas credunt, prudenter enim etiam in maximis fidelitatem amarus arbitrantur.

2. Causa altera fervor est talium, regulæ observatorum; qui illos ad minima curanda inducit: moraliter enim, haud possibile est, nonneminem, minima, magnâ diligentiam curare omnia, quin magno spiritûs fervore bullat: quot enim hisce in rebus difficultates superandæ, quot abnegationes obviandæ, quot respectus humani conculcandi veniunt? quæ tepiditate languens nunquam superârit. Ejusmodi fervor eluxit in B. Aloysio, B. Stanislao, Joanne Bergmanno & aliis, qui minima quæque studio diligentissimo curabant. Temporis ra-

tionem exactissimam gerebant: actiones tempore præfixo obibant, nec in aliud tempus differebant: omnes Ordinis cæremonias ac ritus accuratissimè servabant. Ad primum campanæ sonum, ab eo, à quo tunc cessandum erat, desistebant; atque id, ad quod accersebantur, auspiciari incipiebant. Eâ diligentiam, fervore & affectu Fratribus ad mensam ministrabant, quemadmodum Christo Domino in carne apparenti, ministraturi fuissent? Eâ propensione, promptitudine, & alacritate, absque omni excusatione, exquebantur, à minimo Superiore imperata, quemadmodum ea, quæ ab ipsomet Præposito Generali, aut Provinciali præsentate, rogata injunctivè fuissent. Eâ benevolentiam, ac sedulitate, rogati operam suam navabant Fratri minimo, à quo nihil sperabant, quâ Superiori maximo, petenti, eam præstitissent. Eâ accuratone servabant omnia extradomum in itinere, quâ domesticos intra Parietes in oculis Præsidentum exobivissent. Denique regulas omnes pro parvis habitas à tepidis, eâ semper accuratone servabant, ac si universa in illis perfectio ac sanctimonia sita fuisset. Nec ullis respectibus humanis ad earum violationem sese indici sinebât: Unde illud piissimi Bergmanni acroama: *Disrumpar potius, quam ullam Ordinis mei regulam deliberatè transgrediar.*

3. Causa est conservatio Ordinis Religiosi: minimarum enim legum observatio, Religionem in flore & vigore

vigore conservat, minimatum ex ad-
verso regularum neglectus discipli-
nam laxat, ac Religionem pedeten-
rim, destruit ac pessuadat. Docuit
Id Deus S. Mariam Magdalenam de
Pazzis p. 4. vitæ c. 14. in quadam re-
velatione: Inter quinque res, pro quo-
vis ordine in primævo statu conservan-
do, petendas, hanc quoque perpetuo
flag tandam esse: *Ut omnes Religiosi per-
fectè cognoscant quanti sui momenti, ob-
servare rem quamlibet minimam Regu-
le sua sancta.*

Quæ cum ita sint, Dilectissimi, re-
gulas quantumvis parvas, omni studio
exequi allaboremus; minima, quæ iis
vetantur, etsi peccato obnoxia non sint,
vitemus, tanquam Imperfectiones, in-
gratitudines, negligentias, & inobedi-
entias nocivas; si verò cum peccato sint
conjuncta; tanquam offensas Deo
displicentes, ingratas, odio habitas, &
pœnis ac suppliciis dignas, omni studio
declinemus. Ea verò minima, quæ à re-

gulis præstanda injunguntur, omni dili-
gentiâ & accurate observatione obsamur: ut
meritorum multorum margaritas pre-
tiosas colligamus, Deo fidelitatem no-
stram probemus, fervorem demon-
stremus, ordinem nostrum in flore &
vigore pristino custodiamus. In om-
ni perfectionis genere excellamus,
Nemo se ipso fallat, inquit S. Fran-
ciscus Xaverius, *non potest quisquam
in rebus magnis excellere, qui non prius
excellat in parvis.* Et infra, *Qui parvo
oneri ferendo non sit, multo minus
magnum est lasurus.* Et Christus Do-
minus S. Brigittæ affirmavit L. 5.
Revel. interrog. 13. *Qui non bene u-
titur minimis, justum est, ut maximis
non gloriatur.* Hoc demum est, quod
initio asserbamus in themate: *Qui
in minimo fidelis est, & in majori fide-
lis erit.* Lucæ c. 16. Et è contrario,
qui in minimo fidelis non erit,
utique nec erit in ma-
jori.





REGULA XVI.

De Virtutibus solidis, & rerum spiritualium pretio.

EXHORTATIO I.
IN REGULAM XVI.

Ostendit Religioso Societatis studendum virtutibus solidis.

T H E M A.

Quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso,
Eccli. 50. 10.

V E L

*Omnes in virtutum solidarum ac perfectarum, & rerum spiri-
tualium studium incumbant. Reg. 16.*

Simonem Oniæ filium, Sacerdotem magnū, magnificis celebrat præconiis Siracides: illum enim stellam matutinam, lunam plenam, solis instar radiantem nuncupat? ut arcum inter nebulas refulgentem, instar rosarum vernantem, instar thuris redolentem ob oculos ponit: nobis inter præstantissima hæc encomia. in præsentī, arridet, quod mox subtexit: *Quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso.* Eccli. 50. 10. Id est, instar vasis ex auro mun-

dissimo conflati, in Domo Domini coruscasse. Idem, in quemvis Religiosum vitæ activæ consecratum, cadit elogium, ut nimirum Divinæ gratiæ subsidio evadat. 1. *Vas auri*, sive vas aureum, vas pretiosum, veris, non falsis, fucatisque virtutibus præditum. 2. *Vas solidum*; Id est solidis ac constantibus virtutibus conspicuum. 3. *Vas ornatum omni lapide pretioso.* Id est, non unâ alterâve duntaxat virtute, sed omni virtutum genere condecoratum. Hoc enim sine Religiosi à Deo vocati, vasque electionis destinati sunt, ut eant, & fructum omnium virtu-

virtutum afferant, atque ita demum instructi ac exornati: cum Paulo *Portus nomen JESU, coram gentibus & regibus & filiis Israël. Act. 9.*

Quæ tria, ut facilius assequamur, eadem explanemus.

I.
Encomium
Religiosi
sit Vas
aureum.

I. Encomium primum Religiosi vitæ activæ addicti, (quales sunt, quotquot Societati JESU nomen dedere) est, ut sit *Vas aureum*; non vas ligneum cupreumve, exterius solummodo inauratum & coruscans; sed ex vero, puroque auro confectum: id est virtutibus veris non fictis, non simulatis atque fucatis, resulgeat. Ratio est manifesta: cum enim Religiosus ejusmodi, secundum vocationis suæ ac instituti præscriptum, alios veras, genuinasque virtutes docere atque instillare debeat; omnino necessarium est, ut eas ipse antè possideat: ut enim Philosophi trito suo axiomate ferunt: Nemo aliis confert, quo ipse caret.

Magna proinde illi cautela & industria adhibenda est. 1. In virtutibus discernendis, & à vitis distinguendis. Vitia enim, (ut S. Albertus M. in prologo Paradisi sui notat) cum magnâ sint fœditate, ne suos amatores absterreant, larvam virtutum induunt, ut virtutes esse videantur. Quemadmodum Ephraël Judicum c. 12. se Galaditas simulabant, ut mortem effugerent, at è loquela sunt proditi, quemadmodum in lege veteri, (ut originis similitudine utamur) Pseudo-prophetæ, veros se esse Prophetas simulabant, atque jactabât; in ore identidem habentes consuetam Prophetarum loquendi formulam: *Dicit Dominus,*

Quemadmodum quoque in nova lege Hæresiarchæ vaferrimi, nequissimi- que, se veros Ecclesiæ Doctores venditant; cum non nisi cerebri sui commenta & deliramenta divendant; ita pariter vitia fucant faciunt, ac se virtutes esse mentiuntur.

Vicina sunt, inquit S. Hieronymus L. 3. Dial. adversus Luciferianos. *vitia virtutibus: & si paululum declinaveris, aut errandum tibi est, aut in præceptis cadendum. Quantum enim inter se distant pertinacia & perseverantia: parsimonia & frugalitas; liberalitas & profusio: fortitudo & temeritas; prudentia & calliditas: cautela & timiditas? Quorum alia ad bona, alia referuntur ad mala. Et idem in Epist. ad Lætiam: Venena non dantur nisi melle circumlita; & vitia non decipiunt, nisi sub specie, umbræque virtutum.* Alludens ad illud Juvenalis Satyra 14. *Fallit enim vitium, specie virtutis & umbra.*

Similia profert S. Ambrosius, S. Basilius, S. Chrysostomus & S. Augustinus: ex quibus S. Albertus M. l. c. ait: *Severitas putatur esse justitia: amaritudo mentis dicitur maturitas, jucunda loquacitas dicitur affabilitas: dissolutio creditur spiritualis mentis latitudo: pigritia sive inordinata tristitia judicatur morum gravitas: tepor seu torpor creditur discretio: ornatus superfluus creditur munditia: superabundantia in victu & familia, vocatur honestas: prodigalitas, liberalitas: avaritia, pertinacia constantia: dolositas prudentia: hypocrisis sanctitas: presumptio spes, denique amor carnalis, charitas esse judicatur. Sicut autem falsis denarii*

demariis nihil emitur boni; sic nec falsis virtutibus regnum caelorum comparatur.

Sic ex adverso, Virtutes sunt, ait idem S. Albertus l. c. quas insipientes iudicant esse vitia: sicut iustitia iudicatur esse severitas, maturitas, mentis amaritudo, constantia, pertinacia, Quod fit per humilitatem, fieri dicitur per vanam gloriam: quod fit per sanctitatem, fieri dicunt per hypocrisisin vel apparentiam: quod fit zelo iustitia, fieri dicunt zelo vindicta: quod fit per spiritualem dilectionem, fieri dicunt propter carnalem amorem: quod fit pura intentione, fieri dicunt pro temporali consolatione: Atque ita de aliis.

Quare Religiosus, praecipue Tyro, sibi dictum arbitretur illud D. Hieronymi in epist. de Virgin. ad Demetriadem: Summa tibi scientia sit, notitia summa, vitia, virtutesque distinguere: quae quanquam semper sibi contrariae sint; aliqua tamen ex eis tanta junguntur similitudine, ut discerni omnino vix possint. Deinde conetur ignorantiam virtutum, hoc aeo aded in mundo dominantem, e corde suo proscribere: S. Laurentius Justinianus de casto conub. c. 17. disertè fatetur, eam non solum reperiri in peccatoribus; qui cum sint tenebrae, Verbi lucem non mereantur recipere: Et lux in tenebris lucet, & tenebra eam non comprehenderunt; verum etiam in iustis, qui per adoptionis gratiam filii Dei nuncupantur. Denique nemo in sola virtutum cognitione speculativa sistat; sed veras, practicasque virtutes acquirere studeat: veras, inquam, & sinceras, non

simulatas & hypocraticas; quae non ornant, sed deficiunt; non praemium sed poenam cum Pharisaeis promerentur; Multo enim deformior est illa superbia, qua sub quibusdam humilitatis signis latet, teste S. Hieronymo l. 2. Epist. 23. Deum practicas, & efficaces; non otiosas & steriles, quae virtutum nomen haud promerentur; vel ethnicis testibus; unde canit Horatius:

*Paulum sepulca distas inertia
celata virtus. Et Claudianus:
Vile latens virtus; quid enim submersa tenebris
Proderit obscuris: veluti sine remige
puppis:
Aut lyra, qua reticet, vel qui non
tenditur arcus.*

II. Alterum Simonis Onizae filii encomium fuit, exiitisse non solum vas aureum; sed etiam Vas solidum; idem quoque convenit cuius Religioso, ac praesertim animarum saluti operam navanti: vas sit solidum, id est virtutibus solidis exornatum: solidae autem virtutes sunt, quae non instar aureae variabiles sunt, sed stabiles ut columnae: solidae virtutes sunt, quae non instar arundinis, aut fistulae fragilis, vacuae & inanes sunt, sed velut lignum solidum, aut os durum, & interiorius non excavatum, robustae sunt ac fortes, nec facile franguntur aut superantur. Solidae virtutes sunt, quae non velut naves inanes inter procellas fluctuant; sed velut rupes inter fluctus perstant, insuperabiles: quae non ut luna mutabiles, sed velut sol inter nubes, & tempestates, invariatae & velut

II.
Sic vas solidum.

velut adamas inter malleos, inconcussa petiunt.

Hoc inter sapientem, insipientemque architectum interest discriminis, quòd ille supra petram, hic supra arenam, ille solidum & firmum, hic labila exstruat ædificium. Huiusmodi domum solidam struit Sapienter, directrice sapientiæ. *Sapientia enim adificavit sibi domum, & excidit columnas septem.* Prov. 9. Columnas septem, septemque virtutes, ternæ Theologicæ, fides, spes, charitas; & quaternæ morales iustitia, fortitudo, prudentia & temperantia exhibent; ad quas reliquæ reducuntur: atque his suffulta domus stabilis, firmaque consistit, præsertim si humilitati profundæ seu basi ac fundamento innitatur; ita ut nec ventorum turbine, nec maris æstu, nec pluvie impetu labefactari valeat; omnibus adversis ac tempestatibus superior. S. Cyprianus L. 4. Epist. 2. *Docet viros graves, semel super petram robustam solidam stabilitate fundatos, non dico, aurâ levi, sed nec vento, nec turbine commoveri:*

Tunc autem solida & firma stat fidei nostræ columna; quando nec mortis pericula, nec Tyrannorum supplicia eam valent evertere. Columna spei stat immota, si viriliter resistat malis; & confortetur in bonis; si generosè aggreditur ardua, & fortiter in his perseveret. Columna charitatis stat inconcussa & est solida; quando, ut loquitur S. Laurentius Justinianus de cast. connub. c. 3. *Semper est fortis, nescit cedere, aspera non veretur, pati non recusat; aggreditur ardua, adversa*

sustinet; dolorem non sentit. Si pugna excutetur, si bulliant vitia, si totus concutatur mundus, prosterni non valebit. Aqua multa non potuerunt extinguere charitatem. Cant. 8. *Quoniam in fortitudine sapientia, & in soliditate virtutis fundata est.* Solida est columna prudentiæ, quæ non solum rectè iudicat & eligit; verum etiam voluntatem & reliquas vires efficaciter per imperium inflat; & bona strenuè perficit. *Vir enim sapiens fortis est, & Vir doctus robustus & validus.* Proverb. c. 14. Columna iustitiæ solida est; quando tuum cuique tribuit, nec ullis promissis, nec præmiis aut minis, ab officio dimoveri se sinit. Columna fortitudinis solida est, dum mentem roborat ad faciendum bona, ad tolerandum adversa, ad vincendum vitia, omniaque nociva. Solida denique perstat temperantiæ columna; dum fortiter cupiditates refecat, nihil penitendum appetit, in nullo moderationis legem excedit, & sub iugo rationis appetitum domat. Denique omnis illa virtus soliditatis nomine & omine gaudet, quæ ab usu & exercitio suo in adversis minimè desistit.

Tales ergo studeamus acquirere virtutes, vel ab ipso tyrocinio auspiciando, quæ nos vas auri solidum coram oculis divinis efficiant: tale perfectionis ædificium in nobis exstruere moliamur, quod nec pluvie, nec venti evertant; tales locemus virtutum columnas, quæ nullis adversitatibus, tentationibusque nullis concutiantur ac labefactentur: quod certò consequemur? si ut docet R. P. Francis-

eus Suarez fundentur in profunda humilitate, contemptu omnium terrenorum, ac puro amore Dei.

III.
Sic Vas
ornatum.

III. Tertium Simonis Sacerdotis magni encomium est fuisse, *Vas ornatum omni lapide pretioso*; id est omni genere virtutum. Idem cuilibet Religioso, præsertim animatum zelatori convenit; cum alios ex officio erudire ipsi incumbat; si enim vel unica destituatur virtute, an non, quod unâ manu ædificat, alerâ destruet? careat enim v.g. prudentiæ oculo; quoties impinget? careat temperantiæ freno, quoties excedet? careat solo castimonie lilio; an non omnia volutabuntur in sordibus? careat unâ charitate: an non erit cymbalum tinniens, & æsonans; sonitum quidem edens, sed corda non ferens; aures implens, sed animas minimè ad frugem meliorem reducens?

Deinde, tam arcto inter se virtutes neantur vinculo, ut una absque alia subsistere nequeat; & si vel una deficiat, alia soliditas pereat. Quâ enim obsecro, ratione exercebis misericordiam, nisi adsit liberalitas? quo pacto exercebis obedientiam, nisi adsit patientia? quomodo in contemptibus & contumeliis assurges in actus patientiæ, si desit humilitas? declarat id ipsum egregiè S. Gregorius M. l. 22. moral. c. 1. dum ait: *Quisquis virtute aliquâ pollere creditur, tunc veraciter pollet, cum vitis aliqua ex parte non subjacet; nam si ex aliqua vitis subditur, nec hoc est solidum, ubi stare putabatur: nam sæpe quosdam pudicos vidisse nos contigit, sed non humi-*

les; quosdam verò quasi humiles; sed non misericordes; quosdam verò quasi misericordes, sed nequaquam justos; quosdam verò quasi justos; sed in se potius, quàm in Domino confidentes. Et certum est, quia nec castitas in ejus corde vera est, cui humilitas deest: nec humilitas vera est, cui misericordia juncta non est: nec misericordia vera est, quæ à rectitudine justitiæ existit aliena; nec justitia vera est, quæ fiduciam suam non in Conditoris ponit. Patet itaque virtutem unam absque alia, aut omnino nullam, aut mancã saltem atque imperfectam existere.

Haud absimilem de qua: uor virtutibus moralibus primis discursam instituit D. Augustinus. *Tantò, inquit, perfecta sunt singula, quanto vicissim sibi met conjuncta: disjuncta autem perfecta esse nequaquam possunt: quia nec prudentia vera est, quæ justa, fortis & temperans non est: nec perfecta temperantia, quæ justa, fortis & prudens non est: nec fortitudo integra, quæ prudens, temperans & justa non est: nec vera justitia, quæ prudens, fortis & temperans non est. Si vel una ex ædificio tollatur columna, non rarò corruit: ita pariter si vel una hominem virtus deficiat, corruet. Studeamus igitur, in virtutum omnium collectione æmulari sponsam, in eo genere admirabilem; de qua cælestes genii jure intere rogant: *Quæ est ista, quæ ascendis de deserto, sicut virgula fumù, ex aromatis myrrha, & thuris, & universi pulveris pigmentarii?* Cant. c. 3. 6. Id est, omnium virtutum redolens*

aromatibus; & amabilem fragrantiam emittens?

Quapropter, Dilectissimi, ante omnia ingens in nobis virtutum solidorum desiderium excitemus: ejusmodi desiderium, virtutum est principium; quod cordis januam aperit, & virtutes introducit: *Hoc desiderio*, ait S. Laurentius Justinianus, de int. confess. c. 9. *Sancti naturam vicerunt, super aris aamones, debellarunt mundum, seipos sobegerunt, diripuerunt caelum, imitatores facti sunt Dei; veris virtutibus sese exornando.* Deinde tanti, dictus Sanctus, ducit hoc desiderium, si efficax, igneumque fuerit, ut aliis donis longè anteponat: *Virtutum*, ait, *desiderium, praeclis miraculorum operationem, prophetarum donum, linguarum genera, interpretationem sermonum, sanitarum gratiam, cognitionem celestium, naturalium scientiam: multi enim talibus donis ornati perierunt virtutibus autem nemo.* Ejusmodi igitur

desiderio succensi ac praemuniti, manum operi adhaereamus, & gratiae Divinae subsidio conemur esse. *Vas aureum*, veris, non fucatis, & ad exteriorem speciem nitentibus duntaxat virtutibus praeditum. 2. *Vas solidum*, virtutibus solidis, columnarum instar, inter adversa inconcussis, conspicuum. 3. *Vas omni lapide pretioso ornatum*, & virtutum omnium complexione insignitum. Quod si praestiterimus, digni aliquando inveniemur; qui, tanquam vasa aurea & pretiosa, in caelesti gloria, mensae Divinae inferamur, in conspectu ejus fulgeamus, eumque oblectemus in perpetuas aeternitates. Ex adverso autem, si ceu vasa cuprea, auri fulgore exterius tantum illita, veris autem solidisque virtutibus destituta inveniamur; tanquam vasa reprobata, tanquam testae & vitra, cum summa confusione nostra, aeternoque dolore, confringemur & abjiciemur.





EXHORTATIO II.

Demonstrat majus momentum esse in virtute & spiritua-
libus quàm in doctrina ac donis naturalibus :

T H E M A.

*Quæ de sursum est sapientia ; plena est misericordiâ & fructibus
bonis. Epist. S. Jacobi cap. 3. 17.*

V E L

*In hujusmodi majus momentum , quàm in doctrina vel aliis do-
nis naturalibus & humanis constitutum esse ducant. Reg. 16.*



DE S. Abbate Gelasio refert, in anno cœlesti, ad diem decimum Martii Joannes Nadasi : quòd, cum pro eleëmolya larga sibi allata, Psalmum *De profundis* recitasset, atque eleëmolyæ largitor sisisset; aurum submissum in bilance hinc, & inde in chartula exaratum Psalmum *De profundis* appenderit ; & bilanz chartulam longè majoris ponderis præ pecunia, esse demonstravit. Non impari modo ; si & nos cuncta naturæ atque dona, cum supernaturalibus, ac spiritalibus in justa æternitatis bilance appenderimus ; hæc illis longissimè præponderare deprehend-

demus. Duplex reperitur in hominibus sapientia & prudentia ; una est naturalis, terrena ac humana ; alia supernaturalis, cœlestis, ac divina : utriusque meminit S. Jacobus in Epistola sua Catholica c. 3. 17. Dum hanc nuncupat sapientiam, quæ de sursum est ; illam verò, quæ de sursum non est. *Sapientia quæ de sursum est, inquit, est pudica, modesta, plena misericordiâ & fructibus bonis ; quæ de sursum non est, ab eo vocatur terrena, & si contentiones, rixæque pariat, & cum superbia aliisque peccatis sit conjuncta, animalis & diabolica.* Prima omnis generis scientias naturales & artificiosas complectitur ; ut Grammaticam, Poësin, Rhetoricam, Philosophiam, politicam,

experimentalem & conversativam, atque his annexa dona naturalia, ingenium felix, iudicium acce, vires corporis, vocem canoram, eloquentiam & similia. Secunda pietatem, religionem, virtutem, charitatem, zelum animarum, aliaque ad perfectionem spectantia continet, & his annexa exercitia spiritualia, ut meditationem, examina,lectionem piam, cognitionem rerum asceticarum &c.

De utraque S. Ignatius, cum Patribus sanctis, bina tradit axiomata tanquam præclarissima vitæ activæ fundamenta. 1. In hac secunda sapientia majus momentum esse, quàm in prima & donis naturalibus. 2. Causam ejus assignat, eò quod hæc interior sit & spiritualis, ex qua omnis vis & efficacia ad illa dimanat. Quod ut ad oculum pateat, utramque ad libellam revocemus, ac trutinemus.

I. Axioma primum, vitæ activæ directivum est sequens. *In ejusmodi spiritualibus, majus momentum, quàm in doctrina, vel aliis donis naturalibus & humanis constitutum esse ducant.* Constabit documenti hujus veritas, luce meridiana clariùs, si utramque sapientiam cum commodis & emolumentis, ad æternitatis stateram appenderimus.

1. De sapientia ac scientia naturali, si penitus inspexerimus, meritò dixerimus, quod Jeremias Propheta c. 17. de homine, in homine confidente asserit: *Erit quasi myrica in deserto (alii vertunt ericæ) & non videbit, cum venerit, bonum (scilicet pluviam) sed habitabit in siccitate, in deserto, in terra*

salsuginis & inhabitabili. Omnis scientia & sapientia naturalis ac terrena, se solâ, quid est, nisi erica & solum sterile? Quid est nisi myrica in deserto: quæ nec gratiæ divinæ p uviâ irrigatur, nec fecundatur, nec fructus gloriæ æternæ dignos profert? Ex adverso autem sapientia cælestis, virtus, perfectio, & quidquid eò pertinet: quid est nisi laurus semper vernans? Quid est nisi lignum, ut ait Jeremias L. c. *quod transplantatur secus aquas, & quod ad humorem mittit radices suas, & in tempore siccitatis, non erit sollicitum, nec aliquando desinet facere fructus.* Semper enim ejusmodi sapientia ad gratiæ divinæ humorem mittit radices suas, & vim germinandi, ac merendi fugit; nec siccitatem, seu defectionem gratiæ, virtutis, opis & auxilii aliquando metuet, nec sterilitatem patietur; sed fructus bonorum operum nunquam non progerminabit,

2. Sed demus, doctrinam, sapientiamque naturalem, instar myricarum, fructus nonnullos proferre; eos tamen, in comparatione sapientiæ supernaturalis, si ad trutinam examinemus, omnino leves, asperos, caducos ac putridos esse reperlemus. Primò quidem illa parit divitias, pecunias, ac bona terrena, officiis lucrosis comparanda. At hæc quàm vana sint & momentanea, deprehendent filii sæculi, in fine vitæ suæ, quando cum perditis illis lamentabuntur: *Divitiarum jactantia quid contulit nobis? Sap. 5.* Vice versâ, vera sapientia, virtus, pietas, perfectio, fructus parit æternos, merita infinita, thesauros in cælo imensos,

& RUB-

& nunquam perituros. Ut testatur Salomon Sap. c. 7. *Infinitus enim (Sapientia) thesaurus est hominibus, quo qui usi sunt, participes facti sunt amicicia Dei. Ideoque divitias nihil esse duxi in comparatione illius; nec comparavi illi lapidem pretiosum; quoniam omne aurum in comparatione illius, arena est exigua; & tanquam lutum, aestimabitur argentum, in conspectu illius.* Constat quantum majus momentum, pretiumque hujus sit, præ illius.

3. Doctrina, scientia, ac prudentia naturalis, confert honores, dignitates, ac Prælatorum munia: de quo intelligi potest illud Salomonis Sap. 8. *Habebo propter hanc claritatem apud turbas, & honorem apud Seniores juvenis.* Verum quid in illa die hæc claritas, & hic honor emolumentum pariet? quando superbi oculos aperient, omnia evanuisse cernent, & lamentabuntur: *Quid profuit nobis superbia? Quid laus & gloria mundi? Transierunt omnia illa tanquam umbra.* Sap. 5. E contrario autem sapientia vera, cum virtute, cum timore & amore Dei conjuncta, verum confert honorem, laudem perpetuam, claritatem non solum apud turbas & mundum, sed vel maxime apud Deum & Sanctos; quod clarè cognoscent impii in die judicii; quando exclamabunt; Sapientiam suam terrenam, tanquam sit litiam damnantes: *Nos insensati vitam illorum aestimabamus insantiam, & finem illorum sine honore: ecce quomodo computati sumus inter filios Dei & inter Sanctos fors illorum est?* Sap. 5. An non igitur hanc merito, majoris momenti

esse censemus & cum Salemonè proponimus regnis & sedibus, seu thronis Regum & Principum, omni que illorum gloriæ?

4. Doctrina, scientia ac prudentia humana nonnullam voluptatem, jucunditatem & felicitatem parit, sed transitoriam; non perpetuam salutem ac beatitudinem. Quid non moliti sunt veteres Sapientes ac Sophi, ut quam in ea locatam, falsò rebantur, felicitatem assequerentur? Pythagoræ, ut refert D. Hieronymus L. 2. adversus Jovinian, fugiebant urbium & hominum frequentiam, & hortos suburbanos, ubi ager aquis irriguus, & arborum comæ, & susurrus avium, oculorumque illecebræ, ne luxu & abundantia copiarum animi fortitudo mollesceret, & à sapientiæ studio avocaretur. Platonici & Stoici in porticibus versabantur: Plato ut Philosophiæ intentius vacaret, Academiam villam ab Urbe remotam ac desertam elegit. Crates Thebanus non exiguum auri pondus in mare abjecit: Quidam oculos sibi effodere, ne visu à contemplatione Philosophiæ abstraherentur. Et quid nisi umbram veræ sapientiæ sequebantur? Quibus illud Apostoli merito applicetur: *Dicentes (& credentes) se esse sapientes, stulti facti sunt.* Vera autem scientia & sapientia Sanctorum, è contrario, veram libertatem pacem, & animi tranquillitatem, & contentiæ jehilum in hac vita patit: *Non enim habet amaritudinem conversati: eius nec tadium convulsus illius, sed letissimam & gaudium.* Sap. c. 8. Et altera vitæ beatitudinem & felicitatem æternam:

æternam? *Iusti enim in perpetuum vivunt, & apud Dominum est merces eorum, & cogitatio illorum apud Altissimum; ideo accipient regnum decoris & diadema speciei de manu Domini. Sap. c. 5. dum interea à vera sapientia & virtute alieni ejulabunt & plorabunt: Ergo erravimus à via veritatis & justitie, lumen non illuxit nobis.*

Ex quibus omnibus utrimque ritè ad stateram æternitatis, expensis, clarè liquet, majus, imò infinitè gravius momentum esse in virtute, perfectione, veraque sapientia, quàm in omni scientia & prudentia naturali & humana, ac proinde illam longè plurius esse æstimandam, uti & media ad illam. Ex quo nullo negotio inferimus; primas dandas esse virtuti, secundas doctrinæ nunquam à nobis omittendam aut deerrandam esse meditationem, ut invenianus tempus pro studiis; nunquam prætermittendum conscientie examen, aut libri spiritualis lectionem, ut pro studio Posses, Rhetorices, aut Philosophiæ, plus otii nanciscamur. Lumen Theologorum Franciscus Suarez malebat omnem scientiam suam amittere, quam vel unicam horam meditationis.

II.
Ab internis
virtutibus
vis ad exte-
riora dimi-
nat.

II. Alterum axioma, à S. Ignatio pariter assignatum ceu basin vitæ activæ; & causam prioris est istud: *Ista enim spiritualia & interiora sunt; ex quibus efficaciam ad exteriora promanare, ad finem nobis propositum oportet.* Ut clariùs id quoque elucescat, exteriora hæc & interiora, & utrorumque efficaciam in bilance rationis, libremus. Scientiæ artes, doctrina, experi-

entia, eloquentia, allaque dona ac talenta naturalia, sunt veluti corpus; si desit virtus & perfectio, corpus est sine anima. Corpus autem sine anima quid efficiet? *Spiritus est, qui vivificat*, ait Apostolus 2. Corin. h. 3. 6. nimirum spiritus gratiæ, spiritus charitatis, spiritus zeli, dat vitam, motum & efficaciam ad omnia; sine quo actum agitur, ac æthiops lavatur. Faciamus enim omnigenæ scientiæ panopliâ te instructum esse, omnibusque naturæ talentis ornatum, quæ Oratori necessaria sunt; ut canorâ voce, solutâ linguâ, laterum firmitate, facundiâ singulari, ita ut ipsummet Tullium aut Demosthenem longè antecellas; si tamen desit vera sapientia, virtus, zeli & charitatis spiritus; animam nullam convertes: nam *Spiritus est, qui vivificat*: à quo efficaciam ad exteriora promanare oportet.

Eruditissimus Cardinalis Bellarminus de ascens. mentis c. 6. affirmat in magnis Italiæ Urbibus, in quadragesima, triginta aut quadraginta Oratores cathedram conscendere, Indiesque perorare ad populum: & tamen finito quadagesimo li. jejuno, eadem vigere in populo scelera, & vix ullam subsequi emendationem: causamque hujus miseriæ indagans, Interrogat: *estne fortassis defectus studii, aut præparationis ad conciones?* Respondet, nequaquam, sunt enim ut plurimum viri doctrinâ & eloquentiâ præstantissimi, atque ad ravim usque declamant, summâ vocis & laterum contentione. Ubinam igitur defectus? Reponit Bellarminus, esse defectum charitatis,

charitatis, fervoris, zeli, virtutis ac perfectionis, quæ animare debent sacrum Ecclesiasten; sine quibus verba funduntur inania; aures feriuntur non corda, instar bombardæ globo carentis.

Omnes scientiæ, ac dona naturalia, veluti arma sunt, quibus viri Apostolici animarum arces à peccatis & hostibus stygiis obsessas expugnant; at nisi à virtute, spirituque divino animentur, non modo non juvant ad pugnandum pro gloria Dei & animarum salute; verum etiam obsunt, & obstacula ponunt: non tantum non ædificant, sed etiam destruunt, & inimicis Christi opem ferunt, dum superbia, inanis gloria, fastus, ambitio, aliâque vitia proximo scandalum præbentia sese produnt & exerunt, cum in animarum venatoribus, nil nisi exempla virtutum, relucere oporteret. Itaque licet haberes fundam ipsius Davidis; nisi etiam possideas, vires, fiduciam in Deum, spiritum & generositatem Davidis, vade ad caulas ovium, noli progredi in certamen cum stygio Goliatho: parum juvat lapides esse rotundos, lucidos, ex torrente Cedron de promptis; fundam esse duplicatam, optimè contextam; quia nisi habeas brachium Davidis, loco percussione inimici arcæ Domini, ipsum prosterne Samuelem tabernaculi custodem: ita ut religio ipsa, quæ est instar papilionis à Deo pro defensione Ecclesiæ posita, ab armis tuis in terram detrudenda sit & destruenda. Provide igitur tibi de spiritu, de virtute, perfectione & zelo, sine qui-

bus, ullum te animarum fructum futurum despera.

E contrario ubi vera cœlestis sapientia, vera charitas ac zelus animarum in Ecclesiaste sacro cernitur, fervent & accenduntur omnia, atque in melius commutantur: quod quemadmodum ego ad nostros dicens, exemplis ex Historicis Societatis de promptis stabilio, ita ex alio Ordine, suæ religionis exemplis, ut S. Francisci Seraphici, S. Dominici, S. Vincentii Ferrerii, S. Bernardini, aliorumque, nullo negotio comprobabit.

Stupenda sunt, quæ in elogiis & gestis primævorum Patrum nostrorum de vi admiranda sermonis & concionum legimus. Unde obsecro efficacia sermonis tanta in P. Jacobo Lainio, ut pro miraculo haberetur, & ubicunque prædicaret, Civitates, Magistratus ac Domini excitarentur ad fundanda Societati Collegia, ut accidit Florentiæ, Pisis, Venetiis, Patavii, Genuæ, Pannoniæ. Et dum Genuæ pro concione dicens excitaret Auditores ad misericordiam in pauperes exercendam; Mercatores & Cives in una concione mille, in alias mille trecentos, in tertiis mille nummos aureos sive ducatos, in subsidia egenorum conferrent? Non aliunde sanè nisi à virtute & perfectione interiore, à spiritu zeli, fervoris & charitatis igneo, quo omnes inflammabantur. Unde tanta sermonis energia in P. Sylvestro Landino, ut ubicunque concionaretur, tantus esset fructus pœniteantium & affluxus, ut plurimi accersendi essent Sacerdotes, qui cum ipso occupatissimi forent, in

exhomologesibus excipiendis; & Carregium civitatem à triginta annis maxime diffidiis civium turbatam, & quinque ac quadraginta hominum cæde fœdatam concionibus suis ita moverit, ut ves in templo palam reconciliati, non sine copiosis lacrymis in mutuos amplexus ruerint? Tann. p. 49. Non aliunde nisi ex spiritu ardoris & charitatis. Unde efficacia tanta Patri Alphonso Avila in dicendo, ut nullum Hispali Granatæ & alibi templum caperet Auditores, sed in campo dicendum foret, omnes in lacrymas solveret, indurata peccatorum corda mollescerent, nurræque sequerentur animorum conversiones, ut cum de dilectione inimicorum verba faceret; publice exclamarent: Ego remitto patricidæ homicidium Patris mei; ego matris: ego gravissimas alias injurias? Tann. p. 59. Unde tanta virtus P. Edmundo Augerio insigni Ecclesiastæ Gallo, ut aliquando quadraginta Auditorum millia numeraret, & converterit ad fidem supra quadraginta millia hæreticorum, & quadraginta Ministros? Tann. p. 237. Unde tanta efficacia P. Sebastiano Barradio, ut Anno 1592. Connimbricæ, de rebus novissimis & mundi vanitate, ardore cœlesti plenissimas habens conclusiones, ex academia nobiles & excellentis ingenii juvenes ad sexaginta in Ordinem S. Francisci simul suscipi flagitarent? Quorum tantam importunitatem admiratus Monasterii Guardianus, Rectorem Collegii conveniens dixerit: vel non esse P. Sebastianum ulterius ad pulpitum admittendum; nec certè So-

cietati suscipiendam, tot juvenum, religionem suam certatim ambientium curam; siquidem tot suscipiendis & sustentandis domus sua minime par foret. Tann. p. 466. Taceo P. Villanovam, P. Palmam, & alios, quam plurimos, quorum in exhortando energia & vigor, non aliunde, quam ex interiore spiritu & ardore charitatis proficisceretur.

Quapropter, Charissimi, appensis & examinatis in bilance ætæ utriusque sapientiæ, naturalis & supernaturalis fructibus & emolumentis, omnino disparibus, & intervallo in unum distantibus, bina antedicta, S. Ignatii apophthegmata, & axiomata veræ Philosophiæ, sive vitæ religiose mixtæ fundamenta, altissime mentibus nostris imprimamus, & secundum ea actiones ac studia nostra omnia dirigamus. 1. In spiritualibus longè majus momentum esse quam in doctrina, & aliis donis naturalibus & humanis. 2. Ex illis tanquam interioribus, efficaciam ad exteriora promanare. Quare nunquam illa his postponamus: nunquam ob amorem scientiæ humanæ spiritualia negligamus: nunquam meditationem, examinem. Libri ascetici lectionem, decurremus, aut prætermittamus, ut Poëticos, eloquentiæ, aut Philosophiæ studiis diutius vacemus. *Amate scientiam, sed anteponite charitatem*, ajebat D. Augustinus: Et S. Bonaventura in Spec. Discipl. c. 7. *Scientia quæ præ virtute despicitur, per virtutem postea melius invenitur*. Præclare quoque S. Petrus Damiani in Euchirid. c. 1. *In animo tuo scientia*
sanctaris.

*Secularis, et quam in ima mentis calce
subsidat; amor verò aeternæ vitæ & spi-
ritualis studium sapientiæ, vel in summa
cordis tui constitutus arce præcellat; ne
repleri divino spiritu merearis; ex quo,
in omnes actiones & sermones nostros
profus singularis efficacia & energia
dimanabit.*



EXHORTATIO III. IN REGULAM XVI.

Quænam sint virtutes solidæ viris Apostolicis necessariæ.

T H E M A.

*Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare aduersus insidias
diaboli. Ad Ephes. 6. 11.*

V E L

*Omnes in virtutum solidarum ac perfectarum studium incum-
bant. Reg. 16.*



Viri Apostolici, omni-
nò compertum ha-
beant, se Athletas,
pugiles & Christi
militiæ, tanquam Du-
ces & Antesignanos
adscriptos esse, qui cum vitis & dæ-
monibus in campum prodire ac dimi-
care debeant; ut disertè innuit Apo-
stolus ad Ephes. 6. 12. *Quoniam non
est nobis colluctatio aduersus carnem &
sanguinem;* id est, ut vertit S. Hiero-
nymus & Theophylactus, aduersus

homines carne & sanguine constan-
tes; *sed aduersus Principes, & Potestas
tes, aduersus mundi rectores tenebrarum
harum;* id est, ex mente eiusdem Hie-
ronymi, aduersus spiritus, seu dæmo-
nes, neque solam ex infimo ordine; sed
etiam ex ordine Principatum, Potes-
tatum, & Dominationum. *Contra spi-
ritualia nequitia in cælestibus.* Id est
contra spirituales nequitias, versutias
& malitias; seu nebulones nequissi-
mos in cælestibus: sive in æreis hisce
locis versantes.

T t 2

Cum

Cùm itaque Viris Apostolicis & animarum zelatoribus, contra nequissimos & versutissimos Cacodæmones duellandum Indies & luctandum sit; quis non videat, armaturâ insigni ac solidâ iis opus esse? Sanè hoc ipsum agnoscens Paulus horratut enixè; *Induite vos armaturam Dei*, græcè est *πανοπλιαν*, id est plenam & omnem armaturam, quâ milites à capite ad talos se armant & communiunt: *Ut possitis stare adversus insidias Diaboli*; ejusque dolos assultus & stratagemata reprimere. Quenam verò est armatura Dei, quam induere atque assumere suadet Apostolus? Primum armorum genus est 1. Lorica justitiæ. 2. Galea salutis. 3. Calcei. 4. Baltheus. 5. Scutum fidei. 6. Gladius spiritus. Quæ tanquam virtutum solidiorum symbola, dictione præsentî explanabimus.

I.
Lorica
justitiæ.

I. Primum armorum genus viro Apostolico ante omnia necessarium, est *Lorica justitiæ*; quæ pectus, femora, & totum hominis corpus armat & munit. Per lorica hanc Apostolus intelligit non justitiam specialem, quæ cuique jus suum reddit; sed generalem, quæ est complexio omnium virtutum; hæc enim totum hominem obarmat, & ab omni parte communit. Unde Chrysostomus *Lorica*, inquit, *justitiæ, est catholica & virtute prædita vita seu opera justis ac sancta*, quibus assiduè cor & pectus obarmandum est, animarum zelatoribus, ut non tantùm bello defensivo Diabolo resistant; sed & offensivo acres illi plagas infligant. Sed potissimùm ro-

bur hujus lorice est invicta patientia; quam Spiritus Sanctus Apostolis, Apostolicisque viris olim altè impressit, & hodie dum imprimi: muneri enim huic Apostolico labores, difficultates, & umbræ, advesitates, persecutiones, cruces, ita necessariò annexa sunt; ut absque illis ei plenè fieri satis, vix aut ne vix quidem valeat. Illis igitur ingruentibus, lorica patientiæ induenda est, quæ obarmetur pectus, ut quis cum animi magnitudine ac tranquillitate alacriter omnia perforat, nec ulli malum pro malo retribuatur. Hæc lorica pro exemplo & salute nostra, munitus fuit, omnis justitiæ prototypus, Christus Dominus ac Rex voster, qui horrendos dolores, immania tormenta & supplicia animo generosissimo pertulit; & proposito sibi gaudio sustinuit crucem. Heb. 12. Nec solum, ut agnus, coram tondente se, obmutuit; verùm etiam magno compassionis affectu, erga hostes suos ob eorum malitiam, permotus, pro illis Patrem cœlestem cum lacrymis rogavit.

Atque hæc est virtus solida, quam cum primis Christus Dominus affectus suos docuit: *Si quis vult post me venire, tollat crucem suam & sequatur me.* Lucæ c. 9. & præclare illam hausere Apostoli, eorumque Discipuli, qui & vincula & carceres, & verbera, & vulnera, & gladios & cruces, omniisque generis tormenta toleravere fortiter, lorica patientiæ testi & muniti, omniaque levia arbitrabantur: *Non sunt condigna passiones ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis.* Rom. 8. 18.

Et

Et quàm mlti, pacatoque animo superarent omnia, verbis his demonstrabant; *Maledicimur, & benedicimus, persecutionem patimur & sustinemus.* 1. Corinth. 4. Hujusmodi lorica munitus erat S. Franciscus Xaverius; qui in laboribus & ærumnis, exclamabat: *Amplius Domine, amplius!* Ejusmodi quoque lorica cataphraëti fuere, generosissimi Martyres nostri In Anglia, Campianus, Garnettus Ogilbæus, Briantus, Odoënus & alii, quos nulli carceres, quantumvis fœdi, & morte ipsâ graviores, nulla pericula, nullæ persecutiones, nullæ furæ, lanienæ nullæ, aut furæ à procuranda Dei gloria & animarum salute abstertere valuerunt.

Charissimi, *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias Diaboli.* Ephes. 6. Non degeneremus à præcellis cogitationibus filiorum Dei: pudor sit ad minima contraria, & adversitates exiguas gemere, queri, & impatientem animum ostendere: non est hæc solida virtus, sed infantilis: solida patientia nec carceres, nec furcas, nec mortes etiam ignominiosas reformidat. A parvis interim ordiamur, ut paulatim ad majora, difficilioraque assuescamus & callum obducamus.

II.
Galea salutis.

II. Secundum armorum genus, athletæ Christiano necessarium est: *Galeam salutis.* Et *galeam salutis assume.* ait Apost. Ephes. 6. Galea hæc est spes salutis ut explicat ipse Paulus 1. Thessal. 5. 8. *Galeam spem salutis.* Sicut enim galea principem corporis partem, ca-

put scilicet, tegit ac munit: ita spes salutis & gloriæ cœlestis ac immortalis, servat ac communit caput, id est, hominis cogitationes, fines & intentiones. Spes ergo tanquam galea caput munit, ac tria efficit: 1. Ut finis noster ultimus sit Deus, fruitio Dei, & beatitudo æterna; eoque omnia dicta, facta, cogitata referamus, & nihil aliud spectemus, aut in hac vita mortali quæramus. Deinde efficit, ut homo cogitans bona illa immensa, quæ in cœlesti gloria se consecuturum sperat, omnia terrena bona stoccifaciat, contemnat ac despiciat. Inde ortum ducebat illa Apostolorum paupertas spiritus & nuditas, ut nec aurum, nec argentum, nec alias possessiones quærerent, nec oparent; sed omnia tanquam stercorea arbitrantur, ut Christum & immensa illa cœlestia bona assequerentur; & licet nihil in mundo haberent, omnia tamen spe possiderent in cœlo. 3. Roborat, animat, excitat, & propellit ad fortia & heroica: nam in Apostolis & Martyribus inde nascebatur, ut ardua quæque generosâ mente aggredierentur, & animosè cum hoste confugerent, proponentes sibi speratam illam gloriam, quæ victores manet, & æternum coronat.

Atque hæc est altera virtus solida, cui standum est vobis: *Galeam salutis assume.* id est spem firmam futurorum bonorum æternorum concipite: & hæc spe, velut anchorâ firmata: ad illa bona infinita, Deumque immensum ac summum bonum, quod speratis, omnes cogitationes, locutio-

nes, actiones & intentiones vestras dirigite: præ illo maximo bono, omnes mundi quisquillas despiciite, & velut stercorea pedibus conculcate: denique cæspe animati, quævis ardua, pro Dei gloria & animarum salute generosè aggredimini.

III.
Calcei hu-
militatis.

III. Tertium armorum genus est, calceorum, quibus pedes Evangelizantium muniuntur. *Et calceati pedes in præparatione Evangelii pacis:* ait Apostolus L. c. Calcei primò symbolum sunt constantiæ, confidentiæ & animi intrepidi: qui enim nudipes est, pederentim & timidè incedit, ne pedem alcubi offendat; calceatus verò è contrario incedit audacter. Calceus quoque symbolum est libertatis: servi enim & captivi incedebant nudipedes. Est etiam symbolum Domituli & possessionis. Ulteriùs signum quoque est lætitiæ; sicut pedum nuditas luctûs. Denique symbolum est humilitatis: ut explicat S. Ephrem tractatu de panoplia seu armatura spirituali; ubi ait *calceamenta sunt humilitas*. Atque hæc omnes virtutes solidæ in animarum zelatore requisitæ sunt. Nam

1. Calceus, symbolum est evangelizantis, ejusque constantiæ, generositatis, & præparationis Evangelii: præparatio autem hæc, ut rectè notat Chrysostomus & Theophylactus, est alacris promptitudo & prompta alacritas animi, partim ad ambulandum viam Evangelii pacis, partim ad eam annuntiandam, quæ per hæreticorum, Infidelium, Barbarorum, Dæmonum, & hostium omnium cuneos pergat &

penetret; atque ita prædicando, vi- tamque sanctam instituendo, fidem & Evangelium propaget ac promoveat. Unde de hac præparatione & promptitudine dixit S. Joannes Baptista: *Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus*. Eapropter Marci 6. 9. Apostolis & Prædicatoribus Evangelii dantur sandalia, quo scilicet, audentur & alacriter, munus sibi injunctum suscipiant, omnique timore humano expulso, illud exerceant: sandalia ergo hæc & calcei signum sunt, tum libertatis, tum domini, tum lætitiæ, tum constantis animi, alacris & intrepidus, sunt enim calcei militis; tum denique humilitatis.

2. Solida enim humilitas, omnique vanæ hominum æstimationis ac honorum contemptus, unicè in Viris Apostolicis requiritur. Quemadmodum enim Christus Dominus, Dux noster, licet esset ipsa innocentia, ipsa sanctitas, ipsa potentia, sapientia, bonitas & gloria Patris, omnia tamen hæc attributa, infamiâ, convitiis, blasphemis, cruce ac morte probrosâ, quodammodo obrui veluit, ut postmodum illustriora & gloriosiora sparent: ita pariter Apostoli, virique Apostolici, dum Evangelium annuntiant, animas lucrantur & ex orci faucibus eripiunt; mox adversarios sentiunt: homines malignos, ac dæmones ipsos, qui eis contradicant, oppugnent, contemnant, detrahant, calumniantur; veluti de se fatetur Apostolus: *Obstium mihi apertum est magnum & adversarii multi*. 1. Corinth. 16. Hæc autem ut parvi pendamus, ut ad

ad hæc non modò non indignemur, & ad vindictam inflammemur; sed vehementer gaudeamus & exultemus, atque in Evangelico labore perseveremus; quis non videt, quanta animi demissio sit necessaria? Ea propter sublimissimum humilitatis solidæ gradum Redemptor noster discipulis suis ad eò commendavit: *Beati, cum malum xerunt vobis, & persecuti vos fuerint; & dixerint omne malum adversus vos, mentientes propter me, gaudete & exultate.* Matth. c. 5. An non similia patièdo, & amore Evangelii, contemnendo solidæ demissionis specimen dedere, Societatis nostræ pugiles, in Anglia, ubi, tanquam perduelles contra Reges, in furca suspensi & dissecti: In Germania, ubi ut seductores & corruptores ab hæreti istraduèti: In China, ubi tanquam dissimulatores Idololatriæ, & variorum errorum defamati: In Gallia, Ditione Veneta, ac Japonia; ubi ob frivolas, falsasque causas expulsi fuere.

Horum exemplo simus & nos *calceati pedes in præparatione Evangelii pacis.* L. c. Simus constantes, intrepidi, alacres, læti, ad eutrendum pro disseminatione Evangelii, quò obedientia destinavit: & simulta pati, contemptus, contumelias, irrisiones, detractiones tolerare necesse fuerit; non modo forti, patientique animo, sed etiam læto petetamus; hac enim ratione, nos solidam constantiam, humilitatemque nos possidere demonstrabimus.

IV. Corpore lorica armato, capite geleâ tecto, pedibusque calceatis, cin-

gulum militare induendum est, ut monet S. Paulus *L. c. State succincti lumbos vestros in veritate.* Id est baltheo militari vos cingite; ut exponit S. Chrylost. hom. 3. Baltheus hic est 1. Symbolum fidelitatis, quo admonentur milites Sacramenti militaris & fidelitatis, quam Duci suo jurarunt; unde quandomilites exauctorabantur, baltheum deponabant. 2. Baltheus, ut notat Pictius in Hierogly, est symbolum integritatis & castitatis, tam apud Hebræos, quam apud Græcos & Latinos: *Sint lumbi vestri præcincti.* Matth. 3. Baltheus est symbolum, charitatis, ut docet D. Thomas, hinc sponsi suis sponsis olim donare solebant cingulum, ut per illud sponsæ admonerentur fidei, fidelitatis, puritatis cordis, & amoris conjugalis. *Baltheus est charitas:* ait S. Ephrem. loco supra citato. Et hæc quarta est virtus solida, viris Apostolicis necessaria.

Charitas Christi urget nos, inquit Gentium Doctor: nisi hæc urgeat viros Apostolicos, omnia languerunt atque marcescent: ea de causa hunc charitatis ignem Christus mittere venit; & re ipsâ misit festo Pentecostes, quo corda discipulorum igne Spiritus sancti fuere succensa; ignisque mox foras erupit; exemplo Christi ipsiusmet; in eius pectore divino, quanta suscitavit hic ignis incendia? Tanta sanè ut nullis tormentorum, tribulationum, & humanæ ingritudinis quis potuerit extinguere: ipse enim non solum extrema, pro Dei gloria & hominum salute perpeti voluit; verum etiam, & ea ipsa quæ patiebatur, Deo

Parisi

Patris in ejus gloriam, qui eum ita pati volebat, & pro eorum, à quibus patiebatur, salute offerebat, & insuperabilis charitatis ardore, pro ipsis crucifixoribus orans, illata ab illis tormenta, in illorum utilitatem, ad Dei honorem ordinabat. Verè *Aquamulsa non potuerunt extinguere charitatem.* Cant. 8. 7. Hujus illustrissimi exemplis imitatione Apostoli rubicundo igneoque charitatis Dei & proximi balthemo fuere succincti; ad omnes labores ac difficultates, ad cuncta ardua & pericula parati & expediti: ex zelo gloriæ Dei & salutis animarum, laborant, sudant, peregrinantur, discunt, clamant, prædicant, quantum possunt; & postquam egere, quidquid potuere; omnes vires reliquas cum sanguine & vltimo Deo & animabus impendere cupiunt; ad famem, sitim, frigus, æstum, cruce & mortes desiderio insatiabili properant, omnia tormenta laceffunt & provocant: *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio an angustia? certus sum, neque mors, neque vita, neque creatura aliqua poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo JESU Domino nostro.* Rom. 8. 38. Similia in vitis nostrorum virorum Apostolicorum legere est, quibus recensendis brevitate gratiâ superfedemus. *Amulamini charismata meliora.* 1. Corinth. 17.

V.
Scutum
fidei.

V. Quintum armorum genus est *Scutum fidei: in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere.* L. c. Viva fides, quam & tenere, & aliis prædicare ac inculcare debet animarum ze-

lator, ei unice necessaria est; tanquam scutum quo se contra nequissimos Cacodæmones tueatur. *In omnibus sumentes scutum fidei.* Vult enim S. Paulus, ut rectè notat Hieronymus, nos in omni tentatione & opere, gestare fidei clypeum, eoque venientes Diaboli sagittas & suggestiones excipere, & retundere; ne phantasiæ pravas cupiditates suggerat, & ad eas appetendas, concupiscentiam & appetitum accendat & inflammet: atque ita animam vulneret. *Anima enim, ut docet Origenes, quoties peccat, toties vulneratur.* Hom. 8. in Num.

VI. Ultimum denique armorum VI.
genus est, *Gladius spiritus.* *In omnibus sumentes scutum fidei, & gladium spiritus, quod est verbum Dei.* Hoc gladio Christus devicit ac jugulavit dæmonem, tentantem & oppugnantem. Hoc gladio usi sunt Sancti omnes; uti de S. Paula memorat Hieronymus in ejus epitaphio. Si quando procacior fuisset inimicus; & usque ad verborum jurgia profiliisset: illud psalterii decantabat: *Cum confisteres adversum me peccator, obmutui & silui à bonis.* Gladius quoque spiritus est abnegatio & mortificatio continua, omnibus operariis in vinea Domini, maxime necessaria, eorumque officio intrinseca: nulla enim vitæ ratio, aut majores corporis labores annexos habet, aut austeriorem carnis macerationem requirit, quàm Apostolica: & è contrario, quies delicæ, & commoditates corporis ita huic functioni repugnant, ut ejus finem prorsus evertant & pessudent. Hac de causa Redemp-

Gladius
Spiritus.

demp or

demptor noster, primum omnium illis inculcavit, abnegationem sui: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum.* Lucæ c. 9. Mei affectus nihil carni blandum, nihil corpori jucundum, nihil sensibus suave, sed arduos potius labores, Incommoda, ærumnas, molestias, corporisque afflictationes expectent; ita omni amore proprio excluso, purus salutis & perfectioni propriæ & alienæ vacabunt. Semper igitur gladium spiritus stringant, sensibus grata amputent, corporis comoda rescindant; ut veluti vitis, inutilibus pampinis resectis purgata, fructus copiosiores proferant.

Quare hæc est imago & πανοπλία militis Christiani seu athletæ Apostolici à capite ad talos armati; solidas ejus virtutes, quibus pollere debeat, ad vivum representans: *Induite ergo vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias Diaboli.* Assumite prædicta sene armorum genera. 1. *Lorica* est justitia, id est opera justa & sancta, & in primis patientia fortis & solida, quæ nullos labores refugiat, nulla ardua aut pericula reformidet, nec mortem ipsam pro Christo & Evangelio subire detrectet. 2. *Galea* est spes salutis, quæ tanquam galea caput mu-

niat, omnia sua ad finem suum ultimum, Deum, ejusque fruitionem dirigat, præ illo omnia terrena abjiciat ac despiciat, pro illo omnia ardua generoso pectore aggredi non dubitet.

3. In præparationem Evangelii pedes *calceis* muniat; ut in profunda humilitate radicans, nullas in opere Domini contumelias, nullas contradictiones & contemptus renuat; sed per infamiam & bonam famam, per sarcasmos & laudes, per vituperium & gloriam, animarum salutis invigilet.

4. *Cingulum* militate seu Baltheus, veritate, fidelitate, castitate, & charitate Dei & proximi pectus cingat & stringat arctè adeo, ut nec fames, nec sitis, nec persecutio, nec gladius, à charitate eum separare valeat. 5. *Scutum fidei*, in quo omnia nequissimi telae ignea extinguat. 6. Et *Gladius spiritus*, quo Dæmonis insultus reprimat, & mortificationis ense omnia superflua, omni carni & corpori comoda & jucunda resecet. Quibus armis & virtutibus solidis, si strenue usi fuerimus, & contra hostes, dimicaverimus: in fine vitæ, coronam justitiæ nobis à justo Judice repositam ac asservatam reportabimus.





REGULA XVII.
DE RECTA INTENTIONE
EXHORTATIO I.

Ostendit rectam in omnibus habendam intentionem.

T H E M A.

Omnia in gloriam Dei facite. I. Corinth. 10.

V E L

Omnes rectam habere intentionem studeant. Reg. 17.



O Elestis Sponsus singulari sponsam suam videndi desiderio inflammatus, hisce eam verbis suavissimis compellat: *Ostende mihi faciem tuam.* Cant. 2. Per faciem verò D. Bernardus serm. 40. in Cant. intentionem rectam intelligit: quemadmodum enim in facie binæ sunt genæ, quarum utramque si exhibueris totam faciem ostenderis: ita pariter intentio binas quodammodo genas spirituales continet, quarum utramque sibi Dominus ostendi desiderat; ut totam animæ faciem cernat. Genæ hæc binæ ex Doctoris Melliflui mente, sunt *res & causa: res est id quod faciendum*

suscipimus, opera scilicet quæ quotidie peragimus. *Causa* autem, est motivum & finis, quo permoti, opera & exercitia nostra perficimus. Binæ verò genæ, nunquam non sunt conjungendæ, ut pulchrè niteant: neque enim altera sine altera sufficit: si opus fuerit malum, intentio bonum haud reddet; si opus extiterit bonum, intentio mala bonitatem corrumpet, veluti Pharisæorum preces, eleemosynæ ac jejunia edocent; & in fure eleemosynæ dandæ gratiâ furtum perpetrante, liquet. Quando autem ambæ, bonitate suâ sunt præditæ, & simul conjunctæ, miro præstant nitore; non secus atque in corpore, dum ambæ genæ suâ gaudent pulchritudine, facies tota specie & decore

decere emicat. Atque hoc Sponsus divinus insinuare voluisse videtur, dum Cant. 4. bis cum admiratione repetit: *Quam pulchra es amica mea, quam pulchra!* Ut utramque pulchritudinis partem ei inesse significet.

Quomodo autem binas hasce genas, *rem* scilicet & *causam*, opus & finem, actionem & intentionem, tam in statu ipso, quam in singulis exercitiis ac functionibus conjungere oporteat; præfati exhortatione declarabimus.

I.
Recta intentione in electione statûs.

I. Gena prima, sive res, de qua primo loco agendum est, duo complectitur: ipsum videlicet statum, in quo degimus, & actiones, sive exercitia tam corporalia, quam spiritualia, quæ in eodem obimus; in utrisque autem sincera intentio requiritur: nam & regula, & perfectio exigit: *Ut rectam intentionem habeamus, non solum circa vitam nostram statum, verum etiam circa res omnes particulares.*

Et primò quidem ordiamur à vitæ statu, in cujus susceptione atque aditu, nihil terrenum, nihil humanum; fluxum, caducumque nihil; sed solum, quod æternum ac divinum est; unice spectetur. Si enim statum religiosum amplectâre; ut quietis fruâre diebus, atque à cura ac sollicitudine vitæ & amictûs, liber degas; erras in intentione circa vitæ statum, & una genarum tuarum minimè pulchra est; quia maculâ amoris proprii infecta est. Si etiam statum religiosum aggrediâre, ut in virum omni tam humaniore, quam sublimiore scientiâ, ac doctrinâ præstantem evadas, atque in eo fine sistas; condita est gena tua; quia natu-

ralls & humani finis pulvere respergitur. Si mundo relicto, religioni te mancipis; ut vel in sæculo, vel in Ordine, in hominum æstimatione, in honore & ore verferis, rursus nævo non levi facies tua deturpatur; quia vanitatis fuliginè tingitur: quam ut eluas, longè alium tibi finem præstituas necesse est. Quemnam verò? Si nimirum vitam religiosam aggrediâre; ut in ea, Deo tuo obsequium, servitiumque fidele exhibeas: ut in propriam, & alienam salutem ac perfectionem incumbas; atque ita te totum Deo tuo, in holocaustum gratissimum, perfectissimumque offeras, ut nihil cogites, quid te deinceps futurum sit; sed totum te Divinæ Providentiæ, ac Superiorum directioni sincerè committas.

Quare, mi Tyro, aut quisquis es, Religiose, qui fortè initio, à fine debito exorbitasti, genamque intentionis tuæ maculasti; ut maculam detergas, ejusmodi scopum tibi præfigito: Societas JESU, vel quilibet ordo religiosus, disciplinæ vigore florens, alylum est tutissimum, ad quod libens, volensque confugio; ut damnationis æternæ pericula securus evadam. Ordo religiosus, Gymnasium & Schola omnium virtutum est; in quam à Deo optimò parente missus sum, ut omnem genam virtutem, diligens discipulus addiscam, eaque excultus Deo meo mirificè placeam. Ordo religiosus, paradus est, in quo à Deo plantatus sum, non ut cum Eva serpentem blandientem ac decipientem audiam; verum ut, aut innocentiam, quam habeo

illatum, conservem; aut si perdiderim; quantum licet recuperem; ac pœnitentia, operumque bonorum fructus copiosos proferam. Ordo religiosus, terra sancta est, inquam translatus sum ex Ægypto; de qua verè dici potest: *Solve calceamenta de pedibus tuis, terra enim, in qua stas, terra sancta est.* Solvam igitur calceamenta passionum & vitiorum terrenorum: & in sanctitate ac justitia serviam Deo meo, omnibus diebus vitæ meæ. Ordo religiosus stadium est, in quo sic curram, ut comprehendam: palæstra est, arena est, campus est, in quo contra Mundum, Carnem, Dæmonem, peccatum, hæresim, perfidiam & idololatriam decertabo; & quæ docendo, quæ perorando, quæ exhomologes excipiendo, aliæque charitatis opera exercendo, animas lucrari & in cœlestem patriam devehere allaborabo. Denique Ordo Religiosus cœlum quoddam est, ad quod me Dei miserentis gratiâ singularis extulit, ut in eo vitam angelicam ducam; in ejus cognitione & amore proficiam; illum indefinenter laudem & glorificem; atque ita beatitudinem quandam modò auspicer, in terris; eandem postea perfectiùs in cœlesti gloria, æternum continuaturus. Hæc tua sit intentio, mi Rel glote, pro statu tuo: Sic enim, cum & res, id est Ordo Religiosus, & causa seu finis, sit rectus & bonus, utraque gena tua pulchra erit.

Deinde lustrato jam statu ad statûs functiones & exercitia descendamus. Hic rursus utramque genam Sponsi cœlesti ostendere oportet, & quidem

pulchram, speciosam, sine macula aut ruga; idque in omnibus particularibus totius dici actionibus: ut oculi nostri semper sint ad Dominum: *Sicut oculi servorum, in manibus Dominorum, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum.* Actiones verò nostræ particulares sunt, quas indices ex ordinis præscripto perficimus. Novit actiones suas Tyro, novit Veteranus. Tyronis est orationi mentali & vocali insistere; Missæ sacrificio cum devotione interesse; sensus mortificationis fixo cohibere; consuetudines pravas in sæculo acquisite debilitare, & corrigere; inclinationes, propensiones, passiones inordinatas, domare ac cohibere, superare vitia; eumque in finem opera pœnosa animo libenti subire, ut ab externis hisce, interiora adjuvetur. Deinde opera externa humilitatis, promptitudine magnâ exercere, atque in iis humilitatem internam querere; animo prono & alaci, reprehensiones publicas & privatas acceptare; propriamque palam profiteri culpam, ut hæc ratione, interiorem patientiam, mansuetudinem, animi demissionem & ignominiarum amorem addiscat. Religiosi veterani munia sunt, præter orationis, meditationis, sacrificii statuta tempora, pœnitentes pro tribunali sacro audire, pro concione dicere, variisque modis zelum animarum exercere. Res hæc & actiones omnes bonitate suâ sunt præditæ; quas si purè Dei amore agamus, causa quoque & intentio suâ bonitate gaudet; atque ita gena utraque est pulchra, Deoque perplacet: ac cum Spontia dicere licebit illud Cant. 7. *In*

portis

II.
Recte in
tatio in
actionibus
particularibus,

di,
tio
per
tan
ru
fec
ba
ita
qu
ar
ci
te
g
V
p
da
illa
cir
vir
tù

portis nostris omnia poma nova & vetera dilecte mi servavi tibi. Omnia enim illa opera sunt veluti poma dulcia, & fructus suaves, gratique divino palato, quando illa in portis, id est in operationis initio offeruntur, & à Deo cum affectu suavissimo degustantur. Et quidem poma vetera servamus Christo, cœlesti Sponso, quando mortificationem veteris hominis, ejusque vitiorum, & pravatum cupiditatum rectâ intentione aggredimur; poma verò nova eidem servamus, quando in novitate vitæ ambulamus, & obedientiæ, humilitati, cæterisque virtutibus & actionibus etiam adiaphoris sinceram intentionem præfigimus.

II.
Recta intentionis in actionibus particulatibus.

II. Genâ altera ex mente D. Bernardi, est causa, seu motivum, aut intentio ipsa & finis, ob quem opera nostra peragimus; hæc verò intentiones possunt esse variæ, ob varia motiva, quorum unum altero est præstantius: non secus atque in horto, flos flore, & herba una, alterâ est excellentior: atque ita similes reddimur genis Sponsi, de quibus Spona Cant. 5. *Genes illius sicut arcola aromatum, consistit à pigmentariis.*

I. Motivum primum est, quod respicit & metuit pœnas, aut in hac aut altera vita à Deo infligendas: & hæc est genâ servilis: servi enim Domino suo bene famulantur, formidine pœnæ: si igitur dixeris: facio hæc opus, ut ignis purgantis, aut infernalis pœnæ evadam, operaris formidine pœnæ; atque iste actus, licet non perfectissimus, licitus tamen est, ac meritorius; cum ad virtutem spei pertineat, quæ non tantum prosequitur bonum, sed fugit etiam

malum: neque sic agendo peccatum ullum admittitur: nam Concilium Tridentinum sess. 6. c. 8. Sanxit: *Ut si quis dixerit, gehenna metum, per quem ad misericordiam Dei, de peccatis dolendo confugimus, vel à peccatis abstinemus, peccatum esse, anathema sit.* Idem est de operibus peragendis.

Secundum motivum, est spes præmiorum: atque hæc est genâ mercenariorum, quorum est heris servire ob mercedem, & respicere ad lucrum. Si igitur in operibus tuis intenderis gloriam cœlestem, propriamque beatitudinem; spe præmii agis; atque hic actus licet non existat perfectissimus, est tamen meritorius, veluti idem Concilium eadem sess. 6. can. 31. definit: *Si quis dixerit justificatum peccare dum intuitu aternæ mercedis, bene operatur, anathema sit.* Eâ enim intentione operabatur quoque Vates Regius, vix secundum cor Dei, velut ipse de se testatum reliquit: *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in aeternum, propter retributionem.* Psal. 118. 112. Pari modo fidelissimus Dei servus Moyses, teste Apostolo Hebr. 11. 25. *Magis elegit affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem: majores divitias aestimans, thesauro Egyptiorum, improperium Christi: aspiciebat enim in remunerationem.* Quod si tamé quis tali operaretur intentione, ut nisi pœnas æternas formidaret, aut æterna in cœlo præmia expectaret, non esset legem Dei servaturus. Talis plius quam servilis animus, nõ mereretur profectò æternam retributionem, sed pœnam. Merebitur tamen, retributionem, si voluntatem

peccandi exclusit; & cum spe præmii ac retributionis, in statu gratiæ ad servanda Dei præcepta sese incitavit. Quo sensu D. Augustinus in Psal. 120. asseruit: *Quando facis bonum opus, propter vitam æternam fac: si deo facis, securus facies: hoc enim mandavit Deus.*

3. Motivum tertium amorem Dei & beneficia ejus ex amore in nos descendenti respicit. Hoc innuit S. Ignatius in regula, dum ait: *Propter charitatem, & propter æterna beneficia, quibus prævenit nos.* Primum propter charitatem, quæ dilexit nos, quam testatur apud Jeremiam c. 31. *In charitate perseveravi dilexi te.* Quæ charitas perpetua ac maxima, meretur, ut vicissim, ipsum toto corde redamemus, omniaque opera, ex puro erga ipsum amore, præstemus; ejus amorem, laudem, gloriam, beneplacitum ac gustum unicè intendendo in omnibus. Deinde propter beneficia; quæ ad amorem inducant; ita tamen, ut magis Donanti, quam donis inhæreamus: neque otiosa fuit ejus in nos charitas; *In charitate perpetua dilexi te:* ab æterno te diligendo, & innumeris in tempore donis, velut imbre continuo, perfundendo. Ecce anima mea: Deus Pater ab æterno dilexit te, filium suum tibi dando: Filius Dei dilexit te, pro te mortem ignominiosam oppetendo: Spiritus sanctus dilexit te, illuminando, sanctificando, ac tot donis te exornando: Omnipotentia divina dilexit te, creando te & conservando: Sapientia Divina & Providentia dilexit te, in omni vita tua te dirigendo: Æternitas divina dilexit te, animam immortalem tibi commu-

nicando: Immenitas divina dilexit te semper tibi præsentiam suam assistendo. O quanta Dei tui erga te dilectio! quanta benevolentia & beneficentia! & quanto mutuo amore digna! Taceo innumera alia beneficia, communia & privata: ut quod sol te illuminet, ac ad respirationem conducatur, terra sustentet, ignis calefaciat; animalia, volucres, pisces, plantæ, fructus te nutriant, & vitam, vicelque conservent. Taceo beneficia supernaturalia, sancta Sacramenta, verbum Dei, libros sanctos, exempla Christi & Sanctorum; atque innumera.

Hæc si seriò perpendamus, an non meritò, amore reciproco succedimur; ut tantum amatorem nostrum ac benefactorem toto corde redamemus, & omnia ex puro ejus amore faciamus, quo similes Sponsæ evadamus; de quâ Sponsus Cant. 4. dixit: *Vulnerasti cor meum, soror mea Sponsa,* & quidem, *in uno oculorum tuorum.* Claudens nimirum oculum sinistrum timoris & spei, & apertens dextrum charitatis, quo me ita vulnerasti, ut oblivisci tui nequeam; quemadmodum vulneratus, vulneris sui non obliviscitur?

Quamquam ex ultimâ hac & perfectiore intentione ordinariè Religiosis perfectionis cupiditas agendum est: nonnunquam tamen etiam aliis, licet imperfectioribus, mortuis, fulcire mentem expedit: ejusdem sententiæ est S. Ignatius; qui, licet filios suos, tanquam genuinos aquilæ pullos altius evolare, sublimior quæ intentione operari desideret, fatetur tamen, quod & hinc juvari debeant scilicet metu pænæ,

pœnæ, ac spe præmii: dum præsertim vehemens ac periculosa peccandi occasio se offert: aut arduum quodpiam aggrediendum est opus. Declaremus exemplis. 1. Si gravissima te infestet tentatio carnalis: ad pœnæ metum convola: *Memorare novissima tua, & in æternum non peccabis.* Aut dic cum Isaia: *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante, & cum ardoribus sempiternis?* 2. Si Tyrannus, sub interminatione gladii aut restis, orthodoxam cogat abnegare fidem, aut ad aliud flagitium potenter instiget: Dic: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus & post hoc, non habent amplius, quod faciant; sed timete eum, qui postquam occiderit & corpus & animam perdere potest in gehennam.* 3. Si amor mundi, & rerum terrenarum te sollicitet ad respiciendum retro, ac deserendam vocationem tuam: atque amore Dei superare nequeas; vince metu pœnæ; ingeminando sæpius minas æternæ Veritatis: *Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei.* 4. Si intentos patiâre febris æstus, aut acutissimos calculi, dentium, stomachi, capitulve dolores; spe præmii cœlestis te anima; cum Paulo ingeminans: *Non sunt condigna passiones hujus temporis ad futuram gloriam qua revelabitur in nobis.* 5. Si ingentes sustineas persecutiones, confusiones, humiliações, degradationes, detractiones, accusationes falsas, aliâve tribulationes: spe præmii te excita cum dicto Apostolo: *Momentaneum & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate, æternum gloria pon-*

du operatur in nobis. 6. Graves & assiduos si cogaris exantlare labores, aut corporales, ab ortu diei ad occasum circumcursando, sudando, corporis vires fatigando & atterendo; aut spirituales, dies integros in exhomologeteriis sedendo & pœnitentibus noxas remittendo, in Gymnasiis docendo, ex ambone ad populum perorando, excita animum spe mercedis cœlestis: *Ego ero merces tua magna nimis:* aut cum Hieronymo exclamando: *Nullum tempus longum, nullus labor æurus videri debet; quo gloria æternitatis acquiritur.*

Hæc igitur ratione, metu pœnarum & spe præmiorum juvari nos oportet: non tamen decet, hujusmodi intentione tanquam primariâ acquiescere; sed ea ad amorem Dei attollenda est; Unde si interrogemur: quare memoriâ pœnarum, excitemus in nobis horrorem peccatorum; respondebitur; id nos facere, ne excidamus ab amore Dei. Item si petatur, cur memoriâ præmiorum, utamur in ardus, reponemus; ne difficultatum vi ab amore Dei retrahamur; aut impediamur in iis, quæ ad Deum nos ducunt: Simili modo Sponsa se juvabat Cant. 8. asserens: *Lava ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Lava est timor pœnarum, caput, seu intentionem nostram sustentans: *dextera est spes præmiorum, annam habens charitatem, quâ Deus nos amplexatur.*

Quapropter, Charissimi, ad hoc semper viribus cunctis connitamur, ut ambas genas nostras, Christo Domino Sponso amantissimo, pulchras exhibeamus,

beamus. 1. *Rem*, id est statum, in quo Providentia Divina nos collocavit, purissimâ divinæ gloriæ intentione, amplectendo; ut in eo, veluti a sylo, Gymnasio, paradiso, terra sancta, stadio, campo, cælo sanctè ei deserviamus, eumque laudemus & glorificemus. *Adiones* verò particulares, statui consentaneas, tam in se bonas, quàm adlaphoras reatissimâ divinæ gloriæ intentione, ad Deum dirigamus: licet in arduis tentationibus nos metu pœnarum; & in laboribus difficilibus, spe

præmiorum adjuvare ac sustentare valeamus. 2. *Causam*, id est intentionem; non more servorum, aut mercenariorum, sed more filiorum aut sponsorum, ex pure Dei amore concipiamus: tum quoniam ipse tanquam summum & infinitum bonum dignissimus est; tum quoniam tot tantisque nos beneficiis cumulavit; adeoque æquissimum est; ut nos totos & omnia opera nostra, ei ex amore sincerissimo rependamus.



EXHORTATIO II.

De intentione simplici & multiplici.

T H E M A.

Si oculus tuus simplex fuerit; totum corpus tuum lucidum erit. Matth. c. 6. 23.

Vel ex Regula.



Christus Dominus Redemptor noster aptè oculum hominis cum lucerna comparat, dicens; *Lucerna corporis tui est oculus tuus.* Matth. 6. quemadmodum enim lucerna in tenebris præcedit,

illuminat, ac viam demonstrat: ita quoque oculus noster, tanquam lux & dux lucem præbet, ducatum præstat, semitamque ostendit. *Si oculus tuus simplex fuerit*: id est sanus, purus, candidus, mundus totum corpus tuum, lucidum erit: & quasi totum oculatum: præviâ enim luce & di-

& directione oculi, omnes actiones tuas rectè obibis. Si autem oculus tuus fuerit nequam, Græcè τὸν γὰρ, malus, malè affectus, & vitioso humore imbutus, ideoque impurus & obnubilatus: totum corpus tenebrosum erit; luce enim & duce, oculi nimirum illustratione & directione caret. S. Augustinus L. 2. de serm. Domini c. 21. Oculum existat significare intentionem. Cui consentit Magnus Gregorius L. 28. Moral. cap. 6. Quid per oculum, ait, exprimitur, nisi opus suum praeueniens cordis intentio, qua priusquam se in actione exerceat, hoc jam, quod appetit, contemplatur? Et quid appellatione corporis designatur, nisi unaquaque actio, que intentionem suam, quasi intuentem oculum sequitur? Lucerna itaque corporis est oculus, quia per bonas intentiones radium, merita illustrantur actiones. Oculus corporis corpus, oculus intentionis intellectum & mentem movet, regit, & quocunque lubet, inflectit: & si purè Deum respiciat, opus ex ea manans (intellige si in se bonum fuerit, aut certè non malum) totum purum, sanctumque erit: si oculi intentionis, impuritate, aut vitio laboret, opus ex ea procedens, licet aliàs in se bonum, malum, impurum, vitiosumque evadet: veluti Christus toto hoc capite 6. in orationibus, eleeumofynis ac jejuniis Phariseorum ostendit.

Quomodo igitur oculum intentionis simplicem, Religiosis habere conveniens, in hac exhortatione patefaciemus.

I. Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit. L. c. Nihil oculo intentionis puro ac simplici esse Deo gratius; nihil magis amorem Sponsi cœlestis erga Sponsam conciliare; ipse testatur Cant. 4. *Vulnerasti cor meum sicut mea Sponsa, Vulnerasti cor meum, in uno oculo tuorum*: tanquam si diceret: quia clausisti oculum sinistram, qui respicit pœnam æternam, quod est servorum; & qui respicit pœmia æterna, quod est mercenariorum, & uno oculo dextro, me purè respixisti, quod est filiorum & Sponsarum cor meum, veluti amoris sagittâ petiisti, & vulnerasti. Hoc uno oculo dextro, Deum respicere & cor ejus vulnerare nos voluit S. Ignatius, dum præscripsit in regula: *id semper in eis* (actionibus particularibus) *sincerè spectantes, ut serviant & placeant, divinæ bonitati propter seipsam*. Hic est oculus simplex: hæc est intentio purissima: servio Deo propter Deum, facio hoc opus propter Deum; qui Deus sic vult; quia Deo placet, quia ob immensam suam bonitatem dignissimus est, ut ejus honori fiant omnia: quia tantus est, tantæque bonitatis, ut si cœlum non sit, nec sint inferi; solus tamen dignissimus sit, cui omnes Angeli, cui gens humana, cui quidquid creatum est, serviat, quàm accuratissimè. O quantum bonum est, servire & placere divinæ bonitati! Quid illo purius, quid sublimius, quid excellentius? Quocirca bene S. Chrysostomus L. de compunct. dixit: *Si omnino dignus fueris aliquid agere, quod Deo placeat, & aliam adhuc, præter hoc*

Xx ipsum,

ipsum, quod placere meruisti, mercedem requiris, verè ignoras, quantum bonum sit placere Deo: si enim scires, nunquam aliud, extrinsecus mercedis aut muneris expectares.

Hoc oculo simplici & purissimo Deus usus est in omnibus operibus suis; non enim habere potuit oculum servilem timoris; quid enim timebit, cui malum appropinquare non potest: uec oculum in reccariis, sive spei, quoniam bonorum nostrorum non eget, sed oculo puri amoris respexit omnia; nihil intendens nisi seipsum; nihil quærens, nihil desiderans, nisi gloriam suam, & bonitatis suæ manifestationem. Cur enim Deus cælum & terram, & omnia quæ in eis sunt, creavit? conservavit, gubernavit; nisi ad maiorem gloriam suam: id est, nisi ut infinitam, potentiam, sapientiam & bonitatem suam manifestaret? *Gloria Domini plena est terra: Es cæli enarrant gloriam Dei* Psal. 118.

Hunc simplicem & purissimum oculum filialis amoris erga Patrem, semper & in omnibus apertum tenuit, Redemptor noster Christus: Cur enim tot labores subivit, tot prodigia patravit: tot itinera Evang. lit. annuncian- di causâ confecit? *Non quæro gloriam meam*, inquit, *sed ejus, qui misit me, Patris.* Joan. 8. 50. Cur tantâ alacritate ad passionem mortemque provolvit? *Ut cognoscat mundus, quia diligo Patrem: surgite, eamus hinc* Cur in passione sua tantopere exinanivit se, tamque profundè sese depressit, ac humiliavit; nisi ut Patrem cœlestem exaltaret? Cur tam mira ac stupenda

toleravit & fecit, nisi ut quantum esset gloriæ divinæ pretium atque æstimatio, hominibus amore proprio excœcatis demonstraret? Hinc ipso nato concinunt Angeli; *Gloria in excelsis Deo.*

Ejusmodi simplici, puroque oculo Hebræus Rex David Deum in sacrificiis, laudibus, & aliis operibus respiciebat: *Oculi mei semper ad Dominum.* Non ad creaturas, non ad præmia, non ad supplicia; sed ad Dominum; cui gratis ac purè servire ac propter bonitatem suam placere cupio. *Voluntariè*, inquit alio loco, *sacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo, quoniam bonum est.* Psal. 53. 8. Id est, nulla alia de causa, nisi quia bonum est. *Quare voluntariè*, interrogat Augustinus in Psal. 53. *Quia gratis amo, quod laudo; laudo Deum, & in ipsa laude gaudeo; ipsius laude gaudeo: gratuitum sit & quod amatur & quod laudatur: quid est gratuitum? Ipse propter se, & non propter aliud, quod mihi dedit; non propter divitias, non propter honores, non etiam ad spiritualia bona gratia & gloriæ; sed quoniam bonus, id est, propter seipsum.*

Non absumilis erat oculus S. Francisci de Sales; cujus hæc sanctissima, rectæ intentionis erant suspiria: *O quam bonum est, non vivere nisi Deo? Non operari nisi propter Deum? non delectari nisi in Deo! si vel pilum affectus in me deprehenderem, qui vel a Deo non oriretur, vel ad Deum non referretur, eum quantocyus evellerem.* In prax. spirit. p. 4. c. 13. Sancta quoque Maria Magdalena de Pazzis in uno

uno oculorum vulneraverat cor Sponsi; ardentissimis è corde vibratis sagittis: *Si crederem*, inquit, *me uno verbo solo dicto, ob alium finem, quam ob amorem Dei, etiamsi non esset eius offensa, posse evadere Seraphinum, nunquam illud dicerem.* Lancicius Opuſc. ſpir. tom. 2. p. 148.

Hic igitur & noster sit intentionis oculus, purus & simplex; amemus Deum, laudemus Deum, serviamus, operemur, laboremus, studeamus Deo, non propter aliud; sed propter ipsum; quia bonus & summè bonus est, & omni amore, laude ac gloria dignissimus; Curemus, ut ipsi gustum suavem demus, cor ejus recreemus & solatio afficiamus, atque in odorem suavitatis, actiones nostras tanquam suaveolens thymiana offeramus; cui omnia opera bona nostra sapida sunt & suavia. Ita S. Augustinus Tract. 9. de util. jejuniis cap. 5. jubet dæmonia jejunio revocanti, respondere: *Exerceo me (jejuniis) do de me pœnas, ut placeam oculis ejus, ut de eodem suavitatem ejus.* Nec per hoc quidquam præmii cœlestis deperdes: nam ut docet S. Chrysostomus hom. 5. in Epist. ad Rom. *Major tibi est merces, si citra mercedis spem feceris*: imò eò pl. lucraberis, quò minùs lucrum quæsieris: quantum enim Filius superat dignitate servum, & mercenarium; tantum quoque ejus opera ex amore erga Patrem præstita excellunt; præmium enim servorum, ex timore operantium, est quasi stanneum; mercenariorum ex spe præmii laborantium, est quasi argenteum: filiorum

verò ex amore procedentium, est plus quam aureum, & lapidibus pretiosis intertextum.

II. Quanquam oculus intentionis, simplex & purus esse debet, multiplex tamen simul esse potest, ex variis intentionibus, uni fini amoris Dei subordinatis, contextus: atque ita erit in intentione multiplicitas & simplicitas; simileſque erimus Sponsæ, de quo Sponsus ait Cant. 4. *Oculi tui columbarum*; *Oculi*, refer id ad intentiones multiplices: *columbarum*, refer ad simplicitatem: columba enim oculis puris & simplicibus patem suum diligit, ut sponsum retinet, nullique alteri adhæret: opera hujusmodi multiplici simplicitate intentionis ornata; velut gemmæ sunt, variis pulchritudinibus & proprietatibus conspicuæ. Modum eas conjungendi apud varios sanctimoniarum opinione claros reperire est.

Venerabilis Pater Martinus Stredonius, vaticinio de flore & prosperitate Domûs Austriacæ celebris; ut cap. 13. vitæ ejus legitur, quò in conspectu Dei opera comparerent illustriora, intentiones multiplicare solebat. 1. Orandum mihi nunc est, inquit, ex obedientia: obsequar ut sim obediens? Sed & orabo ut Deum confitear fidelis. 3. Ut ab eodem salutis auxilia obtineam, Sperator. 4. Ut ad eundem super omnia diligendum inflammet, Amator. 5. Ut eundem adorem & colam, Religiosus. 6. Ut eum Patrem recognoscam, Pius filius. 7. Ut eidem Domino subiciar,

Servus natus. 3. Ut ei gratias pro beneficiis agam, *gratus cliens.*

Idem ad sacram synaxin aditus, agebat: Accedam ad mensam Eucharisticam 1. Ut pane vitæ, animam meam vivificem. 2. Ut ignorantie meæ, à præfente sole justitiæ, lumen mutuem. 3. Ut concupiscentiæ ardores extingam. 4. Ut malitiæ meæ duritiem, ejus bonitate expungam. 5. Ut mihi & proximis vivis remissionem peccatorum obtineam. 6. Ut fidelibus piè defunctis, ad visionem Dei, quam primùm obtinendam, præstem suffragium.

Venerabilis Pater Nicolaus Lanclcius Opusc. XI. c. 2. Opus majoris meriti fore docet, si offeratur, propter plures fines supernaturales subordinatos præstantissimo finis amoris divini, scilicet purè propter Deum super omnia amatum: hoc modo & praxi: Sanctissime & Dilectissime Domine Deus & Pater meus, ego volo hoc facere, vel dicere, vel omittere 1. Ex puro amore Tui, seu propter Te super omnia amatum. 2. Ut divino præcepto tuo obediam. 3. Ut me vincam & mortificem. 4. Ut pro peccatis satisfaciam. 5. Ut te quàm maximè colam & glorificem: ut gustum & consolationem tibi tribuam &c.

Jejunandum mihi est, sed quo fine?

1. Ut me affligam, patiarque aliquid pro Christo. 2. Ut tuear castitatem, statui meo congruentem: 3. Ut servem sanitatem, quò melius Deo serviam. 4. Ut animam disponam orationi, inspirationibus divinis, SS. Eucharistiæ postredie suscipiendæ. 5. Ut fomitem

vitiorum subtraham. 6. Ut: satisfaciam pro excessu in cibo, potu, aliisque delictis. 7. Ad gloriam majorem Dei, & gustum ejus; quo ipsius bonitati placeam.

Studendum mihi est; sed puro, simpliceque intentionis multiplicis oculo. 1. Ut veram sapientiam consequar, non plausum, non lucrum. 2. Ut otium devitem, pravaque declinem consortia. 3. Ut juvem patriam, Remp. animas. 4. Ut aptum me reddam instrumentum, ad quod vis manus, id quod Deus vocavit. 5. Ut Deum quàm maximè glorificem. Hac methodo si processeris, noveris ex mente Theologorum te quamcunque virtutem formaliter attingere, cujus motivo incitatus, in eam tendis: v. g. si elemosynam largiaris pauperi, ex commiserationis affectu, actus est misericordiæ: si ut pro peccatis satisfacias; actus erit pœnitentiæ; si ex motivo amoris Dei, eum in paupere intuendo, actus erit flagrantis charitatis. Quare falce perspicis, quot virtutum margaritas pretiosas, quot meritorum coronas inmarcescibiles lucrari, nullo negotio valeas; si attem hanc simplicis & multiplicis intentionis in praxin redegeris.

Verùm adverte demum omnia dirigenda ad Deum velut ultimum finem, Deum que unice querendum in omnibus. Id verbis illis insinuatum voluit S. Ignatius: *In omnibus querant Deum.* 1. In omnibus operibus, licet multiplicibus & diversis, intellectu & affectu Deo uni inhaereant, ut cor à Dei præfentia non abstrahatur, *Dilectus*

meus mihi & ego illi Cant. 2. *Ego dilecto meo, & ad me conversio eius.* Cant. 7. Quemadmodum dilectus meus ita mihi intendit, meumque commodum quærit, ac si nulli alter rei intenderet; ita me par est, illi soli intendere, & illum solum quærere; assiduâ cogitatione & affectione illi conjugi, etiam inter turbas & negotia, ac si solus essem & in otio versares. 2. *In omnibus quarant Deum.* At in quibus? In omnibus, cogitationibus, intentionibus, affectibus, desideriis, verbis, operibus, studiis, conversationibus, & omissionibus, unum Deum, ejusque gloriam beneplacitum, delectationem & gustum spectent: in illo solo absorpti, nec ad alia diffusi; ita ut non magis consolationem, quàm desolationem; commodum, quàm incommodum, honorem, quàm infamiam requirant. Morte Beatorum in cœlis, qui seipsum dimissis, totaliter affectu in Deum transferunt. 3. *In omnibus quarant Deum:* tanquam rem suam; unusquisque quod suum est quærat; aliena non curat: Deus autem noster est: *Nam iste Deus meus & glorificabo eum, Deus Patris mei, & exaltabo eum.* Exodi c. 15. 2. Nos verò illius, & omnia nostra, non nostra, sed illius sunt; nos igitur quæ nostra sunt quæramus, scilicet Deum; & aliena, scilicet omnia nostra, quæ illius sunt, ipsi curanda relinquamus. Hæc ratione siue vita, siue salus, siue quidquid aliud in tuto collocabitur, & perfectissimè custodietur: si enim vitam meam, aut commodum meum, in manu mea haberem, possem perdere; at voluntati Dei commissa, non

amittam; nam quod ipse dixit de animabus Joan. c. 10. 28. *Non rapiet eas quisquam de manu mea;* ad omnia debet extendi. Ergo Intentione nostrâ solum respiciamus & quæramus Deum; sic enim omnia aliena servabimus.

Denique 4. *In omnibus quarant Deum;* non seipsum, non illud, quod Deus non est, aut quod non est Dei: quia ibi illum haud quaquam reperient; quemadmodum Sponsa experta est. Cant. 3. *In lectulo meo quasi vi, quem diligit anima mea: quasi vi & non inveni.* In lectulo meo, id est in propriis commoditatibus, in otio, in quiete corporis, in sensuum inordinationibus, quasi dilectum; & non inveni. *Quasi vi enim per noctes:* scilicet in honoribus & estimationibus hujus sæculi caliginosi; ad quæ lumen gratiæ Dei non dirigit; sed caligo mundi fastuosi: & non inveni. *Quasi vi enim per vicus & plateas civitatis:* id est in curiositate, in vana gloria & hominum complacentia; & non inveni. At, paululum cum pertransissem (ista omnia) inveni, quem diligit anima mea. Non in creaturis, sed in ipso met Deo; & in laboribus, crucibus, studiis, ad ipsum dirigentibus.

Sed nequaquam ad simplicitatem & puritatem intentionis prædictam pertingemus, nec Deum sincerè quæremus, nec feliciter inveniemus, nisi antè præstiterimus, binæ illa à S. Ignatio requisita, tanquam media convenientissima. 1. *Exuentes se amore omnium creaturarum.* 2. *Ut affectum univèrsam in ipsarum Creatorem conferant; eum in omnibus amando, & omnia*

*in eo, juxta sanctissimam & divinam
eius voluntatem.*

Quæ cum ita sint, Dilectissimi,
*Lucerna corporis tui est oculus tuus: si
oculus tuus fuerit simplex, totum cor-
pus tuum lucidum erit.* L. c. Studeamus
oculum hunc simplicis & puræ inten-
tionis semper tenere apertum; in om-
nibus id semper sincerè spectantes, ut
serviamus & placeamus Divinæ Boni-
tati, propter seipsam: id est propter in-
finitam suam bonitatem: Ipse enim est
Ipsa plenitudo & universitas omnis bo-
ni; à quo omnia dulcia trahunt suam
dulcedinem; omnia pulchra suam
pulchritudinem, omnia lucida suum
splendorem, omnia viventia, vitam,
omnia sentientia sensum, omnia mo-
ventia motum, omnia intelligentia co-
gnitionem, omnia perfectà perfecti-
onem, omnia denique qualicumque mo-
do bona, suam bonitatem. Hoc infinitum
omnis bonitatis pelagus unice in-
tendamus, spectemus, quæramus, se-
cundùm exemplar ipsiusmet Dei,
Christi Domini, Davidis & aliorum

Sanctorum, atque ita oculus noster pu-
rus & simplex erit. Deinde simplicitati
intentionis, multiplicatam, amori di-
vino subordinatam, non raro conjun-
gamus, variis variarum virtutum gem-
mis opera nostra illustrando, exemplo
P. Stredonii, Lancicii, & aliorum. Ulti-
matè tamen semper Deum unum in
omnibus quærendo; *in omnibus*, licet
negotiis & actionibus disparatis ac di-
versis: *In omnibus*, cogitatis, dictis,
factis; *in omnibus* tanquam rem no-
stram propriam, Deum; non verò
nos ipsos, nostrum honorem, nostræ
commoda: sed omnia hæc pertran-
seundo, omnium horum amorum ex-
uendo, eumque in Deum transferen-
do: quod si præstiterimus, cum Spon-
sa Sponsam in uno oculorum nostro-
rum, amorosæ intentionis sagittâ vul-
nerabimus, oculis eum columbinis
semper intuebimur, majorem in cæ-
lis coronam reportabimus; & in om-
nem æternitatem, cor Domini
Dei nostri mirificè exhi-
larabimus.





REGULA XVIII.

De exhortationibus Domestiçis

EXHORTATIO I.

Exhortationum Domesticarum ad Religiosos materiam
insinuat.

T H E M A.

Quasi tuba exalta vocem tuam. Isaia c. 58. I.

V E L

*In concionibus domesticis de iis crebrò tractent, quæ ad sui ab-
negationem, & in virtutibus profectum, & omnimodam
perfectionem attinet. Reg. 18.*

Eleberrimo Habræo-
rum Duci Moyfi Do-
minus, Num. c. 10.
mandavit, geminas
tubas argere: eas, ducti-
lesque confandas cu-
rare: quibus diversimodè clangentibus,
populum convocare; atque illi, vel ag-
gredienda prælia, vel castra movenda,
vel denique festa & sacrificia cele-
branda insinuarer. Et quidem ad ha-
rum tubarum clangorem (teste S. Cy-
rillo L. 5. de adoratione) mœnia Je-
richontina corruere. Quid verò tubæ
hæ symbolicè significant, nisi Oratores

factos; quibus, non secus atque olim
Prophetis, Dominus hodie dum præci-
pit: *Quasi tuba exalta vocem tuam*;
præcipuè, quando graviora populo
annuntianda veniunt scelera. An non
hujusmodi tuba extitit S. Joannes
Baptista, *vox clamantis in deserto*? An
non similis tuba fuit S. Petrus Apосто-
lus, S. Joannes, S. Jacobus Boaner-
ges, atque in primis Doctor Gentium
Paulus, de quo scribit S. Hieronymus:
*Fuit tuba Evangelii, tonitrus gentium,
rugitus leonis*? An non ejusmodi tubas
sele exhibuerunt S. Dominicus, S. Vin-
centius Ferrerius, & ex Societate
nostra

nostra Ecclesiastæ celeberrimi Lanius, Maldonatus, Landinus, Angelius, Colasagus, Mancinellus, Strada, aliique quàm plurimi? Tubæ hæc fuere argenteæ, quia sonoræ, veramque sapientiam, cujus argentum symbolum est, prædicavere: & muros Jericho, id est mundi instabilis, seu vitiorum ejus munimenta disjecere. Verùm tubas hæc alio clangere tono aliâque de materia, oportet, dum ad populum; de alia, dum ad Religiosos perfectionis studiosos insonant. Ad populum enim de morte, de judicio, inferno, æternitate, mandatorum Domini observatione perorando, vehementius detonant, callumque vitiorum abolere fatagunt; Religiosos verò perfectionis semitas decurrentes, ad fervorem suavius inflammant: atque ad abnegationem, virtutum incrementum, perfectionem, charitatemque fraternam cohortantur.

Causas verò, cur de his materiis in exhortationibus ad Religiosos potissimum agendum sit, tum in præsentem, tum in sequente exhortatione declarabimus.

I.
Materia
exhortationum domesticarum abnegatio.

I. Primus tubarum Mosaicarum clangor ad bellum contra Jebusæos, Amorrhæos cæterosque populi Israelitici hostes aggrediendam excitabat. *Si exieritis ad bellum*, ait sacer textus, *L. c. clangetis ululantibus tubis.* id est conciso & interrupto sono. Omnia hæc in figura contingebant illis; nos verò docent; Exhortatoribus Religiosorum, sæpe inflandam esse tubam evangelicam, & tractandum de aggrediendo contra hostes prælio; scilicet

contra vitia, passiones animi, pravæque inclinationes; quæ pugna, nunquam non religiosis necessaria, exercetur, non hastis & acinacibus chalibeis ac materialibus, sed gladio (spirituali mortificationis; sine qua Christum sequi, aut vitam religioso consentaneam agere, est prorsus impossibile: ait enim Veritas æterna: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Matth. 16. *Hoc est opus nostrum in hac vita*, ait S. Climacus serm. 13. de verbis Domini, *actiones carnis spiritum mortificare quotidie, affligere, minuere, frænare & interimere.* Eâ, cum in ratione, quâ maiortii pugiles, cum hostibus procedunt, quibus pro viribus cladem inferunt, affligunt, minuunt, frænant, interimunt. In hoc genere, militia nostra sacra, haud à profana dissidet; nisi in eo, quod bella mundi citius finem assequantur; Religiosi verò certamina non nisi cum morte terminentur. Nam ut docet S. Ephrem Exhort. ad pietatem c. 1. p. 7. *Bellum militis breve; sed Monachi pugna, quoad usque migret ad Dominum, durat.* Totâ itaque vitâ dimicandum est Religiosis: ne verò animis concidant, more militari, æ numero, tubæ clangore, scilicet verbi divini prædicatione, sunt animandi.

Clangunt autem hæc tubæ & insonant, deicienda nobis esse Jerichontis mœnia, sine quo ingressus in terram promissionis minimè conceditur: nobis enim ad perfectionis quietem accessus haudquaquam præstabitur; nisi nosmetipsos in omnibus abnegaverimus:

mus: nisi Jericho, id est, luna, seu inconstantia concidat; nisi ejusdem muri, quibus amor proprius, sensualitas, diabolus, cum vitiorum agmine se continet, evertantur.

Clangunt hæc tubæ & inculcant nobis, absque circumfisione spiritualis ferro, nunquam nos in Genuinorum Sancti Fundatoris filiorum & militum album esse referendos; sicut & incircumcisi, Israëlitico populo, haud poterant annumerari. *Omnis incircumcissus corde & incircumcissus carne non ingredietur Sanctuarium meum*, ait Ezechiel c. 44. 1. Absque circumfisione seu mortificatione nunquam veterem hominem, quem è mundo eduximus, exuemus, & induemus novum; nunquam hostes nostros internos debellabimus, ac veram filiorum Dei pacem obtinebimus; nunquam animæ morbos, curabimus, atque optatâ mentis sanitate gaudebimus; nunquam JESU Socii, ac discipuli æstimabimur, quia moribus & vitâ JESU carebimus: ad quam mortificatio penitus est necessaria: *Semper*, ait Apostolus, *mortificationem JESU in corpore nostro circumferentes; ut & vita JESU manifestetur in nobis.* 2. Corinth. 4. 10.

II.

Progressus
in virtuti-
bus.

II. Alter tubarum Mosaicarum clangor populum Israëliticum ad progrediendum in Terram promissionis, atque ad movenda castra excitabat: *Si autem*, ait sacer textus, *prolixior atque concisus clangor increpuerit, movebunt castra.* L. c. Quidnam hîc adumbratur aliud, nisi ut Ecclesiastæ sacri, suos hortentur Auditores ad sedulum in virtutibus progressum; *sape tractent de*

iis qua pertinent ad profectum in virtutibus: monet S. Ignatius. Eundem nempe Religiosis est de virtute, in virtutem; unde hæc sit illis crebrò exhortationum materies; Quamobrem verò? 1. Quia in via Dei non proficere, est deficere; non progredi, est regredi; non tendere, ac magis, magisque appropinquare & accedere ad metam perfectionis, est elongari ab ea & retrocedere. Unanimis & concors est Patrum sanctorum sensus: ex quibus S. Hieronymus in Epist. ad Demetriadem ita loquitur: *Tandem non relabimur retro, quamdiu ad priora contendimus: at ubi copimus stare, descendimus, nostrumque non progredi, reverti est.* Ut igitur Ascetarum animi, nonnunquam flaccescentes, excitentur, atque ad progrediendum animentur; quis non videt clangore tubæ, tanquam calcari opus esse; expositione, inquam, & inculcatione præstantiæ virtutum, mundi affectis adeò incognitæ, Religiosis verò scitu, quàm maximè necessariæ?

2. *Lucerna pedibus meis verbum tuum*, ait Vates Regius Psalm. 118. Verbum Dei ab Oratore sacro propositum, lucernæ instar, per loca tenebrosa & lutosa ambulanti illuminat, & viam monstrat, quâ gradiatur ac pedes figat gressumque promoveat. Ignoti nulla cupido; quare ut virtutis amore trahamur, ejus pretium, utilitatem, jucunditatem, pulchritudinem, nobilitatemque nosse, necesse est; quomodo verò ea cognoscemus, nisi ab eruditis, peritisque exhortatoribus, audiamus? *Quomodo audiens sine*

predicante ? qui non modò mentem explicando illuminet ; sed & affectum movendo inflammet ? Nunc igitur è sacris paginis , virtutem in genere , nunc in particulari exponat ac deprædicet : nunc è SS. Patrum monumentis ejusdem encomia d'promat. Juvabit S. Augustinus L. 2. de lib. arbitr. c. 18. & 19. asserens : *Virtutem esse bonam qualitatem mentis , quâ rectè vivitur ; quâ nemo malè utitur ; quam Deus in nobis , sine nobis , operatur.* Estimulabit quoque Aristoteles , licet Ethnicus 2. Ethic. c. 6. d. s. niens , virtutem esse , *qua bonum facis habentem & opus ejus bonum reddit.* Quid enim præstantius , quid honestius , quàm esse bonum , quod nec honor , nec fortuna , nec opulencia homini conferre valet ? ô quàm igitur nobile Dei donum est virtus ! quæ Ascetis est supplementum naturæ , ornamentum animæ , cimelium gratiæ , facilitas boni operis , quâ bene sancteque vivimus ; quâ veris malis , scilicet peccatis , resistimus ; quâ cumulamur meritis ; vitam æternam promeremur , & Christi imagines , ac Dei imitatores efficiamur. Quis igitur tantum thesaurum augere non labore ? quis in tanto bono acquirendo , accumulandoque non defudet ?

3. *Hac est voluntas Dei , sanctificatio vestra.* 1. Thess. 4. ad quam virtus ducit ac viam sternit ; quæ ideo frequenter à Verbi Divini præconibus , Auditoribus ob oculis ponenda & commendanda , præsertim hæc obligatio , hoc præceptum Salvatoris , omnibus Christianis datum ; *Diliges Dominum*

Deum tuum , ex toto corde tuo Matth. 22. quod absque constanti virtutum exercitio non impletur. Ac proinde rectè asserit S. Augustinus L. 1. de doctr. Christ. c. 22. *Tunc optimus est homo , cum totâ suâ vitâ pergit in incommutabilem vitam , & toto affectu illi inhaeret.* Hoc vel maxime incumbit Religiosæ vitæ cultoribus ; iis præsertim , qui peculiariùs JESU vitam se imitari profitentur : quamdiu enim in hac mortali vitâ degimus , in Christi schola versamur ; quare tanquam discipulos genuinos ac sedulos , in eos nos decet proficere : nam *quisquis in schola Christi non proficit , ejus indignus est magisterio.* Ait S. Bernardus in Epist. 341. *Non proficere , sine dubio est deficere. Qui se dicit in Christo manere , debet , sicut ille ambulavit , & ipse ambulare.* JESUS autem crescebat & proficiebat , sapientia , atate & gratia apud Deum & homines. Dicamus igitur cum Magno Augustino : *Quantumcunque hic vixerimus ; quantumcunque profecerimus , nemo dicat : sufficit mihi , justus sum : qui dixerit , remansit in via ; non novit pervenire : ubi dixit sufficit , ibi hæsit ; in Ps. l. 69.*

II. Tubarum clangor , populum ad tabernaculum , ad calendas , ac dies festos ciebat : Si quando habebitis epulum & dies festos , atque calendas , canetis tubâ. Num. 10. Id est , in novilunio , seu primo die mensis lunaris , qui erat festus Judæis. Pari modo per Exhortatores domesticos collegæ convocandi sunt ad tabernaculum perfectionis , tabernaculum enim Dei cum hominibus , est vitæ perfectio ; deinde ad epulum

III.
Omnigena
perfectio.

epulum, seu agapen charitatis, uti & ad calendas & festum sanctitatis; ut cognoscans, quàm longè ab ea etiamnum distent; stimuliq̄ simul admoventi, ad eam fervore & alacritate eximiâ comparandam. Ejusmodi stimulus est.

1. Obligatio Religiosi, quâ sub lethali criminis reata ad perfectionem tendere tenetur. Ut fert doctrina communis Theologorum cum D. Thoma 2. 2. q. 184. a. 5. Nam status religiosus, est status perfectionis acquirendæ, seu est via ad perfectionem; quemadmodum igitur sub peccato lethali, Religiosus tenetur esse religiosus (id enim vota religiosa nuncupans Deo promittit) ita quoque sub peccato mortali tenetur ad perfectionem tendere. Veluti ex adverso Religiosus ad perfectionem non tendens committit peccatum simulationis, mendacii & hypocriseos in materia gravi: status enim religiosus promittit omnibus atque ostendit perfectionis ac sanctimonie curam; ideoq̄ apud omnes, etiam Reges ac Principes, venerationem obtinet, gaudens privilegiis in omni jure maximis. Si itaque Religiosus hac in parte homines falleret, profectò à peccato imposturæ in re gravi, haud quaquam immunis foret.

2. Stimulus alter ab Exhortatoribus religiosis animis addendus est, brevitatis & incertitudo temporis nostri, quod mors inopinata non raro succidit. *Tempus breve est*, clamat Apostolus 1. Corint. 7.29. igitur fructuosè collocandum est; & perfectioni

comparandæ strenuè impendendum: quod enim brevis hujus temporis decursu non acquirimus, totâ deinde æternitate non acquirimus. *Juravit Angelus, per viventem in sacula seculorum, quia tempus non erit amplius.* Apoc. c. 10. In mortis articulo, dolore & angustia ingenti affigemur ac cruciabimur, tempus gratiæ effluxisse; nosq̄ tam segniter in eo perfectioni operam navasse; & vel unicum vitæ annum desiderabimus: *at tempus non erit amplius.* In formidabili judicii die, & in flammis purgantibus, clarissimè perspiciemus, quàm languidè, & oscitanter perfectionis instrumenta, ac media efficacissima adhibuerimus; tempusque optabimus culpas nostras abolendi, negligentiasq̄ compensandi: *sed tempus non erit amplius.* Ergo dum tempus habemus, operemur bonum. Ad Gal. 6. 10. *Ecce nunc tempus acceptabile; ecce nunc dies salutis.* 2. Corinth. 6. 2. *dies perfectionis & sanctitatis comparandæ, nunquam aliàs rediunt.*

3. Stimulus tertius in concionibus domesticis admoventis, est ratio strictissima, in die judicii, supremo Judici reddenda, de tot tamq̄ præclaris perfectionis conquirendæ adminiculis: *Judicium sedet & libri aperti sunt.* In quibus descriptum est, quantâ desidia iis usi fuerimus, quàm modicum ex iis fructum retulerimus, quàm frigidè & perperam ea adhibuerimus. Quanto autem rubore & confusione suffundemur; tantâ medicorum adèd præstantium & efficacium copiâ, ac redundantia, finem nostrum, propriam scilicet, alienamq̄ perfectionem, minimè

à nobis obtentam fuisse? An non metuendum nobis erit, ut Veritas æterna nobis exprobrat atque oggerat, quod olim istis civitatibus. *Va tibi Corozaim! Va tibi Bethsaida! quia si in Tyro & Sidone facta fuissent virtutes, quæ facta sunt in te; olim in cinere & cilicio penitentiam egissent: dico vobis: Tyro & Sidoni remissius erit in illo die, quam vobis.* Matth. 11, 21. Sanè si in Tyro & Sidone, si in Tartaria aut Turcia, cuiuspiam Bonitas Divina, tot tantaque perfectionis consequendæ media obtulisset, jam dudum sublimem sanctimoniam gradum attigisset. Quare *Viri Ninivita surgent in iudicio, & condemnabunt eam.* Viri gentiles rectæ rationis ductum sequentes: viri sæculares, tot mediis, quibus nos abundamus, carentes; & tamen perfectione nos superantes, surgent in iudicio, & condemnabunt seorsiam nostram. *Regina Austri surget in iudicio & condemnabit eam: quia venit à finibus terra, audire sapientiam Salomonis.* Matth. c. 12, 42. Paupercula quæpiam & simplex femina, vix decimam, meditationum, examinum, instructionum, exhortationum, lectionum spiritualium aliorumque mediorum nostrorum partem nata; & nihilominus in virtute ac perfectione, multis nos parasangis præcurrens, surget in iudicio & condemnabit nos, nostramque ignaviam confundet.

Quapropter, Dilectissimi, materiam præscriptam quemadmodum cœpi-mus, ulterius prosequemur; & abnegationem, profectum in virtutibus, omnigenamque perfectionem expo-

nere pergemus. Utinam ego, tubæ in-star omnes excitare valerem 1. Ad indefessum mortificationis studium; quo omnia vitiorum zizania evellerent; illique evulsis, toto vitæ decursu, desideratos à Religione fructus divinæ gloriæ & salutis animarum proferrent, Jerichontinos amoris proprii muros dejicerent; ut in terram promissionis cœlestem securè intrarent; carnem cum concupiscentiis circumciderent, ut inter veros Dei filios & genuinos Christi assecras recenserentur. 2. Utinam tanquam tuba militaris omnes ad virtutum profectum adeò potenter excitare possem & impellere, ut indies magnis passibus progredierentur; virtutum excellentiam, utilitatem, pulchritudinem probe cognoscerent, illique perspectis, tanto in eas fervore ac studio incumbere, ut digni, Christi scholæ discipuli æstimarentur. 3. Denique utinam quasi tuba exaltare vocem meam possem, omnesque ad eximiam perfecti-onem inflectere; ut obligationi, quæ devincti sunt, facerent satis, temporis brevitate fervore insigni compensarent, ne in die iudicii justus Iudex eos redarguat, totque gratias, tot fervores & salutis ac perfectionis adminicula, absque fructu fuisse concessa improperet; quæ si Barbaro, Tartaro, Turcæ cuiuspiam concessisset, eos longè perfectione superasset; adeoque eju-modi surgant in iudicio, illosque, non absque rubore & confusione condemnent.



EXHORTATIO II.

IN REGULAM XVIII.

Causas, ob quas in exhortationibus præcipuè de charitate
fraterna agendum, proponit.

T H E M A.

Solliciti simus ser-uare unitatem spiritus in vinculo pacis.

Ephes. 4. 3.

V E L

Præcipuè exhortentur ad unionem & charitatem fraternam.

Reg. 18.



Xposuimus exhortatione proximè præcedente, verbi Divini, Domesticos intra parietes præcones tubas esse argenteas, Mosaicis Parallelas, atque haud absimiles: quoniam veluti illæ ad bellum, ad castrorum progressum, ad tabernaculū clangore suo convocabant: ita hæ ad certamen spirituale, ad progressum in virtute, ac sanctitatis tabernaculum excitant. Præterea quemadmodum illæ populum quoque ad sacrificium accersebant; ita etiam hæ ad sacrificium & holocaustum charitatis impellunt. De quo S. Cyprianus in Orat.

Domin. ait: *Sacrificium majus est pax nostra & fraterna concordia.* Quod vel ipse Salvator noster confirmare dignatus est, dum Matth. 5. 23. edixit: *Cum offers munus tuum ad altare, & recordatus fueris, quòd frater tuus habet aliquid adversum te; vade reconciliari prius fratri tuo. & tunc veniens offers munus tuum.* Unde liquet charitatem oblationis munere, Deo longè gratiorem accidere. Ad hoc itaque adeò præclarum. Deoque acceptum charitatis sacrificium, Exhortationes Religiosorum domesticæ, velut tubæ Evangelicæ Auditorem concitent atque impellant: & cum in finem sæpius illa suavissima Psalmi 132. verba insonent:

Yy 3

inlorent: *Ecce quàm bonum, & quàm
jucundum, habitare fratres in unum.*
Quod ut & nos non dicamus duntaxat;
sed & re ipsâ præstemus, de charitate
fraterna tractabimus.

Geminas igitur rationes, ob quas
Exhortatoribus domesticis, crebrò de
charitate fraterna agendum est, in ex-
hortatione præsentî exponemus.

I. Ratio prima, ob quàm Religiosi
crebriùs pro concione ad unionem &
charitatem fraternam sint excitandi;
ea nobis potissima videtur; quòd cha-
ritas sit Ordinis Religiosi anima &
spiritus, quo agente, fovente & me-
diante ordo nascitur, augetur, propa-
gatur & in flore conservatur quo defi-
ciente, perit & extinguitur. *Concordiâ enim res parva crescunt, discordiâ
maxima dilabuntur*, teste Sallustio.
Exhortationes autem inter præcipua
Spiritûs sancti instrumenta compu-
tantur, quibus ille in cordibus homi-
num operatur; secundùm illud Apo-
stoli Rom. c. 10. *Fides ex auditu; au-
ditus autem per verbum Christi*; ejus
prædicatio & viva vox, mirâ ad per-
mövendos animos energiâ pollet, est-
que instar seminis, quod si in terram
bonam ceciderit, admirandos produ-
cit effectus.

Quanta, obsecro, efficacia inerat
verbo & prædicationi Redemptoris
nostri, quâ mandatum novum dilectio-
nis & legem charitatis proclamavit?
Sanè antequam Apostoli & Discipuli
Domini, ac primi Christiani; legem
Christi, quæ lex amoris est, amplectè-
rentur, unii non erant, concordēs
non erant; singularis dilectio inter il-

los non erat: quàm obrem verò? Quia
mandatum Christi novum de dilectio-
ne nondum obtinuerant; quia Spiritum
Sanctum, Spiritum charitatis, verba
Christi cordibus profundius in-
sculptentem, nondum acceperant; adeo-
que domus non erant, in qua
Christus habitaret; ut testatur D. Au-
gustinus serm. 236. de temp. *Volens
Christus Dominus intrare & habitare in
nobis, tanquam edificando dicebat: Man-
datum novum do vobis, ut diligatis in-
vicem: mandatum, inquit, novum do
vobis: veteres enim eratis; domum mi-
hi nondum faciebatis, in vestra ruina
jacebatis, ergo et eruamini à vestra rui-
na vetustate, vos invicem amate.* At
ubi mandatum novum à Christo ob-
tinuere: *Hæc mando vobis, ut diligatis
invicem.* Joan. 15. 17. Atque hoc
ipsum mandatum festo Pentecostes, à
Spiritu sancto, sub linguarum ignea-
rum forma, comparente, in cordibus
eorum confirmatum, alteque impres-
sum fuit: mox Societas Apostolica &
Christiana coaluit; mox dilectio mu-
tua suscitata est, summaque unio &
concordia, Evangelistâ Lucâ disertè
attestante Act. c. 1. *Multitudinis cre-
dentium, erat cor unum & anima una:*
id est multitudine, tot etiam millia
numerante, tanta erat concordia &
animorum consensus, ut anima veluti
unica in omnibus esse videretur. *Con-
cordiâ res parva crescunt.*

Simile quid videre est, in primis
Ordinum Fundatoribus eorumque
discipulis, S. Augustino, S. Basilio,
S. Benedicto, S. Dominico, Fran-
cisco & aliis, in quorum cordibus
singula-

I.
Charitatē
& concordiā,
Religiosi Or-
dines
nascuntur,
augentur
& conser-
vantur.

singularis suscitata, atque inflammata charitas in primos socios, copiosius, ac deinde in posteros alios atque alios derivata fuit; ut vita eorum descripta perhibet; ego hinc exemplum allego S. Fundatoris nostri Ignatii, qui in manresano secessu, ex amoris incendio, in JESU pectore æstuante, copiosè flammam concepit, easque in primam sociorum suorum decadem sparsit; ex quibus nova Societas conflata, confirmata, aucta, ac per varia orbis climata, propagata fuit, de qua S. Franciscus Xaverius L. 2. Epistolarum suarum Epist. 9. scripsit: *Societas JESU nihil est aliud nisi Societas amoris atque concordia, à qua profectò acerbitas & timor servilis longissimè abhorret.* Societas amoris, ex amore, à Spiritu sancto excitata, ex amore conservata, ex amore per orbem diffusa, ad imitationem primæ Societatis Apostolicæ & Christianæ, omnis Religiosæ Societatis atque Ordinis, prototypi luculenti.

Verùm antequam primi Patres denique à S. Ignatio instituente, excitante, cohortante legem charitatis Dei & proximi didicissent; antequam exercitiis spiritualibus exculsi (in quibus, singulari ratione, Spiritu sancto afflatis, repleti que fuere) unum non erant, Societatem amoris non constabant; quia diversos sibi quisque studiorum fines præfigebat, ad diversum quisque statum aspirabat, ac munus diversum intendebat: at ubi, in exercitiis primis, Spiritus sanctus igneam illis legem charitatis impressit, ac zelo propagandæ gloriæ divinæ ac salutis animarum

succendit, mox coæluit Societas JESU, Societas amoris: quæ in magnam celeriter amplitudinem excrevit: *Concordiæ res parva crescunt.*

Haud dissimili methodo nobiscum, & cum religiosis aliis agitur; antequam in Tyrocini domum conveniremus, ut veluti furculi novi Societatis arbori in sereremur; sicut ignoti & incogniti; ita dilectione singulari destituti eramus; & sicut regionum ac terrarum spatium, ita quoque amoris affectibus se juncti vivebamus: at postquam in Sociorum album relati, a seculi sacræ exculsi, gloriæ divinæ & animarum salutis procurandæ, nos ex asse devovimus; mox amoris spiritualis vinculo colligari, & spiritu dilectionis animari at vivere incipimus; ut hodie dum per gratiam Dei cum gaudio experimur; quando tanta in Tyrocinio inter omnes viget charitas, ut fratrum germanorum amorem longè superare videatur; ubinam enim terrarum, quinquaginta, aut sexaginta Fratres, sub uno Parente, tanta possent unione charitatis vivere, sine rixis, sine contentionibus & pugnis? Grande hoc vocat miraculum S. Ambrosius L. 2. de Jacob c. 6. *Grande est intra se aliquem tranquillum esse & sibi convenire; quantum igitur miraculum, tot voluntates unius Superioris ad nutum, in rebus etiam difficilibus paratas esse; & sibi cum tot fratribus mutuam charitatem adherere?* Duo fratres Abel & Cain, inter se convenire non potuerunt; nunc multa religiosorum millia, velut agnelli, sub uno Pastore, inter se concordēs, & habentes con-

unum & animam unam, exultantes vivunt.

Hanc ergo charitatis tubam sacri influent tubicines, ad hanc charitatem Exhortatores domestici excitent: absque illa enim nec Ordo aut Societas coalescere, nec crescere, nec subsistere, nec cum fructu operari in proximo poterit; sed velut scopæ dissolutæ dissipabuntur & actum agent; ac veluti corpus inanime jacebit, nec igneo Fundatoris spiritu regetur; nec Societas amoris erit; nec domus, in qua Dominus JESUS habiter.

II.
Charitate
& concordia
sublatâ
Ordines
religiosi
evertuntur
& pereunt.

II. Altera ratio, ob quam Exhortatorum domesticorum tubæ, præcipuè charitatem fraternam commendare atque insonare debeant, ea est: quod Societas nostra (uti & alii Ordines) sine unione charitatis, omnino everti & pessundari debeat. Cùm enim Societas cohors sit, seu exercitus, cujus officium est, assiduè contra Diabolum, infidelitatem, hæresin, atheismum, aliâque monstra stygia depræliari ac bella gerere; ut liquet ex formula, seu regula prima Societatis, è primis Patribus Julio III. Pontifici oblata, ejusque bullæ inserta, quæ incipit: *Quicumque in Societate nostra, quam JESU nomine insigniri cupimus, vult sub crucis vexillo Deo militare*; nimirum contra perfidiam & impietatem: cùm & ipsum nomen Societas, gallicè cohors, militiam sonet: palàm est eam absque charitate non posse consistere: quem enim latet, summam si uspiam aut ullibi, certè in militia ac pugna, necessariam esse unionem, concordiam & charitatem? illa enim si

adit, exercitus hosti formidabilis est, & facili negotio victoriam reportat illa si desit, actum est de milite, actum est de victoria, nihilque restat, nisi ut legiones, cohortes, milites, inter se dissidentes, ab hoste debellantur, trucidentur, & penitus conterantur. Secundùm illud Sallustii: *Discordia res maxima dilabuntur.*

Ordo quivis, uti & Societas nostra, acies & phalanx est sub Rege ac Duce Christo militans, qui est *Princeps pacis*, Isaia c. 9. 6. *Est quoque* (ut loquitur S. Cyprianus tract. de orat. domin.) *Doctor pacis, & unitatis magister, qui servos & milites suos, nascens, vivens, moriens, & in celo post mortem regnans, pacem & charitatem docuit.* Semper enim in iis pacem vigere voluit; ideoque toties eandem apprecatus est, dicens: *Pax vobis* Semper charitatis vinculo arctissimo colligatos desideravit: hinc Patrem cœlestem rogavit: *Ut sint unum, sicut & nos.* Si hæc pax, unio, concordia & charitas regnet in Ordine nostro (& quovis alio) Deus protector noster & adiutor est, cujus auspiciis stygias phalanges feliciter debellamus: quod si verò animorum unio & charitas dissolvatur, hostium deprædationi objiciemur, per partes conteremur, atque ita paulatim omnes, aut mutuis inter nos armis confodiemur, aut hostili ferro jugulabimur, conculcabimur, ac dissipabimur.

Quàm hæc animorum unio inter Fratres, omnia noxia eliminat, mala expellat & arceat: ac Dæmoni aditum occludat, præclare S. Gregorius

Hom.

Hom. 8. super Ezech. exponit : *Scimus & liquido constat, quia castrorum acies tunc hostibus terribilis est, quando ita fuerit constipata atque densata, ut in nullo loco interrupta videatur. Nam si ita disponitur, ut locus vacuus, per quem hostis possit ingredi, dimittatur; profectò jam suis hostibus terribilis non est. Et nos ergo cum contra malignos spiritus spiritualis certaminis aciem ponimus, summopere necesse est, ut per charitatem semper uniti & constricti, nunquam interrupti per discordiã inveniamur: quia si qualibet bona in nobis opera fuerint, si charitas desit, per malum discordia, locus aperitur in acie, unde ad feriendos nos hostis valeat intrare. Antiquus verò inimicus castitatem in nobis, si sine charitate fuerit, non timet; quia ipse nec carne premitur, ut in ejus luxuria dissolvatur. Abstinentiã non timet, qui ipse cibo non utitur, quoniã necessitate corporis non urgetur. Distributionem terrenarum rerum non timet, si eidem operi charitas desit, quia divitiarum subsidiis ipse non eget. Valde autem in nobis charitatẽ veram, id est, amorem humilem, quem nobis vicissim impendimus timet; & nimis concordia nostra invidet; quia hanc nos tenemus in terra, quam ipse tenere nolens amisit in cœlo. Hærenus S. Gregorius. Damna verò discordiæ, exempla nimis luculenta comprobant.*

Quamdiu pax & concordia regnavit in cœlo, omnia rectè gerebantur: at exortã in exercitu angelico discordiã, *Factum illico est prælium magnum in cœlo. Militiæ cœlestis Archistratego S. Michaële cum Angelis fidelibus,*

contra Luciferum ac rebelles spiritus pugnante; quo in certamine tertia pars stellarum, id est Angelorum, cum Lucifero cecidit, atque in Tartarum præcipitata est. Quando in Collegio Apostolico oriebatur contentio, *Quis eorum videretur esse major: Christus Dominus mox eos compescuit; ne à divisione, maxima ipsis & Ecclesiæ orirentur detrimentum.* Quando magnum Cyprianum inter & Stephanum summum Pontificem enata erat discordia, licet intentione utrimque bonã; Ecclesia Catholica contremuit; at Deus O. M. S. Cyprianum glorioso martyrio cirò ad se abripuit. Quando A. R. P. Claudium Aquavivam, licet cæteris ætate juniorem, Societas elegit Præpositum Generalem; nonnulla ex Hispania, turbulenta capita, id ferre nequiverunt; sed dolis & fraudibus Philippum Hispaniæ Regem, & Inquisitorem Generalem, atque ipsum ad eò Pontificem Sixtum V. contra Societatem conciliavere. At Claudius patientiã invictã, ac singulari in Deum fiduciã, superavit omnia; donec concordia Societatis voto, Rege annuente pacis turbatores, tanquam putrida membra, à Societatis corpore abscissi, eicæque sunt. Atque ita Societas stetit inconcussa, aliàs convellentia: quia *Discordiã res maximè dilabuntur.*

Omne regnum in seipsum divisum, desolabitur, & domus supra domum cadet, at Salvator Lucæ c. 11. 17. Ordo religiosus (Societas) regnum spirituale est; in quo quamdiu florebit unio & concordia, feliciter gubernabitur & stabit: hæc deficiente, deso-

labitur & corruet. *Concordia res parva crescunt, discordiâ maxima dilabuntur.* Religio pulchra, optimeque ordinata domus est, at tolle ex ea calcem, lapides connectentem, id est animorum unionem, & in acervum lapidum, dissolutamque congeriem illico definet, Religio navis est bene compacta, & contra tempestates procellaque munita, rectâ ad portum cœlestem navigans; at excitatâ inter nautas, remigesque discordiâ, & his ad Orientem cogitantibus, illis ad Occidentem vela vertentibus, quem obsecro, tandem portum obtinebunt? adumbravit id symbolo elegante Scilurus, Scytharum Rex, qui cum jam moriturus, filios superstites octoginta relinqueret, afferri singulis fasciculum iussit, ut si possent, frangerent; quod cum ipsi facere se posse negarent, distractis pederentim fascibus singulis, exemptisque fustibus, totam facile contrivit molem: significans concordem germanos fore invictos; contra vero discordes nullo negotio, à quovis debellandos. *Causinus in symb. L. 3. n. 60.*

Resonet igitur sæpenumero in auribus nostris tuba hæc argentea: *Ecce quàm bonum & quàm jucundum habi-*

tare Fratres in unum. Ecce quàm bona, quàm pulchra, quàm honesta, quàm jucunda & delectabilis unitas, pax & concordia Fratrum, in Ordine Religioso, in Societate JESU, spiritu charitatis nata, aucta, amplificata, & per orbem terrarum diffusa. quod fieri nequivisset nisi ductrice & promotrice charitate: *Concordiâ enim res parva crescunt.* Dum enim cor unum & animam unam habemus, ac amore charitatis vinculo, quàm Fratres germani, colligamur, & in pace ac tranquillitate simul læti degimus. Resonet hæc tuba, & quidquid animos dividere ac sepatare natum est, eliminet; quin & ad indivisam, stabilemque dilectionem nos excitet; ut tanquam vir unus, & miles unus, cohors una, & exercitus unus, sub Christi Regis nostri ac Principis pacis, labaro strenuè militemus: & contra Diabolum, mundum, carnem, cæteraque stygias turmas fortiter dimicemus; ne si discordiâ divisi fuerimus, ab hostibus turpiter sternamur, conculcemur, & perimamur; *Discordiâ enim res magna (quas inter Religio meritò censetur) dilabuntur, dissipantur & annihilantur.*





EXHORTATIO III.

De bonitate & jucunditate charitatis fraternæ.

T H E M A.

*Ecce quàm bonum & quàm jucundum habitare
fratres in unum. Psalm. 132. 1.*

Vel ex Regula.



Psalium hunc, Sanctimoniam & Doctrinam eminentissimum Cardinalis Bellarminus, à Regio Vate compositum eo sine arbitratur, ut à Judæis ex captivitate reversis, & reedificatâ Urbe ac templo, in unum populum, absque schismate, coadunatis decantaretur: aspiciebant enim sese, coram arca reperta; sibi congratulabantur & præ lætitiâ ac suavitate applaudebant, dedicationis templi festum celebrantes. Sanctus verò Hilarius unâ cum aliis, psalmum istum fidelibus omnibus Christianis accommodatum autumat: quid enim melius & jucundius, quàm Provincias, Urbes, familias, Domos, Domuumque personas, fratrem cum fratre, Parentes cum liberis, uxores

res cum viris sincerâ charitate inter se unita contueri? At S. Augustinus & S. Hieronymus, dictum psalmi versiculum, religiosi domicillis ac personis convenientius adaptant: *Ecce quàm bonum, & quàm jucundum habitare fratres in unum.* Quinam enim magis cohabitant in unum, quàm Religiosi: quibus una & eadem domus; una mensa; una vestis, unum nomen; una regula; unus Fundator & Parens, unus Prælatus; unus & idem amicus, & hostis, ac denique unus, idemque finis ac scopus?

Quàm igitur bona ac jucunda sit illa Religiosorum simul viventium unio charitatis, in præsentî perpendemus.

I. *Ecce quàm bonum.* Reperiuntur aliqua, quæ sunt bona, at non jucunda: ut labor pœnitentiæ; aliqua sunt

I.
Fraternæ
charitatis
bonitas.

sunt jucunda, sed non bona, ut voluptas peccati: Verùm in concordia & pace fratrum simul habitantium, bina illa reperiuntur conjuncta: *Ecce quàm bonum & quàm jucundum habitare fratres in unum*: nam virtus unita major est fortiorque, ac melius custoditur; quod pertinet ad utilitatem: & ubi per charitatem multi sunt cor unum & anima una, unusquisque gaudet de bono alieno, non minus quàm de proprio, quod pertinet ad jucunditatem. Sed examinemus primo loco bonum seu titile, ac simul honestum, quæ hîc coïnexa cernimus.

1. *Ecce quàm bonum, quàm honestum, quàm utile, fratres habitare in unum & sincerâ uniti charitate.* Primum bonum hinc resultans est, quod tales Fratres Religiosi templum sint Dei, in quo per charitatem habitat. Testatur id dilectus JESU Discipulus Joannes c. 4. 16. *Deus charitas est & qui manet in charitate, in Deo manet & Deus in eo.* Manet in Deo, tanquam amans in amato; & vicissim Deus manet in eo tanquam in dilecto, tanquam in gratissimo palatio, tanquam in ornatissimo templo. *Vos enim estis,* inquit Apostolus 2. Corinth. 6. 16. *templum Dei vivi: sicut dicit Deus, quoniam habitabo in illis.* Et Corinth. 3. 16. *Nescitis quia templum Dei estis; & Spiritus Dei habitat in vobis.* Sed non habitat Spiritus Dei in ullo, qui caret charitate: *templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.* L. c. v. 17. Quænam autem sanctitas sine charitate? Spiritus sanctus in Pentecoste capitibus Apostolorum insidens, cum il-

lis se uniebat, & omnes sibi invicem conjungebat, tanquam si omnium anima foret; illos animans, movens, & corroborans: ad eos autem venit atque in illis ceu templo suo habitavit, totam domum implens: quia erant omnes pariter, ὁμοθυμαδόν, unanimiter, in eodem loco. Nunquam ad eos venturus, si odiis, inimicitiasque mutuis discedissent:

2. *Ecce quàm bonum fratres habitare in unum.* Alterum bonum est Deum non solum manere in nobis, sed nos etiam manere in eo: *In Deo manet, & Deus in eo.* Ubi enim fratres Religiosi charitate conjuncti sunt, cum Deo quoque uniti connexique existunt; adeoque S. Cyprianus in Epist. de unitate Ecclesiæ docet: justos ac charitate præditos, *habere unionem cum Deo, ut radios cum sole, rivulos cum fonte, ramos cum radice.* Radii inter se & cum sole uniti rutilant, separati intereunt: rivuli cum fonte & inter se uniti jugiter scaturiunt, agros & campos fecundant, sejuncti exsiccantur & deficiunt: rami inter se & cum radice connexi, flores, fructusque proferunt, præcisi exarescunt. Ita pariter fratres habitantes in unum, boni exempli radios longè lateque dispersunt; gratiarum rivulos diffundunt; & virtutum omnium flores ac fructus producant.

3. *Ecce quàm bonum.* Tertium bonum quod charitas fraternas adfert; est cumulus omnium bonorum: *Charitas enim ut scribit D. Augustinus serm. de S. Stephano est omnium fons & origo bonorum: munimen egregium & via*
quæ

qua ducit ad caelum. D. Thomas illud Jeremiae c. 7. 7. Judæis dictum: *Habitabo vobiscum in loco isto*, consideras, varios assignat modos, quibus Deus cum justis habitat 1. Per fidei constantiam. 2. Per præceptorum obedientiam. 3. Per contemplationem. 4. Per fraternæ charitatis concordiam: ait enim Matth. c. 18. 20. *Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio eorum*. Si igitur talis tantusque Dominus habitat in nobis, & sit in medio nostrum: Quid à tali Domus incola sperandum non erit? Aut quid mali, adversusque accidere nobis poterit? Merito sanè de charitate dixerimus, quod Sapiens de Sapientia: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa*.

At quænam illa? Recenset ea ex parte Basilii in Constit. Monast. c. 19. *Hæc Fratrum, inquit, unio charitatis est natura redintegratio, status innocentiæ restitutio, via Apostolica imitatio, & Angelica vivenditatio*. Deinde de religiosis in unum habitantibus & vitæ communionem, consociationemque amplexis bona & commoda plurima enumerat. *Hæc est, inquit, perfectissima vita communio (& unio) à qua privata omnis rei cujusque est eliminata possessio: à qua omnis dissensio, perturbatio & contentio abest: contraque universa communia animi, mentes, corpora: communis Deus, communis salus, communia certamina, labores, premia & corona. Ubi multi unus, & unus non solus; sed in pluribus: Denique in hujus vitæ & unionis encomia prorumpit; dum ait: Quid hæc conjunctione, uni-*

zate & necessitudine aptius excogitari? Quid mirum inter semorum, animorumque contemperatione gratiosius fingatur? Homines ex diversis nationibus & regionibus profectos, per exactam morum & disciplina similitudinem, adeo in unum veluti coaluisse, ut in pluribus corporibus, unus modò esse animus videatur; vicissimque plura corpora, mentis unius instrumenta cernantur. Hactenus Basilii.

4. *Ecce quàm bonum*. Quartum bonum ex unione charitatis fraternæ profuens est, quòd sit signum æternæ prædestinationis & electionis ad gloriam cœlestem: & quidem certum ac securum: testatur id S. Evangelista Joannes in Epist. 1. c. 3. v. 14. *Nos scimus, quia translati sumus de morte ad vitam, quia diligimus Fratres*. Nos scimus, nos certi, securique sumus; hoc enim signum est infallibile: veluti ex adverso, odium, inimicitia, rancor & hujusmodi capitalia vitia, certum reprobationis æternæ præbent indicium: nam *qui non diligit, manet in morte*, ait idem S. Joannes L. c.

5. *Ecce quàm bonum*. Quintum bonum, prædicta confirmans, est, quòd charitatis fraternæ unio, si nota & character filiorum Dei. Teste Veritate æterna Matth. c. 5. 9. *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur*. Et Epist. 1. Joann. c. 3. 10. *In hoc manifesti sunt filii Dei & filii diaboli: omnis qui non est justus, non est ex Deo, & qui non diligit fratrem suum. Quoniam hæc est annuntiatio, quam audistis ab initio, ut diligatis alterutrum*. Deinde est testera & signum distinctivum Discipulo-

rum Christi: ut desertè asseverat idem Dominus Joan. 13. 35. *In hoc cognoscent omnes quod discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.*

Verè igitur bonum, & multiplex bonum est, Fratres Religiosos inter se charitatis & pacis funicularis colligatos degere, & unitatem fovere. Tales enim templum vivum Dei existunt; in quo Deus manet, & ipsi in Deo: tanquam radii in sole, tanquam rivuli in fonte, tanquam rami in radice: locupletantur omni bonorum genere, prædestinationis felicis ætæ, notam filiorum Dei, & Christi discipulatus signum manifestum circumferunt.

I.
Charitas
fraternæ
jucunditas.

II. *Ecce quàm bonum & quàm jucundum habitare fratres in unum.* L. c. Neque enim magnam duntaxat utilitatem parit hæc Fratrum concordia, sed ingentem quoque jucunditatem affert, *Ecce quàm jucundum!* S. Hieronymus cum Hæbræis, vertit: *Quàm decorum.* Chaldæus: *quàm dulce.* Syrus: *quàm pulchrum:* Septuaginta Interpretes: *quàm delectabile & jucundum.* Quibusnam verò hæc Fratrum unanimis cohabitatio jucunda accidit? Responsio in promptu est: scilicet, Deo, Angelis, Superioribus, atque ipsis potissimum Fratribus.

I. Fraternalis charitas, jucunda ac grata est Deo. O. M. In quo enim Deus pacis delectabitur magis, quàm in cordibus pacatis? Deus charitas est: in quo autem charitas jucundabitur magis; quàm in animis charitate conjunctis? Deus unus & unitas est: in quo unitas, magis recreabitur, quàm in Fratribus dilectione unitis? Simi-

lis, simili gaudet: & similitudo est mater amoris. Confirmat hoc propositum Spiritus sanctus Eccli. c. 25. I. *In tribus, inquit, placitum est spiritui meo, quæ sunt præbata coram Deo & hominibus: concordia Fratrum, & amor proximorum & vir & mulier bene consentientes.* In his ergo Deus ratione singulari complacet sibi; in his tanquam in horto voluptatis se recreat & oblectat.

2. Fraternalis concordia, Angelis jucunditatem & delectationem affert; quemadmodum enim ipsi in cælo, summâ charitate sunt conjuncti; & unus quodammodo spiritus, una mens, una voluntas; ita nos in unione charitatis, sibi similes videre gaudent. Præclarâ id stabilit & ostendit sententiâ S. Bernardus serm. in festo S. Michaelis, *Sunt purissima, quæ eis (Angelis) placenti; & quæ in nobis invenire delectat; ut est, sobrietas, castitas, paupertas voluntaria, &c.* Attamen super omnia hæc, unitatem & pacem à nobis exigunt Angeli pacis. Econtra verò nihil æquè offendit, & ad indignationem provocat eos, quomodo dissensiones & scandala. Addit deinde idem Mellifluus Doctor. *Nunquid diligemur ab illis propter naturam spirituales similitudinem, si invenimur nos diligere, humana natura nostra consortes? Imò verò si ex eis, quæ inter nos sunt, contentionibus, carnales nos magis quàm spirituales esse constituerit? Denique nunquid Angeli diligunt nos propter seipsos, & futuram de nobis, civitatis suæ restorationem; si (quod absit) unum, quo solo uniri, & edificari eis possumus, defuerit*

fuerit glutinum charitatis: Quomodo sperabunt reedificandos de nobis, perpetuos civitatis illius muros, si cognoverint, si viderint, nos non lapides esse vivos, qui possint invicem coherere; sed magis pulverem, quem prosiit ventus a facie terre; quem unius verbi flatus in turbinem agit, & suspensionis cuiuslibet levissima aura differgat?

3. Fraternal dilectio plurimum Prælatos ac Præfides recreat: sicut enim in sæculo parentibus carnalibus, fratrum concordia amœna est & jucunda; ita in religione Superioribus ac Patribus Spiritualibus, mirè grata & delectabilis accedit. Quod unice desiderabat Apostolus ad Philip. c. 2. 2. *Implete, inquit, gaudium meum, ut idem sapiatis, eandem charitatem habentes, unanimes, id ipsum sentientes: nihil per contentionem; nihil per inanem gloriam; humilitate superiores sibi invicem arbitantes: non qua sua sunt singuli querentes, sed qua aliorum.* Idem gaudium expetebat, percipiebatque in fratribus suis maximam charitatem conjunctis, laudatus ante S. Abbas Bernardus, non sine animi jucundatione interrogans serm. 2. festo S. Michaëlis: *Qua enim est spes nostra & gaudium nostrum & corona gloria? Nonne unitas & unanimitas vestra, in qua gaudeo vos inveniri fraternitatis amatores, & ante omnia mutuam in vobismetipsis, charitatem habentes; quæ est vinculum perfectionis. In hoc enim cognoscunt omnes, etiam Angeli sancti, quod Christi estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem.*

4. Denique ipsis etiam Fratribus

maximum ac suavissimum gaudium creat concordia: *Ecce quam jucundum, habitare fratres in unum.* Ille versus, ait S. Augustinus hinc, *tuba fuit, innumerales convocans, atque ad vitam cœnobiticam invitans: ista verba psalterii, iste dulcis sonus, ista suavis melodia, tam in cantico, quam in intellectu, monasteria peperit: ad hunc sonum excitati sunt Fratres, qui habitare in unum ceperunt.* Unde enim oritur gaudium & lætitia, nisi ex charitate; unde suavitas & dulcedo nisi ex mutua dilectione. Proinde rectè idem S. Augustinus tract. 87. in Joan. ait: *S. Paulus cum commendare vellet fructus spiritus, à capite hoc posuit: Fructus, inquit, spiritus, charitas est; ac deinde cetera, tanquam ex illo capite exorta contexuit; qua sunt, gaudium, pax, longanimitas, benignitas, bonitas.* Charitas igitur instar arboris est, ex qua fructus dulcissimus gaudii & pacis nascitur. Quid enim obsecro jucundius, quid amœnium, quid dulcius, quam mutua fratrum sincerè & sanctè sese diligentium conversatio, recreatio, confabulatio, consolatio? *Quæ melancholiam dissipat, tristitiæ nebulas discutit, laborem levat, onus omne suave reddit.* Si itaque mœrorem depellere, si laborem lenire, si morbi dolorem mitigare aveas; ad charitatis delicias confuge: *Charitas enim cum lucro voluptatem ingentem habet, laborem nullum.* Teste S. Chryostomo serm. 33. in Epist. 1. ad Corinth. Si animum studiis aut curis fessum relaxare cupias, ad amicitiam charam, amicamque charitatem propera: *Nihil aquè oblecta-*

oblectaverit animum, quàm amicicia fidelis. Seneca lib. de tranquill. ani. c. 7. Si in adversis, in angustis, in dubiis, in periculis, in ariditatibus & tentationum procellis solatium quæris; ad charitate conjunctos accurre, & invenes: *Amicus enim fidelis, est solatii portus,* inquit S. Gregorius Nazianzenus orat. 6. Verbo, *Frater, qui adjuvatur à Fratre, quasi civitas firma,* ac probè munita, Prov. c. 18. 19. In qua habitantes, se mutuis consiliis, auxiliis, solatiis adjuvant. Ubi Fratres in unum habitant, Collegium aut Domus voluptatis paradus est: ubi Fratres dissident animis, odiisq̃ & aversionibus laborant, squalidus carcer est, & ergastulum jurgiorum, rixarum, adversitatis, mœroris, tædi, acerbitalis & amaritudinis: & paucis multa complectar; viva inferni imago.

Quapropter, Dilectissimi, quandoquidem unio & charitas mutua Fratrum, tanta bona parit; ante omnia mutuam in nobismet ipsis charitatem teneamus, foveamus, augeamus & conservemus. Hæc enim nos moraliter velut membra compaginat: hæc unum quodammodo corpus, unum spiritum, & animam unam conflat, & velut innocentæ statui optatissimo restituit. Hæc Deum in nobis, ac nos in Deo manere efficit, nosque in templum, in palatium ac domicilium ejus

consecrat. Hæc nos in fillorum Dei & discipulo um Christi dignitatem elevat: hæc in dubiis consilium, in necessitatibus opem & auxilium præbet; omniumq̃ bonorum operum, meritorem ac coronarum participes reddit. Deinde quoniam charitas & unio fraterna, lætitiæ & jucunditatis copiosus fons est; eam vel in minimo lædere refugiamus: hæc enim, ut vidimus, Dominum Deum nostrum exhilarat & oblectat; hæc sanctos Angelos lætificat & recreat: hæc Superioribus ac Prælatibus gaudium & levamen creat; hæc Fratribus omnibus & singulis, pacem & lætitiã, recreationem & consolationem, omniumque molestiarum & difficultatum lenimen præstat: & quomodo discordia, ira, odium, aversio mutua animorum, turbas, contentiones, rixas, millenasq̃ miseras & calamitates in Domum Religiosam invehit; sic charitas, pax, unio, & concordia, eam in portum solatii, in domum refugii, tranquillitatis & securitatis; in hortum & paradusum deliciarum, voluptatumq̃ convertit. Habitemus ergo, tanquam Fratres germani, & longè ampliùs, in unum; indissolubili charitatis glutino connexi; excluso omni, quod divisionem causare natum est: & omnibus prædictis bonis ac jucunditatibus abundè perfruemur.





REGULA XIX.

De Operibus Humilitatis & Charitatis.

EXHORTATIO I.

Utilitatem Operum Humilitatis & Charitatis demonstrat.

T H E M A.

Induite vos ergo sicut Electi Dei, Sancti & dilecti, viscera misericordiae, benignitatem, humilitatem. Super omnia autem charitatem habete. Ad Coloss. c. 3.

V E L :

Magnopere conferet ea munia obire, in quibus magis exercetur humilitas & charitas. Reg. 19.

LUcæ cap. 19. insignem legimus parabolam, à Salvatore nostro propositam, Christianos omnes, ac potissimum Religiosos ad negotiationem spiritualem strenuè exercendam mirificè excitantem. *Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam, accipere sibi regnum & reverti: vocatis autem servis suis, dedit illis decem mnas.* Id est minas, sive talenta, quo-

rum unum centum drachmas seu julios Italicos, aut regales Hispanicos, aut schilingos Brabanticos continebat. Et dixit: *Negotiamini dum venio. Et factum est, ut rediret accepto regno, lucrique rationes exigeret: Et accedens servus primus, dixit: Mna tua decem mnas acquisiuit.* Cui Dominus ait: *Euge serve bone, quia in modico fuisti fidelis (in unâ scilicet mnâ) eris potestatem habens super decem civitates.* Id est, pro uno centum, imò mille recipies, Homo nobilis, ut exponit

A a a nit

nit S. Basilius in catena, est Christus Dominus, qui tam secundum Divinitatem quam humanitatem, utpote ex Regio Davidis sanguine ortam, nobilis est. *Hic abiit in regionem longinquam*, in caelestem patriam, *accipere regnum & reverti*, in die Iudicii ad exigendam cuiusque hominis rationem. Interea vocat servos suos, singulis mnam suam dispartiens, id est, gratiam vocationis tribuens, quâ concessâ, ait: *Negotiamini dum venio*: Habetis pecuniam, habetis occasionem lucrandi, nemo mnam suam in terram defodiat; aut in sudario otiosam reponat: sed *negotiamini*, & lucra ingentia pro aeternitate vobis comparate. Tota vita vestra sit negotiatio & mercatura, à manè ad vesperum: mercatorum instar, dies integros in officinis suis consistentium lucroque inhiantium. Lucra quaerite, non auri & argenti, non panni serici, aut holoserici, sed meritorum, sed operum bonorum, pretiosarumque virtutum. Et veluti in mercibus nonnullis simplex duntaxat est lucrum, in aliis verò duplicatum; easque propolæ divendunt gustu majore: pari ratione in negotiatione spirituali opera quaedam simplex tantum pariunt lucrum, ut opera humilitatis: alia duplicatum, ut humilitatis exercitia & charitatis simul; proindeque hæc devotione majori arripienda.

Multiplex autem hoc lucrum in præfenti declarabimus.

I. Prænotandum est: opera quamquam esse humilitatis tantum, alia charitatis tantum; alia humilitatis & charitatis simul. Humilitatis tantum ea sunt

opera, in quibus sola exercetur humilitas: ut indui vestimento viliori; vicatim ostiatimque stipem cogere; aliorum pedes suaviari. Charitatis tantum sunt ea, quibus sola exercetur charitas: ut conversari cum Magnatibus ex charitate: ex ambone ad populum confertum dicere; excipere homologeses Principum, illustriumque Personarum; Theologiam docere: Rectoris munus obire & similia. Opera humilitatis & charitatis simul sunt, pueris & rudi plebeculæ Doctrinæ Christianæ elementa tradere; infirmis inservire; peregrinorum pedes abluere; egenos desolatósque consolari; pauperibus in atrio cibos distribuere; ministrare ad mensam accumbentibus; in coquina cibos parare; panem scindere; lances tergere; denique vestes calceosque conficere; aliâque per multa. Hæc autem esse opera humilitatis, vel ex eo liquet, quod tenuioris conditionis homines in mundo ea obire soleant; statûs verò sublimioris ab iis abhorreant: quod si verò principalis, aut illustrior quæpiam persona eadem frequentet; stupeant & mirentur mortales, eamque plurimum sese demittere arbitrentur. Eadem quodque esse opera charitatis, ex eo constat, quod opera sint misericordiæ vel corporalis, vel spiritualis; ac proinde si ex vera interiori charitate proficiantur, charitas exhibeatur; & quidem longè tutius, quam in operibus illustrioribus, aut coram mundo splendidis: in his enim ex fumo admixtæ opinionis honoris, nervus charitatis, aut humilitatis non raro eliditur; in illis verò vanitatis periculum est remotius. Ideoque verè S. Fundator noster

noster in Regula præfente afferit: *Magnopere confert devotè sa munia obire, in quibus magis exercetur humilitas & charitas*: id est, plurimum juvat, ingentia lucra parit, utilitatè que magnas adfert, has geminas virtutes ubicunque licet, combinare. Atque ut id ipsum devotè, id est, prompto, alacri, libentique animo præstemus: utilitates hæc expendemus, & veluti totidem mnas acquirere studebimus.

II.
Eorundem
decem-
plex utili-
tas.

II. Obtentâ à Domino vocationis Religioe mna, oblatisque indè crebris Indies lucrandi, negotiandique opportunitatibus, extemplo, multas mnas, sive utilitates ac lucra nobis comparamus.

1. Prima itaque mna seu utilitas, ex operibus humilitatis ac charitatis acquisita; est liberatio ab inferni pœnis, atque à fulmine sententiæ terribilis, æternæ damnationis. Patet hæc veritas ex ore ipsiusmet æternæ Veritatis. Matth. c. 25. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum, à constitutione mundi: esurivi enim & dedistis mihi manducare; sitivi & dedistis mihi bibere, &c.* Deinde opera memorata emittentibus, quid præstolandum? *Tunc dicet & his, qui à sinistris erunt: discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis ejus: esurivi enim & non dedistis mihi manducare: sitivi & non dedistis mihi potum: infirmus & in carcere eram, & non visitastis me.*

2. Secunda mna & utilitas, est remissio pœnæ temporalis, peccatis nostris debitæ, tam in vita præfenti, quam in flammis purgantibus. Quam ut asse-

queretur Rex Nabuchodonosor, hoc ei à Daniele Propheta suggestum consilium, Dan. c. 4. 24. *Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum.* Eleemosyna enim redimit peccata, primò, quia peccatorem disponit ad gratiam, & ad peccati remissionem; eamque instar orationis à Deo emeretur & impetrat: secundò, quia remissâ culpâ, meretur ex condigno remissionem pœnæ reliquæ. *Charitas enim operie multitudinem peccatorum.* 1. Petri 4. 8.

3. Mna & lucrum est, major cum Deo conjunctio: per hujusmodi enim opera arctius Deo astringimur; cû nque erga Deum liberaliores nos exhibemus; eum quoque vicissim erga nos experimur liberaliorem: dum copiosiora in nos dona spiritualia effundit: quod motivum in Regula hac insinuat Sanctus Ignatius: & Redemptor noster apud S. Lucam c. 6. 33. confirmat: *Date & dabitur vobis.*

4. Mna & emolumentum, est ædificatio proximorum; dum eos exemplo nostro ad similia humilitatis & charitatis opera excitamus. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in calis est.* Matth. c. 5. 16. Si Religiosi Seniores facem non præferrent, an non in caligine ambularent juniores? Si Tirones veterani non prælucere novellis; quanto id illis detrimento foret? quemadmodum igitur præcedentes præluxere vobis; ita vos quoque prælucere oportet iis, qui recenter è mundo appulere; & erit utrisque lucrum ingens, Deique gloria.

5. Mna quæ acquiritur, est magna dignitas hominis Religiosi, dum Domino Deo suo assimilatur: Dei enim natura est omnibus benefacere, omnibus sese liberalem ac misericordem exhibere; qui jubet *Solem suum oriri super bonos & malos*. Unde S. Gregorius Nazianzenus verè asseruit: *Nihil tam divinum habet homo, quàm de aliis bene mereri; charitatis & humilitatis opera exercendo*. Idcirco Christus Dominus toties Patrem cælestem monstrans & tanquam prototypum proponens: *Estote ergo & vos, inquit, perfecti; sicut Pater vester cælestis perfectus est*. Matth. c. 5. 48. Et Apostolus: *Nemo quod suum est, quærat; sed quod alterius*. 1. Corinth. 10. 24. Adverterat enim, omnes, quæ sua sunt, quærare, suum quæstum, suum lucrum, suam crumenam, suum commodum; quemque suis adesse rebus, neminem alienis: hoc autem est filium, à Patris cælestis genio turpiter declinare.

6. Mna. Effigies & similitudo Christi Regis sui evadit: Quis enim illustriora humilitatis & charitatis exempla præbuit illo? *Exemplum*, ait, *dedi vobis; ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis: Si ego lavi pedes vestros, Dominus & Magister: & vos debetis alter alterius lavare pedes*. Joan. 13. Luculentum est, in hanc rem testimonium Sancti Chrysostomi tom. 4. homil. 25. in 1. Corinth. 11. scribentis: *Nihil nos adeò potest Christi imitatores efficere, ut erga proximum cura: licèt sejunando & humi cubando corpus maceraveris, nullam autem proximi curam habueris, nihil egregium feceris; sed adhuc longè ab hujusmodi abfueris imitatione*. Tu igitur,

mi frater, quamvis fame conficiaris, quamvis humi jaceas, quamvis cinerem comedas, quamvis semper lacrymis mædeas, si nihil cuiquam proficias, nihil magnum facis. Hinc ille toties: Omnia vestra in charitate fiant. 1. Corinth. 16. 14.

7. Mna est assimilatio SS. Angelorum; qui in his operibus exemplo nobis sunt: licèt enim longè nobilioris sint profapia, quàm nos, libenter tamen nobis ministrant & serviunt: *Nonne omnes sunt administratorii Spiritus, in ministerium missi eorum, qui hereditatem capiunt salutis?* Hebr. c. 1. 14. Non illis vile est, sensili luto ministeria sua consecrare: non dedignantur crepundiis nostris pervigiles interesse; cum tamen ex eo minimum commodi aut voluptatis hauriant: una atque unica Dei voluntas eos ad ista ducit servitia: quia sic visum Deo, idèd res nostras vigilantissimè curant. Hoc pacto Sanctus Archangelus Raphael è primis aulae cælestis Principibus, *unus ex septem, qui astant ante Dominum*, Tob. cap. 12. 15. Sex hebdomadam spatio Tobiaë famulum & mercenarium agit; cum eo iter facit, jumentorum curam gerit, humano more cibum potumque sumit, huc illucque se mitti sinit; verbo, exactissimè omnia præstat Mediasini ejusdam servitia, non suo, sed illius commodo: pari igitur modo & nos, si opera humilitatis & charitatis proximo alacriter exhibuerimus, Angelorum similitudinem exprimemus.

8. Mna est imitatio & assimilatio Virorum Sanctorum. Sanctus Paulus Apostolus, omnibus obsequia sua humillimè detulit; nam Roman. cap. 1. 14. & 1.

Corinth. cap. 9. 19. ait : *Gracis & Barbaris, sapientibus & insipientibus debitor sum : nam cum liber essem ex omnibus, omnium me servum feci, ut plures lucrifacerem : omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos ; cum Judais Judais, cum infirmis infirmus ; Omnium servus, omnium ultrò debitor, obsequii & officii erga omnes plenissimus. Pari ratione Sanctum Franciscum legimus servientem leprosis ; Sanctum Rochum ministrantem pestiferis, Sanctum Gregorium Magnum ad mensam accumbentibus pauperibus inservientem. Similia legimus in vitis Sanctæ Elisabethæ Reginae Portugalliae, & Margarithæ Reginae Scotiae, quæ trecentis quotidie pauperibus maternâ benignitate dapes præbere ; flexis genibus, in morem ancillæ, ministrare, regis manibus pedes abluere, & pressis etiam oculis ulcera fovere, solemne habuit : ut Lectiones 2di Nocturni in festo ejus perhibent. Præfuit quoque nobis exemplum primorum Patriarcharum nostrorum, Romæ, Venetiis, & alibi ; ubi in Nosocomiis & Hospitalibus servivère infirmis, cum stupore & lacrymis spectatorum. Tannerus pag. 15. Horum vestigia legendo, facinorosa æmulando, Sanctis ipsis assimilabimur.*

9. Mna est profectus in humilitate & charitate : *Nunquid non humiliatio via est ad humilitatem, sicut patientia ad pacem ?* Querit Doctor Mellissus, Epist. 87. sub finem. Si ex charitate te deprimis & humiliaris, perfectissimè humiliaris : charitas enim omni actui virtuoso suam perfectionem addit ; &

multo verius, quàm Mydæ Regis virgula, inaurat omnia ; cunctaque opera nostra Deo & Christo Domino nostro quàm acceptissima reddit ; ita ut ea ipse non aliter ac sibi exhibita acceptet : *Amen dico vobis, quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Matth. c. 25. Crescit igitur humilitas, crescit charitas ; nam in ejusmodi humilitatis & charitatis obsequiis, cuncta quæ in homine sunt humiliantur. Intellectus inprimis, qui non rarò se elevat, & magnum censet, hic nihil se esse clarè perspicit. Voluntas alias res viles & abjectas tantopere restigens, nunc eas Spiritu divino & charitate ducta, libens amplectitur. Memoria, quas videt in homine miseras, recogitando, & phantasia apprehendendo deprimitur. Visus cum reliquis sensibus videndo & tangendo ulcera, & sordes, quæ tractat, & quibus obnoxios nos esse cognoscimus, humiliatur. Auditus excipiendo gemitus & ejulatus infirmorum ; odoratus percipiendo fœtores : anima tota considerans sui abjectionem ad res hujusmodi, quæ tamen creata est ad gloriam Dei, habet unde se humiliet propter Deum. Corpus denique humiliatur & debilitatur propter assiduos labores, hiæ in ministeriis occurrentes : atque ita ingens humilitatis augmentum obtinetur.

10. Mna est incrementum meriti, gratiæ & gloriæ, quovis enim utriusque virtutis actu, gratiam novam ei que correspondentem in cælo gloriam promeremur. *Qui, enim, dederis solum potum aquæ frigida, non perdet mercedem suam,* teste Christo, Matth. c. 10. 42. Docet hoc Novitios suos in stimulo

amoris S. Bonaventura, dum ait: *Credo, quod qui ferventer & diligenter, ut in Regula dicitur, ministraret & serviret infirmo propter Christum pure, plus mereretur, quam si serviret ipsi corpori Christi. Ratio est, quia nemo est tam impius, qui si agnosceret Christum Dominum presentem & decumbentem, negaret illi servire: sed Christo in proximo servitur à perfectis, & id plus quam perfectis convenit. Quod cum ita sit, pientissime Jhesu, quâ fronte de cetero, vitabo: prosum? declinabo infirmum? negligam desolatum? Cur quotidie anima mea angeris servire Christo? Indicabo tibi, quem diligit anima tua, ecco in valetudinario jacet, ibi angustiatur, ibi torquetur.* Hactenus S. Bonaventura. Et quidem si quis hujusmodi charitatis actum eliciat, ex totâ plenitudine habitûs; mirificè augetur & virtus & meritum, teste Crombecio L. 1. de perfectis, c. 36. *In omni opere charitatis, inquit, aut amoris Dei super omnia (idem dicere licebit de opere charitatis proximi) totus gradus gratiæ accrescunt, quos altus continebat, etiamsi idem non emerget supra totam perfectionem habitûs. Quod si ex plenitudine habitûs quispiam operetur, tantum excrescet, quantum actus fuerit: ut si actionis fervor decem gradus continebat, addentur alii decem, & habitus intenditur ut viginti. Si rursus eliciat actum ex tota latitudine virtutis, accessio fit aliorum viginti, sicque habitus quadraginta continebit, deinde octoginta & sic deinceps multiplicando,*

Hinc verè de B. Virgine dicitur, tantum meruisse ultimo vite actu, quantum totâ anteactâ vitâ. Nam ultimus actus, quem ex summo conatu & perfectione elicit, omnes gradus acquisitos duplicavit, & prioribus adjecit. Ita ille. O quantus campus meritorum! O quanta seges divitiarum spiritualium! An non Religioso probrum est esse negligentem ac desidentem, & minùs lucra æterna negotiando sectari, quàm terrena, pecuniæ perituræ sitibundum helluonem?

Quocirca, Dilectissimi, si mnâ nostrâ, à Deo vocante nobis conceditâ, maximo cum lucro uti velimus, atque unâ decem mnas, id est, decem utilitates ac dignitates antememoratas acquirere cupiamus; nullam exercendæ humilitatis & charitatis opportunitatem negligamus; sed à matutino tempore, usque ad vespertinum, in hisce virtutibus, maximè si obedientia jusserit, strenuè nos exerceamus. Horum enim operum exercitio devoto, prompto & hilariter, interni pœnas evademus, gloriam cælestem promerebimur, peccatorum pœnas temporales delebimus, Deo arctius astringemur, ac dona cælestia largius obtinebimus; Deo Christo, Angelis & Sanctis assimilabimur: in humilitate & charitate plurimum proficemus, ac denique gratiam divinam in terris; & gloriam æternam in cælis vehementer amplificabimus.

✱ ✱



EXHORTATIO II. IN REGULAM XIX.

Ostendit, Deum cum homine, liberalitate certare.

T H E M A.

Qui dat omnibus affluenter & non improperat. Epist. S. Jac. c. 15.

V E L:

*Quantò liberaliorem erga summam Majestatem se præstiterit,
tantò eum in se liberaliorem etiam experietur.* Reg. 19.



Liberalitas ex mente Doctoris Angelici, 2. 2. q. 117. 2. 1. Est *Virtus bene dispensandi divitias, sibi suisque & aliis.* Quæ virtus meritò regia nuncupatur. Quorum enim est largè gazas dispensare, beneficia conferre, thesaurósque profundere nisi Regum, Imperatorum ac Principum? Eapropter, ut advertit doctissimus Abulensis in c. 1. Lib. 3. Regum, q. 21. Unctio & coronatio Regum olim apud fontes & arbores peragi solita, quemadmodum de Adonia, Salomone,

Abimelecho aliisque literæ divinæ perhibent: quò sic vel in ipsa auguratione sua, ab his beneficentiæ symbolis, munificentiam addiscerent: fons namque à fundendo nomen trahens perenni aquarum gurgite irrigat, imbuit, & fecundat: arbor verò fructuum suorum copiâ pascit, viridique ramorum pompâ obumbrat & recreat. Verè liberalitas virtus regia. Sed vel maximè liberalitas virtus divina, ac omnium Regum Regi propria: *Qui dat omnibus affluenter, & non improperat.* l. c. Dat omnibus Angelis & hominibus, animalibus & plantis, cæterisque creatis, naturam, proprietates, alimenta & reliqua omnia necessaria ac convenientia.

Quò

Quò autem liberaliorem se homo erga Deum munificentissimum exhibet; eò sentit illum vicissim erga se liberaliorem; quod exhortatione præsentè demonstrabimus.

De inexhaustâ supremi Numinis liberalitate & beneficentiâ asserit antedictus Doctor Angelicus lib. 1. contra Gentes, c. 19. eandem esse ipsi connaturalem: *Natura & indoles Dei est dare. Deus dat liberaliter, non vendit; dat generaliter, non uni, sed omnibus. Dat abundanter, non parcè; dat curialiter, quia non improperat.* Quænam, obsecro, liberalitas ad hanc vel à longè accedit? quæ à nullo mortalium se vinci finit? quæ obsequia minima maximis donis compensat? Ut proinde rectè in Regula monuerit suos S. Ignatius: *Quantò aliquis se arctius Deo adstrinxerit, & liberaliorem erga summam Majestatem præstiterit; tantò eum in se liberaliorem etiam experietur: & ipse in dies magis idoneus erit ad gratias & dona spiritualia uberiora recipienda.* Quibusnam verò in rebus Religiosus suam erga Numen beneficentissimum liberalitatem potissimum declarabit; ut majorem ejus vicissim munificentiam experietur?

I.
Liberalitas Religiosi in mortificationis exercitiis.

I. Religioso ante omnia liberalitas erga Deum exhibenda est abnegatione sui & mortificatione; cujus occasionum campum amplum & segetem copiosam quælibet offert Religio. E gente rusticana nonnemo, ut Gallix fasti memorant, cum Ludovicum XI. Galliarum Regem in venatione de viâ aberrantem & famelicum rapis tractasset, magno cum gustu Regis; paucis post diebus integrum raparum fascem Parisios deferendum sum-

psit: verùm fame, in itinere, stimulante, reliquis absumptis grandiorum unam Regi obtulit, ac mille florenorum honorarium retulit. Magna fuit hæc Regis erga colonum liberalitas; at quantum major Dei est erga hominem beneficentia? qui pro exiguis munusculis ingentia dona retribuit? *Diabolus* (ait S. Bernardus) *porrigit pomum, & surripit Paradisum: Christus petit pomum, & porrigit paradisum.* Si, Religiose, Deo donaveris vel unum pomum, aut cerasum, quod mortificationis gratiâ non decerperis, aut non comederis; non mille florenos; sed gratiæ & gloriæ cælestis gradum retuleris, mundo universo, cunctisque ejus thesauris longè præstantiorem. Ludovicus Blosius à Divi Benedicti Familiâ, Asceta piissimus, asserere non dubitavit: *Is Qui propter Deum sensualitati, voluptati que propria, etiam in rebus minimis reluctatur, rem ipsi Deo magis gratam facit; quàm si multos mortuos ad vitam revocaret: Et qui propter Deum non carpit florem, tantum præcarpente obtinet, quanta est distantia cali à terra.*

Hæc de causâ Sancta Mechtildis à Christo Sponso cælesti, Cælitibusque sibi conspicuis accepit: Divos piè queri, & velut invidere felicitatem illam hominibus, quòd re ad eò levi, omni propè momento, tantum possint meritum cumulum acquirere. Agnovère hoc utriusque sexus, in omni hominum genere atque ordine sanctimonix laude insignes propè innumeri; ac propterea tanto sui domandi vincendique fervore exarserunt, & vicissim tam illustria à liberalissimo Deo dona retu-

II.
Liberalitas in humilitate & caritatis actibus.

retulerunt. Quâ enim viâ S. Franciscus Borgia (ut innumeros aliorum Ordinum tacitus præteream) ad profundam aded demissionem, sublimemque sanctitatis gradum elatus est, nisi assiduâ sui abnegandi, & deprimendi curâ ac industriâ? Quâ methodo tam excellens pro concione dicendi, animasque lucrandi talentum à liberalissima Dei manu obtinuit Venerabilis Pater Bernardus Colnago, nisi publicâ sui confusione, mundi contemptu & simulato delirio? Quâ ratione Venerabilis P. Vincentius Carassa perfectionis altissimæ culmen conscendere meruit, nisi insatiabili corpus edomandi, dureque tractandi ardore?

Hos, aliosque sexcentos, ab exiguis abnegationibus, & quotidie sese offerentibus auspicando, imitari contendamus, certique omnino simus, quò nos liberaliores erga Divinam Majestatem exhibuerimus, pluresque ei nostri victorias obrulerimus, eò quoque nos liberaliorè vicissim erga nos illū experturos.

II.

Liberalitas
in humili-
tatis & ca-
ritatis acti-
bus.

II. Arctius deinde nos Deo adstringimus, liberalioresque nos erga illum exhibemus, humilitatis & charitatis operibus: Et quò plures, majoresque virtutum harum actus Deo obrulerimus, eò quòque illum erga nos liberaliorem sentiemus. Neque enim Divina Majestas à nobis, aut ullis mortalibus liberalitate se vinci sinit. Rusticana quæpiam femina, cum filium tenuissimum à se subtiliter ductum Berthæ Henrici IV. Imperatoris Conjugi obrulisset: tantum pro congiario terræ accepit quantum filio, quod obrulerat, protenso, metiri posset:

ex eâque sic repente opulenta, Patavinorum clarissima Familla, quæ de Montagno dicta est, ex uno scilicet filo profluxit Magna sanè Imperatricis liberalitas ac Regia munificentia. At quantum major est Dei Domini nostri & Regis liberalissimi profusio; qui non terreæ glebæ fructum; sed terram viventium universam rependit.

S. Elisabetha Hassiæ Landgravisa, omnibus bonis suis per vim exuta, cum in vestitum pauperum lanam & linum operaretur, videt, cælo aperto, stantem Jesum, & hæc sibi dicentem audit: *Sit visesse mecum, ego ero tecum, & à te nullatenus separabor.* Id est, in cælesti beatitudine semper mecum erit. Quàm largum humilitatis & charitatis exercitæ præmium! Quàm liberale pro minimis obsequiis ac laboribus exantillatis bravium!

Beatissima Virgo Maria, cæli Regina (ut de muliere forti Proverb. Cap. 31. legimus) *Panem otiosa non comedit; sed operata est consilio manuum suarum: & dignus ejus apprehenderunt fuscum:* Et tam Filio suo dilectissimo, quàm Sponso suo castissimo quævis humilitatis ac charitatis obsequia præstitit: Verùm, num Filium Dei liberalitate vinci se siville arbitramur? Minime gentium; inde enim illud Sapientis: *Multa filia congregaverunt divitias; in supergressa es universas.* L. c. Tam enim inæstimabiles gratiæ ac gloriæ thesoros minimis etiam operibus sibi comparavit, ut meritò dici valeret: *Procul & de ultimis finibus pretium ejus.* Id est, secundum Melliflui Doctoris expositionem: *Non vile, non parvum, non mediocre,*

Bbb

non

non denique de terra, sed de celo pretium eius. *Iustorum enim opera* (& vel maximè Regiæ Iustorum) ut ait Hugo, *sunt quasi filia in orbem aternitatis re-torta*. Minima humilitatis & charitatis opera, maximi apud Deum meriti sunt & valoris.

Petit Salvator, à muliere Samaritana, Joan. c. 4. Potum aquæ. *Da mihi bibere*. Et quid vicissim spopondit? Vide Domini liberalitatem; pro aque mortua, promittit aquam vivam; & fontem aqua salientem in vitam æternam. Id est, aquam divinæ gratiæ, aquam Doctrinæ Evangelicæ, aquam Spiritûs Sancti, sed ipsummet Spiritum divinum, qui aquæ instar purissimæ & vivæ, animam à peccatorum maculis expurgat, munditiem ornatumque animæ confert, concupiscentiæ æstum refrigerat, sitim rerum temporalium sedat, sterilem aliàs cordis terram, ad omnis generis fructus bonorum operum irrigat, fecundat, atque impinguat. O quanta munificentia Salvatoris! quàm vilis res aquæ haustus, quàm nobilis, Spiritus sanctus; qui pro illo promittitur! *Fons hortorum, puteus aquarum viventium; qua fluunt impetu de Libano*. Cant. c. 4. 15.

Idem Redemptor noster, Lucæ c. 7. exprobat Simoni Pharisæo, operum humilitatis & charitatis defectum: *Aquam pedibus meis, non dedisti*; atque ex adverso Magdalensæ opera extollit; quòd caput unxerit, quòd aquam pedibus dederit de fonte scilicet oculorum ac lacrymatum, quòd capillis tetulerit. Et quid liberalissimus Dominus his humilitatis & charitatis obsequiis retribuit? Magna prorsus & eximia dona, ait enim: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit*

multum. Remittuntur ei peccata multas verba pauca, at quàm multa, quàm magna complectuntur? nam 1. Tribuit ipsi omnium peccatorum veniam & remissionem; & quia *Dei perfecta sunt opera*. Deut. c. 32, perfectè eam lanavit. Unde 2. omnes vitiorum habitus, memoriam præteritarum turpium voluptatum, propensiones ad superbiam, luxuriam, & gulam, tentationes carnis penitus abolevit. 3. Qui fructus est pœnitentiæ, remissionis peccatorum, & conscientiæ à peccatis purgatæ, justæ & sanctæ, pacè, serenitatem, hilaritatem, & gaudium Spiritûs S. omnia mundi gaudia longè transcendens, restituit, dicens: *Vade in pace*. 4. Perfectam ei humilitatem, castitatem & pœnitentiam indidit. 5. Plenum contemptum omnium rerum mundanarum, & desiderium cœlestium ei impertivit. Ardendissimum Christi amorem impressit, ut se & sua omnia Christi obsequio dedicet, & Christum per castella obeuntem & prædicantem, magno labore & alacritate pedibus incedens, ubique sequeretur, eumque cum Apostolis, suis opibus aleret; prædicationi ejus tota intentæ, familiæ curam Marthæ Sorori suæ resignans: *Unde optimam partem elegit sibi Maria, qua non auferetur ab ea*. Lucæ c. 11.

O quanta rursus Domini & Magistri nostri beneficentia! Quid aquâ tenuius? Quid capillis vilius? Et quanta dona & charismata his exiguis obsequiis elargitur;

Leo Imperator, qui post Marcianum, imperii habenas est moderatus, etiamnum miles gregarius, dum cœcum errantem, ac sitientem, ad aquam ducit; audit vocem cœlestem, Fore Imperatorem,

peratorem, quā & cæco, visus sanitas
exemplō reddita. Magna profecto Dei
liberalitas, in Leone implentis promissum:
*Quicumque potum dederit uni ex
minimis istis, calicem aqua frigida, tan-
tium in nomine discipuli: amen dico vo-
bis, non perdet mercedem suam.* Matth.
c. 10. 42. At quamnam? Coronam æter-
nam & immortalibilem in cælis. Veris-
simum autem esse, quod plures ejusmodi
humilitatis, charitatis & misericordie
exhibemus, eod quoque Deum sese pro-
bare liberaliorem, à S. Joanne Archie-
piscopo Alexandrino, ab eleëmofynarum
frequentia eleëmofynarii nomen
adepto discimus: Liberalissimus hic
Sanctus quodammodo cum Deo libe-
ralitate certabat, num ipse plus in pau-
per sprofundere, quam Deus submitte-
re valeret mirisq̄ sæpe modis pecuni-
am in mattupio, frumentū in granario,
viam in dolio, aliq̄ue à Deo libera-
lissimè submissa, suffecta q̄ue reperit.

Atque ut è penu domestico quidpiam
adjiciam: S. Franciscus Xaverius, quan-
tus evalit Indiarum Apostolus? At qui-
bus vis? Non alijs, nisi operibus humili-
tatis & charitatis. Nimirum, dum in
Nosocomijs ægis inseriens, pus ex
vulneribus exsurgens, in navigiis, men-
dicato victitans. In eā suam supellesti-
lem manibus propriis lavans, epibatis
infirmis ministrans, exhomologeses
excipiens, rudibus Doctrinæ Christianæ
rudimenta explicans, omnibus omnia
factus, ut omnes Christo lucrificeret.
Hinc vicissim ortum duxit tanta Dei
erga ipsum liberalitas, tanta gratiarum
æctualium, ut vocant, copia, tanta con-
solationum cælestium abundantia, ut

exclamare cogeretur: *Satis est, Don ène
satis est.* Hinc tanta animas convertendi
gratia, tanta, in vita & à morte, vir-
tus patranda miracula: tanta denique
in terris & in cælis, honor & gloria Ex
quibus sole meridiano elucescit clariù;
Deum liberalitate haud vinci, & quò
liberaliores erga eum nos nstendimus;
eò quoque ipsum erga nos fore libera-
liorem.

Quæ cum ita sint; horum Sanctorum,
mortificationis, humilitatis & charita-
tis exempla, pro modulo nostro, æmu-
lari studeamus. Applicemus manum ad
fortia, id est opera heroica, & simul
apprehendamus fufum, id est, exercea-
mus opera levia, quæ etiam suo non ca-
rent præmio. Deus dat liberaliter, af-
fluenter, abundanter; si nos dederimus:
Date ergo & dabitur vobis. Date in pri-
mis varios mortificationis & abnegatio-
nis actus, offerete bolum delicatesorem,
offerete pomum, offerete passionum, ten-
tation: inq̄ue variarum victoriam; & à
Remuneratore liberalissimo paradifum
cælestem reportabitis. Deinde *date &
dabitur vobis:* offerete opera quàm pluri-
ma humilitatis & charitatis, & cum S.
Elisabetha in cælesti beatitudine per-
petuam Christi Societatem: cum Bea-
tissima Virgine, divitias incomparabi-
les & æternas; cum Samaritana aquam
vivam gratiæ, cum Magdalena peccato-
rum remissionem; cum Leone, regnum
non terrenum sed cæleste, cum S. Joan-
ne Eleëmofynario insignem misericor-
diam in egenos, cum S. Francisco Xa-
verio, Deliciarum & solationum divi-
norum abundantiam, à liberalissima
numinis manu recipietis.



EXHORTATIO III.

IN REGULAM XIX.

Deum non sinere, se vinci ab homine, liberalitate.

T H E M A.

Date & dabitur vobis: mensuram bonam, & confertam, & coagitatam & superfluentem dabunt in sinum vestrum.

Lucæ. c. 6. 38.

Vel ex Regula 19.

REGINA Saba (ut 2. Paralip. c. 9. 1. legimus) cum audisset famam Salomonis; venit, ut tentaret eum in anigmatibus in ferualem, cum magnis opibus, & camelis, quæ portabant aromata & auri plurimū gemmasque pretiosas. Quam verò larga fuerint hæc Regine munera, mox §. 9. subiungitur: *Dedit autem Regi centum viginti talenta auri, & aromata multa nimis, & gemmas pretiosissimas.* Magna sanè fuit ea Regine liberalitas; at vinci se passus non est Rex liberalissimus Salomon; nam §. 12. additur: *Rex autem Salomon dedit Regine, quæcumque voluit, & quæ postulavit, & multò plura, quàm attulerat ad eum.* Liberalitas verè virtus regia ac prin-

cipalis; imò divina. Hæc de causâ Theodoricus Italix Rex apud Cassiodorum L. 2. variarum Epist. 28. agebat: *Nihil ita regium esse, ac fecisse felicem.* Unde & Titus Imperator, si forte die aliquo nulli fecisset bene, mæstus inquiebat: *Hodie non imperavimus; quia neminem beneficio affecimus.* Ptolemæus quòque Philadelphus Egyptiorum Rex, ut refert Alianus, cum amicos magnâ animi voluptate locupletaret, hoc addere solitus epiphonema: *Melius est ditare, quàm ditescere:* hoc enim plerumque est tenacitatis sordidæ & avaritiæ; istud verò liberalitatis & munificentiæ.

Nos verò, ut exhortatione proximè præcedente cœpimus, Dei erga liberales maximam liberalitatem explicare pergemus.

I. Reli;

I.
Religiosi
Liberalitas
in oblatio-
ne voti
paupertatis,

I. Religiosus, præter mortificationis munera, & humilitatis charitatisque dona, de quibus nuper egimus, nullâ aliâ re liberaliorem sese erga Deum exhibet, quàm offerendo terna Religionis vota. His enim, quidquid est aut possidet, Deo O. M. consecrat: nam bona externa voto paupertatis, voluptates corporis voto castitatis, libertatem voluntatis voto obedientiæ Deo immolat. Adeoque expedit se à Patre, Matre, fratribus, amicis, vicinis, notis, patria & chari. omnibus, & cum Abraham Patriarcha de terra & cognatione sua egreditur; ac nudus nudam JESUM sequitur. Quæ sanè magna est liberalitas: Quid enim charius mundi divitiis ac bonis? Quid dulcius corpore, ejusque deliciis? Quid pretiosius libertate voluntatis? Et tamen omnia ista, simul liberali animo Religiosus Conditori ac Redemptori suo restituit; arboremque cum fructibus totam illi cedit.

Verùm longè major est Dei erga Religiosum magnificentia. Quid enim illi pro muneribus oblati rependit? Insinuavit hoc Christus Dominus Petro dicenti: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo eris nobis?* Matth. c. 19. 27. Quid exultas? Quid postulas Petre? Quid expectas aut requiris? Reliquisti naviculam piscatoriam, reliquisti rete, reliquisti casam, reliquisti pauperulam conjugem tuam: Quid igitur, quantumque pro his tibi reddendum autumas? Audi rem miram. *Amen dico vobis.* inquit, *æterna Veritas, quod vos, qui reliquistis omnia, & secuti estis me, tria valde stupenda recipietis. Nam 1. Sedebitis super sedes duodecim,*

*judicantes duodecim tribus Israel: id est, cùm totus mundus stabit in supremo judicio judicandus; vos tanquam Judices & Assessores mei sedebitis; & mecum in omnes sententiam vel electionis, vel reprobationis æternæ pronuntiabitis. O quanta dignitas! quàm stupendum privilegium! 2. Centuplum accipietis in hac vita. Id. est, ut Cassianus exponit, collat. ult. cap. ultim. Qui domum uxorem aut agrum, Patrem fratrem, amicum, aut fidelem famulum, ut Religiosus fuerit, reliquit: inveniet omnes domos, reditus, elemosinas, totius Religionis, eum multis centenarius personarum, quæ erga ipsum faciunt officium Patris, fratris, amici, famuli; serviuntque ipsi majore fidelitate quàm seculares. Propter honorem quem reliquit in mundo, recipit non quæsitum, centuplum in honore: & ipsa specialis Dei Providentia circa Religiosum, est centies pluris faciendâ, quàm omnia quæ reliquit: Nam hoc ipso, quod ejus amore, ea, quæ possidebat, reliquerit; recipit ipse in se, dare quæ conveniunt; & experti ipsimet Apostoli, cùm Christus diceret: *Quando misi vos sine sacculo & peram nūquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt, nihil.* Lucæ c. 22. 35. Præter delicias spirituales, & consolationes, quas Deus religiosi ferventibus impertit; quæ incredibiliter superant delicias carnales. Quæ hæc rursum liberalitas Domini nostri? Denique tribuit *Vitam æternam* in cælo possidendam. O qualis est ista vita? Quis eam capiat? Quis eam verbis exponere valeat? Libert audire S. Augustinum in medit. c. 22. de beatissima & amantissima vita*

ista exclamantem & admirantem ! *O vita, quam preparavit Deus tuis, qui diligunt eum: vita vitalis, vita beata, vita secura, vita tranquilla, vita pulchra, vita munda, vita casta, vita sancta: vita ignara mortis, nescia tristitia, vita sine labe, sine dolore, sine anxietate, sine perturbatione, sine varietate & mutatione, ubi non est adversarius impugnans, ubi nullus peccati illecebra, ubi est amor perfectus & timor nullus; ubi dies aeternus & unus omnium Spiritus.* Et hanc præstantissimam, operatissimamque vitam, in præmium dabit paupertatis, liberalissimus cæli terræque Monarcha. Quanta liberalitas! Quanta munificencia!

II.
Liberalitas
in oblatione
castitatis.

II. Offert ulteriùs Deo Religiosus castitatem, simulque corporis voluptatibus illicitis; licitisque in matrimonio se spoliatur, amore Sponsi sui Dilecti. Magna est isthæc hominis erga Deum liberalitas: quid enim corpore charius? Ouid amoris & cupiditatis voluptatum stimulo vehementius? At quid liberalissimus castarum animarum Sponsus retribuit?

In hac vita à gravibus eum oneribus liberat & quidem 1. à servitute feminæ, in corpus ipsius potestatem habentis; *Vir sui corporis potestatem non habet sed mulier,* ait Apostolus. 1. Corinth. 7. *Videsne,* inquit, S. Chrysostomus de Virgin. c. 41. *Videsne, rei necessitatem, & inexorabilem servitutem? vides utrumque funiculis constrictum?* 2. Liberat eas, ab altero incommodo, quod Apostolus, *tribulationem carnis,* nuncupat, id est, curas, molestias, angores, tentationum gravissimos fluctus, perpetuo

ex omni parte ingruentes. 3. Præferat à tertio incommodo, quod S. Paulus, 1. c. divisionem nominat: *Divisus est: uxori alligatus;* sed Religiosus, cor nullà sui divisione imminutum, integrum Deo offert, non Conjugatorum more cordis & amoris sui partem liberis, partem uxori, partem carni & sanguini, partem rebus aliis ac bonis terrenis tribuit ac dividit, sed indivisum cor & amorem Deo penitus consecrat. Rectè S. Augustinus L. 10. Confess. c. 29. *Per continentiam colligimur & redigimur in unum, à quo in multa defluimus. Hoc autem unum Deus est, summum ac solum bonum, quo amando nos quoque boni, & quo fruendo beati sumus.* His ergo terminis incommodis liber, Dei gratiâ adjuvante, vitam Angelicam ducit in terris. Castitas enim de homine Angelum facit teste S. Bernardo, Chrysostomo, Ephrem, aliisque SS. Patribus,

In altera autem vita senes obtinebunt Religiosi casti felicitates, ac præmia, à Sancto Joanne in Apocal. cap. 14. 1. relata; *Et vidi,* inquit, *& ecce Agnus stabat supra montem Sion & cum eo centum quadraginta mille.* Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinguinati: *Virgines enim sunt.* Atque hæc 1. est eorum felicitas, quòd cum Agno, præcelsum montem Sion conscendant: erigunt enim se ad heroicas ejus virtutes imitandas, magno fervore perfectionem ab ipso doctrinam amplectentes, & eidem sese per contemplationem & amorem conjungentes. 2. *Habentes nomen ejus, & nomen Patris ejus scriptum in frontibus suis.* Hæc altera est eorum felicitas & gloria,

gloria, quod Agni JESU nomen, Patriſque eius cœlestis, in frontibus scriptum gerant, quemadmodum reprobi characterem bſtæ, protestenturque se jam suos non esse, sed Dei ipsius & Christi Domini, in iis habitantis, honori sibi ducentes, professionem castitatis, & nomen filiorum Dei & fratrum JESU Christi, 3. *Et auditis vocem de cœlo, tanquam vocem aquarum multarum, & tanquam vocem tonitru magni. & vocem sicut citharado um citharizantium in Citharis suis.* Felices sunt, ob vocum suarum sonum, quo tanquam tonitru Dæmones terrent, Angelos verò ceu melodiam suavi iocent: & corporibus suis velut citharis suavissimam edunt harmoniam 4. Felices sunt, quod soli dicere possint *canticum novum*, & participes esse specialium gaudiorum, Virginitatem servantibus promissorum. *Et cantabant quasi canticum novum.* loc. cit. 5. *Sequuntur Agnum quocunque ierit.* loc. cit. Hæc magna est felicitas; nam cum sint Virgines, nulla superest virtus, in qua non possint illum imitari. O quale gaudium! *Pergite*, ait Sanctus Augustinus L. de Sanct. Virgin. *O Virgines constanter, pergite sequentes Agnum: ubi sunt ingentia gaudia, non solum communia, reliquorum Sanctorum, sed magis singularia & propria Virginum, qua sunt de ipso Christo, in Christo, & cum Christo, post Christum, & pro Christo, & ipsemet Christo. Reliqui iusti habent sua gaudia, de Christo, sed non qualia hæc sunt, sequuntur agnum, non quocunque ierit; sed quo illi possunt pervenire; possunt quidem in omni loco eum sequi, non tamen,*

quando ille cum virginitatis pulchritudine progreditur. Atque his Augustinus Laureolam Virginitatis explicat. Videtis igitur rursus, quanta sit Dei erga Castitatis Professores liberalitas.

III. Offert & donat quoque Religiosus obedientiam; qui voluntatem, libertatemque suam velut in sacrificio mactat, ac Deo immolat: magna hæc fateor est hominis erga Deum liberalitas: quid enim seipso, suaque libertate, charius, pretiosiusque donare potest? Non bene pro toto libertas venditur auro; & tamen eam Religiosus Deo vendit & mancipat.

Quid verò vicissim reddit liberalissimu. Dominus? In hac vita r. Deus obedenti, cæteras quoque largitur virtutes: *Sola virtus est obedientia, qua virtutes cæteras menti inserit, insertasq; custodit.* Sanctus Gregorius L. 35. moral. 2. Robur obedienti tribuit, virtutemque ad vincendum seipsum, cupiditates suas, atque etiam Dæmonum machinationes, Unde Salomon. Proverb. c. 21 *Vir obediens loquetur victorias.* 3. Veram concedit Sapientiam. *Concupisti sapientiam, serva mandata, & Dominus præbebit illam tibi.* Eccl. cap. 1. Homo ad occultorum sapientiam, pervenit per obedientiam. S. Aug. in Psal. 118. 4. Obedientem Deus ab innumeris eximit curis, & molestiis, dum omne onus & sollicitudines in superiorum humeros conjicit, & eos securam viam ducit ad cœlum. *Ipsi pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddaturi.* Hebr. 13. 17. 5. Denique grandem obedienti in cœlo retribuit mercedem, ac præmium, gloriam scilicet

III.
Liberalitas
in oblatione
obedientie.

cer cælestem ac æternam beatitudinem: quod tum Abrahamæ Patriarchæ, tum Christi Redemptoris nostri exemplum luculentè comprobatur. Illi dictum est: *Ego protector tuus ero, & merces magna nimis.* Gen. c. 15. 1. De hoc verò: *Factus est obediens usque ad mortem; propter quod & Deus exaltavit eum, & dedit illi nomen quod est super omne nomen.* Ad Philip. c. 2.

IV.
Liberalitas
in aliis vir-
tutum acti-
bus.

IV. Denique Religiosus arctius se Deo astringit, liberalemque erga eum exhibet, si quodcumque ei obsequium singulare præstet, si eum laudibus effert, si honorem ejus ac gloriam adaugeat, si fiduciâ singulari in manus ejus paternas se resignet, si preces ardentibus fundat: omnia enim & singula hujusmodi mortalium munera, corde sincero, Numini supremo oblata, donis singularibus, excellentissimisque compensat. Varios exiguâ laude, aut carmine quopiam magna retulisse præmia, Historiæ memorant. Mæcenas Virgilio ob paucos versus, sex millia sestertium, summam multa coronatorum millia conficientem, liberali manu donavit. Lyander Rex pro paucis versibus Antiochi Poëtæ, galerum ejus auro oplevit. Antoninus Imperator singula Oppiani Poëtæ metra de piscibus aureo nummo remuneravit; unde dicta, aurea carmina. Qui de Principis Nassovii, è Neo-Portano prælio reducis nomine, & programme, *Mauritius*, anagramma contexerat: *Mars vivit*, aureo torque donatus fuit. Magna hæc Regum, Principumque extitit liberalitas: At quantum major Domini Dei nostri? Petrus Apostolus brevi illâ

confessione: *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Matth. c. 16. meruit esse fundamentum Ecclesiæ, Pontifex Maximus Christi que in teris Vicarius, cælorum claves moderans. Rudolphus Comes Habsburgicus, postea ejusdem nominis primus Imperator, exiguo intervallo, Christum in Eucharistia ad ægrum delatum, comitatus, totum Imperium sibi, suisque posteris, usque in hodiernum diem acquisivit. Hæc est Dei beneficentia, exigua servitia magnis afficere præmiis; brevem precatiunculam, ex corde profectam, ultra petiitum & meritum remunerare. Rectè advertit S. Ambrosius in Lucam c. 23. Latronem in cruce tantum petiisse: *Domino memento mei, cum veneris in Regnum tuum.* Christum verò longè plus ei præstitit se, dicendo: *Hodie mecum eris in Paradiso.* Nam uberior est (inquit) gratia, quàm precatio: *Semper enim plus tribuit Dominus quàm rogatur.* Ezechias Rex petiit à Domino sanitatem; & Divina Liberalitas cum illâ adjacit quinquendos vitæ annos, & victoriam prodigiosam, cæsis centum octoginta quinque Assyriorum millibus: *Isaia c. 38.* Salamon postulavit Sapientiam: sed Deus largissimus adjecit ingentes opes & gloriam. *3. Reg. 3.* Ex quibus omnibus ad oculum patet, summa Dei erga homines liberalitas: erga quem, quò liberaliores erimus in confessione, laude, oratione, & aliis virtutum actibus; eò liberaliorem sentiemus.

Quæ cum ita fiat, Dilectissimi, quis è nobis non libens se erga Deum, adeò munificum, liberalem exhibeat? Quis ei se non arctius adstringat
tum

tum votis, tum aliis virtutum actibus?
 1. Quid possum propter te relinquere, pro quo tu non reddas centuplum? Si Patrem defero; tu succedis, ut sis mihi Pater: Si hæreditati renuncio; tu es hæreditas mea: Si omnia reliquero; tu es mihi omnia: Si terram defero; tu cælum reddis. O cambium cæleste! ô divina liberalitas, accipe me Domine totum in tuum, siquidem ad eò liberaliter tradis teipsum in meum! Concedis quòque potestatem judiciariam; centuplum honorum temporalium, & spiritualium consolationum; ac denique vitam æternam. 2. Pro oblatâ castitate liberat, à servitute, à carnis tribulatione ac divisione spiritûs, & Agnum sequendi, novum canticum cantandi, aliâsque Prærogativas impertiris. 3. Pro oblatâ obedien-

tiâ, cupiditatum victoriam, veram sapientiam, securitatem, tranquillitatem, virtutum agmen, & perennem in cælo coronam largiris. 4. Ad extremum pro quibusvis aliis, orationis, laudis, confessionis, aliarumve virtutum actibus, reddis gratiam, devotionem, gaudium in Spiritu Sancto, consolationes spirituales, altum perfectionis gradum, victoriam, paradisum, ac vitam æternam. Concludo cum aureo S. Petri Chrysologi dicto: *Usura mundi centum ad unum; Deus unum accipit ad centum; & tamen homines cum Deo nolunt habere contractum. Sunt forsan de cautione solliciti? Quare? homo homini exigua chartula obligatione constringitur; Deus tot & tantis voluminibus cavet, & debitor non tenetur.*

REGULA XX.

DE GRADIBUS SOCIETATIS.

EXHORTATIO I.

Probat cuique Gradu suo acquiescendum esse.

T H E M A.

Unusquisque, in quo vocatus est, Fratres, in eo permaneat.

1. Corinth. 7. 24.

V E L:

Cooptatus in aliquo gradu ad alium progredi curare non debet.

Reg 20.

SI Societatis JESU muniorum diversitatem, subordinatîonemque penitiùs inspicimus; eandem Ordinum Angelicorum varietati, ac triumphantis Ecclesiæ subordi-

nationi haud absimilem esse deprehendimus: Etenim ex Apostolo Paulo, Magno Gregorio, aliisque Doctoribus, inter Angelicos Spiritus, Hierarchias ternas, Choros verò, seu ordines novenos reperiri didicimus. Hierarchia pri-

Ccc

ma,

ma Seraphinos, Cherubinos, & Thronos : altera Dominationes, Virtutes ac Potestates : tertia Principatus, Archangelos atque Angelos complectitur. Quosnam verò per supremæ Hierarchiæ attendentes Seraphinos in Societate intelligemus, nisi Moderatores supremos & universales, Generales scilicet ac Provinciales ; quorum est præ aliis charitate flagrare ; veluti à Petro Apostolorum Principe, totiusque Ecclesiæ Pastore requirebat Dominus : *Diligis me plus his : Pasce oves meas.* Joann. cap. 21. 17. Quos autem per Cherubinos, oculis, cognitione & sapientiâ plenos, admiratos censebimus, nisi Præsides immediatos, scilicet Domuum Præpositos, & Rectores Collegiorum, oculis plenos, omnique sollicitudine subditis suis invigilantes ? Et quos per Thronos instar sedium Deum in se recipientes, nisi Professos, vel in cathedris Ecclesiæ populum, vel in exedris Theologiæ Auditorem erudientes ? Per mediæ Hierarchiæ Dominationes, Virtutes & Potestates quos indigitabimus, nisi trium Votorum Professos, passionibus & cupiditatibus suis dominantes, & in adiutorium spirituale formatos, virtutibus præstantes, nec non rerum temporalium curam gerentes, ac potestate dispensatoriâ ministeriali seu dependente præditos. Denique per Hierarchiæ postremæ Principatus, Archangelos & Angelos, quos, nisi Magistros, aliosque Scholasticos scholis præsidentes ; & Coadjutores nondum ultimâ formâ insignitos, Angelis tamen, id est Novitiis, Angelicam vitam ducere solitis, & omnium infimis, Superiores designabimus ?

Quâ verò ratione, quibusque de causis in Societate omnibus, Angelorum instar, in gradu suo consistendum, nec ad alium sit aspirandum, præsentis Exhortatione patefaciemus.

I. Memoratam à Regulâ præscriptam gradus stabilitatem, postulat primò Ordo seu subordinatio, quæ velut in Ecclesiâ, & quavis Religiosâ Familiâ, ita & præcipuè in Societate nostrâ instar exercitûs cujusdam ad animarum salutem ordinatâ, unicè est necessaria : cui vel maximè convenit id, quod à Corinthiis suis reposcit Apostolus : *Omnia secundum ordinem fiant.* 1. Corinth. cap. 14. Et rursus 1. Corinth. c. 7. 24. *Unusquisque in quo vocatus est, Fratres, in eo permaneat.* Quemadmodum enim omnes Angelici Spiritus Hierarchiâ & ordine suo contentissimi vivunt : ita ut nec Cherubinus esse desideret Seraphinus ; nec Angelus optet esse Archangelus ; sed quisque eo gradu acquiescat, in quo à supremi Numinis Providentia est collocatus. Pari ratione Religiosos Societatis JESU eo gradu contentos degere oportet, in quo eos Divina Bonitas per Superiores constituit. Præclarissimam illam cælestem ac terrestrem subordinationem & concordiam aptè declarat S. Anselmus Lib. de Beatitudinibus, subordinationem & unionem membrorum corporis : *Sicut enim pes non cupit esse manus ; sed suâ sorte contentus est : nec auris querit esse oculus ; sed suo officio & loco acquiescit : ita pariter & Sancti Angeli in celo, & homines bene religiosi in terra, statu ac gradu suo contentissimi vivunt, nec altiora ambiunt.* Quid verò vitâ hâc ordinatâ tranquillius ? Quid pulchrâ

I.
Motivum
gradu ac-
quiescendi
est Ordo.

II.
Religiosus
Ordo.

pulchrâ & concinnâ membrorum distinctione & proportione amœnius, in qua præcipua pulchritudinis humanæ pars est posita? Ex adverso autem, quid ordinis perturbatione cuius Communitati aut Reipublicæ periculosius? Quid statûs, contra Dei Præsidiumque voluntatem, immutatione perniciosius? Si enim nec Angeli in celo, nec membra in corpore, nec homines in Societate, sorte suâ gradûque contenti forent; sed altiora appetere atque ambirent; quæ tibivis discordia, quæ contentio, quæ harmoniæ turbatio ac confusio exoreretur?

Atque hac de causa Sanctus Patriarcha noster ad ordinem istum in vigore suo bellè conservandum, cavit quàm studiosissimè, ne illi, qui in Societate piè ac pacatè volunt vivere, in Christo JESU, remoti à sæculi turbis; ex uno in alterum gradum progredi allaborent; sed dispositioni divinæ, Superiorumque ordinationi, magnâ cum resignatione, humilitate & obedientiâ, prorsus acquiescant.

II. Altera ratio, quæ quemvis gradu suo contentum, meritò reddat, est resignatio in paternam Dei providentiam. Deus omnipotens, figulus est, qui de eodem luto, pro beneplacito suo format vas unum in honorem, aliud in contumeliam; nec potest jure aliquod queri, cur me facis sic? Dominus est, sicut Domino placuit, ita factum est. Infinita ejus sapientia novit, quid tibi expediat; prævidet fortasse te in altiore gradu, superbiâ instandum; in inferiore autem continendum in humilitate. Infinita ejus bo-

nitas & charitas, nihil tibi evenire sinet, nisi in gloriam suam, & utilitatem tuam. Quidni igitur penitus resignas te, totumque manibus divinis, cœu lutum fingendum firmandumve, offers? Quidni voluntatem & judicium proprium cæcitiens abnegas, ut purè Deo placeas, & cum Christo Duce tuo dicas: *Ego quæ placita sunt ei, facio semper?* Joan. e. 8. Quod si feceris, jugi quiete & lætitiâ perfunderis; & licet adjutorum alio sis infectus, Professum tamen multis passibus, ope divinæ gratiæ, potes præcedere, uti virtute & perfectione, sic & meriti præmiique cælestis magnitudine.

III. Tertia ratio, in gradu cuius quietem multam pariens est profunda humilitas; quâ quisque nihili sui abyssum perspicit, infimumque in Orci flammis locum, peccatis suis se promeritum agnoscit: ad obque nec gradu infimo, nec minimo in Societate loco dignum se esse profiteri cogitur. Nec ad alios coætaneos suos, sibi prælatos, ac scientiâ aut virtute inferiores, animum reflectit; in sui solius consideratione defixus. Neque enim exigua foret animi elatio & arrogantia, contra Superiorum sententiam, existimare, in se earum rerum præstantiam reperiri, quæ in Societate ad professionem requiritur. Quàm longissimè ab hac mentis elatione absuit R. P. Franciscus Villanova Societatis JESU Hispanus, illustre demissionis profundissimæ speculum: cum quo sæpe per literas egit S. Ignatius, ut in numerum quatuor votis adstrictorum se referri sineret, licet in altioribus studiis parùm versatus esset; utique ob excellentissimam Viri

III.
Humilias

virtutem ac vitæ sanctimoniam; scientiæ defectum abundè compensantem: at vir modestissimus, rem tamdiu tergiversando, per litteras ultro citòque missas protraxit; donec translato interim in cælum Ignatio, humilitas filii de Patris charitate victoriam tulit; ut refert Tannerus in Societ. Apost. imit. pag. 65.

Non absimilem humilitatis in hoc genere palmam reportavit R. P. Hernandus Guillenus Societatis JESU, pariter Hispanus; parentibus illustrissimis satus, nec minùs excellenti animi demissione præditus; qui dum sibi deferretur emittenda quatuor votorum professio; tanquam ad rem sibi minimè debitam cohortescens multis cum lacrymis eam deprecatus, eaque indignum se contestatus est. Tannerus ibid. 149.

Resipiscentiæ hac in parte luculentum præbuit exemplum R. P. Joannes Ramirez, similiter ex Hispania oriundus, Vir Apostolicus: is cum ultra modum severè quædam vitia è suggestu incesset, ideòque à quatuor votorum emissionem dilatus esset; eam rem ægrè ferens, de statu mutando Carthusiæque ingressu cogitavit: at luce insolitâ tandem à misericordi Numine perstrictus, ita secum reputare cœpit: Prò miserum! Ubi es? vigilasne? Esne tui compos? Tu ausus es cogitare, complexionem eam perfectarum virtutum, quæ professis inesse debet, esse in te? Ergo quid tibi propriè, quid Societati publicè expediat, tu miser vel curas studiosius, quàm Præpositi, vel acutiùs vides? Audèsque tot sanctissimorum virorum, ac prudentissimorum, qui hanc Socie-

tatem fundarunt, & usque huc tulerunt, judicio præferre tuum, in causa tua? Tu scilicet professione dignus es, qui eam ambis? Qui humilium præmia superbè appetis, tanique turpiter tibi illud finis? Quid obsecro, in emittenda professione petis? An vota quæ religiosum efficiant, totumque hominem Deo dedicent? Tria hæc emisisti. Religiosus planè conditione es; utinam vitâ sis! Materiam exercendæ virtutis amplissimam habes, adjumenta præsto sunt omnia, per quæ ad apicem sanctitatis scandere possis: quid igitur est, quod professione petis? Nescio, quid plus auctoritatis perstringit misero oculos: non sanctitas, sed foedissima levitas & ambitio est ista. Hiccine est meus sensus pristinus, quo abjici, despicique & proculcari ab omnibus, ut Domini mei dignarer insignibus; erat in votis? Hæc solida est professio, velle ignorari & pro nihilo duci, & tanquam peripsa seu purgamentum, omnium mortalium pedibus subjici. Disce obedire mancipium nequam, disce jugum pati terra & cinis. Hæc & similia, in se reversus, sibi oggerbat Ramirus, ut narrat P. Tannerus p. 204. Ex quâ suâ victoriâ, mira Viro ad obediendum subiit alacritas, pax conscientiæ rediit, & novus zeli ardor animas juvandi mentem occupavit.

Hujusmodi autem exempla & rationes virorum sanctimoniam famam inceptorum an non meritò ambiciosos confundant, & ob degradationem nonnullam haud quietos, tranquillitati pristina restituant?

IV. Ratio quarta, omnem ab animo

IV. Obedientia,
tut. tia,

turbationem, ob gradum excitatam sopire aut eliminare valens est obedientia; quæ hoc jubet & non aliud: ac proinde voluntas propria & iudicium omnino abneganda sunt; non pœnæ metu, nec præmii spe, sed impulsu charitatis, & unius Dei amore; adeo ut sic Deus nec ullum humilitati, nec obedientiæ statuisset cæleste præmium; nihilominus ad omnia ipsi placita quàm paratissimus esse decerneres, in omnem vitam tuam, mōdō ipsi Deo O. M. gustum ac beneplacitum præstares. Substerne te igitur Deo, ejusque nutui pare; præsertim cum os tuum aperueris, & quarto inter simplicia post tyrocinium voto te obstrinxeris, asserendo: *Promitto me eandem Societatem ingressurum, &c.* Jamque amplius retractare non liceat, sed standum sit promissis. Obedi igitur alacriter & cum Christo Domino dic: *Mensibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me.* Joan. c. 4. Et cum Machabæo heroe generosissimo: *Sicut fuerit voluntas in caelo, sic fiat.* 1. Mach. 3. 69. *Nam qui fecerit voluntatem Patris mei, ait Christus, qui in cælis est, ipse meus Pater & mater & frater & soror est.* Matth. c. 12. 50.

Hoc modo animandus est animus ad obedientiam, omnisque amor proprius exuendus: sanè in die iudicii, à nobis Index non reposect, quo in gradu doctrinæ, vel officii ac dignitatis vitam nostram exegerimus; sed quàm sanctè eam instituerimus, quémve perfectionis gradum conscenderimus: non requiret, quibus ornati talentis fuerimus; sed quàm fervidè ea ad Dei gloriam impenderit: non quo in munere, sive Professo-

rum Theologiæ, sive Verbi Divini Præconum, sive in missionibus Apostolicis Operariorum versati fuerimus; at quàm purâ intentione, quàm sincero gloriæ divinæ & animarum zelo, munia nostra obiverimus. Continget etque potest ut è Coadjutorum classe quispiam, & in hac vita meritis & gratiâ, ac in altera coronis & gloriâ Professum quamplurimis præcedat parasangis: quemadmodum de primo Societatis nostræ martyre Venerabili P. Antonio Criminali, qui è Coadjutorum spiritualium numero fuit, & eo gradu etiam indignum se judicabat, nullus dubitandi locus relinquitur.

V. Neque solum in ultimo Societatis gradu constitutos, suâ forte contentos esse voluit S. Ignatius; verum etiam in Examine c. 6. addit, in Novitiis quoque hanc cautelam requiri. Unde voluit, statuitque 1. in Tyrocinio neminem de gradu uno ad alium transire: ut si sit examinatus, admittusque pro gradu Coadjutoris temporalis, Novitiatu finito obtinendo, nullam de statu hoc, cum Scholasticorum gradu commutando cogitationem suscipiat: neque etiam è contrario: id enim perfectionem, cuique statui convenientem sufflaminaret.

2. Juber deinde idem S. Parens noster, ne quisquam ante tempus ex uno gradu ad alium ejusdem status subordinatum progredi allaboret, v. g. ne Coadjutor Novitius, ante tempus in Collegio degere, aliorumque Coadjutorum officia, licet ipsorum propria obire desideret: ne Novitius Scholasticus, ante tyrocinii finem, ad literis vacandum, aut docendum anhelet: ne Magistri, aut

V.
Constitu-
tiones S.
Ignatii.

Patres in tertio probationis anno ver-
santes, ante tempus ad gradum ultimum
festinent; nam secus agentes, haud levis
superbiae indicium praeberent; lauda-
tissimamque Societatis harmoniam con-
funderent. 3. Monet Tyrones, ut Novi-
tatis tempore, omnem omnino de gra-
du aut officio secuturo curam ac sollici-
tudinem deponant; cum id incertum,
solique divinae Providentiae cognitum sit:
pari ratione vult, ut Scholastici in Colle-
giis, operam studiis navantes, omni alia
solicitudine superfedant, ne ea forte,
quibus obedientia illos applicat, negli-
gant, aut segnius tractent: agerent enim,
si secus faxint, contra primam Scholasti-
corum Regulam; quae eos pure in illa
incumbere studia praecipit, quibus ab
obedientia applicantur: quamvis nun-
quam ad ea tradenda, Societas postmo-
dum destinatura esset. Perperam igitur
procederet Magister literas humaniores
docens, si studiis istis relictis, Philoso-
phicis, aut Theologicis sese impenderet,
aut si Theologiae studio applicatus, Rhe-
toricae, Poësi, aut aliis scientiis vacaret.
Hujusmodi enim mutabilitates, animo-
rum, inordinataeque ad hunc vel illum
gradum, officium, studiumve propen-
siones perturbationes generant, & in-
gens status nostri perfectioni impedi-
mentum injiciunt. Provenit autem in-
constantia haec & mutabilitas ex eo, vel
quod cum in uno satiari nequeamus,
velimus in multis; vel quod difficulta-
tes status praesentis effingere cupiamus,
& commodis frui, quae nobis imagina-
mur in aliis; & saepenumero hallucina-
mur, & specie inani deludimur.

Quae cum ita sint, Dilectissimi, si pa-
cem, si animi tranquillitatem quaerimus;
si ordinem, si resignationem, si humili-
tatem, si obedientiam amemus, & per-
fectionem sectari aveamus, immutabi-
liter in statu illo seu gradu persistamus,
in quo obedientia, ac sancta Dei provi-
dentia per Superiores nos collocavit:
quamdiu ipsi placuerit; nec ad alium
gradum aspiremus, nec ad alia studia
aut negotia festinemus, nisi ad ea, quae
ipsa nobis sapienter injunxerit. Ambi-
tionem etiam omnem, magnamque no-
stri existimationem deponamus; & vel
infimo, non solum Patrum, sed etiam
fratrum ordine indignos nos arbitremur.
Quasi modo geniti infantes & innocen-
tes, totos nos providentiae divinae (quae
majorem nostri, quam Rex ullus aut
Princeps unigeniti sui curam gerit) com-
mittamus; & quemadmodum infans
nullius rei sollicitudine tangitur, sive
involvatur pannis sericis, sive lineis; sive
in ampla civitate, sive in exigua versetur;
sive in magnifico palatio, sive in paupere
casa educetur; nec letatur, si afficiatur
honore, atque in sublimi collocetur sub-
sellio; nec contristatur, si contemptui
habeatur & ponatur in imo: ita nos Pa-
tri nostro caelesti, Patri infinitae potentiae,
sapientiae & bonitatis, omniumque Pa-
trum ac matrum amorem longissime su-
peranti, nos integre & perfecte quoad
gradum, officium, locum, studia, atque
omnia alia resignemus; & quoniam ipsi
singularis est cura de nobis, omnem sol-
licitudinem aff. Cui filiali in eum projiciamus,
& bene nobis erit: *Dominus
regit me & nihil mihi deerit.*

EXHOR-



EXHORTATIO II.

Suadet cunctis è Societate, ut in gradu suo sese perficiant,
totósque se divino obsequio impendant,

T H E M A.

Estote perfecti. Matth. c. 5.

V E L :

*Sed in suo perfici, & obsequio Dei & gloria se totum
impendere.* Reg. 20.



Uotquot in quocun-
que Societatis gradu
versantur, sua singuli
à DEO recepêre ta-
lenta, quibus nego-
tiari, sese perficere,
& totos Divino obsequio impendere va-
leant. Nullus est, inquit S. Gregorius
Homil. 9. in Evang. *quis veraciter dicat:
talentum minimè accepi, non est unde
rationes ponere cogar: Talenti enim no-
mine cuilibet pauperi etiam hoc ipsum
reputabitur, quod vel minimum accepit.*
Sed *uni dedit quinque talenta, alii duo,
alii unum*, pro libitu & beneplacito suo
distribuit. Hâc ratione S. Paulo Apo-
stolo quinque tradidit, scilicet donum

linguarum, potestatem miraculorum,
Apostolatam, zelum animarum, effi-
caciâ prædicandi. S. Timotheo quasi
duo concessit, Scientiam Scripturarum,
& Episcopatum Ephesinum. Onesimo
verd unum, scilicet studium ministran-
di S. Paulo Romæ carceri mancipato.
Ita pariter Divina Bonitas SOCIETATIS
JESU membris aliis elargitur quinque
talenta, veluti Professis; aliis duo, ut
Coadjutoribus Spiritualibus; aliis u-
num, ut Coadjutoribus domesticis offi-
ciis addictis: omnibus autem & singu-
lis incumbit, ut secundùm suam virtu-
tem negotientur & alia talenta lucren-
tur; in suo gradu sese perficiant, totos
servitio divino se consecrent, atque ira
accepta

accepta à Deo talenta multiplicent. Ut autem rei hujus prototypon & exemplum proponamus, creata cætera consideremus, sed illustrius quàm in Angelis, haud reperimus, quos & S. Ignatius suis ad imitandum exhibere solebat. Hi enim & in gradibus suis ac ministeriis omnino sunt perfecti, & voluntati divinæ atque obsequio totos se consecrant. Hos igitur ad imitandum nobis ob oculos mentis collocabimus.

I.
Quisque
in gradu
suo se per-
ficiat.

I, Primum quidem intueamur, quo pacto plantæ, arbores, pisces, volucres, animalia & homines sensim crescant & se per sumptionem alimenti perficiant: sic enim ex nuce fit corylus; de glande fit ardua quercus: ex parvo puero denique magnus homo. Angelicæ Mentis quòque brevi tempore quæ perfectionem suam attigerint, & nunc in gradu suo, in functione suâ, & actione quâlibet sint perfectæ, ut pro modulo nostro æmulari satagamus. Nam in primis Seraphini perfectissimo in Deum amore rapiuntur & pro viribus Angelos inferiores charitate accendunt, Cherubini cognitione perfectâ Deum contemplantur, aliòsque illuminant, & ad cognitionem Dei deducere allaborant. Throni perfectè Majestatem Divinam excipiunt, ut in illis quodammodo resideat, ac quietem capiat; & simul alios ad Numen Divinum recipiendum disponere moliantur. Dominationes perfectè ab omni servitute, tyrannide, & cupiditate se abstrahunt, totòsque se ad supremum rerum omnium Monarcham convertunt; & alios ab hisce vitiis abstractos, ad bonorum omnium fontem reducere nituntur. Virtutes pro-

digia & signa mirabilia perfectione magnâ patrant; perque illos viri perfecti similia efficiunt. Potestates spiritus malignos & adversarias potestates omnino compescunt. Principatus Regna & Provincias rectè gubernant. Archangeli summa annunciant. Angeli denique Deum cognoscunt ac diligunt, & per inspirationes homines ad eadem dirigunt atque perducunt. Verbo Spiritus Angelici in Hierarchiis, choris seu gradibus suis, nec non in functionibus & officiis suis magnâ perfectione omnia peragunt.

Cælestium horum Geniorum imitatione S. Patriarcha noster quemlibet in Societate, quocunque etiam in gradu constitutus foret, coniti voluit, ut gradus sui perfectionem adipisceretur. Si quis ad professionem evectus sit, instar Seraphinorum & Cherubinorum virtute ac scientiâ ardeat & luceat, aliòsque exemplo & verbo illuminet atque accendat. Si quis sublimi illâ ingenii acie careat, atque excellentis doctrinæ defectum in se notet, virtutum soliditate ac perfectione insigni scientiæ defectum compensare studeat. Si quis Matthæ ministeriis addictus, cum Onesimo, uno duntaxat sit talento dotatus, animum non despondeat; sed perfectione magnâ munia sibi credita obeat, in amore divino ac sanctimoniâ vitæ omnigenâ se perficiat, & plura talenta lucrari, Professòsque ipsos meritis ac gloriâ in cælis præcellere valebit: Quemadmodum Onesimus fideli ministerio plura alia meruit; scilicet Episcopatum Colossensem, multorum conversionem, ac denique Martyrii lauream,

lauream, ut insinuat Cornelius à Lapide in Epist. ad Philemonem : Et plures illiterati majorem in terris gratiam, & in cælo gloriam assecuti fuère ingenio & doctrinâ præstantibus, ut in S. Francisco Seraphico, Sancto Simeone Stylitâ, B. Didaco, S. Catharinâ Senensi, & aliis quàm plurimis liquet.

Singuli itaque in gradu suo se perficiant. Perfectum definit Aristoteles, cui nihil deest : Duobus autem modis contingere potest, ut nihil alicui desit.

1. Si nihil omnino sit, aut excogitari possit, quod in illo non reperitur : atque ita solus DEUS perfectus est. 2. Si in certo aliquo genere, in certâ disciplinâ, virtute, proprietate nihil ei deficiat eorum, quæ ad eam requiruntur. Et hæc ratione Professi in suo gradu, in virtute ac scientiâ ; non professi in gradu sibi proprio perfectionem nancisci studeant.

Novitii quodque, qui gradum ultimum nondum adepti sunt, sed in dies magis magisque ad eum sese disponunt, Tirocinii tempore Tironum perfectionem assequi enitantur: eum in finem 1. mortificationi assidue insistant, contra se ipsos & vitia pugnent, de aliâ re nullâ solliciti. Malitiam peccati probe cognoscant, & cujuscunque etiam peccati venialis deliberati horrorem concipiant ; ita ut cum S. Anselmo in Infernum detrudi malint, quàm Deum peccato deliberato offendere. 2. Ardens desiderium omnes & singulas actiones quotidianas perfectè obeundi concipiant, habitumque exactè operandi stabilem acquirant ; hæc viâ, constanti animo in bene cœptis perseverabunt ; nam *Adolescens juxta viam suam,*

etiam cum senuerit, non recedet ab ea. Proverb. c. 22. 3. Studeant acquirere amorem crucis, contemptus & aduersitatis, Christi patientis exemplo, ut patientiam addiscant, & post Tirocinium non faciliè ad minima contraria perturbabuntur. 4. Perfectam voluntatis propriæ abrenunciationem, & integram sui resignationem comparare allaborent ; ita ut ipsi nihil eligant, nihil recusent ; sed indifferentes ac parati sint ad omnia ; ad quamvis habitationem, officium, gradum, regionem, locum, occupationem ; more Angelorum, qui toti à Numinis supremi nutu ac voluntate pendent, indifferentes ad omnia. Hac ratione Novitii ac ceteri omnes in gradu suo omnino perficiuntur.

Jam verò quemadmodum S. Ignatius hanc gradus cujusque perfectionem nos docuit, Constitutionibusque interuit ; ita & eandem ipso opere, Angelicam imitando vitam, complevit. Erat ipse Societatis Fundator, & Præpositus Generalis, in gradu eminentiore collocatus ; adeoque virtute & scientiâ excellenti conspicuus : Sed ut Regulam præsentem, & Spiritus Sancti monitum : *Qui iustus est, justificetur adhuc ; Et Qui sanctus est, sanctificetur adhuc ;* & qui perfectus est, perficiatur adhuc ; impletet ; conabatur in gradu suo, exacto variorum perfectionis mediorum adminiculo, de mense in mensem, de hebdomade in hebdomadem ; de die in diem, evadere perfectior. 1. Instar Seraphinorum, licet perfectus esset charitate Dei & Proximi ; in dies tamen nitabatur in ea crescere : ut enim

in apotheoseos ejus relatione, Sacrae Rotae Auditores & Cardinales memorant: *Tanto erga Deum amore flagrabat; ut tota die illum exquireret; ut nihil aliud loqueretur; nihil aliud cuperet, quam placere Deo & illius obtemperare voluntati.* Eodem amore mortalium omnium corda succendi vehementer cupiebat: unde suis ad fructificandum missis unice inculcabat: *Ite, inflammate omnia.* Et Romae Doctrinam Christianam pueris, rudibusque traditam, hoc concludebat epiphonemate: *Amate Deum ex toto corde, ex tota anima, ex tota voluntate.* 2. Instar Cherubினorum scientiam, cognitionem & aestimationem magni Dei perficere animum connisus est: proinde ex aspectu flosculi aut vermiculi, in Conditoris cognitionem, aestimationem & amorem rapiébatur; ideoque saepenumero torus igneus & splendore mirabili circumfusus ac divinitus à terra sublimis conspectus, & cum Deo loqui auditus est: *O Deus meus! Amor cordis mei! O site homines nôssent!* Andreas Lucas in vita. Hispan. Lib. 5. c. 4. 3. Quomodo autem S. Pater instar Thronorum Deum in anima sua perfecte recipere laborarit; instar Dominationum, perfectum passionum dominium assequi; instar Virtutum, solidam, perfectamque virtutem adipisci; instar Potestatum adversarias potestates compescere; instar Principatum sanctè gubernare; instar Archangelorum, summa annunciare; instar Angelorum, jugi oratione & contemplatione Patris caelestis faciem intueri studuerit; temporis angustiae non sinunt latius explicare; sed in vita legere licebit. Ex quibus

omnibus jurè colligimus, S. Ignatium ut gradus perfectionem singulis praescripsit, ita re ipsa, charismata meliora semper æmulando, eandem consequi pro viribus conatum fuisse; cujus tanquam Parentis optimi exemplum sectari non desinamus.

II. Alterum quod S. Patriarcha noster in Regula praesente nobis proponit, est: *Ut totos nos Dei obsequio & gloria impendamus.* Quod rursus praecclare praestant cuncti Spiritus Angelici, qui sive in caelis manent, sive in terras ad nos descendunt, semper faciem Patris contuentur, eumque totis viribus, tota mente, toto conatu laudant, amant, & voluntatem ejus exequuntur: Et insuper totos se divino obsequio & gloriae impendunt: Clientibus vero suis assistentes, eosdem ad Deum laudandum, eique fideliter servendum inducunt? imò in nihilum redigi mallent, quam vel momento Dei gloriae ac cultui se subtrahere. Idem à nobis requirit in Regula vicesima Sanctus Ignatius; ut nemo de alio gradu altiore sollicitus, sed quisque gradu suo optimè contentus, id unum curet, ut in eo se perficiat; & sive Professorum, sive Coadjutorum albo insertus sit, secundum talenta sibi credita, totam virtutem, totam scientiam, totum ingenium, judicium, eloquentiam, oculos, aures, manus, pedes, os, linguam, pectus, omnes denique corporis & animae vires obsequio Dei & gloriae ejus impendat, & secundum obedientiae directionem omnia peragat; ac Proximum in salute, perfectioneque acquirendâ opitulari nitatur. Simili modo Novitius totum se

Deo

II.
Quisque
gloriae &
obsequio
Dei sese
impendat.

Deo offerat, Consoales suos verbo & exemplo ædificare ac perficere studeat: Externos verò atque inprimis rudes & pueros Doctrinâ Christianâ imbuat, in omnibus operibus suis nihil nisi Dei majorem gloriam spectans: Sic Dei obsequio & ipse totum sese impendet: Ut verò alacrius, ferventiùsque in suo gradu quisque id præstet, summum momenti causæ id requirunt & jure suo postulant.

1. Exigit id à nobis infinita Divinæ Majestatis excellentia & essentia ejus immanita: Ipse enim solus est, cui (ut loquitur Job c. 23.) *Creature omnes comparatæ non sunt; & quasi nihilum repugnantur.* Ipse unus hoc sibi nomen vendicat: *Ego sum, qui sum.* Exodi c. 3. 14. Cujus comparatione alia veluti non sunt, aut nihilum & inane censentur. Ipse solus bonus & infinita est bonitas: de quo Veritas ipsa testata est. *Matth. Cap. 19. Nemo bonus nisi solus DEUS.* Ipse solus potens, & immanita Potentia, teste Apostolo *1. Tim. 6. 15. Qui est beatus & solus potens Rex Regum, & Dominus Dominantium qui solus habet immortalitatem.* Solus habet sapientiam, æternitatem, Justitiam, misericordiam, sanctitatem & clementiam. Si igitur Reges terreni & Principes digni judicantur, ut Aulici Ministri & famuli eorum obsequio se totos impendant; quis honor, quod obsequium, quæ gloria debebitur illi, qui solus habet omnem excellentiam, majestatem, dominium, imperium, potestatem: à quo quidquid bonitatis, dignitatis & potestatis creaturis universis concessum est, tanquam ex fonte inexhausto scaturivit?

2. Exigit id conditio nostra, quæ toti Dei sumus, secundum illud *Ezech. c. 84. Omnis anima mea est, sicut anima Patris, ita anima Filii mea est.* Et *Jobi c. 41. 2. Omnia quæ sub celo sunt, mea sunt.* Quid autem æquius, quam ut homo Creatori ac Domino suo supremo & legitimo serviat, totumque se ejus famulatum mancipet, & vitam omnem, quam ab eo obtinuit, in ejus cultum & gloriam infundat?

3. Exigit id redemptio nostra, quæ Filius Dei nos Diabolo venditos & ad perpetuum Inferni carcerem damnatos sanguine suo & morte redemit. *Empti estis pretio magno.* 1. Corinth. Cap. 6. 20. Nempe sanguine Filii sui, qui dedit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suavitatis. Quam igitur indignum & grave erit servos tanto pretio comparatos Hero & Redemptori suo obsequia debita denegare; ejusque servitiis se non totos impendere?

4. Exigit id finis nostri præstantia, qui est ipse Deus, ad quem amandum, colendum & glorificandum conditi sumus: *Quia ipse primus & novissimus, principium & finis.* Apoc. c. 2. 22.

5. Exigit id præmium ingens dignè ei servientibus, ejusque obsequiis totos se impendentibus promissum: æterna scilicet Beatitudo, ac DEUS Opt. Max. ipse. *Ego (inquit) ero merces tua magna nimis.*

Quocirca, Charissimi, quisque in gradu suo se perficere studeat, sicut Professi & Coadjutores in suo; ita quodque Tirones in suo: nihil negligant, peccatorum fugâ, vitiorum extirpatione,

operum quotidianorum accuratione, malorum tolerantia, & omnimoda sui resignatione & indifferentia, exemplo SS. Angelorum & Sancti Ignatii Deinde corpus cum sensibus, & membris, animam cum potentis DEO consecrent, dicendo cum Sancto Ignatio in meditatione de regno Christi. *Me tibi penitus offero, meaque omnia tua subiectio voluntati.* Et in exercitio de amore Dei: *Suscipe Domine universam libertatem meam, accipe memoriam, intellectum atque voluntatem omnem: quidquid habeo vel possideo, mihi largitus es. id tibi totum restituo.* Et quemadmodum ille totum se gloriae divinae impendit, corde, ore, & opere semper praefereudo: *majorem Dei gloriam:* ad eamque propagandam, omnes cogitationes, curas, occupationes, industrias, labores & studia dirigendo, Domos, Collegia, Gymnasia, Sodalitia, Missiones, Lectiones, Catecheses, Conciones, Instructiones, atque omnia alia referendo: ac denique per universum mundi

ambitum, per suos fidem propugnando, haereses oppugnando, infidelitatis tenebras illustrando, Juventutem erudiendo, summos, medios, infimos, ad pietatem, Sacramentorum frequentiam, & DEI cultum traducendo, (ut recti, & non invidi rerum astringentes probè norunt, & vel ipsi Ecclesiae sanctae inimici, & maximi Societatis hostes profitentur) ita nos pro modulo nostro, & talentis à DEO acceptis negotiemur; quidquid per ingenii, gratiae & corporis vires valemus, libenti animo praestemus, atque ita totos nos obsequio & laudi, servitio & gloriae DEI impendamus, offeramus, consecremus, quemadmodum Divinae Majestatis excellèntia, nostra subiectio, redemptio, finis, & gloria aeterna corona jure exigit ac promeretur.

* * *





REGULA XXI.

De Tempore, Ordine, Devotione & Ariditate in exercitiis
spiritualibus.

EXHORTATIO I.

De Tempore & Ordine rerum spiritualium.

T H E M A.

Omnia tempus habent. Eccles. c. 3. v.

V E L:

Omnes suum tempus rebus spiritualibus impendant. Reg. 2^a.



Omnia tempus habent, inquit Regum sapientissimus Salomon. Eccles. c. 3. v. Hebraicus textus sonat: *Omni rei est constitutum tempus.* Syrus, *omni rei est tempus, & tempus omni negotio sub sole.* Alii vertunt: *Omni rei suum est praefinitum tempus, limitatum & determinatum*: deinde ad particularia descendens, subjungit: *Tempus nascendi, & tempus moriendi*, l. c. Sic flores, frondes & germina oriuntur in ve-

re; occidunt in hyemē; homines & animalia nascuntur in infantia, moriuntur in senectā. *Tempus plantandi & tempus evellendi*, l. c. Tempus plantandi, arbores, frutices, herbas, ac tempus eas evellendi, juxta certorum fiderum ortum, praesertim lunæ, ventorum, pluviarum, serenitatum: ut exactè describit Varro & Columella L. 2. de re rustica, c. 8. & seq. Pari ratione tropologicè est *tempus plantandi*, virtutes statim temporibus, & *tempus evellendi* vitiorum; est tempus vacandi pœnitentiæ, ut in quadragesima, & lætitiæ spirituali, ut in paschate; nunc operibus

D d d 3.

elec

elemosynæ, ut tempore pestis, famis, belli; nunc patientiæ, ut tempore morbi, tentationis, persecutionis: nunc operibus vitæ contemplatiuæ, nunc actiuæ prout obedientia exigit. Atque hoc ipsum præscribit S. Patriarcha noster præsentè Regulâ: *Omnes suum tempus rebus spiritualibus impendant.* Est enim tempus meditandi & tempus laborandi: tempus dormiendi & tempus vigilandi: tempus tacendi & tempus loquendi: tempus corpus pascendi, & tempus animam, oratione, examine, spiritualique lectione reficiendi. Verbo omni rei suum præfinitum & determinatum est tempus; ac potissimum exercitiis spiritualibus; quod nemo negligat; nemo invertat, ac ordinem perturbet; qui sibi met ipsi nocumento esse nolit.

Tria igitur nunc declarabimus; nimirum Societatis religiosi, rebus spiritualibus impendendum esse tempus suum, tempus integrum, non secus atque in reficiendo corpore, tempus proprium, & integrum observatur.

I.
Omnes
rebus
spiritua-
libus
impendant
tempus
suum.

I. Quemadmodum Noëmi arcam Ecclesiæ Catholicæ, ita & Societatis nostræ symbolum aut figuram esse meritò asserere videmur, ad quam divina Clementia ex misericordia sua infinita præ tot myriadibus, in mundi diluuiio peruentibus, nos vocare dignata est. Sicut enim in arca, non solum mansiones & domicilia; sed etiam esca omnibus animantibus in ea degentibus conveniens custodiebatur: sic etiam in Societate nostra; non solum mansiones multæ, id est, domus, gradus, officia & functiones; verum etiam esca multiplex om-

nibus in ea degentibus, & in quolibet gradu aut munere constitutis, apta asservatur; quâ vitam spirituales conservare valeant; sine qua fame contabescant; non secus atque Noëmus cum familia & animalibus morti in arca succubisset, nisi pabulum pro hominum pecorumque sustentatione in arcam invexisset, ac suo tempore distribuisset.

Omnes, ait Sanctus Ignatius, tempus suum rebus spiritualibus impendant. Omnes sive Superiores sint, sive subditi, sive Professus, sive Coadjutores; sive Veterani, sive Novitii. *Omnes suum tempus rebus spiritualibus impendant.* Quasviam verò in Societate res spirituales nuncupamus atque usurpamus? Meditationem, orationem vocalem, sacrificium, psalterium, rosarium, examen commune & particulare, libri spiritualis lectionem, communionem, exhomologesin, ceterasque functiones asceticas, quibus Spiritus nutritur, sustentatur, conservatur, roboratur, ac perficitur: sine quibus languet, deficit, contabescit ac moritur.

Ait autem *tempus suum*: sive tempus quod cuique à Superioribus concessum, aut constitutum fuerit: non quod omnes tempus æquale, aut æqualiter illud queant impendere; sed quilibet *tempus suum*, Professus suum, Coadjutor suum, Tyro suum. Sanè S. Pater noster Professus studium orationis ita commendavit, ut omne tempus, quod obedientiæ & charitatis operibus superest, ab iis orando traduci voluerit. Fratres suum tempus meditationi, sacro examini, Libro spirituali destinatum habent; præter-

præter
labores
Deum el
lucigne
valeant
tos pr
infirmit
non
ritum
ca
erat
II.
Omnes
rebus spi
ritualibus
impen
dant tem
pus inte
grum.
I
ter
tem
dece
nis
satio
fimi
con
collig
regi
quo
reor
esse
hor
per
gen
sine
gita
citis
gita
solu
con
ver
dura
mus.
R
verbi
arior
fallo

præterquam quòd etiam ante, in & post labores & opera singula, mentem ad Deum elevare, ardentiaque suspiria, velut igneas sagittas, in cœlum ejaculari valeant. Novitii felices sunt, quibus totos propè dies exercitiis spiritualibus infumere conceditur. Denique nemini non tempus suum conceditur, quo Spiritum excolat, & nutriat; veluti in Arca Noë, nec mansiones nec escæ deerant.

II.
Omnes
rebus spi-
ritualibus
impendant tem-
pus iocun-
dum.

II. Alterum, quod implicite S. Pater insinuat & optat, est illud; ut hoc tempus nobile, non accedamus, non decurtemus aut minuamus; multò minùs, ut illud studiis, laboribus, conversationibus, aut aliis rebus impendamus, similes illis, qui neglectis unionibus tonchas; relictis nummis aureis, lutum colligerent. Profecto si cui ad ararium regium aditus referretur; eâ lege, ut, quod unius duntaxat horæ spatio, aureorum nummorum eximere libitum esset, liceret fumere; quantum verò illâ horâ negligeret, tantum omnibus aliis penuriâ laboraret; quanta huic diligentia impendenda foret; ne hora illa sine fructu efflueret? Ita nobiscum agitur, quando tempus aureum exercitiis spiritualibus deputatum negligimus, aut truncamus; neque enim solum debito fructu pro tempore secuturo, totâque æternitate privamur; verùm etiam, ob temporis pretiosi jacturam, pœnam non levem incurrimus.

Reperias nonnunquam Religiosos verbi divini Præcones, aut conscientie arbitros aut scientiarum variarum Professores; quibus vel cum Auditoribus,

vel cum Pœnitentibus, vel cum Discipulis, proluxa sine fine colloquia miscere lubeat; at horulam colloquii cum Deo infumere tædeat. An non hujusmodi Religiosos rectè Pilato assimilaverimus; qui cum Scribes, cum turribus, cum militibus, vel de Barraba, in parasceve, effusè locutus est: at de veritate cum Christo tamdiu loqui non potuit, quamdiu Dominus roganti, unâ, eâque brevissimâ fortè periodo responderet. Dicit ei Pilatus: *Quid est veritas?* & cum hoc dixisset, iterum exivit ad Judæos. Joan. cap. 18. 38. *Subsiste saltem, Pilate, tamdiu, donec, quod quæris, doceâre.* Scilicet, ut Pilato, ita & Religiosis tepidis, quævis mora cum JESU sæculum est.

Reperias quoque Religiosos, Marthæ ministeriis mancipatos, qui ad labores quosvis alacres; ad orandi & meditando labores sint segnes; ad opera externa manualia exultent; ad interna, ad spiritualia exercitia, longè aliis nobiliora, gemant. Recordamini obsecro, (ait P. Joannes Paulus Oliva Societatis nostræ Generalis XI. Lib. 4. stronatum.) vaccarum, quas Philistiim arcæ Domini supposuerunt; *ibant autem in directum vacca pergentes & mugientes.* Prò Deus immortalis! quoties & graviora traxerant, & duriùs laborarant, nec mugierunt. Vix pergere cœperunt cum arca, & mugiunt. In stabulo emunguntur & silent: tacuissent credo, si aratrum ducere per diem, noctemque coactæ essent. Arcam sine mugitu non trahunt. Et illas quidem non miror; nam & bruta erant.

& fortè dolebant à se derelictos vitulos. At verò Religiosi, Deo sacrati, Numinis supremi amici & servi, quâ ratione mugitus suos obtegent? Aratrum trahunt non rarè læti, semper in-somnes; arcam verò orationis circumducunt, & mugiunt. Similes rusticis, qui totâ die in agris æstuant, quos stupeas, quadrante uno aris aditare sine ejulatione non posse.

Reperias etiam fortè non nullos, sive è Magistrorum docentium, sive è Theologicis scientiis vacantium numero, qui medias, aut integras noctes declamationibus, affixionibus, dramatibus, comœdiis, thesibus ac disputationibus apparandis in somnes ducant; at meditationis horam, absque somno, aut oscitatione haud traducant. An non illos Apostolis dormituriensibus rectè similes pronuntiaverimus, qui in oratione vigilare non potuerunt, in labore potuerunt? *Et venit ad Discipulos suos, & invenit eos dormientes: & dicit Petro; sic non potuisti unâ horâ vigilare mecum?* Matth. c. 26. 40. At in labore possunt. Audi ipsummet Simonem suas commemorantem Christo vigilias: *Et respondens Simon dixit illi: Præceptor per totam noctem laborar tes, nihil cepimus. Audin?* Quomodo vigilare in horto, unâ tantùm horâ pro Christo, toties excitatus non potest; integram, solidamque noctem, in lembo captandis nequicquam piscibus intentus, in somnem ducere potest. Ita accidit gloriæ vanæ cupidis, in salutis autem negotio in curiis libentiùs remigant, quàm orant; libentiùs chartis & studiis, quàm precibus aut libris precatoriis impallescunt.

Reperias denique, quod dolentes referimus, religiosos novellos in tyrocinio sat fervidos, spiritualibus rebus apprimè addictos; at docendæ juventuti applicatos, aut inmodico sciendi ardore, aut liberiore cum proximis conversatione, paulatim intepescere, meditationes, lectiones pias, conscientiæ discussiones omittere; atque ita sensum sine sensu, pristinos sæculi affectus recalescere; vitæ religiôsæ pertæsos retro respicere; atque ad Ægypti ollas, allia & capas denuò aspirare: Unde tanta clades & miseria? *Aruit cor meum, ait Propheta regius, quia oblitus sum comedere panem meum.* Psal. 101. 5. *Aruit affectus cœlestium, quia oblitus sum Spiritui dare pabulum rerum spiritualium: & si quando bonæ inspirationis aut cogitationis semen excepero, illico exarescit: Natum aruit, quia non habebat humorem & alimentum.* Lucæ c. 8. 6.

Hujus furfuris homines spiritualia negligentes, totòque se, aut studiis, aut negotiis externis, aut conversationibus ac confabulationibus deditos, an non similes sunt Hebræis cœlestis annonæ nausæa laborantibus? *Clamant Numi. c. 21. 8. Deest panis, non sunt aqua; anima nostra jam nausæat super cibo isto levissimo. Quare misit Dominus in populum ignitos serpentes.* Audite tepidi, audite spiritualium neglectores; quod si pluen-te manna, illis non licuit panem, frigidamque optare, quia pœnâ mortis plõcterentur; licebit vobis in azymo, pastuque cœlesti furfur esurire? *Quâ ratione, qui cœli pane (oratione, contemplatione, lectione sacrâ) saginari vale-tis, rabire cupiditate glandium potestis,*
quin

quin apris discerpendis dedâmini? Cavete & pavete: manna fastiditis si è cælo pluat; pepones & cucumeres & cæpas eluritis, si eas Nilus Ægyptiâque sarnies incluserit. *Misit Dominus in populum ignitos serpentes.* Metuite, ne & vos ignitus serpens, Draco antiquus mordeat ac devoret, in mundi pericula relapfos: à neglectu meditationis, inquietabat, piissimus Bergmannus, omnis à Societate apostasia sumpsit exordium. Non deseritis vocationem, nisi antè deserueritis orationem.

Quocirca; cùm omnia tempus habeant; etiam naturalia & minima quoque, quantò magis supernaturalia & spiritualia? Ut æquum omnino sit, omnes suum tempus rebus spiritualibus impendere: nonne anima plus est, quàm corpus? Si igitur corpus tantâ curâ, suo tempore pascitur; quantâ sollicitudine, anima suo tempore reficienda erit, ne fame contabescat? Quilibet igitur tempus suum rebus spiritualibus consecret; quocunque munere aut gradu fungatur; cùm ex his omnis energia ac virtus in opera alia dimanare debeat. Hæc conciones inflammant; hæc studia illuminant; hæc labores acuunt ac perficiunt. Quare nemo, aut Concionatorum, aut conscientiarum arbitrorum, aut scientiarum variarum Professorum adeò demens sit, qui aureum rerum spiritua-

lium tempus, aureis, minúsque pretiosis occupationibus infumat; & cùm auream colligere valeat monetam, in cupream totum sese effundat. Nemo eorundem cum Pilato prolixos libens cum turbis sermones misceat; & vel horulam colloquio cum Christo infumere recuset. Nemo Coadjutorum temporalium ad labores externos, ita se totum applicet, ut contemplandi & orandi laborem refugiat, & cum vaccis arcam Domini portantibus, mugiat. Nemo Magistrorum nostrorum, aut Scholasticorum, ad studia promptè vigilet, & ad orationem indormiscat, ne Petro dormituriante audire cogatur: *Sic non potuisti unâ horâ vigilare mecum?* Denique nemo vel ad recolenda studia, vel erudiendam juventutem destinatus, tantopere se vel studiorum, vel conversationis, inordinato desiderio absorberi sinat, ut exercitia spiritualia intermitat, vel cum Hebræis manna nauſeet & turfures, pepones & allia Ægypti appetat, alioquin certissimè cor ejus exarescet, devotionis calor intepeſcet, charitas & spiritus refrigescet; periculòque se manifesto exponet, ut è religionis cælo, in cænum mundi relabatur, & ab ignito serpente stygiòque Dracone mordeatur, perimatur & deglutiatur.





EXHORTATIO II.

De observando in rebus spiritualibus tempore congruo
& statuto.

T H E M A.

Fili, conserva tempus. Eccli. c. 4. 23.

Velex Regula.



Tempus non modò, Religiosis viris, probè observandum; sed etiam, tanquam rem longè pretiosissimam, & à supremo Numine, ad opes immortales, ad virtutum, gratiæ & gloriæ thesauros comparandos, nobis benignè concessam, studio singulari conservandum esse, quis vel leviter in vita religiosa versatus, ignorat? Et tamen quoties, prò dolor! etiam viris religiosi, nobile! oc cimellium, hanc temporis pretiosam gemmam, aut homines mundani garruli, aut Religiosi otiosi ac tepidi, aut Dæmones ipsi, eripiunt? Qui idcirco rectè fures temporum appellantur; quòd ad illud cum ipsis prodigendum, rebusque vanis ac non rarò noxiis impen-

dendum, incautos sollicitent. Jubeat ergo Siracides nobilissimum hunc thesaurum, & si perdat, irrecuperabilem studiosissimè conservare; operibus virtutum insumere, atque à malo declinare: idque jure merito: *Non enim, ut ait Seneca epist. 118. tam benignum & liberale tempus nobis natura dedit; ut ex illo vacet perdere.* Et mox; *Ex hoc tempore tam angusto & rapido, & nos auferente, quid juvat majorem partem mittere in vanum?* An ignoramus, illud velut vaporem, umbram ac fumum quàm velocissimè fugere; & irrevocabiler avolare? An nescimus tempus hoc momentum esse, à quo æternitas vel beatissima, vel miserima pendeat? Ergo rectè Siracides monet: *Fili conserva tempus;* idque non in omni duntaxat opere ac labore, pro Dei gloria suscepto; sed vel maximè in rerum spiritualium exercitiis, velut aurum, plumbum,

hæc reliqua omnia, di
precedentibus.

Quod ut prætermis
quique tempus suum
gem, ut exhortatione p
denti declaravimus; le
congruum, tempusque
pendat, necesse est, ut di
patefaciamus.

L. Tempus exerci
tribendum esse, non q
apertum, sed congruum
vel ex eorum præstat
vidimus: & abque
studio, & animarum
xiguum profectum fa
tare, inquit Apollol
profectus tuus manife

Tim. 4. 15. Nunq
dus tuus manifestus
viam Apostolicam
viam mixtam probè
templationem & a
conjungas, & sing
pas allignes: Neque
rius L. 6. moral. c. 1
cator est, qui vel pr

studium operanda ne
rationis instantiam
nit: Sed is, qui sing
pus oportunitatem d
dit: quomodo en
stas Dominus pr
Gregorius L. C. in illi
Hinc est què human
per dicitur nisi sola in u
tatem congruam
videtur in voce per
pus orationis opport
videlicet Prædicatorum

bum, reliqua omnia, dignitate & merito excedentibus.

Quod ut præstemus; non tantum quilibet tempus suum, & tempus integrum, ut exhortatione proximè præcedenti declaravimus; sed etiam tempus congruum, tempusque statutum impendat, necesse est, ut dictione præsentis patefaciamus.

I. Tempus exercitiis spiritualibus tribuendum esse, non quodcumque, sed aptum, sed congruum & opportunum, vel ex eorum præstantia abundè jam vidimus: & absque hoc, in virtutum studio, & animarum salutis negotio exiguum profectum faciemus. *Hæc meditare*, inquit Apostolus, & *in his esto, ut profectus tuus manifestus sit omnibus.* I. Tim. 4. 15. Nunquam autem profectus tuus manifestus erit omnibus; nisi vitam Apostolicam ritè instituas, nisi vitam mixtam probè ordines, nisi contemplationem & actionem artificiosè conjungas, & singulis congruum tempus assignes: *Neque enim* (ait S. Gregorius L. 6. moral. c. 17.) *perfectus Prædicator est, qui vel propter contemplationis studium operanda negligit, vel propter operationis instantiam contemplanda præsternit*: Sed is, qui singulis functionibus tempus oportunitate deputat, sedulo impendit: quomodo exemplo omnibus Christus Dominus præluxit: velut idem S. Gregorius l. c. insinuat, dum subdit: *Hinc est quod humani generis Redemptor, per diem miracula in urbibus exhibet, (nota tempus congruum) & ad orationis studium in nocte pernoctat.* (nota tempus orationis opportunum) *Ut perfectis videlicet Prædicatoribus innuat, quatenus*

nec activam vitam, amore speculationis funditus deserant; nec contemplationis gaudia penitus operationis nimietate contemnant; sed quieti contemplantes sorbeant, (temporibus congruis) quod occupati erga proximos, loquentes refundant.

Congruum igitur aptumque tempus & actioni & contemplationi tribuendum est; & utriusque fructus ac profectus abundè elucescet. Reperire est autem nonnullos tepidos, opportuniore matutinas horas literarum studiis; pro meridianas verò minùs aptas, exercitiis pietatis tribuentes. Alios invenire est, pensum horarum, aliisque spiritualia in serum vespertinum, rejicientes; alios alces in annum in tempus hyemale incommodum differentes. Tempus venni jejunii aptum eos invitat; tempus Paschale & Majale allicit; tempus inter festum Ascensionis Domini & Pentecostes, olim recollectioni Apostolicæ destinatum, & perquam opportunum, trahit: at nondum illis placitum: nondum venit tempus optatum, donec ultima anni hebdomada instet, & dilationem ulteriorem abrumpere cogat. An non hujusmodi dilatoribus, jure Deus impropere, quod olim per Prophetam Aggæum populo oggessit, c. 1. 2. *Populus iste dicit: nondum venit tempus Domini Domini adificanda.* Dominus verò ingratam excusationem illam refellit, dicens: *Nunquid vobis tempus est, ut habitetis in domibus laqueatis?* Id est, fornicatis, concameratis, fornice seu testudine tectis. Quasi diceret, vobis suppetit tempus, animus & sumptus, ad construendas vobis domos, non solum necessarias, sed etiam delicatas ac præ-

Ecc 2 tiosas;

tiosas; verum ad Domum Dei dirutam restaurandam tempus & omnia desunt.

Habetis, ô tepidi tempus, ut amittatis illud: ut alienis negotiis illud impendatis; ut rebus inutilibus prodigatis; ut faciatis, quod volupe, imò quandoque quod noxium vobis est: ut autem operemini vestram salutem & profectum; atque exactè peragatis exercitia spiritualia, nondum venisse tempus opportunum causamini: atque ita tempus & ordinem operum invertitis, viliora melioribus, temporalia spiritualibus exercitiis anteponeitis. At quid inde sequetur? Non aliud sanè, nisi ut pœnâ simili mulctemini, & nunquam serium in vita spirituali progressum faciatis. *Et tunc hac dicit Dominus exercituum: Ponite corda vestra super vias vestras: seminastis multum, & intulistis parum: comedistis & non estis sat. ati: bibistis & non estis inebriati: operuistis vos, & non estis calefacti: & qui mercedes congregavit, misit eas in sacculum pertusum. Aggæi cap. 1. 6.* Hoc profectò, iusto Dei iudicio, vobis accidit, ut post multa opera bona, fructum exiguum referatis: ut pia alioquin & sancta exercitia, neque satisfaciant vobis, neque pinguedinem devotionis, neque saturitatem spiritualem præsentent; neque charitatis calorem augeant; sed tanquam si in sacculum pertusum intunderetis omnia, perinde maneatis steriles, indevoti, aridi & tepidi, ac si nihil egissetis, vel hac sola de causa, quòd tempore breviori, vel parùm opportuno, illa velut opus perfunctorium, & ut græci ajunt: ἔργον ὡς πᾶρεργον; πᾶρεργον ὡς ἔργον,

aut festinanter, aut tempore incommodo, aut districtè peragatis

Sequemini igitur S. Laurentii Justiniani monitum: *Semper (perfectionis amantes) studeant potiora opera quietiori, & congruentiori tempore coaptare; ne immundorum Spirituum efficiantur ludibrium, & Profectus spiritualis detrimenta capiant.* L. de discipl. & perfect. monast. c. 10. Quæ damna, ut evadant, semper, quantum licet congruum tempus eligant: si enim Deus iustus iudex, congruum tempus sumet, ad omnia opera nostra, etiam bona, dijudicanda. *Cum accepero tempus ego iustitias iudicabo.* Psal. 74. 3. Sanè minimè convenit, illud nos negligere; nec expedit nos celeriter, perfunctoriè aut intempestivè id peragere, quod ex proposito & prolixè examinabit, iudicabitque cardiagnostes Deus.

II. *Tempus suum omnes impendant,* ait S. Ignatius: id est, tempus statutum, vel ex Regula, vel ex Ordine consueto, vel ex iussu Superioris, vel ex signo campanâ dato: ita ut hoc tempus præfixum, non antevertamus, non invertamus, nisi vel necessitas, vel obedientia, vel charitas secùs faciendum suaserit. *Omnia tempus habent,* clamat Eccl. c. 3. 1. *Omnia secundùm ordinem faciendâ suadet S. Paulus. Præclare id exponit S. Laurentius Justinianus in libro de discipl. & perfect. mon. c. 10. Singuli itaque Deo famulantes studeant proprias interioris atque exterioris hominis, loco & tempore dirigere actiones, ne anteponenda postponant, & agenda pretereant: maximi procul dubio periculi est, prout suggerit animus, velle degere. Propterea cunctis consulendum est, ut taliter unumquodque*

proponant opus, ut quilibet
operam habeat actionem. Sciat quod
est. quando lectum, quando
manuum incumbendum sit: ne
spiritu, in mentis dabitur.
dicitur evecti, tempus suum manent.

Quæ verò damna, ex his
ordinata, constantique in
neglectu, occurrunt; idem S.
netorum Patriarcha in libro
sepe lecti utraque, cum ore
oret; antinoniam. cum licet
per hoc tempore oppro, si
cuius sanguine operi dicitur pro
Non sic vero, qui solent pro
eius tempore orant. sui leg
pore manibus operantur; si
peragunt hori. nec penes
ordinatum pretermittitur.

Sciat huiusmodi tem
specimen nobis præbuit
pheta David, quando v
tutius, & mendicatio tem
& pœconia Dei erupit
constantia. *Vespere,* inq
meridie narrabo (Lauda
narrabo, & exaudiet
Psal. 14. Deus enim in
stantes ac perfectarum
fuerit.

Simili quoque ex
Propheta Daniel, qui
gens in Jerusalem; ver
Lauram alii capivi in
more Judæorum illam
tempore exactè observab
proxi est domum suam. &
tu in universa sua terra. Je
huo temporibus in die iudic

quæque disponant opus, ut qualibet hora propriam habeat actionem. Sciant quando orationi, quando lectioni, quando operi manuum incumbendum sit; ne accedat Spiritus, in mentis dubietatem, vel hebetudinem evecti, tempus suum inaniter consumant.

Quæ verò damna, ex hujus vitæ ordinatæ, constantiæque in agendo, neglectu, oriuntur; idem Sanctus Venetorum Patriarcha mox subdit: *Quam sæpe lectioni vacant, cum orare deberent, orationi insistunt, cum liceret operari, ac per hoc tempore oppressi, fraudè, ne decepti, cuius unque operis debito privantur fructu. Non sic vero, qui possent prudentiâ: suo enim tempore orant, suo legunt, suo tempore manibus operantur; singula singulis peragunt horis, nec penes ipsos quidquam ordinatum prætermittitur.*

Stata huiusmodi tempora servandi specimen nobis præbuit Sanctus Propheta David, quando vespertino, matutino, & meridiano tempore in laudes & præconia Dei erupit; idque magnâ constantiâ. *Vespere, inquit, & mane & meridie narrabo (Laudes DEI) & annuntiabo, & exaudiet vocem meam.* Psalm. 54. Deus enim in oratione constantes ac perseverantes exaudire consuevit.

Simili quoque exemplo præluxit Propheta Daniel, qui non solum degens in Jerusalem; verum etiam translatus cum aliis captivis in Babylonem; more Judæorum statuta tria orandi tempora exactè observabat: *Qui ingressus est domum suam, & fenestris apertis in cœnaculo suo contra Jerusalem, tribus temporibus in die flectebat genua sua, &*

adorabat, confitebaturque coram Deo suo sicut & ante facere consueverat. Dan. c. 6. 10. *Tria sunt tempora, ait Sanctus Hieronymus, quibus Deo flectenda sunt genua, Tertiam, Sextam & Nonam, Ecclesiastica traditio intelligit.* Orabant autem Judæi horâ tertiâ, quia tunc Lex data est in Sina, & eadem orat Ecclesia, quia tunc Spiritus sanctus datus in Pentecoste. Sextâ, quia tunc erectus serpens æneus in deserto: eadem orat Ecclesia, quia tunc Christus est crucifixus. Nonâ, quia nunc petra dedit aquas in Cades: uti & Christi latus in cruce tunc perforatum, Sanguinem dedit & Aquam. Porro tertia, sexta, nona computantur ab ortu Solis, Hebræi enim diem, ut Romani noctem, dividebant in quatuor horas; prima erat ab ortu Solis, continebaturque tres horas nostras, ac durabat à nostra sexta ad nonam. Horâ nostrâ nonâ, incipiebat tertia, & durabat usque ad nostram duodecimam: tunc enim incipiebat eorum sexta, quæ durabat usque ad nostram tertiam pomeridianam, à qua incipiebat nona eorum, & durabat usque ad vespem. Hæc ergo statuta tempora exactè constantèque observabat Daniel.

Quantâ diligentia, constantiaque orandi tempora observavit S. Bernardinus, commemorat in ejus vita Surinus cap. 32. Dum enim quotide horâ statuta devotioni vacaret; nulli ad eum patebat accessus, neque Principi, neque Regi, sed cogebat expectare omnes: dignus alloqui divini, statique precandi temporis æstimator; quod tempus Cacodæmon, vel

Ecc 3 maximè

maximè infestare solet, ad eò ut S. Joannes Climacus gradu 13. scriptum reliquerit, eodem tubæ spiritualis signo convocari Fratres ad orandum; & Dæmones convenire ad eos perturbandum.

Sancti Bernardini eximius Æmulator extitit noster Pater Michaël Turrianus Doctor Complutensis, qui postea in Societate mirâ pietate & sanctimonix opinione illuxit: de quo refert Eusebius Nierenbergius Lib. 4. Doctr. Asc. 8. c. 51. Eum nec morbo, nec ullâ occupatione, nec ullius reverentiâ à suis exercitiis impeditum; sed ad eò constanter ea peregrisse, ut statas illorum horas nunquam perturbaret. Accidit aliquando, ut cujusdam exercitii horâ acciretur à præcipuo Magnate, qui instanter & magnâ cum festinatione Michaëlem advocabat pro re magni momenti: hæsit ille dubius, quid ageret; an procederet in exercitio suo, an adiret advocantem; utrumque fecit; ivit, sed ut postularet Principem illum, permitteret priùs inceptum exercitium suâ horâ absolvere; annuit ille; Michaël autem domum illico repetens, devotioni suæ fecit satis; atque absoluto illius horâ penso, Magnatem repetiit.

Denique. Ut pro Fratribus nostris Coadjutoribus quid imitandum attem: in exemplum sibi statuunt Fratrem nostrum Cyprianum Zapatam, de quo idem Eusebius recenset l. c. Eum dum rusticis foris curaret; tam rerum spiritualium extitisse tenacem, ut in villa sibi & Socio solitariis semper ad illas pulsarit, non secus atque si in Collegio forent: quin & cum solus ipse ad rus

abiret, secum ferebat tintinnabulum, sibi que soli ad orandum signum dabat.

Ad eò exacti, & ad admirationem accurati, in tempore statuto observando fuere Viri sancti & perfectionis avidi: non ignorantes, ab hac accuratone tria maxima vitæ ordinatæ bona promanare, scilicet modum, decorem & stabilitatem: teste Doctore Mellifluo Serm. 45. in Cant. *Discretio* (inquit) *omni virtuti ordinem ponit: ordo tribuit modum, & decorem etiam ac perpetuitatem.*

Quapropter, Charissimi, quisque vestrum in Tyrocinio assuescat, & consuetudinem stabilem acquirat singula exercitia spiritualia congruo, opportuno aptoque tempore peragere; nunquam ea sine necessitate, aut causâ justâ differat, aut in tempus inconueniens illa rejiciat, ne fortè ea festinanter, ac proinde imperfectè, obiter, & absque fructu debito, in angustias temporis coactus, decurrere compellatur; Judicis que severi, etiam justitias judicantis minas cogatur incurrere. Sed potiùs tempus ab Obedientia aut Regulâ statutum ad amissim observet; nisi vel necessitas, vel charitas, vel obedientia aliud suadeat, exigatque: exemplo Davidis, Danielis, Bernardini, aliorumque è Societate Virorum illustrium. Hæc ratione modum, decorem, perpetuitatem tenemus, fastidium evitabimus, magnâque jucunditate omnia præstabitur: nam ut docet S. Laurentius Justinianus l. c. *Qui cuncta statuta persciant temporibus, ideo proficiunt, vitamque suam sine tadio ducunt.* Imò facilitatem, & ex varietate ac ordine
suavi-

DE S
dominam sentiant; ut
Gregorius Epist. ad Lazarum:
stat, sic nos inveniat labora



EXHO

DE DEV

Obtulerunt

Devotioni qua



losque in ea alcer
res, ac Deum ip
innitum: Lapidem
rat, erexit in titulu
statu, ut visiois
facte monumentum
clam desuper, in sign
ut ait Abulensis: Re
oleo inungatur.

suavitatem sentiunt; ut scribit D. Hieronymus Epist. ad Latam: *Sic dies tran-*
seat, sic nox inveniatur laborantem; orationi
lectio, lectioni succedat oratio; breve vi-
debitur tempus, quod tantis operum va-
rietatibus occupatur.



EXHORTATIO III.

DE DEVOTIOE SUBSTANTIALI.

T H E M A.

Obtulerunt mente promptissimâ atque devotâ primitias
Domino. Exodi c. 35. 22.

V E L:

Devotioni quarenda pro mensura gratiæ Dei ipsis communi-
cata insistant. Reg. 21.

Dostquam Patriarcha Jacob *Gen. Cap. 28.* in somnis vidit admirabilem illam scalam à terra ad cælum pertingentem; Angelosque in ea ascendentes & descendentes, ac Deum ipsum summitati scalm innixum: *Lapidem* illum, in quo dormierat, *erexit in titulum*, id est, erectum statuit, ut visionis & apparitionis sibi factæ monumentum esset: *Et fundens oleum desuper*, in signum consecrationis, ut ait Abulensis: Res enim consecratæ oleo inunguntur. Hoc ritu lapidem

Deo consecravit Jacob; eodémque postea tanquam altari consecrato usus est, in quo sacrificavit. Patriarchæ hujus exemplo Ecclesia altaria ac templa sacrâ unctione Deo dicat & consecrat.

Ista autem olei unctio, & quæ à Jacob, & quæ ab Ecclesia peragitur, veræ devotionis est symbolum, quâ sponte, placido & grato corde nos Deo devovimus & consecramus; ejusque servicio nos, non coactè, sed magnâ animi promptitudine offerimus. Simili unctione, ut refert Theodoretus, solitæ sunt thecas Martyrum piæ mulieres, ad suam ergo illos devotionem contestandam, inungere

Et

Et Dæmon, tanquam Dei & Sanctorum simia, ut scribit S. Augustinus Lib. 11. de Civit. Cap. 38. hanc unctionem in sacris suis imitatus est, quando suis persuasit lapides Termino (falso Deo, limitum custodi) inungere & consecrare, in devotionis diabolicæ signum. Oleum igitur devotionis est symbolum. Quæ duplex est, una vera, solida & essentialis à Theologis nuncupata; altera, prioris effectus & fructus, accidentalis dicta, & alio nomine, suavitas & consolatio spiritualis appellata. De hac in exhortatione sequenti, de priore verò in præsentem agemus ejusque ternos effectus, quòd scilicet sanet, faciliet, roboret, ex olei proprietatibus declarabimus.

I. Prima olei proprietates est, sanare, vulnera fovere, & mitigare dolores. Ut enim apud S. Lucam c. 10. legimus: ei, quem latrones, gravissimis plagis impositis, semi-vivum reliquerant, Samaritanus ille obligavit vulnera, oleum infundens & vinum. Vinum, ut vulnera constringeret, & saniem abstergeret: Oleum, ut partes vulneri vicinas leniret, foveret & roboraret. Quemnam verò vulneratus ille & semi-vivus designat, nisi hominem quemvis, peccati originalis telo sauciatum & inter cæteras plagas, peccati fomite in voluntate percussum, ex quo, teste Doctore Angelico 3. part. q. 27. art. 1. *Langor & difficultas ad bonum, pronitas & propensio ad malum nascitur*: adeò ut homo Paralytici instar, vix manus ad laborandum; vix pedes ad ambulandum, in via Domini, movere valeat: Huic autem gemino vulnere, gratiæ

divinæ auxilio, oleum veræ devotionis medetur; quæ hominem, Deo se devotentem nam inde devotio nomen trahit) ei tradit, atque obsequio ejus mancipat, ad omne opus bonum, Deoque gratum, exercendum disponit: ac propensionem in malum adimit.

Devotio enim est fructus Spiritus Sancti, qui est Fons vivus, Ignis, Caritas, & *spiritualis unctio*, ut in Hymno canit Ecclesia; id est, fons & origo devotionis, religionis, fervoris & charitatis. Devotio est filia gratiæ, nam quòd quis promptam hanc voluntatem nactus sit, ex gratia procedit, & omne peccatum rejicit Devotio est fons bonorum operum, quia est generalis actio seu voluntas, quæ ad omne Deo gratum afficimur. Est actio & effectus virtutis Religionis: ejusdem enim virtutis est quidpiam facere, & promptam habere id faciendi voluntatem: cum igitur cultus divinus, Dei que obsequium Religionis sit actus, sequitur etiam voluntatem divinis obsequiis promptè vacandi, ad Religionis virtutem pertinere. Est etiam actus & effectus charitatis, si ex ejusdem motivo procedat: Si enim Deo placendi studio opera devotionis exerceamus, ad virtutem caritatis spectare censebuntur. Qui enim aliquem amat, universas amici res amore prosequitur: filium ejus, servum, equum, canem, cum omnia hæc in rerum amatarum cumulo contineantur: Ita pariter Deo efficaciter placere, ejusque in omnibus obsequio mancipari desiderans, omne quòd quo peccatum fugere, omne, quod DEO gratum accidere autumat, præstare gestit. Denique.

Devo.

I.
Oleum
devotio-
nis sanat.

DE SUB
Devotio, Authore Angelico
1. Est voluntas qua
si tradentis ad ea, quæ pe
simulatum. Ad omne
votio inclinatur, omni
fectus caulat, sive finit
teriora, sive interiora,
tum & honorem solen
sunt jejunium, vigilia,
poris castigatio, multi
fectio, plimonia, si
& ipsa mentalis oratio
hujus devotionis, quæ
illam voluntatem gen
dem effectus: quia
luntas jam genita;
bona; ita & ad op
impellit.

Ex quibus omnib
tualem unctionem
leum bina illa ani
dam languorem &
num excutit, & p
lum, per contrari
vitatem minuit at
in hac devotione,
nemur crescere,
quidquid ad Dei
conducit, non se
promptè, alacritate
larem enim dat
exem, diligit D
II. Aliter o
facilitate, & prom
que ad operando
admodum oleum
difficiliter & grav
de mobiles, ex
currendam reddi
alias durum ac it

Devotio, Authore Angelico 2. 2. q. 82. art. 1. *Est voluntas quadam promptè se tradendi ad ea, quæ pertinent ad Dei famulatum.* Ad omnia igitur illa, devotio inclinatur, omnia illa tanquam effectus caulat, sive sint obsequia Dei exteriora, sive interiora, quæ in ejus cultum & honorem suscipimus. Qualia sunt jejunium, vigilia, genuflexio, corporis castigatio, multiplex virtutum affectio, psalmodia, sacrificium; inò & ipsa mentalis oratio: quæ & causa est hujus devotionis, quatenus promptam illam voluntatem generat; & est ejusdem effectus: quia prompta hæc voluntas jam genita; sicut ad alia opera bona; ita & ad opus orationis mentalis impellit.

Ex quibus omnibus liquet, hanc spirituales unctionem; hoc devotionis oleum bina illa animæ vulnera curare; dum languorem & difficultatem ad bonum excutit, & propensionem ad malum, per contrariam in bonum proclivitatem minuit atque eliminat. Quare in hac devotione, Charissimi, in dies conemur crescere, nosque perficere; ut quidquid ad Dei cultum & obsequium conducit, non solum obeamus; sed & promptè, alacritèrque aggrediamur: *Hilarem enim datorem, promptum & alacrem, diligit Dominus.* 2. Corinth. 9.7.

II.
Facilitas.

II. Altera olei proprietas est, facilitas, & promptitudinem alacritatemque ad operandum inducere: quemadmodum oleum horologiorum rotas, difficulter & gravatè incedentes, & tardè mobiles, expeditas facilèsque ad currendum reddit. Corium similiter, aliàs durum ac intractabile, molle &

flexile efficit; atque in omnes usus ac formas coaptat: ita veræ devotionis oleum voluntates hominum, aliàs duras lenit, mitigat, promptas, alacres & ad omne Dei obsequium expeditas reddit; licet caro fragilis obmurmuret; sensus contradicat; & homo inferior difficultatem experiatur. Cùm enim devotio omnia hujusmodi obsequia, tanquam media ad venerandum Deum, cui summè placere desiderat, unicè respiciat, ardua & amara, ut facilia & dulcia amplectitur; cunctaque difficultatum obstacula fortiter pertrumpit; molestiam minuit; laborem alleviat & dulcorat amarorem; jugumque Domini suave, & onus leve reddit.

Quò spectat illud Isaia: cap. 10. *Computrescet jugum à facie olei;* id est, in præsentia olei: quemadmodum enim boum equorumque juga arida, oleo unctà lentescere, mollescere, dissolvi, ac tandem putrescere consueverunt: Et sicut, ad literam, opis & misericordiae divinæ præsentia, jugam Regis Sennacherib, quo Judæos vexavit, tributisque oneravit, per Regem Ezechiam victorem computrescet ac dissolvetur: ita tropologicè & moraliter oleo divinæ gratiæ unctionis Spiritus Sancti, & veræ devotionis, quidquid aliàs jugi instar gravat, quidquid oneris instar premit; facili negotio supportatur ac superatur. Experti id, teste Sancto Gregorio Lib. 19. Moral. cap. 12. & 13. Apostoli & Discipuli Domini, qui in die Pentecostes, Spiritus sancti oleo delibuti, & pietatis, devotionis, religionis & caritatis spiritu repleti, omnia ardua & dura velut festucas dirupère; ad contumelias

III.
Confor-
tat.

III. Tertia olei proprietas est, *confortare*, roborare, vegetare, corpúsque ad luctam & certamen habile reddere. Unde Athletæ olim, luctaturi, oleo se inungebant, ut nervi & caro mollesceret. Devotio non tantùm ad opera pietatis, & cultûs divini communia; verùm etiam ad ardua promptos paratósque reddit: cùm enim servi Dei, Christum sequentes, & eidem se penitus devotes, crucem post Christum portare debeant, ardua quoque ac difficilia superanda occurrunt; ad quæ perfringenda vera devotio roborat. Quod admirabili modo Christus Redemptor noster exprimere in se, & luculento exemplo nobis ob oculos ponere voluit; tam in initio, quàm sine mortalitatis suæ; ut quantâ nos in initio & sine religiosæ conversationis nostræ devotio esse oporteat, edoceret. De principio vitæ suæ sic inquit: *Sacrificium & oblationem noluisti, aures autem perfecisti mihi.* Psalm. 39. Vel ut LXX. vertunt, *Corpus autem adaptaisti mihi. Tunc dixi ecce venio, in mundum, ut facerem voluntatem tuam, quàm perfectissimè & promptissimè, Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.* Hanc volui, id est, summè ardentèrque dilexi, & in medio præcordiorum meorum abscondi, atque in medio ventris mei gustavi, ut innotescat, quia *meus cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei:* Etiam in maximè arduis ac difficillimis; in contemptu nimirum & dolore, in passione ac morte. Et hoc quidem in vitæ exordio: at quid in fine? Quæ orationem in horto Getsemani conclusit? *Veruntamen, ait, non sicut ego volo, sed sicut tu.* In quæ

verba Venerabilis Beda scribit: *Non inquam fiat hoc, quod humano affectu loquor: Transeat à me Calix iste: sed id, ob quod in terras tuâ voluntate descendi. Ut scilicet calicem passionis à te præparatum, ad fundum usque exhauriam.*

Salvatorem nostrum in hoc devotionis heroicæ exercitio imitati sunt Apostoli, ut supra insinuavimus; infecuti sunt alii Viri Apostolici. Ex innumeris unus sufficiat Venerabilis P. Martinus Stredonius, & Societate nostra, opinione sanctimonix, & vaticinio de Domûs Austriacæ exaltatione illustris: qui hoc devotionis Spiritu plenus, ad ardua quæque se Deo sistebat: Ecce venio, ajebat, ut faciam voluntatem tuam. Sive mo ire jubes ad lucem, sive ad tenebras; sive ad quietem, sive ad labores; sive ad solatia, sive ad acerbitates; sive ad vitam, sive ad mortem; sive per aquam, sive per ignem; sive per infamiam, sive per bonam famam: Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei defixi, ut non nisi juxta eam, quies & motus & omnia mea dispensentur.

Quæ cùm ita sint, Charissimi, ut S. Parentis nostri jussioni pareamus, & pro mensura gratiæ Dei, nobis communicatæ, devotioni quærendæ insistamus: hic sit conatus noster, hoc desiderium, ut in omnibus voluntati Dei conformemur, eique quàm promptissimè servire aveamus. Sicque formula vitæ nostræ illud Davidis: *Anima mea illi vivet, & semen meum serviet illi,* Psalm. 21. 30. Id est, opera mea illi perfectè servient: quod ut præstemus, Spiritum Sanctum, qui est *fons vivus gratiæ, ignis consumens, charitas fervens, & Spiritualis*

Unctio, indefinenter imploremus, ut oleo veræ devotionis nos perungat. Hæc ejus unctio vulnera nostra sanabit; dum languorem ad bonum, ac pronitatem ad malum corrigeret: deinde instar olei olivarum facilitatem operandi, alacritatēque in omnibus ad Dei obsequium spectantibus exemplo Filiorum

Israël ac Vatis Coronati concedet. Denique juxta Christi Domini, Virorumque plurimorum Apostolicorum prototypon, ad ardua promptè aggredienda confortabit; & non modò devotionem, sed etiam religionis & charitatis virtutem, magnis incrementis amplificabit.



EXHORTATIO IV.

DE DEVOTIONE ACCIDENTALI SEU SENSIBILI

T H E M A.

Unxit te Deus, Deus tuus, oleo letitiæ.

Psalm 44.

Vel ex Regula.



ut admodum Reges & Principes hujus sæculi subditos & milites in lætitiâ, atque alacritate sibi servire: & parentes filios in hilaritate, & jucunditate degere cupiunt; ita pariter, & multò magis DEUS Princeps noster benignissimus,

& Pater amantissimus famulos & filios suos lætos & alacres esse desiderat. Hoc autem inter cætera per devotionem accidentalem, seu suavitatem, ac consolationes spirituales efficit; quæ devotionem veram ac solidam, nullòque modo ab aliquâ dulcedine dependentem, consequitur; & tria veræ & substantialis devotionis obstacula ac impedimenta aut tollit, aut saltem minuit. Primum impedimentum

veræ

veræ devotionis, & promptè
Dei obsequium est carnis
laborem fugiens, & ad quæ
lino: de qua Christus in
mientes Apostolos: Spiritus
promptus est; caro autem
20. 41. Secundum impedi-
Sensualitas, seu appetitus
voluntati contradicens,
& læcoli sunt, concupiscenti-
rem virtuos, ac rerum
pugnantiâ invidiosus:
Paulus ait: Condeleat
dum interiore homin-
aliâ Legem in non
quantem Legem mentis
Tertium est Necessitas
nos ad curam corporis
alia, sine quibus non
indivocatur, quò per
Paulus dixit: Non
suam odio habuit
eam. Ephel. 5. 29
optimus, per con-
cor intimè penetra-
mulcentes, carnis
sensualitatem com-
tam hujus vitæ cur-
in quâdam ad
tranquillitate con-
De hac devo-
deo dulcedinis
agemus, & tria
necessitatis remedia
monstrabimus
I. Sensitivitas spiri-
patis mentibus ele-
est assumenda:
mum de præstanti-
ni.

veræ devotionis, & promptitudinis ad DEI obsequium est *carnis fragilitas*, laborem fugiens, & ad quietem anhelans: de quâ Christus in horto ad dormientes Apostolos: *Spiritus quidem promptus est; caro autem infirma.* Matt. 26. 41. Secundum impedimentum est *Sensualitas*, seu appetitus sensibilibus voluntati contradicens, quæ carnis & sæculi sunt, concupiscens, & timorem virtutis, ac rerum spiritualium repugnantiam inducens: de quo Sanctus Paulus ait: *Condelector Legi Dei secundam interiore hominem; video autem aliam Legem in membris meis, repugnantem Legi mentis mea.* Rom. 7. 22. Tertium est *Necessitas hujus vitæ*; quæ nos ad curam corporis, sanitatem, & alia, finè quibus non subsistit, perpetuò advocat, quò pertinet, quod Sanctus Paulus dixit: *Nemo unquam carnem suam odio habuit; sed nutrit & fovet eam.* Ephel. 5. 29. Deus autem Pater optimus, per consolationes spirituales, cor intimè penetrantes & suavitate demulcentes, carnis imbecillitatem erigit, sensualitatem comprimit, & immoderatam hujus vitæ curam rejicit, & animam in quâdam admirandâ serenitate, ac tranquillitate constituit.

De hac devotione sensibili tanquam oleo dulcedinis in præsentia exhortatione agemus, & fragilitatis, sensualitatis & necessitatis remedium nobis adferre demonstrabimus.

I. Suavitas spiritualis, quam Deus puris mentibus elargitur, magni sanè est æstimanda: nam I. est suavissimum & præstantissimum contra infir-

mitatem, & fragilitatem carnis nostræ labores fugientis, & quietem amantis remedium: hæc enim non solum velut oleum Athletas; verum etiam ut vinum liberalius haustum milites, aut assultum in mœnia paraturos, aut in hostilem aciem impetum facturos animat, excitat, & corroborat. Hæc dulcissima suavitas, quia res sancta & sanctitatis effectrix est, oleo sancto, quo Sacerdotes unguuntur, & Sacramenta perficiuntur, merito assimilatur. Et iis, quæ de oleo hoc sancto scribit D. Cyprianus (de cardinalibus operibus Christi: titulo de unctione Chrismatis) olei Devotionis vis & proprietates bene explicantur. 1. *Hoc oleo, inquit, (scilicet sacramentali, & sacerdotali) uncti, cum spiritualibus nequitias luctamur, nec factoribus spiritibus imbuti possumus, qui balsami spiritualis odore fragramus.* 2. *Hoc oleum à creditorum Usuris sub Eliseo Prophetâ mulierem liberavit.* 3. *Hoc oleum Elia tempore Sareptanam pavit, nec lecythus trinâ effusione defecit.* 4. *Hoc oleo Jacob lapidem, quem supposuerat capiti, unxit; & familiari mandato eruditus, inter Sacramenta ascensionum & descensionum, & discursus Angelicos, in nixum seala sublimi videns Deum, quid virtutis hac haberet unctio, intellexit.* 5. *Samuel quoque ad Reges iniandos sine oleo non accedit.* Hactenus S. Cyprianus. Eadem autem, quæ illi Unctioni sanctæ tribuit, perquam apè suavitatis & consolationis oleo applicantur, vim enim infirmitati nostræ medendi, non obscure insinuant. Nam

Primò. Caro nostra ad luctandum

¶¶¶ 2

curo

I.
Devotio
suavis est
remediū
infirmitatis.

cum Dæmonibus infirma est; at consolationis spiritualis oleo peruncta, Dæmonum impulsus generosè retundit; nec spuris peccatorum, & tentationum factoribus imbuitur. 2. Caro nostra ad compunctionem, & opera pœnitentiæ, quibus noxarum debita expungamus, debilis est; at hoc oleo Spiritûs perfusa, pœnis spontaneis libens atteritur, mens compungitur, & in lacrymas ubertim solvitur, quibus peccatorum debita deleamus. 3. Caro nostra ad resistendum inolitis vitiis, & passionibus languida est; at unâ cum Spiritu, pane hoc oleato pasta, & pinguedine spirituali saginata, & confortata fortiter dimicat, ac de vitiis suis, cupiditatibusque triumphum reportat. 4. Caro nostra fragilis est, mentique virtutum scalam ascendere paranti, non rarò contumaciter reluctatur: at hoc oleo dulcedinis tincta animatur ac roboratur, ut tam alacriter per vitæ contemplatiuæ actiones ad Deum, per virtutum gradus ascendat, quàm per vitæ activæ opera ad proximum descendat. 5. Caro nostra sæpe rebellis est, & ægre Spiritui subicitur; at suavissimis Spiritûs solatiis delinita, sponte se ejus gubernaculo subdit, & ille tanquam Rex inunctus facili negotio, carni imperat, eamque suis quò libet habenis inflectit ac dirigit.

Hanc infirmitatis carnis nostræ medelam, hanc olei devotionis roborandi vim, clarè exprimit Doctor Mellifluus Serm. 1. de Dedicacione, ubi cæremonias Consecrationis Templorum ja nobis tanquam templis DEI vivis im-

pleri asserit: de Unctione templi, quam perficit Episcopus, sic ait: *Necesse est, ut unctio spiritualis gratia adjuvet infirmitatem nostram; observantiarum & multimoda pœnitentia cruce, devotionis suæ gratiâ liniens: quia nec sine cruce sequi Christum, nec sine unctione crucis asperitatem ferre quis posset. Hinc est, quòd multi abominantur, & fugiunt pœnitentiam, crucem quidem videntes, sed non etiam unctionem. Vos qui experti estis, ecce scitis, quia verè crux nostra inuncta est, & per gratiam Spiritûs adjuvantis, suavis, & delectabilis est pœnitentia nostra, & ne ita dicam amaritudo nostra dulcissima.*

Expertus has Spiritûs delicias Sanctus Franciscus Xaverius, & mirificè inter ærumnas gravissimas, & labores plurimos maximosque in Indiâ carnem fragilem ita roborari sensit; ut præ abundantia gaudiorum exclamaret: *Satis est Domine, satis est!* Aut minue gaudia, aut tolle me de hac vita! nec enim cor mortale tanta gaudia capere potest: ast verò, quid hoc oleo confortatus suspirabat & anhelabat? Nil nisi labores, sudores & adversitates; unde adhæc exclamabat: *Amplius! amplius!*

O igitur præclarum infirmitatis carnis nostræ remedium! O suave debilitatem nostram roborans alexipharmacum! quod amarum efficis dulce, & grave omnino leve reddis! Verè Propheta Regius ait: Psalm. 22. 5. *Impinguasti in oleo caput meum: Scilicet oleo dulcedinis spiritualis, ut exponit*

DE DE
ponte Cardinalis Bellar
tam: & mox sentit
rum, dum ait: Et ca
triani, quàm præclar
veritatis mihi vini
est, neque tanta du
ut difficultatem non se
adversitates affinem
cam.

II. Deinde cons
les Remedium præber
stræ, quæ semper lib
amena, & sapida
Divina Bonitas men
dine Spiritum intus
mines suo obsequi
nit, & velut oleo i
vitas ab anima in
rò derivatur. Ad
illo, quod Moyse
Psalm. 131. 2.
dit, ut usque in
deret, & super or
ret; sic enim d
nullo modo in ca
in mente homini
oram vestimenti,
reque descendi
dicat: Cor me
taverunt in Deo
Tantaque est su
ra, hominem
nocentiz restit
nibus mundi d
que cum eâ con
tecer avellat.
Hanc devotion
Vates Regius excl
qua multitudine dul

ponit Cardinalis Bellarminus in hunc locum : & mox sensit vim confortativam, dum ait : *Et calix meus inebrians, quàm præclarus est ?* Calix adverstatis mihi vini instar dulcis & gratus est, neque tantâ dulcedine inebriat ; ut difficultatem non sentiam, nec ulla adverstitates æstimem, aut pertimescam.

II.
Est remedium sensualitatis.

II. Deinde consolationes spirituales *Remedium* præbent *sensualitatis* nostræ, quæ semper sibi grata, jucunda, amœna, & lapida lætatur ; ab his ut Divina Bonitas mentes abstrahat dulcedine Spiritum intimè penetrante, homines suo obsequio dedicatos, delinit, & velut oleo impinguat : quæ suavitas ab anima in ipsum corpus non raro derivatur. Adumbratur hoc, oleo illo, quod Moyses super caput Aaronis, Psalm. 131. 2. tantâ abundantia fudit, ut usque in barbam ejus descenderet, & super oram vestimenti maneret ; sic enim devotio illa suavissima nullo modo in capite Aaronis, hoc est, in mente hominis se continet ; sed ad oram vestimenti, ad corpus scilicet, carnemque descendit ; ita ut cum Davide dicat : *Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum*, Psalm. 83. Tantæque est suavitas, ut quamdiu durat, hominem quasi felicitati statûs innocentie restituat ; & mentem ab omnibus mundi deliciis & voluptatibus, quæ cum eâ comparari nequeunt, potenter avellat.

Hanc devotionis suavitate expertus Vates Regius exclamabat : *Quàm magna multitudo dulcedinis tua, Domine,*

quam abscondisti timentibus te ! Psalm. 30. Magna sed abscondita, iisque tantum cognita, qui DEUM timent. Hæc dulcedo ita abstraxit Prophetam ab omnibus mundi voluptatibus ac humanis solatiis, ut dixerit : *Renuit consolari anima mea. Memor fui Dei, & delectatus sum.* Psalm. 76. 3.

Hoc oleum & manna gustabat Abbas Joannes, de quo Cassianus collat. 19. Eum tantâ perfundi solitum interiori dulcedine, ut nè id quidem recorderetur, an pridie comedisset. Ecce quomodo hoc manna spirituale omnem sensualitatem extinguit ! Sanctus Ephrem quoque idem manna degustavit : qui, cum ejus præcordia cælesti lætitiâ penè rumperentur, exclamabat : *Recede à me Domine parumper, quoniam vasis hujus infirmitas ferre non potest.* Sanctus quoque Bernardus iisdem gaudiis ita absorbebatur, ut toto die lacum obequitans, nunquam eum viderit, & toto anno in una cella degens adhuc ignoraret, an ea tectum haberet ; qui proinde Epist. 114. *Revera, inquit, illud verum & solum gaudium est, quod non de creatura, sed de creatore percipitur, & quod cum possederis, nemo tollet à te, cui comparata omnis aliunde jucunditas mæror est, omnis suavitas dolor est, omne dulce amarum, omne decorum fœdum, omne postremò, quodcumque aliud delectare possit, molestum.* Ecce quàm suaviter & efficaciter hæc spiritus dulcedo cunctis medetur sensualitatis nostræ blanditiis !

Atque hæc videtur causa esse, cur divina Bonitas eam quandoq; infundat vitæ reli-

religiosæ Tironibus, & viam spiritûs incipientibus; ut eos scilicet à voluptatibus mundi, à deliciis sensuum, & carnis abstrahat. Et ut S. Bonaventura scribit in process. 3. Relig. ad finem: *Ut Novitiis videant, quàm largè Deus remuneret sibi servientes, & quàm bonum sit servire tam dolci Deo: item ad confirmationem Fidei illorum, ad robur Spei, ad Charitatis accensionem, ad desiderii inflammationem, & ad eruditionem; ut videant quomodo sit pergendum; non secus atque in tenebris lumen ostenditur, ut videatur quâ sit eundum, & à quibus cavendum.* Ita Doctor Seraphicus. Est proinde hæc suavitas lac infantibus, & solidus cibus adultis: quoniam omnes hæc internâ suavitate pascuntur, & pro statuum varietate succrescunt.

Hanc igitur suavitatem & consolationem spiritualem, Charissimi, ardentè vobis desiderare, & humiliter à Deo postulare licebit, non propter se, non propter gustum, & delectationem vestram; sed ut illâ, quasi instrumento ad omne bonum provehamini: eâ tanquam faccharo allecti, orationem non aridam & tepidam, sed pinguem & ferventem Deo offeratis; eâ tanquam lacte ab uberibus mundi & carnis abstrahamini; eâque inescati omnium sensuum irritamenta nauseetis, ac despiciatis; sensualitati verò ingrata & aspera, promptè alacritèrque amore Dei amplectamini.

III.
Est remedium necessitatis.

III. Denique hoc dulcissimum devotionis oleum, *Remedium* præbet *nimia sollicitudinis*, pro corpore, & ejus sanitate, & curæ anxie de rebus temporalibus,

aut futuris: Devotio enim mentem serenat & pacificat, & cum gaudiis ac solatio, etiam in carnem redundante, eam pascit, omnes cogitationes & sensus colligit, & in Deo, omnis dulcedinis fonte, defigit; atque ita homo interior, & exterior conjungitur, & per gratiam DEI eò perveniunt, ut simul valde uniti & concordēs ambulent in Domo Domini, de rebus aliis minimè solliciti; sed parati cum exultatione magnâ, ad omne, quod DEUS præcipit: *Inebriabuntur ab ubertate domus tue; & torrente voluptatis potabis eos.* Psal. 35. Torrentem vocat ob copiam dulcedinis; ebrietatem autem, quia dum uterque homo his solatiis saturatur, quasi à vita mundi, & à se ipsis alienati, nihil in terra vident, aut curant; sed intus fervent spirituali æstu, qui fervor ad multa impellit, quæ mundanis inepta ac stulta videntur. Ita Sanctus Franciscus Seraphicus hoc æstu quasi ebrius, & omnium oblitus, se mundi ludibrium fecit, quia non aliud in corde & ore habebat, quàm *Deus meus & omnia!*

Deinde cor & animum sic ab omnibus abstractum impellit ad orationem attentam & devotam, ac Deo placentem instar musicæ, ex multis concordibus vocibus concinnatæ; cum enī corpus, appetitus, phantasia & sensus sint participes pretiosissimi unguenti devotionis, & lætitiæ, in omnibus ad suavem orationis musicam conficiendam se accommodant, & collaborant, ut DEUS ex toto corde, ex totâ animâ, ex totâ mente, &

cx

DE A
in omnibus viribus
devotio, & amor Dei
de affectibus omnibus
nis, & muneribus
ratione offeramus
tutes ad suam symb
invitant. Perit
cant, ut corde con
Deum placet. Ob
Deo pareat. Humi
ei se submittat. G
quas virtutes, ut a
ercean: ipsam qu
vitant, ut Sacrifi
David Psal. 67.
magna spiritibus
Denique devot
suggerit omne
loquendum cu
S. Bernardo Se
lingua nuncup
Sanctus utitur
ioqui faciat:
des; ut eam co
Ephel. 5. 18.
loquentes vobis
nis, & canticis
Cpsalentes in
no, gratias age
O felix
nus hæc de
cum carne
sensus omni

ex omnibus viribus ametur: atque ita devotio, & amor Dei prospiciant nobis de affectibus omnibus, propositis, donis, & muneribus; quæ Domino in oratione offeramus; omnesque alias virtutes ad suam symbolam conferendam invitant. Pœnitentiæ virtutem advocant, ut corde contrito, & humiliato Deum placent, Obedientiam vocant, ut Deo pareat. Humilitatem accersunt, ut ei se submittat. Gratitude, & reliquas virtutes, ut actus suos heroicis exerceant; ipsam quodque Religionem invitant, ut Sacrificia sua offerat, quæ David Psal. 65. 15. *medullata*, id est, magno spiritibus fervore plena nuncupat. Denique devotio illa suavissima nobis suggerit omne genus verborum, ad colloquendum cum DEO; quamobrem à S. Bernardo Serm. 15. in Cant. *Anima lingua nuncupatur*; eaque Spiritus Sanctus utitur, ut nos linguis igneis loqui faciat: ideoque Apostolus suadet; ut eam comparate studeamus. Ad Ephel. 5. 18. *Implemini Spiritu Sancto loquentes vobismet ipsi, in psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus, cantantes, & psallentes in cordibus vestris Domino, gratias agentes semper pro omnibus.*

O felix Animo, quam Spiritus Divinus hæc devotione replet! eandem cum carne concordem conjungit, sensus omnes, ac potentias unit, ad si-

mul suaviter orandum, Deum laudandum, omniisque generis virtutes exercendum invitât & allicit! Tua sunt Domine hæc dona! Tuus est iste ignis, tua est devotio, quæ linguas nostras movet, tua est *Unctio*, quæ docet nos de omnibus. 1. Joan. 2. 27.

Quapropter, Carissimi, si quis vestrum hæc devotione seu dulcedine, ac consolationibus præditus est, Deo gratias agat, se eam indignum agnoscat, & eò fidelius Deo serviat. Qui verò eam caret, non tristetur, sed in voluntatem divinam se resignet, eamque à Domino flagitet; ut si Deo placeat, eam possit, non ob gustum & delectationem suam; sed ob Dei beneplacitum, & gloriam; ut hoc Oleo 1. confortetur ad omne malum declinandum, ad omne bonum alacrius perficiendum, atque per scalam perfectionis, usque ad apicem constantius ascendendum. 2. Ut sensualitatem domet, dum cor, & caro in Deum vivum exultant; atque ita omnis dulcedo sensualis in amaritudinem, omnis fallax gratia, & pulchritudo in fœditatem, omne delectabile in molestiam convertatur. 3. Denique. Ut mens, phantasia, appetitus, sensus, & omnes potentiae hoc oleo delibutæ cum spiritu concordent & Deum intimam pietate orent, laudent, & glorificent.

*
*

Ggg

EXHOR.



EXHORTATIO V.

IN REGULAM XXI. SUMMARI.

Exhibet causas, & remedia Ariditatis.

T H E M A.

Anima mea sicut terra sine aqua tibi. Psalmus 142. 6.

Vel ex Regula. 21.

Literarum Sacratum monumenta Jud. 1. 15. referunt, Axam filiam Caleb cum parte suo in itinere progredientem suspirasse: audiens verò id Caleb: *Quid habes, inquit? At illa respondit; Da mihi benedictionem: Terram Australem & arentem dedisti mihi (quam Solis calores exsiccant) junge & irriguam; dedique ei Caleb irriguum superius, & inferius. Quid Filia Caleb denotat, nisi animum veræ devotionis cupidam; sed ex se instar terræ arenosæ aridam, absque aqua devotionis sterilem, atque à cupiditatum ardoribus, magis adhuc eam exsiccantibus, oppugnatam, quæ ad Patrem cælestem suspirat. Anima mea sicut terra sine aqua tibi, Psal. 142. 6. Vocat lociter exaudi me Domine; quia defecit*

spiritus meus. Da mihi cælestem aliquam benedictionem, quæ me refrigeret; commuta terram aridam, & sterilem, in irriguam aliam, quæ fructus benedictionis proferat. Et si ita in orando, & suspirando perseveret; Pater cælestis omnino misericors, irriguum superius, & inferius donat: Superius irriguum est aqua devotionis, quam DEUS dat per seipsum, & (ut ait David) ex alto mittit; Etenim cali distillaverunt à facie Dei Sinai, Pl. 67. 9. instar pluvie sponte decidentis. Irriguum inferius est gratia devotionis, quam Dominus Deus noster media nostra diligentia in meditatione, lectione, exhortatione, aliisque pietatis exercitiis communicat.

Hujus devotionis ut participes redamur, contrariæ ariditatis causas, & remedia considerabimus.

Antequam verò ariditatis causas inquir-

I.
Causa
ariditatis
est Deus.

I. Prima
causa est
inquit S. A.
c. 2. Alter
in submis
inter tentati
est quodque ar
ut orantibus
penam alicui
ritualibus ex
presumptio

inquiramus, prænotandum erit pro
 intelligentia Tironum, quid sit ariditas
 in oratione: nimirum 1. Est distractio,
 & evagatio mentis, qua ad alia cogi-
 tanda, quæ ab orationis materia præ-
 sùs aliena sunt, etiam invitè avocatur:
 ut sibi contigisse recenset D. Hierony-
 mus Dial. contra Luciferi. *Nunc (in-
 quit) creberrimè in oratione per porticu-
 sus ambulo aut de fœnore computo.* De-
 inde Aridus est, qui etiam absque di-
 stractionibus nullum serum divinarum
 gustum, aut consolationem percipit;
 sed tanquam terra sine aqua affectum;
 & tanquam lignum aridum, discurtum
 pertexere nequit. Aridus denique est,
 qui in oratione variorum affectuum
 motibus, ut iræ, tristitiæ, aut aliis,
 tanquam mare fluctibus agitatur, ideò
 que tædium, & inclinationem ad
 abruptam orationem sentit, aut
 somnolentia infestatur. Hujus verò ari-
 ditatis, ut apud Cassianum coll. 4. c. 3.
 differit Abbas Daniël, ternæ recense-
 tur causæ à Majoribus traditæ: *Aut e-
 nim de negligentia nostrâ, aut de impu-
 gnatione Diaboli, aut de dispensatione
 Domini ac probatione descendit.* Quas
 causas nunc expendemus.

I.
 Causa
 ariditatis
 est Deus.

I. Prima ariditatis nostræ in oratione
 causa 1 est Deus. *Aliter nos tentat Deus,*
 inquit S. Ambrosius Lib. de Abraham.
 c. 8. *Aliter Diabolus: Diabolus tentat,*
ut subruat; DEUS tentat, ut coronet.
 Inter tentationes has à Deo immittas,
 est quòque ariditas, quam Deus immit-
 tit orantibus, variis de causis. 1. In
 pœnam alicujus peccati admissi in spi-
 ritualibus exercitiis vel superbæ, aut
 præsumptionis. 2. Ad augmentum me-

riti, quòd resistendo consequimur. B.
 Virgo dixit S. Brigittæ Lib. 3. revel. c.
 32. *Turbari non debes, si quandoque cor
 tuum induratur; quia hoc est ad majo-
 rem coronam.* 3. Ad probationem nostrî,
 nostræque constantiæ, ut ait S. Ignatius
 Reg. 9. de discern. an. mot. *Ut probemur,
 quoniam simus, & quomodo absque conso-
 lationum spiritualium stipendio nos Deo
 impendamus.* 4. Ut certi simus, nostrarum
 virium non esse, vel acquirere,
 vel retinere fervorem devotionis; &
 agnoscamus in nostra potestate non esse,
 rectè orare; sed id totum à libera-
 litate Dei pendere. S. Ignatius l. c.
 5. Denique propter honorem, &
 gustum suum: nostrâ enim patientiâ,
 resignatione ac perseverantia DEUS
 mirificè delectatur.

At* remedium hujus ariditatis,
 quodnam adhibebimus? Respondeo:
 Si primo modo, id est, ob delictum,
 DEUS ariditatem nobis immittat,
 gaudendum est, Deo hac ratione
 quodammodo pro offensa fieri satis.
 Hanc ob causam R. Pater Ludovicus
 de Ponte Purgatorium, ac Infernum
 darigaudebat. Quòd gaudium ex solido
 Dei amore, & odio peccati, ac ma-
 gna cognitione, & reverentia divinæ
 Majestatis oritur. Quòd si verò reliquis
 modis oriatur ariditas, pariter gauden-
 dum est, quòd Deo placeat, ita nos
 tractare: atque hæc conformitas cum
 divina voluntate, actus obedientiæ, &
 charitatis est, quem personæ ex mia
 sanctitate illustres exercere.

Sancta Theresia octodecim annorū
 spatio magnam ariditatem sustinuit,
 velut ipsa refert in vita suâ Cap. 30.

S. Franciscus biennii intervallo, mœrore gravissimo, etiam orationis tempore ita tabescebat, ac cruciabatur, ut sibi à Deo derelictus videretur, eumque celare nequiverit, nec cum Fratribus conversando, nec precibus Insistendo eundam depellere potuerit. R. Pater Balthasar Alvarez sedecim annorum Ariditatem pertulit. c. 2. vitæ: At postmodum insigni contemplationis dono illustratus. B. Clara de Monte Falco undecim. B. Catharina Bononiensis quinque. B. Maria Magdalena de Pazzis primò quinque, deinde aliis sedecim continuis annis maximam ariditatem passa est, usque ad mortem, ita ut videretur à Deo quodammodo derelicta, & sensu divinæ gratiæ destituta, quod illi eventurum Deus ipse præmonuerat. B. Angela de Fulginio biennio, ut ipsa de se scribit, inauditas spiritus ariditates sustinuit.

Sanctos igitur hos, Charissimi, imitemur, si quandoque DEUS nobis non nullam ariditatem submittat; nec propterea animo cadamus, novit DEUS misericordissimus ariditatem in consolationem convertere, & terram aridam, & sterilem cordis nostri rore gratiæ suæ aspergere, & fecundare: *Minimè autè desperet*, inquit S. Laurentius Justinianus de triumph. Christi agone, *qui huiusmodi est: per se veret in bono, & per bonū discat bene facere: non enim in bono occupatos derelinquit Deus; sed illos ex insperato visitare consuevit.*

II.
Diabolus.

II. Altera ariditatis causa est Dæmon. *Universum bellum*, inquit S. Nilus c. 47. de oratione, *quod inter nos, & Demones constat, non est de aliâ re, quàm de ora-*

tione: est enim Oratio illis valde adversa & odiosa; nobis verò salutaris, & valde benigna. Hæc autem ariditas duobus modis oritur, sicut & alia quævis tentatio à Diabolo procedens. *Exterius, & Interius.* Ut in vitis PP. L. 5. num. 33. exposuit S. Syncretica: *Sicut navis (inquit illa) aliquando exterius fluctuum motibus oprimitur; aliquando verò interius crescente sentina demergitur.* Ita prorsus cum animæ nostræ cinbâ agitur. 1. Exterius, & immediatè Dæmon orantes invadit, quando Deo permittente, nos per se infestat orantes. Cujus rei exempla apud S. Athanasium in vita Magni Antonii, apud S. Hieronymum in vitâ Hilarionis, & apud S. Gregorium Lib. 2. Dial. c. 4 legimus. Celebris est Historia in vitis Patrum de S. Macario Alexandrino, quem Dæmon excitavit, & accersivit ad orationem, *assrens nullam Collectam sine Dæmonibus agi, quos & Macarius tanquam parvulos Æthiopes per templum cuscitantes, & Monachos variè tentantes in Oratione conspexit.* 2. Interius, dum Dæmon mediatè per pravos habitus acquisitos, vel actus malos prævios, ut colloquia otiosa, vel negligentem sensuum custodiam, nos in oratione inquietat suggerendo ea quæ locuti sumus, aut vidimus; quæ S. Macarius *Furta cogitationum*, & S. Laurentius Justinianus *Furtum mentis in Oratione* appellat, quia temporis particulas nobis orantibus suffurantur.

Quâ autem methodo, quibusve armis hosti huic occurremus? 1. Spiritum Superbiæ oppugnemus nos coram Deo humiliando. 2. De datâ occasione doleamus. 3. Si cogitationibus blasphemis

CONTRA

III.
Homo,

contra Deum, aut non terrearum, sed dispoitemus; led Climacus Gradus Qui enim (ut liber evasit; quæ metitur, tandem gamus in oratione tam navigemus; ut, cum Dæmon terum species ab oratione de à præstigiore nostras esse conatu Deum Mon. c. 18. Dæmonem ca præmium v S. Chrysolto Dæmones pl oppugnant. III. T homo ipse culpa vel e dum evaga menti à n accidit, i. indispositio lectus natu ad Dilect Ex fatiga Speculat sufficien orandum In huja arido præ affligi quen non admil Sanctus Cl Callianus L

contra Deum, aut Divina impetatur; non terreamur, nec cum Diabolo disputemus; sed (ut suadet S. Joannes Climacus Gradu 23.) *contemnamus*: Qui enim (ait) *hunc spiritum despicit, liber evasit; qui vero illi aliter reluctari nititur, tandem subiacebit.* Itaque pergamus in oratione, & quasi contra ventum navigemus; nec, ut docet S. Basilus, cum Demon inter orandum pravas rerum species animis nostris objicit, ab oratione desistamus; aut immittas à præstigiatore versipelle suggestiones, nostras esse arbitremur; sed majore conatu Deum supplicemus. Constit. Mon. c. 18. Hæc ratione ariditas à Demone causata non in pœnam, sed præmium verget: secundum illud S. Chrysostomi Serm. de Cant. David. *Dæmones plerumque nos juvant, dum oppugnant.*

III.
Homo,

III. Tertia ariditatis causa est homo ipse orans: idque vel absque sua culpa vel cum culpa 1. Absq; sua culpa dum evagatio ejusmodi, & sterilitas mentis à natura exoritur: quod 5. modis accidit. 1. Ex morbo capitis præsertim indispositione. 2. Ex hebetudine Intellectus naturali, & obtusi ingenii, atque ad Discursum inepti, Inhabilitate. 3. Ex fatigatione capitis, post Studia & speculationes. 4. Ex defectu summi sufficientis. 5. Ex conditione loci ad orandum inidonei.

In hujusmodi ariditatibus duo sunt arido præstanda. i. Non oportet affligi quenquam, cum ipse culpam non admiserit: ut bene scripsit Sanctus Climacus Gradu 13. c. 11. Callianus L. 10. Instit. c. 1. & collat. 5.

Et Sancta Theresia in vita Cap. 9. omnesque Asceseos Magistri antiqui & recentiores docent. Nam amor Dei (& Devotio) ut ait prædicta Sancta, non consistit in lacrymis, gustibus, & teneritudinibus cordis, quas ut plurimum optamus, & iis nos solamur; sed in serviendo Deo cum Justitia, fortitudine animi, & humilitate; quod abundemus gustibus, id est, potius accipere à Deo, quam illi aliquid dare, feminis debilibus id quadrat; ut possint ferre labores, & tribulationes; sed ut servi Dei præsertim solidi in Liberis, & magni intellectus tantopere æstiment, quod Deus illis subtrahat devotionem sensibilem, ferendum non est. Hactenus S. Theresia.

2. Humiliet se Aridus, & loco devotionis sensibilis, quam non habet, ut desideraret, humilitate cor Dei recreabit, & orationes ferventes jaculatorias, crebrò repetitas, in cælum vibret, vel unam, eandemque repetendo veluti S. Franciscus, qui totam noctem exegit: *Deus meus & omnia*: Vel variando, ita ut primo quadrat, ut suadet S. Basilus, Deum benedicas, & adores; secundo contritionem elicias: tertio pro beneficiis gratias referas: quarto Dei auxilium implores. Hoc pacto Deo placebit oratio nostra, & non raro plus meriti obtinebimus, quam si summâ dulcedine spirituali reficeremur.

Quod si verò ex negligentia, & culpa nostrâ ariditas promanaret: ariditatis fons inquirendus, & à nobis pro viribus cum Dei gratiâ obstruendus est. Fontes autem hujusmodi sex recensentur. Primus est negligentia in vitâ puritate

422 EXHORTATIO V. IN REG. XXI. SUMM.

procuranda, & peccatis venialibus de-
 liberatis etiam minimis evitandis. Hæc
 enim teste S. Augustino, homil. 50. c.
 3. ex 50. *Sunt veluti scabies, quæ nos à
 castissimis sponsi amplexibus separat. Nō
 quidem ut explicat S. Thomas, perfectè,
 ut per peccatum mortale contingit:
 sed imperfectè; quia per peccatum ve-
 niale retardatur affectus hominis; ne
 promptè in Deum feratur. Secundus
 fons est, negligentia in edomandis pas-
 sionibus, iræ, timoris, amoris; quæ ut S.
 Basilius ait: *Acie[m] perspicuitatè[m]que
 animi confundunt, & exturbant*, in Pl.
 33. Veluti fluctus mare commovent:
Turbatus est à furore oculus meus, ait
 Propheta. Tertius fons est effusio ad res
 terrenas, ex affectu inordinato proflu-
 ens: res enim externæ distrahunt, uti &
 particularis amicitia, & silentii trans-
 gressio: Hinc S. Maria Magdalena de
 Pazzis dicere non est verita: *Anima re-
 ligiosa, quæ non delectatur silenti, impos-
 sibile est, ut habeat gustum in rebus divi-
 nis* P. Ceparius in vita c. 44. Quartus
 est negligentia in præparatione ad ora-
 tionem, si puncta non benè præparen-
 tur, aut prævideantur, contra monitum
 Spiritus S. *Anne orationem præpara ani-
 mam tuam, & noluisse, quasi homo, qui
 tentat Deum.* Eccles. 8. 23. Unde dili-
 gentissimè se præparabat Sanctus Igna-
 tius, & Sanctus Carolus Borromæus.
 Quintus fons est negligentia, quæ im-
 mediatè ante meditationem animis fini-
 tur evagari per ineptas cogitationes,
 confabulationes, aut alias sensuum di-
 stractiones. Sextus fons est negligentia
 In sensuum, vel mentis custodia sub ipsa
 oratione. Contra hos fontes Sanctus*

Ignatius additione 3. suadet cogitare
 præsentem & incipientem Dominum
 JESUM.

Hos fontes ariditatis obstruemus. 1.
 Vitæ puritate, 2. Passionum refrænatio-
 ne. 3. Animi recollectione. 4. Diligen-
 ti præparatione, 5. Sensuum custodia
 ante orationem, & 6. In oratione: At-
 que ita adhibitis à nobis omnibus me-
 diis, omniq[ue] industriâ nostrâ, Divina
 Bonitas, si ad gloriam suam, animæ-
 que nostræ salutem conduxerit, aridi-
 tatis nubes dispellet, & devotionis ra-
 diis mentes nostras collustrabit, etiam
 in mediis occupationibus & laboribus
 pro salute animarum susceptis.

Hoc autem assequemur, si (ut suade-
 bat S. Ignatius & ipse in praxi exerce-
 bat, teste P. Maffæo, l. 3. vitæ c. 1.) nos
 rebus & negotiis non tradamus, sed
 commodemus. Unde ipse, siue cibum
 caperet, siue per urbem incederet, siue
 negotia tractaret, divina lumina visio-
 nesque percipiebat, teste Ribadineira l.
 4. c. 2 & Orlandino l. 10. n. 18. Mirum
 quoque est, quod de P. Joanne Polanco
 ab antiquis Patribus sese accepisse re-
 fert P. Nicolaus Lancicius opul. 7. c. 9.
 Et si enim is, & universæ Societatis Se-
 cretariam & Concionatorem, & Ca-
 techistam, & Procuratorem Genera-
 lem, ac domesticum, simulq[ue] historiz
 Societatis scriptorem ageret, & nomi-
 ne S. Ignatii ad omnes Epistolas re-
 sponderet, nec tamen à culinæ, tricli-
 niique muneribus immunis esset; nullas
 tamen in oratione animi evagationes
 est passus. Quamobrem verò? commo-
 dabat se negotiis, non tradebat: quem-
 admodum & de coquo quodam refert
 S. Joannes

S. Joannes Clima
 cet pro Monaste
 gina præter ho
 nachos numerat
 tamen lacryma
 gulari cum præ
 gatus: responde
 bus me ferre
 & indignam m
 dicant. Ex his
 sem; iteris tue
 compangor.
 Sane coquo
 nou dabo le
 homines sed
 pulsa aridit
 natus fuit.
 in Historia
 legitur: Co
 niferius per
 piebat orati
 solationum
 batur: qua
 tur, si à co
 retur: imp
 gnâ aridita
 errore, ad
 piissima d

S. Joannes Climacus gradu. 4. Qui licet pro Monasterio, ducentos & triginta præter hospites, & advenas, Monachos numerante cibos pararet, donec tamen lacrymarum & devotione singulari cum præditus esset: causam rogatus: respondit: *Nunquam hominibus me servire arbitratus sum, sed Deo: Et indignum me ipsum quiete animi judicans: Ex hujus ignis contemplatione, sempiterni incendii jugi contemplatione compungor.*

Sanè coquus hic Marthæ ministeriis non dabat se, sed accommodabat: non homines sed Deum respiciebat: hinc pulsa ariditate; devotione magnâ donatus fuit. Exemplum haud absimile in Historia Franciscana 3. p. l. 10. c. 19. legitur: Coquus nonnemo, culinæ ministeriis perfunctus, in collem se recipiebat orationis gratiâ, & magnis consolationum cœlestium delictis recreabatur: quas uberius se hausturum rebatur, si à culinæ distractionibus liberaretur: impetratâ verò liberatione, magnâ ariditate obrutus fuit: quare agnito errore, ad functiones culinarias redux, pristinam devotionis gratiam recepit;

quin & humilitatis, & charitatis officiis in culina exercitiis mirificè auxit. Cum his igitur, non officiis charitatis, & ministeriis non demus; sed accommodemus & in devotione persistemus.

Quòd si verò, Charissimi, omni conatu adhibito ariditatem sive à Deo, sive à Diabolo, sive à nobis ipsis causatam depellere non valeamus: constanter in oratione, nihilominus perseveremus, & majus meritum, quàm in devotionis teneritudine nos relaturos confidamus. 1. Quia oratio arida humilitatem excitat, veluti sensibilis devotio superbiæ præbet occasionem: teste S. Laurentio Justiniano in fasciculo amoris c. 16. 2. Quia in ariditate, patientia exercetur, dum infestationes Dæmonis, aut naturæ, patienter toleramus. 3. Exercetur fortitudo heroica, dum in oratione ob tentationum, & evagationum impetum insipida, & amara, perstamus. 4. Major erga Deum amor ostenditur, dum non obstante Dæmonis violentiâ, in colloquio cum Deo perseveramus.





REGULA XXII. SUMMARI.
DE ILLUSIONIBUS DÆMONIS.
EXHORTATIO
IN REGULAM XXII. SUMMARI.

Declarat Diaboli illusiones, circa Tyrones præsertim,
& remedia suggerit.

T H E M A.

Resistite Diabolo, & fugiet à vobis. Jacobi 4. 7.

V E L

*Ab illusionibus Dæmonis in suis spiritualibus exercitiis
caveant. Reg. 22.*



ECCLÉSIA Catholica haud absimilis est turri Davidicæ, quæ ædificata est cum propugnaculis, *Mille clypei pendent ex ea, & omnis armatura fortissimè.* Hujus turris propugnacula, clypei, & armatura (ut Venerabilis Beda, & Theodoretus exponunt) sunt sacrarum literarum volumina, Traditiones Apostolorum, Decreta Conciliorum, Testimonia & Exempla Patrum, Consensus omnium sæculorum, successio Pontificum, Doctrinæ puritas, vitæ sanctitas, aliâque argumenta, & Ecclesiæ notæ, à

Cardinale Bellarmino prolixè tractata, quibus illa contra hostium suorum insultus fortiter defenditur.

Huic Turri Davidicæ non dissimilis quoque esse videtur minima nostra Societas JESU: est enim & illa cum suis ædificata propugnaculis, *Mille clypei pendent ex ea, & omnis armatura fortissimè.*

Turris hujus propugnacula sunt vota, clypei Constitutiones, Regulæ, & Decreta. Armatura reliqua sunt alia spiritualia media, quibus Societas abundat, ac contra astutias, illusiones, technasque Dæmonis strenuè se defendit.

In Regula præsentè Sanctus Patriarcha noster quaterna puncta proponit,

Ut

DE
fratres Dæmon
Cognovimus nos con
Ut in virtutum sol
circumbamus. 4. U
mini progredi allabor
verò de duobus ultim
Regulæ 15. & 16. egit
de primo & secundo,
bus Diabolicis & tenta
Tyrones potissimum i
rumque remediis traç
I. Illusio prima est
postor se in Angelis
tat, & illud vitiosu
bus in spiritualibus
tationibus & contem
ve precibus: quibus
dis uti oporteret, a
bolus nititur ad n
adeòque efficit, ut
piscem capere con
mou. Hujusmodi v
Patris nostri, &
ria complures a
bantur, adeò ut S
non fideret: app
Christus Dominus
Patris Balthasaris A
nitro id aperuisse
visiones, justis Ch
conspicere: quòd
tia fieri pallus est
Therese consili
fella est. Non sum
nes vituperanda.
minus S. Petro, Pa
gelus Gabriel, B
cùs Virginibus app
modi visiones in
datæ, & Prophet

1. Ut fraudes Dæmonis caveamus. 2. Ut muniamus nos contra tentationes. 3. Ut in virtutum solidarum studium incumbamus. 4. Ut semper in via Domini progredi allaboremus: quoniam verò de duobus ultimis in expositione Regulæ 15. & 16. egimus, nunc solum de primo & secundo, id est de illusionibus Diabolicis & tentationibus, quibus Tyrones potissimum impugnantur, earumque remediis tractabimus.

I
Illusio
in visio
nibus.

I. Illusio prima est, quâ Stygius Impostor se in Angelum Lucis transmutat, & illudat visionibus & apparitionibus in spiritualibus exercitiis, in meditationibus & contemplationibus, aliisve precibus: quibus dum tanquam mediis uti oporteret, ad perfectionem, Diabolus utitur ad nostram perditionem, adeoque efficit, ut dum è navi protensi, piscem capere conamur, ipsi mergamur. Hujusmodi visionibus tempore S. Patris nostri, & S. Theresiæ in Hispania complures animæ devotæ illudebantur, adeò ut S. Theresia etiam veris non fideret: apparuit illi aliquando Christus Dominus, cumque in absentia Patris Balthasar Alvarez, Patri Ministro id aperuisset, ipse improbens ejus visiones, jussit Christum, si appareret, conspuere: quod & Christus ex obedientia fieri passus est non tamen placuit S. Theresiæ consilium, nec illi ultra confessa est. Non sunt quidem visiones omnes vituperandæ, nam & Christus Dominus S. Petro, Paulo, Marco; Archangelus Gabriel, B. Virgini, Angeli Sanctis Virginibus apparuere, & veræ ejusmodi visiones in sacris Literis commendatæ, & Prophetis, ac Viris, fæminis-

que sanctis factæ sunt, adeoque improbandæ minimè sunt, sed velut Dei opera laudandæ. At Novitius recens veniens è sæculo, etiamnum imperfectioribus scatus, & nondum plene excusso passionum ac vitiorum jugo, perfectam Filiorum Dei libertatem assecutus, omnino cautus & circumspectus sit, necesse est; alioquin facile ab Angelo tenebrarum supplantabitur. Quem igitur clypeum huic Dæmonis sagittæ opponet? Clypeum humilitatis. 1. Nulli Tyroni visiones, revelationes, apparitiones convenit optare. 2. Imò oportet etiam eas refugere. 3. Licet legitimæ videantur, diligenter eas examinare, & Superiori manifestare, ne illudatur. 4. In profundissima se humilitate contineat, omnibus visionibus, apparitionibus, & extraordinariis Dei beneficiis prorsus se indignum judicet. Nisi hoc fecerit, decipietur, ac in superbiam, & vanam gloriam incidet. Quemadmodum in vita B. Cathariæ Bononiensis legitur: Cui Dæmon in specie Beatissimæ Virginis apparuit, eamque instigavit ut apparitiones suas aliis narraret, atque ita vanam gloriam captaret, quod illa tamen non præstitit. Viri sanctitate conspicui, ne illuderentur, semper humilitate triumpharunt.

II. Illusio altera Dæmonis in spiritualibus exercitiis est, dum Lavernio infernalis Tyronibus persuadet devotionem consistere in consolationibus spiritualibus, adeoque orationem & meditationem haud benè procedere, nisi lacrymas teneræ devotionis fundant, atque ex hac persuasione illi caput

H h h fatigant

II.
Illusio in
consolationibus.

fatigant & constringunt, ut lacrymas & consolationes violenter eliciant, & quodammodo exprimant. Quod si verò Deus, qui ut ait Job. c. 6. *Ligat aquas in nubibus suis, ut non erumpant pariter deo sum*; Consolationes, & lacrymas neget, aut ipsimet quantavis coactione extorquere nequeant, in eam tristitiam, pusillanimitatem, & consternationem incidunt, ut sinistrae iudicent, Deum ipsis offensum esse, nec se amplius ab eo amari; eò quòd faciem non ostendat amplius benignam, petitaque consolationes deneget. Hinc ulterius progressi, cum portas his solatiis oclusas reperiant, mundanis, humanis, & transitoriis recreatiunculis animum adjiunt; viam Domini ambulare desinunt, bona opera, in quibus sese exercere consueverant, intermittunt, & non raro retrò respiciunt.

Similes hi sunt semini, de quo Christus Dominus apud S. Matthæum c. 13. meminit: quod cecidit in petrosa, ubi non habebat terram multam, & continuo ortum exaruit, ac proinde quamdiu ab aqua vernali humidum fuit, accrevit & in virore perstitit; Sole autem orto, æstuavit, atque exsiccatum est, quia radicem non habuit.

Quem verò clypeum huic Dæmonis sagittæ opponemus? non alium quam Regulam vicesimam primam, quæ veræ devotioni insistere jubemur, non consolationibus: vera autem devotio in prompta Deo serviendi voluntate consistit. Deo mille modi, famulos suos ad felicem æternitatem perducendi suppetunt; aliis veluti infantibus, lac dulce consolationis præbet, aliis verò

solidos cibos porrigit: aviculæ dum parvæ sunt, cibum ex ore matris sine labore sumunt; grandiores verò effectæ è nido in campo ejiuntur, ut ipsæmet circumvolitent, & cibum quærant. Parii methodo nobiscum non raro agit Deus. *Dominus est, quod bonum est in oculis suis, faciat*: novit ipse, quid nobis expediat, quidve obsit; non nostrum est Deo tempus visitationis præscribere, sed ejus præstolari nutum. Meritò Juditha, Oziæ tradituro Civitatem Assyriis, nisi intra quinque dies Deus opitularetur, indignabatur dicebat: *Qui estis vos, qui tentatis Dominum? non est iste sermo, qui misericordiam provocet; sed potius, qui iram excitet, & furorrem accendat; & in arbitrium vestrum diem constituisi ei*. Ita pariter, quoad consolationes & lacrymas, vel desolationes & ariditates, nos totos Deo permitramus, & veræ interim devotioni studeamus, & ab hac illusione immunes erimus. Societatis Religiosus, ut ait P. Claudius Aquaviva in remed. aridit. Ambidexter sit, oportet, paratus servire Deo tam in dulcedine, quam in amaritudine, certus, hæc præ illa majus acquiri meritum & coronam, fidelitatemque majorem demonstrari.

III. Illusio est in exercitiis spiritualibus, quæ Dæmon Tirones incautos, aut religiosos juniores impetit sub specie boni, ideòque facilius in fraudem inducit. R. P. Thomas de Soto S. J. Anno 1600. 20. Augusti defunctus, anno ætatis 96. vice quadam in conclavi suo, quiddam pendulum vidit instar stellæ, quod experiri volens, jam manum protendebat, cum illico vocem

audire

Ab
pro stella app
magnitudinis araneis
114. Simili modo
do agit cum Tironibus
ni, malam, sub specie
mæ, sed dum obtund
claremus id pro cau
empla.

1. Tirones Con
destinatos sub specie
prolixas orationes
quo laborandum e
Sub specie boni qu
ducit, ut, quando
linor orate, scribere
cere; atque ita su
ad inobedientiam.

Tirocinio Societar
niz, quidam Juve
abolo in forma A
dente & jubente n
quæ dicitur, con

2. Sub specie b
destinatis nonnu
stare libros sacro
quàm profanos.

Magistro, qui
ribus licetis inlu
in specie S. Pan
est illud, ut re
Cicero's lecti
ly perlegeret.

Sancti Pauli vocem
lum abicit, San
ripit, talque cum
ribus incius, eò
ur infelici protra
cavoc.

III.

Illusio in
operatio
nibus.

audiri deterrētis: *Abstine! abstine!* Simulque pro stella apparuit monstrosæ magnitudinis araneus: Tannerus pag. 334. Simili modo Diabolus aliquando agit cum Tironibus, sub specie boni, malum, sub specie stellæ puicherrimæ, fœdum obtrudit araneum. Declaremus id pro cautela, nonnullis exemplis.

1. Tirones Coadjutores laboribus destinatos sub specie boni, incitat ad prolixas orationes eo etiam tempore, quo laborandum esset, instituendas. Sub specie boni quosdam Novitios inducit, ut, quando dormiendum est, velint orare, scribere aliave pia opera exercere; atque ita sub specie boni seducit ad inobedientiam. Quemadmodum in Tirosinio Societatis Superioris Germaniæ, quidam Juvenis decipiebatur, Diabolo in forma Angeli Lucis eum accedente & jubente noctu surgere, & ea, quæ dicitaret, conscribere.

2. Sub specie boni nostris ad studia destinatis nonnunquam suggerit, præstare libros sacros legendo evolvere, quàm profanos. In Historia Societatis L. 15. n. 14. recensetur de quopiam Magistro, qui dum Laureti humanioribus literis insudaret, Dæmon eidem in specie S. Pauli apparuit, hortatusque est illum, ut relicto illo vano studio & Ciceronis lectione suas potius Epistolas perlegeret. Ratus Magister hanc Sancti Pauli vocem esse, protinus Tullium abjicit, Sancti Pauli Epistolas arripit, easque cum diu legeret, Superioribus inticiis, eò tandem progressus est, ut infelici prorsus eventu è Societate exivisset.

3. Sub specie boni, alios ad grandes pœnitentias concitat, Superiore haud consulto, persuadens has majoris esse perfectionis, valere ad satisfaciendum pro admittis delictis; esse conformes exemplis Sanctorum, & pluribus hodie dum ex Ordine S. Francisci, Domini, Benedicti, Brunonis, Religiosis usitatas, reipsâ verò intendit, ut quis vires atterat, sanitatem destruat, atque ad Societatis munia sese ineptum reddat.

4. Sub specie boni subinde Tironi suadet reditum ad sæculum, eò quòd jam sufficiens Spiritus scientiâ sit instructus, modum piæ vivendi, orandi, meditandi, calleat, adeoque & aliis optima exempla præbere, & instruere valeat. Diabolus Piscatorem agit, qui piscibus escam gratam objicit, & in speciem bonam & sapidam; sed latec hamus, quo capiat incautos, & à via arcta religionis, ad latam perditionis retrahat.

5. Sub specie boni Cacodæmon Religiosos movet, ut seiplos ad proximum juvandum penitus effundant, propriamque perfectionem negligant. Ejusmodi se securos esse existimant, quòd alios doceant, ægros invitant, ad populum perorent, exhomologeses pœnitentium excipiant, aliâque charitatis opera, domi, foris que exerceant: credentes omnia hæc ex gratiæ divinæ affluxu copioso, procederò; unde sui curam deponunt, Regulas tanquam Deus cum ipsis dispenset, negligunt, examina obiter & cursim instituunt, meditationes ad alios potius, quàm ad se juvandos dirigunt, libri spiritualis

lectionem, ad Conciones formandas, concinnandasque referant. His dicendum primò. *attende tibi*, postea doctrinæ & aliis. *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, anima verò sua detrimentum patiatur?*

6. Sic quoque aliis illudit. 1. Dum suadet ut communia cum aliis opera externa exercent, internam mortificationem negligant. 2. Ut magna & heroica forment proposita, sed nihil in praxin redigant. 3. Ut de majoribus imperfectionibus emendandis solliciti sint, non item de minoribus. 4. Ut agant omnia, quæ alios agere vident, cum non omnia possimus omnes. 5. Ut omnes imperfectiones simul aggrediantur, uno impetu. 6. Et si res non succedat, animum de assequenda perfectione abjiciant ac desperent. 7. Denique instigat, ut res fidei scrutentur, & curiosè inquirent, & cum penetrare nequeant, in dubia contra fidem, aut infidelitatem præcipitent; cum ea simpliciter credendæ sint; *Difficile*, ait Salomon, *Sap. 9. astimamus, quæ in terra sunt, & quæ in prospecta sunt, invenimus*

cum labore; quæ autem in calis sunt, quis investigabit?

Contra omnes has illusiones Diabolicas, Charissimi, quæ armaturâ, quibus clypeis utemur? præter supradictos hoc gemino: Primus communis & securissimus clypeus est Regula 4^{ta}. Summarii, quod nulla celanda sit tentatio, quæ vel Confessario, vel Superiori non paudatur. 2. Clypeus est Regula 3^a & 2. Summarii de obedientia, à qua non deslectendum; hac omnes tentationum impetus facilè retunduntur: quemadmodum Christus Dominus, semel, iterum, tertio, Sathanæ insultus repulit, dicendo; *Scriptum est*, obedientia legis requirit; ita nos quoquo modo impugnemur, oggeramus: *Scriptum est*, jussum est, præceptum est, regulâ cautum est, & inexploratè, cæcèque jussis pareamus. Hâc ratione omnes Sathanæ versutias, technas, & illusiones, cum divina gratia, haud difficulter elidemus.



do nobis ob oculum
Pis. Sordam Civita
ad distinctionem H
que civitas est terr
lem nova habebat m
tum id est, firmitate
et at Sordam Civita



REGULA XXIII. SUMMARIUM.
DE PAUPERTATE.

EXHORTATIO I.
IN REGULAM XXIII. SUMMARIUM.

Ostendit, Paupertatem esse murum Statûs Religiosi.

THEMA.

Et erat Structura muri ex lapide Iaspide. Apoc. 21. 18.

VEL:

Paupertas ut murus Religionis firmus diligenda. Reg. 23.



U M Evangelistarum Aquila S. Joannes Civitatem cælestem sibi in visione à Deo ostensam describit, & quasi depingendo nobis ob oculos ponit. Apoc. 21. ait: *Vidi Sanctam Civitatem Jerusalem novam, ad distinctionem Hierosolymæ veteris; quæ civitas est terrestris. Et hæc Jerusalem nova habebat murum magnum & altum id est, firmitatem insuperabilem: Et erat Structura muri ex lapide Iaspide, per*

lapidem quia est firmissimus, significatur Patriæ cælestis firmitas & securitas, quia viridis est coloris, ejus delicia, recreatio, & amœnitas; quia pellucidus, ejus claritas & dignitas. Quia ex relatione Plinii, & Sancti Hieronymi, Demones & Phantasmata fugare putatur ejus puritas & sanctitas.

S. Pater noster in aureâ, de obedientiâ, Epistolâ, Societatem nostram Cælo optat esse perfimilem. Similiter Admodum R. P. Mutius Virellescus, Sextus Societatis nostræ Præpositus Generalis, Epistolâ 4. Societatem Cælo comparat. *Neminem latet (ait)*

H. h. 3.

at

in pulcherrimum. Nos ac splendidissimum
 cooptatos Cælum, ubi (dicam cum S. Petro
 (Chryologo, Serm. 1. de Filio prodigo)
*Aurora est Mater Societas, Sol Parens noster
 Ignatius, Stella, nostrorum tot Fratrum
 per tot annos, ac terras digestus splendor
 virtutis singularis.* Si igitur Societas
 Cælum est, & Jerusalem nova, & ipsa
 habeat, necesse est, *Murum magnum
 & altum*: Is autem murus, ut Regulâ
 præsentem indicatur, est Paupertas, quæ est
 instar Jaspidis firma, vitens, amœna, pel-
 lucida, & Dæmones fugans.

Quare proprietates, & effectus hujus
 præstantissimi Muri geminos solùm, ni-
 mirùm quod hostes arceat, & incolas cu-
 stodiât, exponemus.

I.
 Benefi-
 cium pau-
 peratis
 est defen-
 sio ab ho-
 stibus.

I. Beneficium primum, quod Murus
 Civitati præstat, est, ab ingressu hostes
 & feras arceri: stantibus enim muris
 difficilis est aditus; at iisdem perruptis
 aut dejectis, pro libitu ingredi, spoliare
 & vastare queunt omnia. Patet id
 in famoso Muro Sinensi, qui, ut perhibet
 Historia Asiatica L. 1. pag. 4. bis mille
 miliarium Italicorum longitudinem,
 triginta cubitorum Sinensium altitu-
 dinem, & duodecim in crassitie latitu-
 dinem continet: hoc muro stante,
 nullus hostium in Regnum penetrare
 potuit; at eo perrupto, Tartari ingressi,
 totum propè Regnum illud vastissimum
 occupavêre. Simili ratione civitas hæc
 antiquissima Trevirensis, cincta suis
 mœnibus, & turribus munita, hostem
 arcuit, qui sinè sanguinis effusione
 ingredi haud potuit, ut in confederato
 milite Germano primùm, deinde
 in Gallico, urbem intercipientem expe-
 rientia comprobavit; at nunc muro

& mœnibus destituta est primò occu-
 pantis.

Charissimi, quod Murus est in civita-
 tate, hoc Paupertas est in Societate,
 & quovis Religioso Ordine: Pauper-
 tas enim hostes Religionis capitales
 arceat & excludit. 1. Arceat & excludit
 Mundi tentationes & pericula, fastum,
 arrogantiam, superbiam, vanitatem
 in veste, cubiculo, suppellectile, fallacias
 ac fraudes. *Qui nimis locuples est, ait
 Ecclesiasticus cap. 21. 5. consumetur, &
 annihilabitur Superbia; id est, occasione
 opum in Superbiam incidet.*

2. Arceat carnis tentationes & impetu-
 sus, hostesque Castitatis, quales sunt
 blanda, mollisque corporis tractatio,
 ciborum copia, potus abundantia,
 convivia, symposia, ludii, otia, confabula-
 tiones, & alia sensuum oblectamenta,
 quæ carnis perulantiam excitant, &
 contra spiritum armant: omnia verò hæc
 à Religione sancta Paupertas proscribit:
 ut de eâ paupertate wallatâ dicere liceat,
 quod de cælesti Civitate S. Joannes
 asseruit. *Non intrabis in eam atiquid
 coinquatum aut abominationem faciens,
 aut mendacium.*

3. Arceat Diabolum, cùm tenta-
 tionibus suis & agmine vitorum & pecca-
 torum capitalium: excludit in primis
 Invidiam, cùm unus altero nec plus
 in victu & amictu possidet nec possidere
 desiderat: Excludit tentationes, Avari-
 tiam, injustitiam, fraudulentiam, inhumani-
 tatis, ac duritiæ cordis; aliâque desideria
 nociva ac laqueos Dæmonis. Nam ut
 ait Apostolus, 1. Tim. 6. 9. *Qui volunt
 divites fieri, invidunt in tentationes &
 laqueos Diaboli, & in multa desideria
 inutilia*

malis & nociva
 omnia damnationis ab
 omnium malorum est
 præstantissimus
 Murus verè argenteus
 gemmeus ex Jaspide
 à Religione hostes
 hæc duo organa, &
 nas & arma eripit
 & voluptatem, cu-
 agmine.

II. Alterum ben-
 eficium præstari sol-
 quo incolæ mun-
 ce & tranquillitate
 muri Jericho illat-
 runt, in pace, te-
 tate degebat in
 bis clangentibus
 ferro cecidit.

tantum murus
 Religiosos Societ-
 & in quiete, vi-
 studio conservat.

Venerabilis Bèda
 Pauper in Cella
 securior dormit in
 in Purpura. Et si
 dicere solita est
 Collegium habet
 si propugnaculum
 quam maxime
 murus similis
 mos Religiosi
 curem præbet.

1. Custodit ac-
 tem & integritate
 tentationes, vitia
 ideoque animam
 ni superbia, inquit

inutilia & nociva, quæ mergunt eos in æterna damnationis abyssum. Radix enim omnium malorum est Cupiditas. Oigitur præstantissimus Paupertatis Murus! Murus verè argenteus, imò aureus, & gemmeus ex Jaspide, qui tot capitales à Religione hostes arceat, ac Diabolo hæc duo organa, & exitii nostri machinas & arma eripit, scilicet vanitatem & voluptatem, cum reliquo vitiorum agmine.

II. Beneficium paupertatis est securitas & custodia virtutum.

II. Alterum beneficium à muro civitatis præstari solitum, est securitas, quo incolæ muniti, tuti securique in pace & tranquillitate degunt. Quamdiu muti Jericho illasi, inconculsi que steterunt, in pace, securitate ac tranquillitate degebant incolæ; at ubi illi, tubis clangentibus, corruere; hi hostili ferro cecidere. Pari modo Paupertas tanquam murus Religionis firmus, Religiosos Societatis firmat, defendit, & in quiete, virtute, ac perfectionis studio conservat. Unde præclare scripsit Venerabilis Beda in Epist. 2. ad Corinthiâ *Pauper in Cella, dives in Conscientiâ, securior dormit in terra, quam auro Dives in Purpura.* Et S. Clara Sororibus suis dicere solita est: *Tunc demum suum Collegium stabile ac firmum futurum, si propugnaculis ac manibus Paupertatis quam maxime muniretur.* Hic igitur murus firmissimus tuetur & custodit omnes Religiosi virtutes; ut singulas percurrenti patebit. Nam

1. Custodit ac defendit cordis puritatem & integritatem, quia, ut vidimus, tentationes, vitia, & peccata excludit; idèoque animam purgat à vitiis. *Ignis inopia,* inquit S. Gregorius Hom. 1.

de Lazaro, *purgavit animam mendici Lazari, ut aquæ munda & pura à peccatis, mox ab Angelis in sinum Abrahæ deportata est.*

2. Custodit, protegit, ac disponit ad Fidem: tollit enim impedimentum Fidei, & Evangelii, quod est divitiarum & honoris terreni amor; disponit quoque ad crucem amplectendam, se ipsum abnegandum, & Christum sequendum. Unde dictum est Matth. 11. *Pauperes evangelizantur,* quod Venerabilis Beda in Cap. 7. Lucæ, de pauperibus, nonnihil de paupertate Spiritus participantibus exponit.

3. Custodit ac erigit Spem & fiduciam in Deum; qui enim omnia terrena abjicit ex amore Dei, omnem fiduciam & spem in solo DEO reponit, & cum Prophetâ ait: *Dominus regit me & nihil mihi deerit.* Et illud cum S. Francisco: *facta cogitatum tuum in Domino & ipse te enutriet.*

4. Custodit ac tuetur humilitatem: efficit enim, ut Religiosus temporalia bona contemnat, quibus Mundani honorem ab omnibus & magnam sui æstimationem ambiunt, ac proinde honores despicit, & ignominias ac contemptus, paupertati annexas tolerare desiderat.

5. Custodit ac conservat patientiam, eamque auget, dum Religiosi sentiunt defectum in rebus commodis aut necessariis; & impletur in eis illud Sapientis; *Deus tentavit eos (adversis) sicut aurum in fornace probavit eos, & invenit illas dignos se suâ Majestate & gloriâ.* Sap. 17. Scilicet: *Excoxi te in camino paupertatis.* Isaia: 48 & 10.

6. Custodit

6. Custodit ac tutatur charitatem ; ut enim docet S. Augustinus, L. 83. q. Q. 10. *Charitatis (amorisque Dei) venenum est cupiditas temporalium. Nutrimētum ejusdem Charitatis est destructio cupiditatis: signum perfectionis Charitatis, nulla cupiditas, nullus inordinatus rerum hujus mundi appetitus.*

7. Custodit & circumvallat religionem, pietatem, devotionem, orationem, & cultum divinum: idque duplici de causa. 1. Quia animam conservando in quiete, pace, tranquillitate & lætitia spirituali, eam aptat, & ad pietatis ac devotionis exercitia ritè disponit: ex inordinato divitiarum amore nascuntur dissidentiar, turbationes, curæ, tristitiæ, sollicitudines, æmulationes, aliæque peccandi pericula: Paupertas verò voluntaria tollens divitiarum amorem, ab omnibus his malis liberat, & dispositiones ac qualitates contrarias inducit: *Beati pauperes Spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum*, ut Christus ait: *Regnum autem cælorum, sive Regnum Dei est iustitia, Pax, & Gaudium in Spiritu*. Rom. 14. 17. *Paupertas semper est secuta*, ait S. Chrysostomus Hom. 48. in c. 13. *Matth. & alibi: Si intraveris in cor pauperis Spiritu, illudve examinaveris, invenies plenum esse suavitatis & magnâ libertate frui.* 2. Altera causa, cur paupertas devotionem augeat, est, quia removet, ut supra diximus, intemperantiam, crapulam, commestationem, ebrietatem, aliôsque excessus, exercitiis pietatis & orationi summè ad adversarios & repugnantes.

In Historia Minorum, p. 1. L. 10. c. 14. narratur de Monasterio montis Alver-

niæ, quod vixerit in magna paupertate secundum Regulam suam, atque ita haud vulgarem virtutem & Spiritum conservavit: Dæmon verò, id haud ferens, formâ juvenis assumptâ, Diviti in vicinia habitanti, & fratribus minimè affecto se in famulum obtulit, cumque præstitis obsequiis animum ejus occupasset, suavit ei, ut multas fratribus Eleemosynas submitteret, eò quòd homines essent sanctitate præditi, multi que id foret meriti. Herus igitur quotidie magnam panum, cartium, piscium, fructuumque copiam illis submitit; at Fratres per hoc paupertatis rigore remisso lautiores Tractationes admittente, exercitia spiritualia segniter obire, multumque de Spiritu & habitâ antè devotione perdere cœpère. Quare visâ relaxatione hac, quidam Frater Dominum adiit, causam Eleemosynarum intellexit, & servum illum Dæmonem esse divinitus cognovit; qui se detectum videns evanuit. Porrò Frater, ubi Domino à submittendis eleemosynis abstinere persuassisset; cum vita frugali & paupere, pristina pietas, virtus & devotio, postliminio, revertit.

III. Cùm hic Paupertatis murus, tanta mala à cordium nostrorum mœnibus arceat, tantæque bona in animarum nostrarum Civitatem invehat, & in ea custodiat, facile patet, quo amore illa complectenda, & quo studio in sua puritate, sit conservanda. Quemadmodum enim illustrium Civitatum muri integri semper servantur, nullaque in eis ruptura toleratur, quin illico sarciantur, licet domus diruta, plateæ immundæ, diu subinde in ea relinquuntur. Ita in Religionem

III.
Ideoque
paupertas
illegenda
& in sua
puritate
conser-
vanda est.

DE
Religione ante omnia
natura est conservanda
natura sufficit, ut ad
Mundus, Caro & D
pestilentia suæ afflictio
rum animos inficiat
Tunc autem paup
te conservatur, qua
trarium admittitur,
rem obfuscet, aut n
sunt usus bonorum
tia, acceptio rerum
stina; rerum super
tia; affectus inordi
& similia, de quib
Nos igitur Cha
Societatis JESU c
E X H
IN REG
Demonstrat
damentum
R
man juan supra pe
via, & venerant ju

Evangelium, Dei amorem, & consilia Evangelica, maximè paupertatis? Quis stultus, nisi qui ædificat, ut exponit P. Salmeron, super Creaturam, super divitias, pecunias, thesauros mundi perituros, qui sunt instar arenæ steriles? & quid aurum & argentum, nisi flava & alba terra, aut arena?

Ostendamus itaque paupertatem fabricæ perfectionis murum fundamentalem, seu fundamentum esse, quo stante illæso perstet quoque fabrica, illo verò labefacto minari ruinam & collapsere.

I. Seraphicus Doctor S. Bonaventura in Apolog. pauperum, hac ratione de paupertate disserit: *Radix* (ut ait Apostolus 1. Tim. 6.) *omnium malorum est cupiditas: ex hac enim & simul ex superbia, quæ huic cupiditati semper comes est, omnia scelera originem, fomentum, & incrementum accipiunt*; Quam ob causam, Civitatis illius Babylonice fundamentum ab Augustino appellata est. Ex hoc autem præmissis idem S. Doctor concludit. *Sicut vitium illud totius Babylonis fundamentum est, sic è contra paupertas merito verum & solidum fundamentum totius perfectionis est appellandum*. Idem vel eo etiam comprobatur, quòd Dominus & Legifer noster, cum novæ Hierusalem de cælo descendens initia poneret, ab hac ipsa tanquam à fundamento exorsus sit, dicens: *Beati pauperes Spiritu*. Matth. 5.

Itaque Christus Dominus Architectus novæ cælestis Hierosolymæ, positurus primum lapidem, à stabulo & à paupertate summa inceptit. Deinde, veniente postmodum ad Christum divite ado-

lescente, Matth. 19. & quærente: *Quid faciendo, vitam æternam possidebo*: Respondit: *Serva mandata: hæc servavi*, ait, *à juventute mea, quid mihi deest*. Respondit Christus: *Si vis perfectus esse; vade, vende, quæ habes, & da pauperibus & habebis thesaurum in Cælo*: q. d. Si vis ædificare domum perfectionis, primum lapidem, primum fundamentum, loca paupertatem. Omnia relinquere sunt sumptus hujus fabricæ. *Ad ædificium temporale sumptus facimus, si non habita colligamus, ad spirituale, si non habita relinquamus* ait Venerabilis Beda. L. 4. in Lucam. Omnibus ergo relictis ædificare incipimus.

1. Fundamento paupertatis innititur prima contignatio fabricæ perfectionis seu incipientium. Nam paupertas omnium vitiorum & scelerum instrumenta tollit; tollit arrogantiam, superbiam, ambitionem, ebrietatem, gulam, avaritiam, incontinentiam, acediam & alia multa vitia, quæ ex abundantia, tanquam fumus ex igne, erumpere solent. Imò etiam peccandi facultatem quodammodo tollit in multis, cum magna peccatorum pars ab hominibus pecuniæ præsidio committatur. Paupertas ergo quasi securis est, quæ uno ictu cupiditatem amputat, & omnia vitia ex ea propullulantia excindit, adeoque animæ puritatem fundat.

2. Huic fundamento innititur secunda contignatio proficientium. Paupertas enim, non solum vitia prohibet, sed virtutes ferè omnes inducit: ut temperantiam, modestiam, & maximè humilitatem, pacem, orationem, quæ nescio, quomodo paupertati finitima, ejusque tanquam germana Soror est: ostendit

I. Paupertas fundamentum est fabricæ perfectionis.

DE
ostendit hoc S. Chryso
Ep. ad Hebr. cum ai
paupertate magis irrad
me: quo modo? quia
typhum, non erit arrog
ens, quidam, mitis &
Divitum peccata re
Vides quomodo in pau
tes possideamus? reli
nam paupertas est rad
Unde S. Franciscus
refert S. Bonavent
nam virtus nos t
redderet, ac con
quodam affectu re
enim est y a salutis
tionis radix, & ab
progerminant; li
cissimisque cogn
enim Spiritu tor
studio, velut apis
cto Antonio, ab o
tissimo patuit; s
tatum se tradidit
patientiam, ab
abstinentiam,
aliamve virtutem
3. Innititur
gnatio perfectio
cum Deo con
perfectio in
consultat, ad e
ac perducit: n
dum illud verbu
Chrysothomus, q
ter proximos or
Deinde eadem
rerum terrenaru
mum in Deo del
neu, Mando &

ostendit hoc S. Chrystomus Hom. 2. in Ep. ad Hebr. cum ait : *Christianus in paupertate magis irradiat, quam in divitiis: quo modo? quia excludit à se superbia typhum, non erit arrogans, sed potius obediens, pudicus, mitis & sapiens: tandem post Divitum peccata recensita, concludit: Vides quomodo in paupertate facilius virtutes possideamus: velut in radice fructus; nam paupertas est radix omnium virtutum.* Unde S. Franciscus Seraphicus (quod refert S. Bonaventura) rogatus, quænam virtus nos maximè Deo gratos redderet, ac commendaret; in solito quodam affectu reposuit: *Paupertas: ea enim est vasa salutis, humilitatis fons, perfectionis radix, & ab ea multiplices fructus progerminant; licet oculi ii sint, paucissimisque cogniti ac perspecti, pauper enim Spiritu totum se tradit virtutum studio, velut apis melli suo.* Ut in sancto Antonio, ab opum cupiditate remotissimo patuit; Qui toto desiderio, virtutum se tradebat studio, ab uno discens patientiam, ab alio silentium, ab alio abstinentiam, ab alio constantiam, aliãve virtutem.

3. Innititur paupertati tertia contingitio perfectorum, seu in via unionis cum Deo constitutorum; cum enim perfectio in Charitate Dei & proximi consistat, ad eam paupertas rectè dirigit ac perducit: nam *meum & tuum* frigidum illud verbum, è quo, ut docet S. Chrystomus, omnes lites, & bella inter proximos oriuntur, è medio tollit. Deinde eadem avellit à cura & amore rerum terrenarum, ad eoque totum animum in Deo defigit, reddítque hominem, Mundo & Carne Superiorem, ve-

lut Angelum, cum Angelis versantem; ad cælum spirantem, illudque Apostoli implentem. *Que sursum sunt sapite, que sursum sunt querite, non que super terram:* Atque ita totam hominis Religiosi, jamque perfecti mentem, amorem, cogitationem, curam, ac desiderium in Deum transfert, ut unus cum eo evadat Spiritus, totus à caducis avulsus, & bono æterno seu Deo unitus, in quo consistit perfectio, ad quam manuducit paupertas Evangelica.

4. Tanquam coronis imponitur ædificio perfectionis, beatitudo & vita æterna. Nam præter centuplum in hac vita; & in die Judicii sessionem super 12. Thronos, & Judicium 12. tribuum Israël; præmium amplissimum paupertas parit in altera. 1. Profert ingentem thesaurum in cælo. *Si vis perfectus esse, vende, vende que habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in Cælo.* Matth. 19. 41. Thesaurus iste non est alius, nisi beatitudo æterna, & ipsius in æterni regni Cælorum securæ & perpetua possessio: ita enim Christus Dominus: *Beati pauperes Spiritu, quoniam ipsorum est regnum Cælorum* Matth. 5. Thesaurus iste est vita æterna, omnia relinquentibus promissa, in quem locum S. Bernardus: *Hæc sunt verba, que contemptum mundi in universo mundo & voluntariam persuasere paupertatem: hæc sunt verba, que claustra Monachis replent; deserta Anchoritis.*

Hæc ergo promissa, hæc commoda, hæc præmia nos quoque permoveant ad paupertatis Evangelicæ amorem; tanquam omnis perfectionis fundamentum. Qui incipientes sunt, ab hac virtute incipiant; aliàs actum agunt. Nam,

ut ait S. Paulinus ex opulentissimo di-
vite voluntariè pauperrimus, ut eum
nominat Augustinus de Civ. L. 1. c. 10.
*Temporalium, quæ in hoc saculo habentur
bonorum velictio, sive distractio, non decur-
sus stadii, sed ingressus; nec ut meta, sed ja-
nuæ est: non enim Athleta tunc vincit, cum
exiit, qui ideo nudatur ut incipiat dimi-
care, cum legitime certavit coronandus.*
Epist. 2. a Severum. Qui in via proficien-
tium jam currunt, ad temporalia jam re-
jecta retrò non respiciant, ne in cursu suo
retardentur. Qui in via perfectorum de-
gunt, animum non rerum terrenarum
luto, sed Deo æterno & summo bono
affigant, ut non maculentur, sed purifi-
centur, & amore divino inflammentur.

II.
Negle-
ctus pau-
pertatis
ruina per-
fectionis.

II. Veniamus nunc ad contrarium, à
commodis ad detrimenta, à præmiis ad
suppliciū paupertatem violantiam: si-
cut paupertas est fundamentum perfe-
ctionis, ita ejus violatio evertit funda-
mentum & est ruina multorum. *Ruina
est homini retrahere post vota, Prov. 20. 25.*
Quisquis igitur pecuniã, vel ab externis
sine venia acceptã, vel ad domum spe-
ctante utitur, ut propriã, eam retinet,
donat, emit; *Ruina est homini.* Si quis
etiam res alias domus, vendit, donat,
accipit sine venia, & illis utitur ut pro-
priis. *Ruina est homini.* Quare quia post
vota retrahat, repetit, quod obtulit. Pa-
rebit hoc in exemplo clariùs. Vultisne
igitur videre miserandos casus, & rui-
nas, seu damna & supplicia læsæ pau-
pertatis? Et quo pacto, eã reversã,
torum perfectionis ædificium & fabrica
corruat?

1. Ruina paterit in uno ex Apostolico
Senatu, scilicet Juda, qui triennium to-

tum, in fabrica perfectionis attollenda
sub Christo ipso Directore & Magistro
locarat, jamque eò pervenerat, ut instar
aliorum Apostolorum emisisset votum
paupertatis, & esset Apostolici Colle-
gii Procurator, loculos habens; sed cu-
piditate seductus, aliquid furatus est, ex
pecunia Eleemosynæ nomine Christo
& Apostolis oblata. At audite pœnam
& spectate ruinam: describit eam Cas-
sianus, L. 1. Instit. c. 14. *Judæis volens
resumere ea, quæ antea, Christum secutus,
abjecerat; non solum ad prodicionem Domi-
ni lapsus (ecce primam ruinam) Apo-
stolatus perdidit gratiam (ecce alteram
ruinam,) sed etiam vitam ipsam communi
exitu finire non meruit, eamque bi thanati
morte conclusit, scilicet suspensus in arbore,
sui carnifex factus.* (ecce tertiam rui-
nam,) Sed quarta omniumque est, in
abyssum infernalem præcipitatio

2. Ruina secunda terribilis in Ana-
nia & Saphira conjugibus accidit. Pri-
mus ille maximusque Ecclesiæ Ponti-
fex Petrus, in tres omnino homines
severitatem suam exercuit, ac mortis
sententiam pronuntiavit: fuerunt ii
Simon Magus, duòque conjuges, viola-
tæ quam Spiritui Sancto voverant pau-
pertatis rei; & quod animos nostros
magis movere, sudorémque frigidum
exprimere meritò potest; est, priùs in
Ananiam & Saphiram justã irã deto-
nuit, quàm Simonem Veneficum ful-
minaret. Adde tamen Apostolus isti
vitam ademerit, pœnitendi tamen tem-
pus indulsit, duos verò votorum viola-
tores, simul increpuit, & perfidiæ coar-
guit, simul exanimis ad pedes suos re-
tractatæ donationis vindex abjecit,
adedò

nostrum autem mitem M
Christo injicienti, se
quiamus, qui paupe
Apostolorum ut
privatim seposueran

Atque hæc causa
ca Concilia, summi
num sacrorum Con
quoque damnatis il
post mortem, nega
corvisque objicent
ti Religiosorum h
mortali que Reor

3 Ruina tert

ronymo, epist.

partibus: Quid

parcior magis,

sciens 30. argen

tum, centum se

do acquirerat, m

tum est inter Mor

in eodem loco

divisus cellulis h

opus esset: alii p

esse dicebant; al

rentibus remitte

& Pambo, & I

Patres vocant,

Spirita, decrev

cum eodem dice

si in p rationes

quidquam pare

Eos per Egypt

num solidum di

S. Hieronymus.

adeò ut mitiorem Malcho , catenas Christo injicienti, se Petrus præbuerit, quàm iis, qui paxillum æris ex agro Apostolorum usui consecrato redacti, privatim seposuerant.

Atque hæc causa fuit, cur œcumenica Concilia, summi Pontifices, & Ordinum sacrorum Conditores, sepulchrum quoque damnatis illorum cadaveribus, post mortem, negaverint, & inhumata, corvisque objienda mandârint, ingenti Religiosorum hominum terrore immortalique Reorum dedecore.

3 Ruina tertia recensetur à D. Hieronymo, epist. 22. acciditque in Nitriæ partibus: Quidam, ait, ex Fratribus parcior magis, quàm avarior, & nesciens 30. argenteis Dominum venditum, centum solidos, quos lina texendo acquisierat, moriens dereliquit: initum est inter Monachos consilium (nam in eodem loco circiter quinque millia divisis cellulis habitabant) quid factum opus esset: alii pauperibus distribuendos esse dicebant; alii Ecclesiæ, nonnulli parentibus remittendos; Macarius verò & Pambo, & Isidorus, & cæteri quos Patres vocant, sancto in eis loquente Spiritu, decreverunt infodiendos esse cum eodem dicentes: *Pecunia tua tecum sit in perditionem.* Nec hoc crudehiter quisquam putet esse factum, tantus cunctos per Ægyptum terror invasit, ut unum solidum dimisisse, sit criminis. Hæc S. Hieronymus.

4. Ruina allegatur à S. Augustino, serm. 5. ad Fratres de Eremo, ubi ait: Annis 12. & ampliùs Januarius noster, qui Columna obedientiæ & paupertatis inter nos esse videbatur, ut vidistis, & audistis, malè vixit, & malè moritur. Quare vel quomodo malè vixit, & malè moritur? quare vel quomodo malè vixit? nisi quod suum non erat, secretè tenuit? quomodo etiam malè moritur, nisi quia in fine se non cognovit.

Vidistis Charissimi fundamentum novæ Hierosolymæ seu perfectionis Evangelicæ esse paupertatem voluntariam, cui tam incipientibus, quàm proficientibus & perfectis superædificandum est, si fabricæ hujus perfectionem & Coronidem, vitam scilicet æternam assequi desiderent. Vidistis quoque strages & ruinas horrendas, quas cupiditas & paupertatis religiosæ violatio causat, & quomodo tota perfectionis machina uno velut impetu collabascit. Quare alterutrum eligite; aut paupertatem, aut cupiditatem; si paupertatem eligitis, omnia bona, & commoda enarrata, & vitam æternam possidebitis; si verò cupiditatem; clades & ruinas formidabiles Judæ, Ananiæ, & aliorum pertimescite, & expectate.



REGULA XXIV.

DE AMORE PAUPERE TATIS.

EXHORTATIO I.

IN EANDEM REGULAM.

Probat, Paupertatem tanquam matrem diligendam.

T H E M A.

Honorem habebis matri tuæ. Tobia: Cap. 4. 3.

V E L:

Diligant omnes Paupertatem ut matrem. Reg. 24.



Uam tenero & intento amore matres ferri soleant in Filios, & vicissim Filii in matres, complura divini eloquii exempla demonstrant. Ex omnibus præcipuè emicat Anna mater Tobia:, quam inter & Filium singularis petas cluxit. Hanc primò ostendit mater: quæ mox à filii sui, cum Raphaële, discessu, amorem suum, lachrymas ubertim fundendo prodidit. *Cæpit flere & dicere ad maritum: Baculum senectutis nostræ tulisti. Tob. c. 6.*

Cum autem Filius moras neceret, nec tempore statuto ex Rages reverteret, rursùm flebat mater *irremediabilibus lachrymis. Cap. 10.* atque dicebat: *Heu, heu! Fili mi, ut quid misimus te peregrinari, lumen ocularum nostro: um. baculum senectutis nostræ, solatium vitæ nostræ, spem posteritatis nostræ omnia simul in te uno habentes, te non debuimus dimittere à nobis.* Et quotidie exhibat per viam, quâ reditum putabat, nullamque admittebat consolationem, donec reducem Filium sanum & sospitem amplecteretur. En quantus amor Matris in Filium! Nunc viden-

videmus amorem
reciprocum. 1. To
diligebat, honora
Patris. Honorem h
nibus diebus vitæ
& eam laudabat,
batur, nec verbulo
ledebat: & qui
ceptumque credeb
bat: cum enim G
detinere pararet,
meos numerare du
ximopere ad redi
in medio jam for
famulis, camelis
ctis, festinavit cur
lo, ut matri mœ
ret, Parentesque
Filii amor exige
Mater nostra,
Reg. 24. est Pau
nobis prosequen
quia materna no
necicia; jam jam
merito officii
compenſanda vi
I. Diligant om
trem. Merito hui
natus exigit: e
Filios ad Matr
das permoven
amore militan
incentiva Filie
que ista; quod
alantur, restan
tio afficiantur,
laurâ dicentur. S
necicia à pauperta
manant! Dubio p
Primum matris

videamus amorem Filii erga Matrem reciprocum. 1. Tobias eam æstimabat, diligebat, honorabat, ex Præscripto Patris. *Honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ ejus.* Cap. 4. Unde & eam laudabat, blando vultu intuebatur, nec verbulo, multò minùs factò lædebat: & quidquid gratum, acceptumque credebatur, alacriter præstabat; cum enim Gabelius eum diutiùs detinere pararet, aiebat: *Scio Parentes meos numerare dies, & anhelare maximopere ad reditum meum: cumque in medio jam foret itinere, Coniuge, famulis, camelis & impedimentis relictis, festinavit cum Raphaële Archangelo, ut matri mortuam citiùs abstergeret, Parentesque exhilararet: ut mutui Filii amor exigebat.*

Mater nostra, ut loquitur S. Ignatius Reg. 24. est Paupertas, quæ filiali amore nobis prosequenda; quamobrem verò? quia materna nobis præstat officia & beneficia; jamjam à nobis declaranda; quæ meritò officii & obsequiis filialibus compensanda videntur.

I. *Diligant omnes Paupertatem ut matrem.* Meritò hunc à nobis amorem S. Ignatius exigit: eadem enim rationes, quæ Filios ad Matres suas amore prosequendas permovent, etiam pro Paupertatis amore militant. Quænam verò amoris incentiva Filiorum corda flectunt? utique ista; quòd à Matribus gignantur, alantur, vestiuntur, defendantur, solatio afficiantur, ac demum hæreditate lautà ditentur. Sed nunquid eadem beneficia à paupertate, ceu matre in nos dimanant? Dubio procul. Nam

Primum matris officium & motivum

amoris est Filium *gignere.* Idem tibi Paupertas præstitit: quæ propriè te Religioni genuit; si quidem Ordini Religioso nomen haud dedisti, ut Castimoniam servares, Obedientiàmque Superiori exhiberes; id enim etiam tibi in sæculo manenti præstare licuisset; quemadmodum multis actu licet; verùm ut consilium Christi amplecteris, Adolescenti illi datum: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes.* Matth. c. 19. Quod solùm in Ordine Religioso præstat. Jure igitur Paupertas tanquam mater, illa Pauli ad Galat. c. 4. verba usurpat: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Tu verò meritò dixeris cum Jobo c. 2. 21. *Nudus egressus sum de utero matris meæ, & nudus revertar illuc.* Et ad Deum cum Regio Psalte: *Tu es, Domine, qui extraxisti me de ventre; ideòque es spes meæ ab uberibus matris meæ.* Psal. 21. 10. quando enim Voti Paupertatis, aliorumque binorum Votorum vinculis innecteris, Ordini Religioso nasceris, ejusdemque Filiis Religiosis annueraris.

Secundum matris officium, & dilectionis Motivum est Filium *sustentare*: quod longè melius præstat S. Mater Paupertas, optimèque cum Machabæorum matre ad juniorem filium dicere potest 2. Mach. 7. 17. *Lac triennio dedi & alui;* id est toto vitæ tempore. *Lac dedi,* id est, omnis generis alimoniam, cum sufficientiâ, puritate ac dulcedine lacteâ charitatis. Etsi Domus nostræ Professæ reditibus carent, Deus tamen pauperes suos non deserit; sed ad sustentationem necessaria sufficienter suppeditat.

Edent

I.
Officia
materna
erga fi-
lios.

Edent pauperes & saturabuntur. Habent Collegia & Domus Probationis redivis; sed sunt foundationes piæ Fidelium, sunt eleemosynæ, de quibus *Edent pauperes & saturabuntur* DEO providente, & paupertate succurrente. Mittuntur Tirones peregrinatum, stipemque collectum, sine sacco & perâ: & sancta Paupertas illos non deserit: sed *Edent pauperes & saturabuntur.* Deus quidem aperit manum suam & implet omne animal benedictione; at præcipuâ curâ Religiosos pascit; & dum alii laboribus manuum suarum aluntur, hi laboribus manuum Christi sustentantur: Fames sitisque Christi illis emit & condit cibaria: Christus pro illis se vadem ac fidei iussorem constituit: Christus gratiâ suâ ad illis benignè faciendum Fideles impellit: Charitas Christi corda etiam Fratrum nostrorum ad omnes domestici usûs labores incitat, & tanquam Matres aliorum constituit, quævis materna officia obeuntes, quomodo S. Parens noster Coadjutores nostros appellare consueverat. Insignem hæc de re sensum consolationis sub ingressum Societatis habuit R. P. Hieronymus Natalis, Vir egregius, & quasi manus dextera Sancti Ignatii ut legitur Tomo 1. Hist. Soc. L. 5. n. 10. ab Orlandino conscriptæ: nam inter vescendum, singularem è cælo iucunditatem & consolationem delibavit, dum hæc ei oblata cogitatio: *quod sese Deus aleret.* Ita est, Deus per paupertatem tanquam matrem nos pascit.

Tertium officium matris & motivum charitatis filialis est *vestire*: quemadmodum enim Jacob fecit Filio suo dilecto

tunicam polymitam. Genes. 37. 3. Ita quòque Anna Mater Prophetæ Samuelis: *Tunicam parvam faciebat et.* 1. Reg. 2. 19. Nec minus Mater nostra Paupertas, unumquemque nostrum, pro statûs sui conditione vestit, non ad luxum & superbiam; sed ad religiosam decentiam, necessariis tegumentis, quibus nos jubet esse contentos. Et quanquam vestitus noster interdum est vilior, præsertim in Tironibus, qui probantur, atque ad humilitatem, mundique contemptum, illo adjuvantur; valet tamen in iis, illud Christi, de Liliis agri, dictum: *Quod nec Salomon in omni gloria sua coopertus fuerit, sicut anum ex istis.* Matth. cap. 6. Id ipsum præfiguratum videtur in Regina Esther, quæ nullum ornatum petiit; & tamen præ omnibus puellis, Regi Assuero, ob formæ elegantiam, placuit. Ad eò nempe speciosi, in oculis Dei & Angelorum, ac rectè sentientium tales apparent, qui humilitatis & paupertatis amore, viliori vestitu amiciuntur. Quà de re pulchrè S. Hieronymus in vita S. Pauli primi Eremitæ: Mihi (inquit) si Dominus optionem daret; multò magis eligerem tunicam Pauli, quæ ex foliis palmæ contexta erat, cum meritis ejus; quàm Regum Purpuram, cum Regnis suis. Et S. Antonius id ostendit, dum Festis anni solennioribus eam induit.

Quartum matris officium & causa amoris est *tueri ac defendere* à lapsibus, periculis & hostibus: veluti gallina pullos suos sub alas congregat & à milvo protegit. Ita Paupertas Alumnos suos, contra hostium insultus tuerit, quales

quodlibet felicitudo
 min. gals, hauris
 que Pa
 Religionis mortis ar
 cibatione, pro
 est expolium. Sic
 ad volandum pul
 latus expandit ala
 num & portavit in h
 rom. 12. Ita Paupert
 cat ad volandum pul
 tum in exercitio & u
 ter exercens; ver
 alas suas, assumit, p
 bos advertis sedulo
 Quintum matris
 amoris est, filios
 in advertitate &
 morte. Si inopia p
 urgeat, si famas,
 dixeret, suavit
 v. liti olim Tobias
 Nol timere, Fili
 vitam perimus; s
 mus, si immerim
 rimus ab omni pec
 Si mors ingrat
 olim mater Mac
 ad Martyrium
 animabat. Ex
 nostra Sacerdos
 qui, cum imm
 lantiz signa ee
 retur; reposuit
 calum mihi liter
 transcriptum el
 Christi Domini ap
 Amen dico vobis,
 sus omnia, & sec
 accipietis & vitam

quales sunt sollicitudo, superfluitas, invidia, gula, luxuria, superbia, ceteraque vitia, quæ Paupertas, ut firmus Religionis murus arcet, quemadmodum exhortatione, proximè præcedente est expositum. *Sicut Aquila provocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans expandit alas suas, & assumpsit eum & portavit in humeris suis.* Deuter. 32. Ita Paupertas non solum provocat ad volandum pullos suos, eos paulatim in exercitio & usu paupertatis suaviter exercens; verum etiam expandit alas suas, assumit, portat, atque ab omnibus adversis sedulo defendit ac protegit.

Quintum matris officium, & stimulus amoris est, filios *consolari* & animare, in adversitate & tristitiâ, in vita & morte. Si inopia premat, si necessitas urgeat, si famæ, sitisque nonnunquam divexet, suavibus verbis solatur, vultu olim Tobias senior Filium cap. 4. *Noli timere, Fili mi, pauperem quidem vitam gerimus; sed multa bona habebimus, si timuerimus DEUM, & recesserimus ab omni peccato & fecerimus bene.* Si mors ingruat, morientem erigit, ut olim mater Machabæorum Natos suos ad Martyrium fortiter sustinendum animabat. Expertus id fuit à Societate nostrâ Sacerdos P. Joannes Gerardinus, qui, cum imminente morte singularis lætitiæ signa ederet, causâque rogaretur; reposuit: Gaudio exulto; quia cælum mihi literis, sigillo munitis, transcriptum est: Scilicet verbis Christi Domini apud Matthæum c. 19. *Amen dico vobis, quod vos, qui reliquistis omnia, & secuti estis me, centuplum accipietis & vitam æternam possidebitis.*

Sextum denique matris officium, & amoris motivum est *Hæredem scribere*; hæreditatēque lautam Filio relinquere. Idem facit Paupertas, quæ non duntaxat centuplum in hac vita refundit; verum etiam hæreditatē amplissimam, Regnum scilicet cælestē, testamento firmatum relinquit; juxta Veritatis æternæ promissum: *Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est Regnum Cælorum.* Math. 5.

Quis igitur, Charissimi, matrem ad eam benevolam, ad eam largam & liberalem, non tenero amore complectatur? Quis tantum amorem dilectione mutua non compensare studeat? At quo pacto charitatem reciprocam erga matrem, ad eam beneficam, demonstrabimus?

II. Mutuæ dilectionis officia, actus & signa, à Filiis ingenuis Matri, & à Religiosis Paupertati velut Parenti dilectæ jurè exhibenda, sunt sequentia.

I. Officium primum Filii erga matrem est *honora e & estimare* matrem: *Honora patrem & matrem*, mandat Decalogus: *Honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ ejus*, præcipit Filio Tobias. Cap. 4. Regum sapientissimus Salomon tanto matrem Bethsabeam prosequatur honore, ut ei prope se thronum erigendum curaret, nihilque ipsi petenti denegatum iri sponderet. Ita pariter verus Religiosus paupertatem, velut margaritam pretiosam, magni æstimat, observantiâque singulari prosequitur; nec ejus occasione unquam rubore aut pudore suffunditur. Illustre exemplum præbuit Benedictus XI. Pontifex Maximus, qui matrem suam pauperculam, à Matronis Romanis splendidis

II.
Officia
filialia
erga
matrem.

vestimentis ornata, agnoscere noluit, in consueto vili habitu accedentem, matrem agnovit, honore persecutus est, ac minimè erubuit. Ita & nos, si paupertatem ut matrem dilexerimus, nunquam propter ipsam pudore suffundemur. Diligamus igitur & non pudeat nos, vilioribus indui vestimentis; non pudeat nos, si aut obedientia aut necessitas exegerit, ostiatim stipem cogere; non pudeat nos cubiculum, exiguo vel nullo ornatu excultum, incolere; nec cum indigentibus, ac rudibus familiarius agere. R. P. Balthasar Alvarez dicere solitus fuit, *Qui in vestibus quarit honorem, ne vilis habeatur, non diligit Paupertatem.* Cum Paulus Kostka, nostri B. Stanislai Frater, omnia bona sua hospitali cuidam transcripsisset, ac postmodum, ut Deo serviret quietius, in eodem vitam suam egisset, sub vitæ finem hoc sibi posuit epitaphium: *Non erubescio Evangelium.* Simili modo & nos non erubescamus Evangelium, non Paupertatem Evangelicam, non Christi Domini nuditatem & egestatem nobis honori maximo ducamus, si Redemptori nostro in hac virtute assimilari mereamur.

2. Officium filii erga matrem est, eandem *laudare*: Quod enim diligimus, laudibus efferrimus; filius matrem amans, ubique ejus bonitatem deprædicat, nunquam ei detrahit, nunquam murmurat, nunquam convitia jactat: verbo, de ea contemptim loquitur nunquam. Ejusmodi autem filii, qui maledicunt matri, in eloquio divino maledictione feriuntur. *Qui maledixit matri, extinguetur lucerna ejus*

in mediis tenebris. Proverb. Cap. 20: 20. Pari ratione amans Paupertatem: ut matrem eam laudibus prosequitur, si quid ob injurias temporum desit in paupere Collegio, si quid à Superioribus ei auferatur, aut justis de causis denegetur, non interpretatur in deteriorem partem, non queritur, non murmurat, non convitia jactat; sed optimè contentus, in pace manet; quod enim diligit, obtinuit.

3. Filii erga matrem officium est, placidum & amicum vultum ostendere: Qui enim matrem amat; eam nec torvo nec obliquo oculo aspicit. *Vultu quòque læditur pietas*, inquit Marcus Tullius Cicero. Ita nos si paupertatem ut matrem diligamus, ejusque effectus nonnullos in cibo, potu, aut vestitu experiamur, austerio vultu, oculisve torvis ea intueri, sive displicentiæ signa ostendere minimè decet: veluti Fratres suos: Divus Bernardus Serm. 4. de Adventu admonet: *Videmus (ait) pauperes aliquos, qui si veram haberent paupertatem, non ad eò pusillanimes invenirentur & tristes: qui pauperes esse volunt, eo tantum pacto, ut nihil eis desit.*

4. Filii erga matrem officium est, cavere offensam ac læsionem ejus: nam est *Maledictus à Deo qui exasperat matrem.* Eccli. Cap. 3. 18. Ita nos si paupertatem instar matris amore prosequamur, eam aut exasperare, aut lædere etiam in minimo abhorrebimus. Refert R. Pater Nidasi de R. P. Adriano Horn, qui anno 1653. Coloniae Rector Collegii obiit; is si quando hinc illicve paupertatem violari cerneret, suspirabat dicens: *Quasq non lædamus S. Paupertatem.*

Exiit

DE
 DEUS, ut non
 demus aut accipiamus
 nostre amantissimæ
 Fecit DEUS, ut non
 vioribus delinquit,
 matri insignat, & ma
 tendum incurra.
 3. Filii erga m
 Quidquid eadem pl
 arequis; & instar fil
 recurreti. Nos
 convenientius est
 exemplo viliora
 bus ad Sanctæ Pa
 ramus, cum Da
 tem mendicis su
 18. Si deteriora
 mus ad matrem
 tur, recurremus
 Ego mendicis su
 tatribus non folo

Faxit DEUS, ut nunquam sine veniā demus aut accipiamus, atque ita matri nostræ amantissimæ capillos evellamus!

Faxit DEUS, ut nemo unquam in gravioribus delinquat, & lethale vulnus matri infligat, & matricidii crimen horrendum incurrat.

5. Filii erga matrem officium est, *Quidquid eidem placere novit, libenter exequi; & instar filii in omnibus ad eam recurrere.* Nos quidquid paupertati convenientius est, eligamus, Christi exemplo viliora sectemur; & in omnibus ad Sanctæ Paupertatis sinum recurramus, cum Davide dicentes: *Ego autem mendicus sum & pauper.* Psal. 39. 18. Si deteriora tribuantur, confugiamus ad matrem; Si meliora non dentur, recurramus ad matrem, dicamusque: *Ego mendicus sum & pauper*, cui meliora tribui non solent, sed viliora.

Quare, Charissimi, ut paupertatem tanquam matrem diligamus, crebrò ejus beneficia in nos recolamus, & ruminemus, qui nos gignat, alat, vestiat, protegat, consoletur in vita & morte; ac denique cælesti hæreditate nos beet. Deinde practicè & re ipsâ amorem mutuum rependamus: illam ut matrem semper magni æstimemus, & nunquam erubescamus: semper laudibus, nunquam dictis & convitiis prosequamur: si quos ejus fructus degustare, occasio aut necessitas ferat, semper blando & amœno vultu eam intueamur. Nunquam eam lædamus, multò minùs graviter vulneremus: quin potiùs, quidquid ei gratum & placitum est, libenter præstemus, atque ad sinum ejus confidenter confugiamus: hæc ratione eam ut matrem secundùm Regulam præsentem, verissimo amore complectemur.



Regis ad exemplum totus componitur orbis, canit Claudianus. Rex subditos, non secus ac figulus ollam fingit. Cretensium Rex venationi ac rei nauticæ dedit omnes suos subditos ad idem studium adduxit. Spartanorum Reges, Marti addicti, suos ad arma traxere. Aurelius Imperator Philosophiæ amans, & primus palæstram ingressus, omnes ad sui sequelam pellexit. Ludovicus II. Franciæ Rex, literarum osor, ad earundem contemptum: Franciscus I. Doctorum ac Doctrinæ amator, ad earundem amorem & æstimationem suos pertraxit. *Mobile mutatur semper cum Principe vulgus.*

Rex, Dux ac Magister noster est Christus, qui de cælesti folio descendit, ut viam ad perennem gloriam, ac beatitudinem perpetuam, nobis monstraret, methodumque vivendi nobis aperiret: velut ipse testatur: *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* Joan. 13. Idque quemadmodum in omni virtutum genere, ita quoque in evangelica paupertate.

Quo igitur pacto, hunc Regem ac Ducem nostrum, in victûs, vestitûs, lecti, ac suppellestilis paupertate, nos imitari oporteat, in præsentiarum, ob oculos ponemus.

I.
Victus
pauper.

I. Quocunque quis stemmate ortum ducat, aut etiam è Nobilium, Comitum, Principum, Regum prosapia descendat; eo ipso, quod sub JESU Christi Regis Regum labaro Sacramentum dicat, ejus quoque vivendi tenorem amplecti non erubescat; Præclare id docet S. Leo Papa, dum asserit: *Christi humilitas nulli aspernanda divitum; nulli est*

erubescenda nobilium. Nec enim in tantum provehi potest qualibet felicitas humana fastigium; ut æstimes sibi pudendum; quod Deus in forma servi, non est arbitratus indignum; Quotquot in hunc Oedinem sanctum adlecti sumus. Christum Regem ac Dominum nostrum libentes agnoscimus, eique tanquam subditi, ac milites omnia nostra substernimus: jam verò, quibus epulis, quibus cibis ac bellariis Rex noster in hac mortali vita recreatus fuit? An illi quidquid saltus & nemora ferarum: quidquid pelagus ac flumina piscium rariorum: quidquid aër volucrum delicatissimarum profert, per ingentem Venatorum, piscatorum atque aucupum turmam anxie ac magno labore conquirendum fuit? An illi turdi, perdices, ficedulæ, phasidis alites, apri, cervi, lepores, aut aliæ ex altero orbe deliciæ accertendæ fuere? Minime gentium. Non aliæ ipsi epulæ oblata, in pueritia & adolescentia, quam quas inops Mater & Nutritius faber lignarius apponere soleret. Tempore prædicationis verò, vitam elemosynis sustentavit; atque interdum ad eod parum alimenti habuit, ut Apostoli ejus, inedia levandæ gratiæ spicas vellerent, & grana ex iis decerpta manducarent, Matth. 12. Habuit quidem Redemptor noster in communi pecuniam nonnullam, Judæ velut Apostolici Collegii Procuratori commissam; nihil tamen ex ea sumpsit, aut usurpavit, nisi quod sibi & Apostolis, ad victum tenuem & vulgarem, necessarium esset. Quod si verò crumena Apostolica inanis foret, nihilque numerorum, pro victu comparando suppeteret, mulieres devotæ, illum sequen-

res, ministrabant ipsi de facultatibus suis. Lucæ c. 8. Ea scilicet quæ pro sustentatione erant necessaria: nominaque eorum ibidem S. Evangelista recenset. S. Mariæ Magdalenæ, S. Susannæ, S. Joannæ uxoris Chusæ Procuratoris Herodis. Præter has aliæ multæ erant, quæ Dominum alebant. Hanc profundam aded Salvatoris animi demissionem ac paupertatem quis non miretur? Cæli terræque Monarcham, in tempore opportuno manum suam aperientem, & omne animal benedictione replentem, elemosynis sustentari, quis non obstupescat?

Admirabile istud paupertatis exemplum, imitata est Beatissima Virgo Maria, quæ teste D. Ambrosio & aliis, tenui & paupere victu contenta fuit; nec ab his Christi vestigijs deslexere Apostoli, qui delicias ac cupidias nequam sectati sunt; sed obviis, vulgariibusque escis, quæ Civitates & oppida, pagosve intransibus, atque apud alios hospitantibus offerebantur, contenti vixere: secundum Christi Domini mandatum: *Manducate qua apponuntur vobis.* Lucæ c. 10. 8. aut iis, quæ à piis fidelibus mittebantur; ut enim Historiarum Ecclesiasticarum monumenta perhibent; quemadmodum Apostolorum Principes, Petrum & Paulum Romæ, ita quoque alios primos summos Pontifices S. Clementem, S. Pium, S. Cajum, S. Marcellum & plures, aluerunt S. Plautilla, S. Flavia Domitilla, S. Lucina, S. Priscilla, S. Prudentiana, S. Praxedes, aliæque matronæ nobiles. Sic ergo Ecclesiæ militantis Principes, Fundatores, ac Pontifices maximi ex elemosynis

victitârunt: quis admiratione non compleatur? At, si Christum Regem Regum omnium, pari modo vitam agentem intueamur, quem illi imitari studuerunt, omnis illico admiratio subsidit.

Ab his Ecclesiæ Fundatoribus paupertatis sanctæ studium, ad Ordinum Religiosorum Fundatores pervenit; nimirum ad S. Basilium, S. Augustinum, S. Benedictum, S. Dominicum, S. Franciscum, & alios: ac tandem hos inter etiam ad Sanctum Fundatorem nostrum Ignatium, qui à conversionis suæ primordio in hospitalibus vixit, & obviis istis, haud delicatis escis acquievit, imò lautiora aliis egentibus tribuebat, pane contentus. Dumque cum sociis per diversa Italiæ loca concionibus vacaret, ostiatim stipem corrogabat, panæque aded indurato victitabat, ut eo, nisi aquâ antè macerato, vesci nequiret. A Sancto Ignatio & primis ejus Sociis hanc vivendi methodum hausit Sanctus Franciscus Borgia, è Duce Gandiæ, tertius Societatis nostræ Præpositus Generalis, qui lautitiis & eduliorum ferculis rejectis, ita parcè victitabat, ut pane & frigidâ, herbæque ac leguminibus contentis acquiesceret. L. 1. vitæ c. 9. Venerabilis P. Josephus Anchieta ad missionem Brasiliæ destinatus, cum suis, portione utebatur ex aqua & milio costâ, pro esca leguminibus & oleribus vescabatur. *Histor. Societ. p. 1. L. 14. c. 15.* R. P. Franciscus Villanova frustula ab aliis relicta manducabat, cumque quid extraordinarium sibi ferretur, monebat, ne contumeliam sibi inferrent; viro enim Religioso sano probrum esse, quidpiam non omnibus commune admittere.

minore. Tannetus p.
 rualibus, qui hac i
 perans ac temperan
 nocere: quæ eatenus
 da sunt, ut victu pa
 dato contenti vivan
 Domini, SS. Aposto
 Sanctorum more
 sed cibis commu
 Gratiæ & virtus lup
 ficiet, ejus loco,
 mus; uti Danieli
 qui leguminibus
 habiliores & for
 II. Vestitus

III.
 fructus
 pauper.

præferat: quo
 litus Dominus R
 plo insigni prælu
 Bethlemitico
 bus involvi di
 quo vitæ mortal
 plicissimo usus fu
 consulti, (q
 dicitur, veluti
 circum emib
 toga, quæ tuni
 denique pallio
 Abulensis para
 habuisse etiam f
 cola; Maldor
 sam: Adde
 lanæum vel lin
 omnia ramen
 milibus in cr
 re Christum De
 so degentes tant
 Ratio tum à st
 mer delamant
 penitentia; t
 ligum; pame
 quidem occasio

mittere. Tannerus p. 64. Taceo innumeros alios, qui hac in parte egregia paupertatis ac temperantiae exempla praebuere: quae eatenus saltem nobis imitanda sunt, ut victu pauperibus accommodato contenti vivamus: deliciis, Christi Domini, SS. Apostolorum, aliorumque Sanctorum more, minimè inhiemus; sed cibis communibus acquiescamus. Gratia & virtus supplebit, virèque sufficiet, ejus loco, quod deliciis detrahimus; uti Danieli ac tribus Pueris accidit, qui leguminibus victitantes, robustiores, habiliores & formosiores apparere.

II.
Amictus
pauper.

II. Vestitus quoque paupertatem praeferat: quo in genere rursus Christus Dominus Rex noster nobis exemplo insigni praeluxit: nam in stabulo Bethlehemitico fasciis, & pannis vilibus involvi dignatus est ac toto reliquo vitae mortalis decursu, vestitu simplicissimo usus fuit: nempe tunicam inconsutilem, (quae cum ipso crevisse traditur, veluti cum Hebraeis in deserto circum euntibus Duce Moysè) deinde toga, quae tunicae superinduebatur, ac denique pallio pro more Judaeorum. Abulensis paradoxo s. cap. 42. addit, habuisse etiam femoralia, sive subligacula; Maldonatus, interulam sive camisiam: Addunt alii habuisse thoracem laneum vel lineum, nec non sandalia: omnia tamen paupertati conformia, à militibus in crucifixione divisa. Quam in re Christum Dominum, in statu religioso degentes imitari par est.

Ratio tum à statu, tum à veste ipsa mer desumitur: Religio enim status est penitentiae; vestitus quoque ejusdem signum, penitentiae vos admonet: si quidem occasione peccati, à protopla-

stis parentibus olim commissi, assumptus est; non de mollibus, sed asperis ficulis folliis ad carnis retundendam petulantiam confectus; prout pulchrè tradit Lorenæus L. 3. contra Hæreses c. 37. Si igitur homines quoscunque vestitus penitentiae admonet, adeoque levitatem nullam, sed asperitatem potius redoleat, necesse est; quanto magis id in religioso locum reperit? Rectè proinde docet Cassianus L. 1. c. 3. *Vestis Monachis sit, quae corpus contegat, nuditatis verendum repellat, & frigoris retundat injuriam, non quae seminaria vanitatis & elationis enutriet.* Ideoque admonet religioso in primis observandum illud Apostoli. 1. Tim. 6. 8. *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus.* Operiant corpus, atque ita sint constituta, ut nullam coloris vel habitus novitatem, inter ceteros, ejusdem propositi viros, habeantur insignia: hoc enim vanitatem, & elationem animi redoleret, secundum illud Ecclesiastici: *Amictus corporis & risus dentium, & ingressus hominis enuntiant de illo. c. 19. 27.* Scilicet levitatem & arrogantiam.

Si Parens noster Ignatius, ut ejusmodi vanum vestimenti genus à Societate averteret p. 6. const. c. 2. §. 5. Vult in eo tria observari. 1. Ut vestitus sit honestus. 2. Ut ad usum loci (id est, Clericorum honestorum ejus loci.) in quo vivitur, accommodatus. 3. Ut paupertatis professioni non repugnet. Videretur autem repugnare, si sericis vel pretiosis pannis uteremur. Nec minus, hæc observavit, quam sanxit: in vita melioris primordio vestes pretiosas cum vili pauperis lacerna mutavit: 2:

ac deinceps, aliorum more, veste communi usus, etiam Præpositi Generalis muneri applicatus, veluti in ejus solanâ Colonix asseruatâ patet.

Quantum verò studium hujus rei, in primis Societatis nostræ Patribus, ac deinde in eorum Successoribus eluxerit, prolixum foret recensere; plena enim monumenta Scriptorum, quæ de ipsis hæctenus vulgata fuerunt. Nostrum igitur studium sit, hanc vestitus paupertatem, quam, velut hæreditatem à Majoribus accepimus, sedulo conservare, illibatamque ad posteros transmittere; ne alioquin in aliquo nostrum fortasse culperet Sanctus Fundator, quod S. Franciscus in Fratrem Eliam, laxam & pretiosam cappam indui solito, culpasse legitur; quando illam indutus, atque ad pompam incedens, coram Fratribus presentibus hoc epiphonema protulit: *Sic incedunt degeneres Filii Ordinis nostri.*

III.
Lectus
pauper.

III. Denique in ratione lecti paupertas a nobis exigitur: quam quodque Redemptor noster exemplo suo nos docuit. Certè cum primùm in hanc lucem editus est, ejus cubile stabulum fuit, lectica præsepe, lectus scœnum aut stramen animalium; atque hæc omnia non propria, sed aliena. Quid verò tempore prædicationis? Lectum mollem habuisse nunquam legimus; sed ut ipse ait Matthæi c. 3. *Vulpes foveas habent, & volucres calinidos; Filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet.* Quando autem postmodum in deserto pernoctavit, haud dubiè, humus nuda lectum præbuit. In navi, exortâ tempestate dormiens asseribus duris ac tabulis somnum cepit. Exiturus verò ex hac

mortali vitâ, durissimum sibi lectum elegit, ipsum scilicet truncum crucis. Non absimilem rigorem S. Patriarchæ noster, initio conversionis suæ, æmulari studuit; sed notatâ virium corporis debilitate, remittere coactus fuit. S. Franciscus Xaverius Indorum Apostolus sæpe humi cubans somnum carpebat, & pulvinaris loco aut lapidi aut funibus nauticis conglomeratis incubabat: quod etiam de gloriolo Martyre nostro Gonfalso Sylveriam proditum est. quantopere verò omnem lecti molliem detestatus sit S. Franciscus Borgias, vita ejus scripta uberius enarrat: nè velum quidem ad arcendum frigus, lectulo obtendi ferebat, quod id ipsi molliem redolere videretur: quamvis in hisce Septentrionalibus plagis, ob aëris inclementiam, hyeme præsertim, usus veli seu cortinæ permittatur; sed in eo quodque paupertas reluceat oportet, ut secundum ordinationem in visitatione Provinciæ præscriptam, cortina sit, non è materiâ pretiosâ aut curiosâ, more Sæcularium; sed è simplici panno lineo confecta.

Denique Religiosorum sedulo perfectioni vacantium est, quo ad valetudine salvâ fieri potest lectuli duritiem affectare; ejusque desiderium insinuare iis, quibus attendere incumbit, quid ad majorem Dei gloriam cuique conveniat: Hominem namque bene religiosum decet, desiderium præferre; ut lectulus ipsius haud absimilis sit lecto illius, qui dicebat: *Lavabo per singulas noctes lectum meum; lacrymis meis stratum meum rigabo.* Psalm. 6. 7.

Quid de hoc lecto sentiemus, nisi quod licet

licet Regem excipere
molliore pararetur
necessitas sola, non
quam ad ploran
ergo Servorum D
qui sua austeritate
ad laiciendum,
quiescendum pr
cientibus, non
venerandæ paup
beat.

Itaque, Dilecti
commemoravit
lecto, exemplo
nostri, aliorum
nostrâ illustra

DE
EX

Declar

Simile

Vel. A




YADU & VERBIS

licet Regem exciperet, nullam tamen mollitiem pararetur; quem quiescendi necessitas sola, non tam ad dormiendum quam ad plorandum elegerat? Talis ergo Servorum Dei sit lectus, oportet; qui suam austeritate & paupertate, non ad lasciviendum, sed ad moderatissime quiescendum præparetur; & aspicientibus, non femineæ mollietati, sed venerandæ paupertatis indicium præbeat.

Itaque, Dilectissimi, hæc tria, quæ commemoravimus, in victu, vestitu, & lecto, exemplo Christi & S. Parentis nostri, aliorumque Virorum à Societate nostrâ illustrium confectemur, &

si optio detur, ad profectum nostrum sponte eligamus. Nemo prætendat se mollioribus in sæculo assuetum; sed ista se JESU Ducis sui amore, contempsisse, Domumque Pœnitentiæ ingressum esse cogitet; in qua non more Sæcularium vivere, sed præmia Sanctorum comparare debeat. Turpe est oblivisci Professionis suæ, & in domum Pœnitentiæ, non absque Fratrum suorum scandalo, delicias invehere & quæ propter Numinis supremi amorem ac reverentiam deserta sunt, iterum resumere; & nisi infirmitas aliud requirat, corpus, brevi in pulverem & cinerem convertendum, molliùs tractare.



REGULA XXVI.
DE LÆSIONE PAUPERTATIS.
EXHORTATIO
IN EANDEM;

Declarat, nihil dandum aut accipiendum absque Superiorum facultate.

T H E M A.

Simile est regnum Cœlorum thesauro abscondito in agro.

Matth. 13. 44.

Vel. Mutuò dare aut accipere minime possunt, Reg 26.



Vadit & vendit omnia, & emit agrum illum.

Erba illa ore Redemptoris nostri Matth. 13. prolata: *Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro; quem qui invenit,*

Varii variè interpretantur. S. Hieronymus de Christo & Evangelio; Sanctus Augustinus de Scripturâ Sacrà; S. Chrysostomus de Doctrinâ Evangelicâ, Fide, Virtute, Gratiâ; quæ thesaurum absconditum Fidelibus conferunt, exponit; Ager verò est Ecclesia;

in quâ Evangelica Doctrina traditur, & custoditur. Nos verò symbolicè non incongruè Societatem nostram Minimam (aut quemvis Ordinem Religiosum) agro comparamus, in quo thesaurus ingens, sed absconditus lateat, qui divinâ inspiratione, illustratione ac vocatione, nobis detegitur: Quisnam verò est iste thesaurus? Est Paupertas Evangelica; in Evangelicâ Doctrinâ fundata, laudata, omnibusque Religiosis unicè commendata; verè magnus thesaurus, omnibus mundi gazis longè excellentior; sed à Mundanorum oculis absconditus: Latet enim in eo major salutis æternæ securitas: latet in eo Perfectionis Christianæ & religiosæ dignitas: latet in eo cælestis gloriæ ac beatitudinis æternitas; imò DEUS ipse dives in omnes & super omnia, infinitos in se thesauros complectens, quibus aliquando in cælo ditabimur, fruemur, & beabimur. Montrato igitur nobis hoc thesauro, ejus pretio allecti eum nobis comparare decrevimus: Verùm quoniam nec agrum dictum, nec thesaurum obtinere nobis licuit, nisi cuncta, quæ in mundo possidebamus, desereremus; mente generosâ resolvimus, quocumque demum pretio staret, illum nobis acquirere: atque ita domos, agros, pecuniolas ceterasque reulas nostras, quas possidebamus aut à parentibus expectabamus, reliquimus; & agrum hunc emimus, ac thesaurum reperimus; Thesaurum cælestem in eo latentem præstolantes: *Vade vende omnia qua habes & da pauperibus & habebis thesaurum in cælo. Matth. 19.*

Ad hunc thesaurum Paupertati^s integrum, inviolatùmque servandum SS. Ordinum Fundatores, & in primis Sanctus Parens noster, nonnulla vetat, quæ thesaurum minuunt, aut lædunt; qualia sunt 1. Mutuò dare. 2. Accipere. 3. Dispensare absque Superioris facultate, quæ in præsentem, rationibus, casibus nonnullis particularibus atque exemplis declarabimus.

I. Tria, ut diximus, Regula vetat; quæ de thesauro paupertatis quidpiam tollunt aut furantur. Primum est *mutuò dare*. Secundum *mutuò accipere*. Tertium *dispensare quidquam de iis, quæ domi sunt, nisi Superior conscius consensum præstiterit*. Vetat igitur Regula quidquam dare vel accipere, sive mutuò, sive absolutè, idque tam domesticis, quàm externis, aut etiam nobismetipsis: atque hoc interpretandum strictè, etiam de rebus minimis, nisi aut generalem, aut specialem à Superiore facultatem obtinuerimus. Ratio est, quòd hæc omnia voto paupertatis repugnent; vi cujus reliquimus omnia, & facultate de ulla re mundi, pro libitu disponendi, nos abdicavimus: adeoque hoc Voto obstringimur, ad nihil omnino habendum, tanquam proprium; seu propriâ voluntate possidendum, dandum, accipiendum, aut alienandum: sed omnia illa fieri oportet, voluntate Superioris, qui bonorum illorum est Administrator. Gerere itaque nos decet in Religione, tanquam Peregrinos in diversorio, aut tanquam pauperes in aliena domo, ad quos nihil horum, quæ domi sunt, pertinet. Unde

Pere-

I. Nihil dandum aut accipiendum absque veniâ,

Peregrinus in itinere
hominis, aut pauper
nihil licet matrem
tam, scyphum, vit
minis cibum, port
si quis ista ab iplo
Ego hic sum peregr
mea, ac proinde
nominum domus
Longè magis reli
omni dominio &
tus, nequit quic
mutuò, aut d
Superioris.

Verùm opt
quispiam in h
nullo hæctenus
proinde non ob
dare vel accip
Respondet: n
Votum; sed l
adeoque intere
observare. Ex
seu probatione

4. Ad gratia
dignus evadas
Voto te obstrin
incomparabile
licet Voto non
tatem religios
ves; crede
eamdem debi
indignum re
Tirocinio ab
admittaris.

II. Verùm, q
elucescat clarus
laria descendam
Thesaurum minu
defalcant. Præ

Peregrinus in itinere pernoctans in hospitiis, aut pauper in ædibus alienis, nulli licitè mutuum dare potest scutellam, scyphum, vitrum, librum; multò minùs cibum, porumve dispensare: sed si quis ista ab ipso peteret, responderet: Ego hìc sum peregrinus, ista non sunt mea, ac proinde dare ea nequeo, dominum domùs aut cauponem accede. Longè magis religiosus Voto obstrictus, omni dominio & usu proprietatis privatus, nequit quidquam dare vel accipere mutuo, aut dispensare absque facultate Superioris.

Verùm opponet & oggeret hìc quispiam in Religione Tiro: Ego nullo hætenus Voto obstrictus sum, ac proinde non obligor; licebit itaque mihi dare vel accipere absque scrupulo. Respondeo: nondum quidem edidisti Votum; sed Deo favente, emittes; adeòque interea teneris paupertatem observare. 1. Ex æquitate. 2. Ad Probam seu probationem. 3. Ad dispositionem. 4. Ad gratiæ impetrationem, quæ dignus evadas, qui sanctæ Paupertatis Voto te obstringas, thesaurumque hunc incomparabilem acquiras. Quòd si verò, licèt Voto nondum emisso, nunc paupertatem religiosam non diligas, neque serves; crede mihi, nec post Votum eandem debitè observabis; aut etiam indignum te reddes, qui ad eam, Tirocinio absoluto, profitendam admittaris.

II.
Idem
declara-
tur in ca-
sibus par-
ticulari-
bus.

II. Verùm, quò Regulæ hujus sensus elucescat clariùs, ad quædam particularia descendamus, quæ Paupertatis Thesaurum minuunt & semper aliquid defalcant. Prænotatum tamen velim,

id quod in aliis Ordinibus leve fortassis, aut ex præsumptâ facultate licitum, in usu atque observatione paupertatis, censeretur, in Societate gravius & illicitum à Viris perquam eruditè judicari, idque ex mente Fundatoris; quemadmodum optimè declarat R. P. Oliverius Manaræus, Vir in Societate magni nominis, & hujus Provinciæ nostræ celebris olim Visitator, in epistola, ad R. P. Leonardum Lessium, Virum pariter eruditissimum, editis que libris insignibus clarissimum, datâ Bruxellis 21. Novembris Anno 1603. In qua ad quæstiones nonnullas P. Lessii responderet.

1. Quæstio P. Lessii erat: num gravis foret defectus, si quis Dispensator aut Coqus dispenseret esculenta vel poculenta, in famulos, aut Fratres nostros, contra mentem Superioris, dando plura, vel alia, vel meliora, quàm iis præscriptum est? Item si notabiliter excedat mensuram in carnibus dandis, contra ordinationem Provincialis vel Superioris. Idem est de habentibus eleemosynas distribuendas ad portam. Respondit P. Oliverius, dubio procul esse gravem excessum: agit enim tanquam proprietarius, cum det, quod vel suum non est, tanquam infidelis dispensator: vel quod suum falsò reputat, tanquam rei dominus.

2. Quæstio: num gravis foret defectus, si quis pro vaseculo nocturno sordido, ex loco communi, acciperet mundum, destinatum hospitibus aut alteri, absque veniâ. Idem est de candelabris, emunctoriis, candelis,

LII 2 imaginibus

imaginibus in Breviario alicujus reper-
tis? Respondit P. Oliverius, semper
vidi & audiui in Societate, hoc judicari
grave: tum quia est aperte contra pau-
pertatem; tum quia est contra charita-
tem: quia domum turbat, molestiam
& sollicitudinem Praefecto peregrino-
rum creat, & strepitum in Domo reli-
giosa excitat. De imaginibus velex cu-
biculo, vel ex Breviario ablatis, semper
grave judicatum est in Societate. Erat-
que olim Regula à S. Patre nostro tradi-
ta, ut nemo affigeret, vel refingeret ima-
gines, imò nec clavum quidem in cubi-
culo, in scio Superiore.

3. Quæstio. An Scholastici vel Ma-
gistri nostri, generalem habeant facul-
tatem accipiendi libros, ex parva Bi-
bliotheca? Respondit: Nemini licere ex
Bibliotheca parva vel magna, accipere
libros, in scio Praefecto Bibliothecæ; id-
que ex speciali, vel generali venia Su-
perioris: tum quia secundum Regulas
Scholasticorum Societatis, non licet iis
uti aliis libris, quam à Praefecto sibi tra-
ditis: tum quia Regula octava commu-
nis expressè cavet, ne quis libros ha-
beat absque facultate. Nec satis est, si
quis in libro notet, se librum quem-
piam accepisse: nam & hoc fieri de-
bet, & alterum non omitti, prout
distinctis Regulis utrumque propo-
nuntur.

4. Quæstio. An sit communis facul-
tas mutuo sibi concedendi scripta, præ-
sertim ad multos dies? Respondit ne-
gativè: Afferens se nunquam audivisse
hanc facultatem communiter omnibus
concessam esse: sed se particularibus sæ-
pe consuluisse, ut ad redimendum tem-

pus, facultatem generalem peterent.
Rationem etiam addit; quia ipsi solum
habent usum scriptorum: usufructuarius au-
tem non potest alteri concedere usum
notabilem; sed hoc est tantum usufru-
ctuarii aut proprietarii.

5. Quæstio: An sit venia generalis
ad commodandum vicissim chartam,
calamos, &c. Respondit non esse: hinc
quoties in visitatione deprehendit hanc
praxin inter nostros, quasi ex venia
præsumpta, monuit, ut saltem pete-
rent veniam generalem: quia sub hoc
officio charitatis, potest latere vitium
proprietatis; & in re modica, vel quan-
do Superior adiri commodè nequit, &
res non patitur moram, est etiam epii-
cia locus.

6. Quæstio: Utrum in Societate cen-
seatur gravis illa libertas, quâ quidam
accipiunt poma, pyra, cerasa, uvas
ex horto, culina vel dispensa, aut e-
tiam esculenta & poculenta sine ve-
nia? Respondit: hoc tam grave vitium
putabatur à S. Patre nostro, ut pro-
pter hoc potissimum induxerit in con-
suetudinem, ut pœnitens in Societate,
ante omnia peccata, manifestaret, si
quid abstulisset sine venia, vel non. Et
hucusque perseverat ille usus apud mul-
tos, ut in initio confessionis dicant: Ego
nihil accepi vel dedi sine venia: vel
contra accepi aut dedi tale quid sine
venia. Porrò auferenti pomum vel
alium fructum jacentem in horto sub
arbore, dabatur absque remissione di-
sciplina publica tempore sancti Patris
nostri. Idem est de floribus judicium.
Et sanè Superiores malè faciunt, qui
negligentes hæc servari curant, cum

etiam, licet parvis,
his defectus in Socie-
tate reperere.

7. Quæstio;
rationabiliter, ta-
non habeat, poste-
Respondit affirm-
bonam administr-
alias otium aper-
laxitatis. Ha-
P. Lessium.

Ne igitur in di-
bili paupertatis
crebro accidat
quam possunt
mus, nec parv-
mus, cum viri-
dicarint; ne
sensu in gravio-

III. Quo au-
tis accuratior
mus clarior, e-
lis compto-
paupertatis et
varique volu-
varius occasio-
stravit. Anno
P. Sebastiani
triduo pœni-
rea in mentis
contentum
nihil etiam
culos quosda-
cant) ad ipsi-
que expressa
dam enoctris
buisse. Ita et
Idem S. Pat-
stram suam vi-
Angelo, ad

ex his, licet parvis, magni & intolerabiles defectus in Societatem possint irrepere.

7. Quæstio; utrum si quis ex tacita rati habitatione, tale quid dederit, usus non habeat, postea Superiori indicandi? Respondit affirmativè: quia juvat ad bonam administrationem, & posset aliàs ostium aperiri magnis abusibus & laxitatibus. Hæc P. Oliverius ad P. Lessium.

Ne igitur hi defectus, ex inæstimabili paupertatis thesauro, quædam & crebrò accidunt & subtrahant; eos quam possumus diligentissimè caveamus, nec parvi ducendos esse existimemus, cum viri doctissimi graves esse judicarint; ne paulatim ac sensim sine sensu in graviore prolabamur.

III. Quo autem hanc, de paupertatis accurratione, doctrinam perspiciamus clariùs, eandem exemplis nonnullis comprobabimus. Quàm exactè hunc paupertatis thesaurum custodiri, observarique voluerit S. Patriarcha noster, variis occasionibus luculentè demonstravit. Anno 1556. jussit vir sanctus P. Sebastianum Ræmæ publicam in triclinio pœnitentiam facere, ac præterea in mensa minore, solo pane & aquâ contentum esse: die verò insequente, nihil etiam cibi capere, priusquam orbiculos quosdam sacros (agnos Dei vocant) ad ipsum detulisset, eò quòd absque expressâ licentia Superioris, quibusdam è nostris similia munuscula distribuisset. Ita MS Ingolstadt fol. 32.

Idem S. Pater cum Romæ per fenestram suam videret P. Balduinum ab Angelo, adhuc puerum, unum uvæ

granum ex vinea accipientem & comedentem: conscientia ejus arbitrum monuit, ut ad exhomologesin venienti, diceret casum esse referatum Patri Ignatio: neque enim dubitabat, quin id in tribunali sacro aperturus esset, ob consuetudinem supradictam puncto 2. n. 6. Balduinus valde turbatus venit ad P. Ignatium, grave à se delictum commissum esse existimans, qui eum consolatus, ad conscientia directorem pro absolutione obtinenda remisit. *Lancic.*

Qua de causa illustres in Societate viri, perfectionis admodum studiosi, ut paupertatis thesaurum illibatum tuerentur, hac in parte existitè, quam exactissimi.

R. P. Leonardus Lessius antè laudatus, doctrina & virtutis eximia, opinione, celeberrimus, pro omni rerum usu & abdicatione facultatem postulabat, usque ad eò, ut cum externus non nemo, imaginem quampiam pro mnesofyno peteret, eo ad portam relicto, totâ domo, diu multumque P. Ministrum quæreret; cumque is in extremis finibus tandem repertus, miraretur, illum, tantillam ob causam, pedibus ad eò malè affectis, vastissima in domo discurrisse, epiikæ hic locum esse; reposuit Lessius: Pater præstat antè securum esse. *invitac. 14. n. 80.*

Venerabilis Pater Nunnius è Societatis presbytero ad Æthiopiæ Patriarchatum evehctus, licet Societatis legibus non ampliùs stringeretur, tamen, quia Gœæ cum nostris habitabat, pro minimis rebus à Subministro veniam petebat, de quibus etiam Fratres communiter veniam non rogabant: atque

ita omnibus amabile paupertatis exemplum reliquit.

R. P. Thomas Sanchez vir raræ eruditionis ac virtutis, absque Superiorum facultate nihil omnino dabat, aut accipiebat, licet minutissimum, atque ut ipse inter proposita retulerat, nec filium. *In vita, itiner. præfixa.*

B. Aloysius Gonzaga, Scholasticorum nostrorum lumen inclytum, papyrus rogatus, non prius dedit, quam à Superiore dandi facultatem obtinuisset. *In vita.* Simili ratione, Joannes Bergmannus, miræ innocentiae & sanctimoniae opinione apud nos celebris, totâ vitâ deploravit, quòd aliquando fratri cuidam imaginem dedisset, non impetratâ facultate à Superiore, quem tamen quaesierat, facileque consensurum putârat. *Vita parte 2. pag. 139.*

Taceo brevitatis gratiâ, illustria exempla aliorum ordinum; notum est in primis illud, ex Historia Cisterciensi, de Religioso, qui, quia frustum panni antiqui, sine venia Superioris, acceperat, vestique suæ reficiendæ insuerat, cum morti proximus esset, Diabolum conspexit, panni istius lacinia insidere, eam lambere, variisque gestibus ostendere, quantopere ista sibi lacinia placeret.

Religiosus verò facilè intellexit, quantum paupertatis puritati repugnet, rem etiam minimam, absque Superioris licentia usurpare.

Quare, Dilectissimi, ut præstantissimum paupertatis thesaurum, in agro Societatis absconditum, illæsum, integrumque conservemus, ingentibus in eo latentibus divitiis fruamur, Regulam præsentem, quàm accuratissimè servare conabimur. Nihil omnino ex domo absque generali aut speciali Superiorum facultate dabimus mutuo aut accipiemus. De nulla re, absque venia, ordinabimus, aut disponemus, sive sint esculenta sive poculenta, sive libri, sive imagines, sive vestis, sive suppellex. In primis verò attendemus, ne pyra, poma, nuees, uvas absque licentia, decerpamus, aut etiam sub arboribus reperta clepamus, quod S. Ignatius tantopere improbavit, ac pœnâ severâ castigavit. Sed quidquid in his agimus, cum venia speciali, aut saltem generali faciamus. Hâc ratione thesaurum paupertatis inviolatum custodiemus, & thesaurum indeficientem in cœlis obtinebimus.

Beati, enim, pauperes spiritu, quoniam ipsorum est Regnum Cœlorum.

Math. 5.



REGU-



REGULA XXVII.

De spiritualibus Ministeriis, gratis præstandis.

EXHORTATIO
IN EANDEM.

Declarat pro functionibus spiritualibus non esse acceptanda stipendia.

T H E M A.

Gratis accepistis, gratis date. Matth. 10. 8.

V E L :

Meminerint se gratis dare debere, quæ gratis acceperunt.
Reg. 27.

Uo pacto, in Societate nostra minima, secundum Regulam modò dictam, officia spiritualia proximis nostris exhibenda sint, præclare nos docet Maria Magdalena, obsequiosissima Christi Domini, Discipula: quæ, ut in Evangelio S. Marci c. 14. legimus, *Unguentum pretiosum, spicatum* (è hardi spicis, non foliatum, aut è foliis confectum) *super caput Salvatoris effudit.* Idque obsequii genus Christo præstitit, non spe præmii, aut mercedis, sed gratis; ex puro amore amicitiae ac benevolentiae erga Dominum, unice à se dilectum. Alià sanè mente, quàm Judas, qui avaritiâ stimulatus, & lucri a-

more succensus, obmurmurabat, dicens: *Ut quid perditio hæc? Poterat enim venundari trecentis denariis.* Id est, julii Italici, seu solidi Brabantici, quorum decem florenum aureum, seu scutum Romanum, aut Ducatonem Hispanicum conficiunt. Qui trecenti denarii, triginta omnino scuta, seu argenteos valent; quos cum hæc amisisset, Christum postea vendendo recepit. Longè liberaliore animo, Magdalena, unguentum aded pretiosum, super caput Salvatoris effudit: atque hoc obsequio eximium suum, erga Christum, amorem demonstravit, Domum totam suavi odoris fragrantia replevit, ac semetipsam magno meritorum cumulo ditavit; tametsi Judas avaritiâ excæcatus, oggeret: *Ut quid perditio hæc?*

Quo.

Quomodo autem à nobis, pretiosum auxiliorum spiritualium unguentum, liberaliter in Christi fideles effundendum sit; id est, *gratis*, nec stipendia, nec eleemosynas, nec munera admit- tendo, in præsentiarum elucidabi- mus.

I.
Regulæ
hujus fun-
damentum.

I. Fundatur hæc obsequiorum spi- ritualium collatio gratuita, in Evan- gelio, quemadmodum, ipsismet Reg- ulæ verbis; sanctus Legislator insi- nuat: Nam Redemptor noster inter alia præcepta, Matth. 10. 8. Apostolis tradita, hoc ordine, quartum præ- scribit: *Gratis accepistis, gratis date*. Tanquam si distinctè ipsis exponeret, diceretque: potestatem sanandi ægros, suscitandi mortuos, mundandi lepro- sos, Dæmones ejiciendi, Evangelium annuntiandi, administrandi Baptis- mum cæteraque Sacramenta; aliâque dona & charismata impertiendi, *gratis*, id est, absque labore, merito, aut mer- cede *accepistis*: igitur ea quoque, sine præmio, sine stipendio aut munere, *gratis date*. Geminam hujus præcepti à Christo dati, causam allegat S. Chry- sostomus: 1. *Gratis accepistis*: ut noverit- tis, Apostoli mei, vos potestatem ad eò mirandam, non à vobismetipsis; sed munere divino, *gratis*, & absque me- rito vestro possidere; ut hac ratione, superbia & vana gloria è cordibus ve- stris eliminetur. 2. *Gratis date*, ut om- nis avaritiæ & simoniæ occasio præscin- datur, ne scilicet miracula aut Sacra- menta, pretio accepto, vendatis. Pa- trare enim miracula & administrare Sacramenta, res est tantæ excellentiæ ac sublimitatis; ut nullâ industriâ hu-

manâ acquiri valeat; sed solo Dei mu- nere accipienda sit: eò quòd sit divina, adeoque omne pretium longè superet. Quare velle eam pretio æstimare ac di- vendere; quid est aliud, quàm eam ve- lut profanam indignè tractare, illique & Deo, à quo sanctitatem suam om- nem obtinet, vilitatem & injuriam in- dignam inferre; & grande simoniæ ac sacrilegii scelus perpetrare?

Dictum Christi Domini præceptum Apostoli ad amissum servarunt, nec alii viri Apostolici oblivioni tradide- runt; eò quòd ad Dei gloriam & ani- marum salutem faciat quàm maximè: neque ab his degenerare nos voluit Sanctus Ignatius; ideoque Reg. 27. Summarii Constitutionum ita sanxit: *Omnes qui sub obedientia sunt Societatis, meminerint se gratis dare debere, qua gra- tis acceperunt, nec postulando, nec admit- tendo stipendium vel eleemosynas ulla, qui- bus missæ, vel confessiones, vel prædicatio- nes, vel quodvis aliud officium, ex his, qua Societas, juxta nostrum institutum exer- cere potest, compensari videatur, ut si ma- jori cum libertate possit, & proximorum edificatione, in divino obsequio proce- dere.*

II. Laudabilissima hæc Societatis nostræ consuetudo & praxis, jam à con- dita Societate, primisque ejus incuna- bilis, originem traxit: nam Anno Do- mini 1537. Primi Patres nostri, Pari- siis adhuc studiis occupati, voto sese ob- strinxerunt, se nihil unquam, pro Missæ Sacrificio accepturos; licet id ho- nestè & jure suo possent. Ut videre est in Historia Societatis, p. 1. L. 1. n. 91. Et Venerabilis Pater Petrus Faber,

Anno

II.
Regulæ
exordi-
um.

DE
Anno 1541. Calen-
dam inter emissa
Missæ Concione,
accepturum: qui
rat, tædastragu-
bus, inter Reigi-
nandinationem
primipilos Soci-
cui sunt ali-
veria Martyr v-
risullus spiritu-
rum, ne quide-
ferretur in Hito-
Alè quoque
rem imbibera
celeberimus
cuium à Cor-
pecuniæ in fu-
ferretur, in es-
tandum fuit,
altercantium
cognitâ conte-
secundâ admi-
reccenlet Tat-
Quorum illu-
dantur, & i-
paupertatis a-
& formæ insti-
cautum fuit,
ta, gratis on-
dio exequere-
datoris ordi-
& cap. 1. n.
speclando pr-
labit vita; se-
terna est, ex-
per sperando.
Constit. præse-
tione general-
stabilatur. H-

Anno 1541. Calendis decembribus, votum insuper emisit, pro Evangelio, Missa, Concione, Confessione, nihil se accepturum: quia in Germania audierat, fœdastragœdias, annis superioribus, inter Religiosos, excitas, obnundinationem indulgentiarum. Hos primpilos Societatis pugiles penè infecti sunt alii. R. P. Gonsalvus Sylveria Martyr vovisse nihil pro muneris ullius spiritualis functione accepturum, ne quidem stipis nomine, ut refertur in Histor. Soc. p. 2. L. 5. n. 42. Alti quoque hunc paupertatis amorem imbiberat P. Antonius Araozius, celeberrimus in Hispania Ecclesiastes, cui cum à Concione habitâ, magna vis pecuniæ in futuram sustentationem offerretur, in ea repudianda ita ipsi certandum fuit, ut populus ad strepitum altercantium accurreret, qui tamen cognitâ contentionis causâ, non sine secundâ admurmuratione discessit. Ut recenset Tannerus in vita pag. 138. Quorum illustrium virorum gesta fundantur, & innituntur, tum eximio paupertatis amori, tum Bullæ Julii III. & formæ instituti ab eo probatæ, quâ cautum fuit, ut Societas charitatis opera, gratis omnino, & pro nullo stipendio exqueretur. Accedit sancti Fundatoris ordinatio, in Examine cap. 1. & cap. 4. ubi ait: *Nec petendo, nec expectando premium ullum, in presenti & labili vita; sedeam, qua undequaque æterna est, ex summa Dei misericordia semper sperando.* Idem p. 4. & 6. & 7. Constit. præscribitur; & in Congregatione generali 2. & 6. declaratur ac stabilitur. Hæc igitur, tanquam ge-

nuini Societatis filii constanter observemus, ut sic & Regulæ & Salvatoris iussioni, *Gratis accepistis, gratis ate,* exactè respondeamus atque obtemperemus.

III. Causam tertiam, hujus Regulæ, in eadem sanctus Pater assignat, dum ait: *Ut Societas possit majori cum libertate in divino servitio procedere.* Causa sanè prægnans & luculenta. Quid enim? Nonne 1. majori libertate cum proximis agimus, & vicissim proximi nobiscum, dum eam de nobis opinionem habent, nos pro ministeriis spiritualibus, compensationem nec querere, nec cupere, nec admittere; veluti ex adverso, opera nostra non tam grata accidit, cum constat peti aut expectari compensationem? 2. Nonne libertate majori, tam in suggestu quàm tribunali sacro, reos, peccatoresque reprehendimus? Nam munera excœcant, & elingues reddunt, ut sacra paginæ loquuntur. 3. Nonne longè purior manet intentio, divinæ gloriæ solius, dum ad eam solam, tanquam ad finem, ad quem conditi sumus, veluti ad stellam polarem Navarchi, irretortis mentis oculis respicimus? 4. Nonne libertate majori fruitur animus, expeditiorque perstat à vinculis cupiditatis lucri temporalis, quibus aliàs, exhomologes excipiendo, pro concione dicendo, aut cum proximis conversando, facilè irretitur? 5. Nonne libertate majori gaudet, & securitate, conscientia Sociorum, quæ aliàs gravari, macularique posset, si fortassis plures elemosynas aut fundationes, præsertim perpetuas, acceptaret, quàm sa-

III.
Regulæ
motivum.

M m m crificiis

crificiis sufficientibus compensare posset? 6. Denique nonne libertate potitur majore Societas, suos avocandi, alióque mittendi, quos aliás, ob certas obligationes, certo loco relinquere cogeretur; quod instituto ejus, & libertati repugnat?

Urgens igitur est dicta S. Patris ratio: *Ut majori cum libertate, in servitio divino procedamus*, exemplo Redemptoris nostri, qui liberrimè cum Sacerdotibus, cum Phariseis, cum Plebæis, omnique hominum genere conversabatur; eò quòd nihil compensationis à quoquam peteret, aut desideraret: quemadmodum de ipso Isaias vaticinatus est, c. 55. 1. *Omnes sitientes venite ad aquas. Venite emite absque argento, & absque ulla commutatione vinum & lac.* Hæc enim liberalitas ac charitas Regem Regum, & Dominum Dominantium Christum decebat; ejusque sectatoribus convenit.

IV.
Regule
impulsi
vum.

IV. Quarta Regulæ præsentis causa à S. Ignatio indicatur, esse, major ædificatio proximorum: *Ut*, inquit, *cum majori proximorum ædificatione, Societas possit in divino servitio procedere*, & 1. Major sanè, populi ædificatio est, faciliusque eis fides adhibetur, si Verbi Divini Præcones videat, ab omni avaritiæ, & simoniæ specie, esse alienissimos, quàm si notet eos burfas, & pecunias venari. 2. Major populi ædificatio est, majorique veneratione & admiratione viros Apostolicos prosequitur; si liquidò constet eos opes & terrena omnia despiciere. Verum est enim illud Chilonis apud Laërtium L. 1. *Aurum votibus exploratur, mentes homi-*

num auro: Num scilicet terrena sint & lutea; an verò cælestes & terrenis Superiores. Et illud Tullii, L. 2. offic. *Homines maximè admirantur eum, qui pecuniâ non movetur.*

Hinc est, quòd populus tantâ veneratione & æstimatione viros sanctitate illustres coluerit, quos quæ sua sunt non querere; sed omnia caduca pedibus proterere cernebat. Quanto afficiebatur honore S. Hilario? Qui, teste Sancto Hieronymo, in vita ejus, cum plurimos aegros curaret, nulla admittebat eorum dona, imò nec fragmen panis, dicens: *Gratis accepistis, gratis date.* Et cuidam primariæ dignitatis viro, cui nomen Orionus, quem à legione Dæmonum liberârat, urgenti, vehementerque instanti, ut munus acciperet, saltem ut in pauperes distribueret; respondit: *Noli contristari, fili, quod facio, in meum, tuumque involumentum ago: si enim hæc accepivero; & ego Deum offendam, & ad te Casodæmonum legio revertetur.* Quis igitur non perspicit, hanc munerum repudiationem, majoris esse ædificationis, quàm eorundem acceptationem? Unde S. Augustinus, rectè monet in L. de oper. Mo-nach. c. 28. *Amputetis occasionem turpium nundinarum, quibus æstimatio nostra leditur, & infirmis offendiculum ponitur.*

2. Longè major ex eo populi ædificatio provenit; quia absque offendiculo & remora, fides divina, pietas, religio ac Dei cultus amplificatur ac propagatur: quod ipsum agnovit, & verbis disertis proficitur Apostolus, 1. Corinth. 9. inquit: *Nunquid non ha-*
benus

DE
boni potestatem ma
Et vobis sustenta
piendi? Sed Ad
rum, aut vestem
ad ea que mihi op
manus ista. Por
& pecuniam ad
offendiculum p
set quoque Soc
doctione, ali
sed ad majore
que ædificatio
Potuisse v
ista admittere
tis evincit; q
tant. Nam l
Nunquid non
storem circum
possit: que r
bus sustentare
cationem ne
quibus præ
postolus, offi
cionem inge
brolius, &
rum ejus ar
Quis m
tanquam si
nullum ali
cui militat
vineæ tuæ,
quem pale
he, & Pra
Evangelio
pibus, &
mentum est:
turanti, 9.
prum est: D
stolus: Nunq
Quanto magi

habemus potestatem manducandi & bibendi? Et à vobis sustentationi necessaria accipiendi? Sed Act. 20. *Argentum & aurum, aut vestem nullius concupivi: quoniam ad ea quæ mihi opus erant, ministraverunt manus istæ.* Potuisset Apostolus victum & pecuniam admittere, sed noluit, ne offendiculum poneret Evangelio: Posses quoque Societas talia admittere, pro doctione, aliisque muniis, stipendia, sed ad majorem Dei gloriam, populique ædificationem noluit.

Potuisse verò Apostolum Paulum ista admittere, pluribus ipse argumentis evincit; quæ & pro Societate militant. Nam I. 1. Corinth. 9. *¶. 5.* ait: *Nunquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut & ceteri Apostoli: quæ nos aleret & suis facultatibus sustentaret!* Verùm propter ædificationem noluit: id enim Gentiles, quibus prædicabat & quorum erat Apostolus, offendisset, sinistramque suspicionem ingenerasset, ut docet S. Ambrosius, & S. Chrysostomus. 2. Alterum ejus argumentum est hujusmodi: *Quis militet in suis stipendiis unquam?* *¶. 7.* tanquam si diceret: Sicut æquum est, militem ali & vivere ejus stipendiis, cui militat: & vinitorum palci fructu vineæ suæ, & pastorem lacte gregis sui, quem pascit; ita par est Pastores Ecclesiæ, & Præcones Evangelii vivere de Evangelio: id est, Christianorum sumptibus, & bonis ali. 3. Tertium argumentum est: *Non alligabis os bovi trituranti.* *¶. 9.* Ut in Lege Moysis scriptum est: Deut. 25. Cui subdit Apostolus: *Nunquid de bobus cura est DEO? Quando magis de hominibus?* 4. Argu-

mentum quartum est: *Qui altari deserviunt, cum altari participant: qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edunt.* *¶. 13.* Id est, Sacerdotes & Levitæ Legis veteris, servientes altari, ex oblati primitiis ac decimis comedunt. Ita pariter Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere: nimirum, quando dixit, Lucæ c. 10. *In eadem autem domo manente edentes & bibentes, quæ apud illos sunt: dignus est enim operarius mercede suâ.* 5. Quintum denique argumentum desumit ex ipsa rei natura, seu jure, non solum divino & positivo, verùm etiam naturali, quod dicitur, sicut operario debetur merces; ita & Ministro Ecclesiæ deberi stipendium, non quasi pretium rei sacræ (id enim esset simoniacum) sed tanquam stipendium sustentationis, ut vocant, quo scilicet sustententur, ut functiones suas sacras, pro populo, ritè obire valeat: quod ex mente S. Chrysostomi ex justitia debetur.

Tandem concludit. *¶. 12.* *Si alii potestatis vestra (substantiæ opum) participes facti sunt, quare non potius nos?* At mox respondet: *Sed non sumus usi hac potestate, cessimus juri nostro: omnia sustentamus, penuriam, laborem, &c.* Ne quod offendiculum demus Evangelio, remoramque animarum conversioni injiciamus. *Bonum enim est mihi magis mori, quam ut gloriam meam quis evacuet.* *¶. 15.*

Apostolum hunc, pro modulo suo imitari studet minima Societas nostra; quæ posset pro ministeriis stipendium flagitare, sed cedit Juri suo, majoris libertatis & ædificationis gratiâ.

Mmm 2 Eapro-

Eapropter S. Ignatius ducentos aureos ab Hieronymo Arcio in sudario obtrufos, ut pro ipso ægroto Sacrificia offerenda curaret, acceptare noluit, ut refert Maffæus L. 3. vitæ c. 6. Et primogenitus ejus in spiritum Filius R. P. Petrus Faber nulla munera sibi acceptare voluit: & vas argenteum magni pretii à Cardinali Electore Moguntino recipere recusavit: centum verò aureos, obtrufos, quos absque offensâ rejicere nequibat, mox nihil sibi reservans, in pauperes distribuit. *Tannerus in vita pag. 39.*

Quare, Charissimi, hanc Regulam, suo tempore usui futuram, profundè cordibus nostris imprimamus: nihil

pro stipendio, nihil eleemosynæ, speciem compensationis habentis, unquam admittamus: sed sicut gratis accepimus, ita unguentum hoc pretiosum gratis in Christi Fideles effundamus. Hæc ratione, meritum nostrum pluri- mum augebimus: majore libertate in servitio divino procedemus: offendiculum, remoranque fructus spiritualis removebimus; Proximis paupertatis & perfectionis exemplam præbebimus; Nos veros Christi Domini, S. Pauli, Sancti Ignatii, primorumque Patrum imitatores esse demonstrabimus; ac denique Domum totam suavissimo unguenti odore adimplebimus.

REGULA XXVIII.
DE CASTITATE.
EXHORTATIO
IN EANDEM,

Exponit, Angelicam nobis Castitatem sectandam esse.

T H E M A.

Erunt sicut Angeli Dei. Matth. 22. 30.

V E L:

Enitendo Angelicam Puritatem imitari & corporis & mentis nostræ munditiâ. Reg. 28.



Respondi vos uni viro, Virginem castam

Nimas nostras Christo Domino tanquam Sponso caelesti in Castitate desponsatas esse testatur Aposto- lus 2. Corinth. 11.

exhibere Christo. Ego tanquam Para- nymphus, per Fidem, Baptismum, & Christianismum vos Christo despon- savi; cupioque vos illi in Fide, Spe, & Charitate fideles exhibere, nec ad per- diam, infidelitatemque declinare. Eminentior autem ac perfectior est despon-

desponsatio per Ve
Sponsa seipsum &
communicat, trad
conjungit. Quæ
tas, ac felicitas.
Serm. 2. Dom
& humana anima
inestimabilis glo
riæ esse, in quem
cere? Vnde bo
cujus pulchritud
ad cujus nutum
singulacis ha
proflus eximi
demus? Quæ
S. Bernardus
dicit: ut sis So
sociæ thalami,
culum suum?
charitatis red
qui tanti te est
Quid igitur d
Doctorem M
affectus, scul
dines nostras o
Nonne stat et
mediam, si for
ad miseris ama
sis casta, sis pu
ut dere jure
Cant. 1. E
ecce tu pulch
es amica mea
castitate inco
& anima puri
exhortatione t
ad geminam ha
alpirandum no
I. Ecce tu
Prima Pulchrit

Desponsatio per Vota religiosa, quibus Sponsa seipsam & omnia sua Sponso communicat, tradit, & eidem se amore conjugit. Quæ maxima sanè est dignitas, ac felicitas. *Vnde tibi*, ait S. Bern. Serm. 2. Domin. 1. post Epiphani. *ô humana anima, unde tibi hoc? Vnde tam inestimabilis gloria, ut ejus sponsa merearis esse, in quem desiderant Angeli prospicere? Vnde hoc tibi, ut ipse sit Sponsus tuus, cujus pulchritudinem Sol & Luna mirantur? ad cujus nutum universa mutantur: utique singularis hæc est gratia; beneficium prorsus eximium: sed quid pro eo reddemus? Quid retribues Domino (pergit S. Bernardus l. c.) pro omnibus, quæ retribuit: ut sis Socia mensæ, Socia Regis, & Socia thalami, ut introducat te Rex in cubiculum suum? Vide quibus brachiis vicaria charitatis redamandus & amplectendus sit, qui tanti te estimavit; imò qui tanti te fecit. Quid igitur ô Sponsa facies? Audi porrò Doctorem Mellifluum: Desere carnales affectus, saculares mores dedisse, consuetudines noxias obliviscere: quid enim putas? Nonne stat Angelus Domini, qui secet te mediam, si fortè (quod avercat ipse) alterius admiseris amatorem. Q. d. Ante omnia sis casta, sis pudica, qualis est & Sponsus; ut dete jure queat affirmare, quod dixit Cant. 1. *Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es. Et Cant. 4. Quàm pulchra es amica mea, quàm pulchra*; scilicet castitate internâ & externâ, seu corporis & animæ puritate. De qua in præsentî exhortatione tractabimus; & quomodo ad geminam hanc Angelicam puritatem aspirandum nobis sit, exponemus.*

I. *Ecce tu pulchra es amica mea.*
Prima Pulchritudo, quam Sponsus

cælestis à Sponsa spiritali desiderat, est Castitas corporis, ut corpus in sua servetur munditiâ, eaque puritate, ut nullis vel tactibus, vel actibus, vel aspectibus, vel quovis alio modo ad Luxuriam provocetur: Castitas enim corporis consistit in totali abdicatione omnis voluptatis Venereæ realis. Castitas, ut D. Thomas docet, nomen trahit à castigando; quia ratio peream concupiscentiam carnalem castigat, & tanquam puerum ab omnibus delectationibus carnalibus refrenat. S. Augustinus L. de definit. ait: Castitas est virtus sub jugo rationis: impetum libidinis refrenans, ex ore Apostoli dicentis: *Castigo corpus meum & in servitutem redigo* 1. Corinth. 9. Sanctus verò Ambrosius Lib. 1. de Virgin. inquit: *Quid est Castitas, nisi expers contagionis integritas?* Id est, Castitas ea virtus est, quâ ab impuris carnis voluptatibus abstinemus. Quam abstinenciam ad eam perfectam à Nobis desideravit S. Ignatius, ut Angelicos Spiritus moribus exprimere videamur, non secus atque si carne, velut ipsi, careremus.

Enitendo (ait) Angelicam Puritatem imitari, ut limus, sicut Angeli DEI, eximiâ castitate & munditiâ decorati. Unde Sancti Pâtres passim docent, homines hæc virtute Angelis assimilari. Præclarè Sanctus Basilius de Virgin. *Qui virginitatem servant, Angeli sunt, qui v. v. in carne corruptibili, mortalium vitam illustrando tuentur; sunt autem Angeli, non ex infimo quovis ordine, sed certè illustrissimi atque nobilissimi. Basilio ad stipulatur S. Petrus Chrysol. Serm. 145. Semper est Angelis cognata: virginitas; in carne præter carnem vivere.*

non terrena vita est, sed celestis. Et si vultis scire, Angelicam gloriam acquirere majus est, quàm habere. Esse Angelum, felicitatis est, Virginem esse, virtutis. Cum utroque facit Mellistius Bernardus Epist. 42. *Quid Castitate decorius, quàm Angelum de homine facit? Differunt quidem inter se, homo pudicus & Angelus; sed felicitate, non virtute: Sed est illius Castitas felicitior; hujus tamen fortior esse cognoscitur.* Ex quibus perspicimus, quòd homines casti Angelos referant, licèt illi sinè, nos cum luctâ & certamine.

Nobis igitur in dies contra ignita tela nequissimi, fortiter dimicando ad Angelicam puritatem enitendum est. Nonnulli quidem sanctimoniâ inclyti, singulari Dei gratiâ, ad eum Castitatis apicem conscenderunt, ut ab omni prorsus motu indecenti liberi, atque ab omni fomite ac incentivo immunes, Angelis omnino similes esse viderentur. Talis fuit Beatissima Virgo MARIA, modo sublimiore à Deo præventa, & sanctitate donata. Talis fuit S. Equitius Abbas, de quo S. Gregorius Magnus in Dialogis. Talis fuit S. Thomas Aquinas, cujus lumbos Angeli præcinctæ cingulo aureo, omnesque simul motus pravos abstersere. Talis fuit S. Parens noster IGNATIUS, cui noctu preces ardentes fundenti Virgo Beatissima cum infantulo suo se videndam dedit, omnesque simul minùs castas imagines in perpetuum erasit; ut in omnem retrò vitam, velut corpore emortuo, nè sensum quidem voluptatis aut motum reprobum vel minimum experiretur. *Tannerus in vita pag. 3.* Atque hanc gratiam planè eximiam

Virgo Sanctissima ei contulisse videtur, ut non ipse duntaxat, tanquam novæ Familiæ Author, insigni Castitatis dono effulgeret; verùm etiam ut suis in Christo Filiis Castitatem Angelicam quàm vehementissimè inculcarer, ad succurrendum Mundo, tunc temporis, vitiis contrariis sepultò, & ad spiritum immundum longè latèque dominantem forti pectore oppugnandum ac detrimphandum. Talis quòque fuit Beatus noster Aloysius Gonzaga: qui emisso in pueritia Castitatis Voto, eoque exactissimè servato, id obtinuit, (ut à Cardinali Roberto Bellarmino, Hieronymo Plato, aliisque conscientiz ejus Arbitris proditum est) ut juvenile corpus ejus nè vel minimo quidem libidinis motu in omni vita concitum, nec mens ejus ullâ cogitatione obscenâ pulsata, fœdatave fuerit: quod sanè rarum Dei donum est, Sanctis plurimis denegatum; quo ad Castitatis Angelicæ fastigium tales absque pugnâ facile evahuntur.

Verùm ejusmodi gratia paucis conceditur, ac proinde Nos, qui insigni hoc dono caremus; animum tamen haudquaquam despondeamus: Sed illud saltem unicè curemus, ut voluntarii quidquam nævi, aut delicti, virtutis hujus splendori repugnans, nunquam admittamus: sed magnâ fortitudine & constantiâ contra hostem blandum, exemplo Virorum sanctitate præcellentium, decertemus. Doctor Gentium, licèt in tertium cælum raptus, licèt ter Dominum studiosè, enixèque deprecatus, id tamen obtinere nequirit, ut stimuli ejusmodi abolerentur: Sed audit:

Il.
Castitas
Austine.

Il. Eadem
tudo, quan
sua amat ac
Mentis, ut
palatæ. C
confilix in cu
ponus in volu
refolatio, im
etiam votum p

audiat: *Sufficit tibi gratia mea.* S. Hieronymus haud aliter, quam validis correpti lapidis ictibus impuras tentationes ex annoso ceteroquin pectore excussit. Nec Sancti Ordinum Fundatores Benedictus & Franciscus antè ea inimici tela vicere, quam ille nudatum corpus in spinis & vepribus, hic semel in nivibus, semel in prunis voluisset. Sanctus Bernardus quodque etiamnum Adolefcens, hostis blandi lenocinia non antè superavit, quam se nudum mento tenus, brumali frigore saviente, aquæ gelidæ immergeret, atque ita impuras flammæ extingueret.

Horum Sanctorum vestigiis, Charissimi, insistere studeamus, modòsque sciamus, hostiles insultus retundendi, iisque generosè utamur: Quòd si quandoque Caro stimulos & calcaria admoveat; invitis, aut etiam reluctantibus, animo non cadamus; sed novitimus, nihil per hæc de Castitatis merito amitti: *Non nocet Sensus, si non adsit consensus:* Majusque divinæ dexteræ prodigium est, nos in igne à combustione illæos conservare, quam fomitem omnino extinguere; magisque admirandum est, nos inter tela circumvolitantia non percelli, quam extra telorum jactum collocari.

II. *Ecce tu pulchra es.* Altera pulchritudo, quam Sponsus cælestis in Sponsâ suâ amat ac deprædicat; est Castitas Mentis, ut bis dicere queat: *Ecce tu pulchra es.* Cant. 1. Hæc autem Castitas consistit in corde, sive in Anima, seu potiùs in voluntate, in quâ firmissima resolutio, immobile propositum, aut etiam votum perstat, cum inconcussâ

voluntate, omnes omnino cogitationes impuras ac delectationes turpes contemnendi, statimque expellendi. Quemadmodum enim cor principium, fons & radix est, à qua naturaliter vita, motus & sensus in corpus omne dimanat; ita quodque principium & radix veræ Castitatis est Cordis, seu Animæ puritas, quæ castas producit cogitationes; & omnem impuram cogitationem procul arceat & eliminat: multoque magis omnem sermonem, aut actionem inhonestam quam longissimè proscribit. Unde & Salvator hunc castitatis fontem indigitans ait: *Beati mundo corde* (à quo nimirum omnis immunditia exulat) *quoniam ipsi Deum videbunt.* Matth. 5. Quare nisi hæc Virtus Castitatis in anima resideat; sinè eâ exterior castitas nec castitatis, nec virtutis nomen promeretur. Eâ de causâ Dominus Phariseos ac Scribas objurgabat: *Vae vobis Scribae & Pharisei hypocrite, quia mundatis, quod de foris est calicis & paropsidis; intus autem estis pleni rapinæ & immunditiæ.* Assimilavitque eos sepulchris dealbatis, quæ foris sunt speciosa, intus autem plena sunt ossibus mortuorum & spurcitiâ. Non sufficit igitur castitas corporis, nisi & tanquam dominam & quali animam simul possideat Mentis puritatem: quia *Omnis gloria Filie Regis* (ac Sponsæ Christi) *ab intus.* Psalm. 44. Ex adverso, de corde immundo (ut ipse Dominus testatus est) exeunt immundæ cogitationes, desideria, fornicationes & adulteria: *Nam & qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo.* Matth. 5. Eadem de causa

causa Virgines fatuæ à Sponso nuptiis cœlestibus exclusæ sunt, quia corpore Virgines fuerunt, non corde; deerat enim illis boni propositi oleum.

Ex omnibus hætenus adductis, abundè, ut reor, liquet, castitatis vim, & decus, radicem & fontem in corde, sive anima residere; cùmque ea res delicatissima sit, haud dubiè, exquisitâ curâ ac sollicitudine custodienda est, facillè enim, aut læditur, aut amittitur, & tersi instar speculi, halitu solo obfuscatur. Hinc est, quòd Sanctus Basiliius dixisse feratur, apud Cassianum, L. 6. Instit. c. 19. *Mulierem ignoro, & virgo non sum*: Quibus verbis indicare voluit, non quidem virginitatem se amisisse; sed rem, perquam delicatam esse virginitatem, cui minima etiam voluntaria mentis delectatio, splendorem & perfectionem adimat. Verùm castitas quidem interna, solâ cogitatione deliberatâ, amissâ, recuperari potest pœnitentiâ, castitas autem corporis, per fornicationem, aut voluntariam molliem, aliâsve turpitudines deperdita, nunquam potest recuperari. Dixi voluntariam; nam de involuntariis secus se res habet: ut testata est Sancta Lucia Virgo & Martyr Paschasio Judici: Si me invitam violari feceris, castitatem non amittam; sed castitas mihi duplicabitur ad coronam.

Quod si itaque perfectionem & securitatem nobilissimæ hujus virtutis, (quæ oculi Societatis pupilla est) desideramus; utramque castitatem, mentis & corporis jungamus, necesse est:

hæc enim omnibus Ecclesiæ ministris omnibus Religiosis, & cum primis Societatis nostræ membris unicè est necessaria; idque multis de causis. 1. Prima est: Officia in Societate diversa nobis obeunda sunt, eaque Apostolica, & admodum sublimia, ac divina, cùm DEI vices in animarum salute procuranda geramus; adeoque non ad Angelicam duntaxat, sed ad divinam puritatem quodammodo nobis aspirandum est. 2. Officiorum prædictorum occasione, nobis incumbit alios mundare, & è peccatorum facibus extrahere; quis proinde non videt, quantâ nos oporteat puritate esse conspicuos? Ab immundo enim quid mundabitur? 3. In Societate, ut officiis ab obedientia impositis ritè fungamur, cum omni hominum genere & sexu conversandum nobis est: proindeque nisi castitas in anima nostra firmas egerit radices; nunquid & ipsi periclitabimur, & alios peccandi periculis objiciemus? 4. Demus, castitatis virtutem nonnemini Sociorum, quod divina avertat bonitas, deesse, & vitia contraria in ejus peccatore nidulari; an non de illo, omnique fructu spirituali actum est? Quid enim illo fiet? Ex ejus conversatione, proximo scandalum nascetur: *Va autem homini illi, per quem scandalum* (tale ac tantum) *venit!* Ordini summa infamiæ nota inuretur: plebs enim ex uno Religioso, omnes meretur ac judicat: Dei gloria suspendetur: auxilium proximorum sufflaminabitur, conciones, exhortationes, doctores, conversationes, instructiones, verbo omnia ad anima-

rum

rum salutem destinata ministeria inficientur, retardabuntur, enervabuntur & scædè conspurcabitur.

Quæ cum ita sint, Dilectissimi, horatu sancti Parentis nostri, ad Angelicam corporis & animæ puritatem, omni studio ac conatu enitatur; Sponsæ enim Christi sumus, quas decet esse sine macula, quemadmodum & sponsus speculum sine macula est, 1. Igitur exterius castitatem corporis ita usamur, cum divina gratia, ut nec verbum, nec gestum, nec tactum, nec actum ullum, coram Deo & hominibus prodamus, qui munditiam Angelicam obfuscat valeat; & licet, raro illo beneficio, quo omni libidinis sensu immunes simus, haud fruamur; nihil tamen minus, cum Sanctis Paulo, Hieronymo, Benedicto, Bernardo, Francisco; strenuè dimicemus; ne voluntate deliberatâ quidquam Angelicæ virtuti contrarium perpetremus, 2. Castitatem internam, in cordis nostri penetralibus, fir-

mare ac solidare nitamur; ne Hypocritarum ad instar, vasa immunda, ac seipulchra foris dealbata, intus verò spurcitiâ ac tabe cadavericâ, repleta, coram Deo, corda ac renes scrutante, inveniamur; sed corde & corpore mundo, cœlesti sponso, lucis æternæ candori, speculo sine macula, & omnis puritatis fonti constanter adhæreamus; ut in veritate de quolibet nostram ingeminare queat, *Ecce tu pulchra es Amica mea, ecce tu pulchra es.* Tales si fuerimus, erimus candida formosâque lilia, ob puritatem eximiam; erimus rosæ rubicundæ, ob Martyrii speciem propter resistantiam laboriosam & pugnam quotidianam; quæ non secus atque Martyres, in cœlo, propriam aureolam; id est, præter gloriam essentialem, ut scholæ loquuntur, coronam accidentalem, scilicet aureolam virginum, nanciscetur.
Amen.





REGULA XXIX.
DE CUSTODIA SENSUUM.
EXHORTATIO
IN EANDEM.

De diligenti sensuum, oculorum præcipuè, aurium & linguæ custodia.

T H E M A.

Hortus conclusus, Soror mea Sponsa, fons signatus, puteus aquarum viventium. Cant. c. 4.

V E L

Omnes diligentissimè curent portas sensuum suorum (oculorum præcipuè, aurium, & linguæ) ab omni inordinatione custodire, Reg. 29.



Aria inter hieroglyphica, symbola, ænigmata, emblemata ac similia, quibus sponsus divinus, sponsam suam celebrare, atque adumbrare dignatus est; non infima sunt, quæ Cant. 4. depromit; dum triplici eam schemate delineat ac depingit: *Hortus conclusus*, alt, *Soror mea sponsa*, *fons signatus*, *puteus aquarum viventium*. Quæ tria, non secus atque alia Canticorum volumine contenta, sensum triplicem, scilicet totalem, prin-

cipalem ac partialem admittunt. 1. Sensus totalis Ecclesiam universam indicat, quæ est *Hortus*, virtutum, gratiarumque flores & germina proferens: *conclusus*, ne hæreses intrent. Est *fons* gratiæ & doctrinæ; *signatus*, ne crystallinus ejus liquor errorum ac vitiorum cæno turbetur: est *puteus aquarum viventium*, Baptismi & Sacramentorum. 2. Sensus principalis Beatissimam Del Genetricem seu Θεοτόκον respicit: quæ est *hortus conclusus* ob virginitatem: *fons signatus*, ob puritatem & sensum custodiam: *puteus aquarum viventium*;

lum

tam quia Christi
genit; cum
fundit. N. m.
Deip. his eam
plena, qua
S. Ephrem
tem gratia
dicat. S.
guitur. Au
aque. 3.
giotam qu
piam, fan
partem u
eadem. 8.
cuius ej
Hortum
tum a p
Quæ tri
Regula
fuerit. N
diam ex
erit. 2.
& humi
tum, p
luntatè
in om
rari, p
prelen
dem ca
gule p
du m
fider
1.
Sponsa est mu
hortus
conclusus.
spons
propo
lomon
mum, p
ribus,
topiati

tum quia Christum fontem aquæ vivæ genuit; tum quia aquas gratiarum effundit. Nam S. Epiphanius orat. de Deip. his eam verbis salutat: *Ave gratia plena, quæ sitientes fontis dulcedine satias.* S. Ephrem de Laud. Deip. *Em fontem gratia & totius consolationis deprecatur.* S. Chrysostomus his eam alloquitur: *Ave, quæ es puteus semper viventis aquæ.* 3. Sensus partialis animam religiosam quamlibet, aut etiam animam piam, sanctamve, tanquam Ecclesiæ partem adumbrat: quidni igitur verba eadem, & Societati nostræ minimæ, & cuius ejus personæ adaptemus; quam, *Hortum conclusum: fontem signatum puteum aquarum viventium esse, convenit.* Quæ tria elogia in eam cadent, si tria in Regula præsentate, expressa, complexa fuerit. Nimirum 1. Si sensuum custodiam existentem tenuerit, *hortum conclusum* erit. 2. Si passiones domando, in pace & humilitate perstiterit; *fontem signatum*, præbebit. 3. Si intellectum, voluntatemque ad Deum elevando, eum in omnibus creatis invenerit ac considerabit, *puteum aquarum viventium* te præsentabit. Tria hæc tanquam totidem castitatis tuendæ præsidia, ad Regulæ præcedentis observantiam admodum opportuna, in præsentati paucis considerabimus.

I.
Sponsa est
hortus
conclusus.

I. *Hortus conclusus soror mea.* Primum in hoc æternis Symbolum est, quo sponsus divinus sponsam adumbratam proponit. Sapientissimas Regum Salomon *hortum* construxit amœnissimum, plantis le&ssimis confutum, floribus, tanquam stellis exornatum, arte topiariâ ad omniem elegantiam com-

positum, ideoque *conclusum*, ne eum aut conculearent bestię, aut viatores spoliarent. Hortum istum ex Josepho Adrichomius in descriptione terræ sanctæ, pag. 170. vivis quodammodo coloribus delineat: *Hortus, inquit, regius, quæ hortus conclusus dicitur, hortus erat in suburbanis jerusalem, muris undique septus, atque ut paradisus, arborum, fructuum, herbarum, aromatum, florum, fructuumque, ubertate amœnus, mulcendisque ac f. vendis sensibus conveniens.* Hortum hunc mysticè, elegantique in sensu partiali interpretatur Magnus Gregorius, dum ait: *Anima sancta est hortus conclusus, quia dum virtutes mitti, flores gignit, & auro virtutum exhilaratione se reficit, fructus, quos genuerat, eadem custodit.* Hortus autem conclusus esse dicitur: quia dum bona sua, intentione vite æternæ abscondit, dum humanas laudes omnino contemnit, ipsa bona intentione se circumsepit, ne ad interiora rapienda hostis antiquus irrumpere possit. Si igitur ejusmodi anima hortus est conclusus, idem Societatis Religioso conveniet; is enim.

Primo est *hortus* quem instar paradisi cujusdam fertilissimi, & omnium virtutum flores, & operum bonorum fructus, proferre decet, quibus, Christum Dominum verum Salomonem honoret, & odoris suavissimi fragrantia reoret. Deinde est *conclusus*: ut enim in animæ nostræ hortum serpens antiquus, & coluber tortuosus, non irrepit, omniaque germina vanitatis veneno inficiat, *conclusus* sit oportet; non solum, ut vigili puræ intentionis oculo eum custodiat, verum etiam, quinque sensuum, oculorum præcipue aurium & oris

Nna a

prntas,

portas, probè occludat: Scripturâ enim teste, *Mors intravit per fenestras*. Quare

1. Claudendi oculi, vitâque ab omni inordinatione custodiendus, id est, à nocivis, invecundis, impudicis, imò & à curiosis, præsertim sequioris sexûs personarum aspectibus. Exemplo Sancti Iobi palàm profitentis: *Pepigi fœdus cum oculis meis; ut ne cogitarem quidem de Virgine*. c. 31. 1. Igitur intuitus ejusmodi objectorum, tanquam basiliscorum fugiendi sunt, ne perimamur. Quot enim oculorum tellis periêre? Aspice Davidem virum secundum Cor Dei, virum perfectum: aspice Salomonem Regem omnium longè sapientissimum; aspice Samsonem, Holofernem, aliosque sexcentos Heroës & pugiles fortissimos, an non capti in oculis tuis occubuerunt? Si igitur cum tot millibus, imò millionibus interire nolis, pange fœdus cum oculis tuis, & averte oculos tuos, ne videant vanitatem.

2. Deinde auditus ab omni inordinatione custodiendus, & claudendus, ne verba vana, detractoria, scurrilia, ac multò magis inhonesta, turpia atque obscœna intepant. *Sepi aures tuas spinis*, monet Siracides Eccli. 28. 29. Id est, dum ejusmodi verba auribus hauris, talem repugnantiam, horrorem ac dolorem sentias, ac si aures tuæ spinis circumvallatæ forent, quæ talibus sermonibus, non sine dolore, quasi imprimerentur. Ad hæc *Sepi aures tuas spinis*. Eiusmodi spinæ esse possunt, timor Domini, metus inferni, horror peccati. Imò juvat nos ad hujusmodi verba sordos esse, aspidèsq; imitari, qui aurem unam terræ affigunt; alteram caudâ

opplent, ne incantantium voces percipiant. Terræ autem aures affigimus, dum infirmitatis nostræ memoriam reficamus, caudâ aures obturamus, dum novissimorum consideratione, à complacentia & consensu, mentem compescimus.

3. Lingua quoque & os ab omni inordinatione custodienda sunt; ne ea in verba laxemus, quæ profari nefas est. Quæ sunt, otiosa, vana, stultiloqua, scurrilia, ac longè magis in ea, quæ turpitudinem, obscœnasque metaphoras sonant: *Omnis immunditia* (etiam colorata ac palliata) *ne nominetur in vobis*, ad Ephes. 5. Deinde sub silentii rigore lingua coercenda est, & stantis temporibus servandum silentium. *Est tempus loquendi, & tempus tacendi*, ait Ecclesiastes. Virtutem primam esse putata compescere linguam. Vix est Regula, quæ à Tironibus, præsertim saeculo recenter egressis, & garrulitati assuetis, frequentius rumpatur, quàm illa de silentio, cum tamen tanti ea sit momenti, ut S. Jacobus asserere non sit veritus, c. 1. 26. *Si quis putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, hujus vana est religio*. Tam arcta verò silentii disciplina servanda est, ut tempore vetito, nè de piis quidem bonisq; rebus sermones miscamus, exemplo Davidis, qui ait: *Obmutui & sicut à bonis*. Si igitur, Charissimi, seridè optamus, ut hortus noster, in noxias fruges non protuberet, nec spuris germina, fructusq; adulterinos effundat; sed potiùs virtutem præstantes fructus, ac flores, & præ reliquis castitatis liliùm proferat, sic conclusus; sensuum nostrorum portas quàm

quâ diligenti-
mas, oculos
non linguam
ac studiorum
fectio e
conceisa.

II.
fons si-
pauus.

II. Al-
sus Spont-
assimilat
Rexin ha-
ornaverat
drichomi-
tumpu-
ex eo Re-
sive, ut
tus erat
inficere
fones,
rent, v
apud Pe-
Rex cur-
in potu-
eo pota-
Athens
pana p
ex quo
mitur.
Tali-
pia, ar-
ions p
bidam
non c
ventu-
ventu-
clisiz
tra Cre
signis
asfirmat
tanini
participi

quàm diligentissimè à vitis custodiamus, oculos præsertim & aures, nec non linguam, præcipuè sub laborum ac studiorum intermissione, peractâ refectione, in vitium repastinationem concessâ.

II.
Fons si-
gnatus.

II. Alterum symbolum, cui Sponsus Sponsam in Cantico Canticorum assimilât, est *Fons signatus*. Salomon Rex in hortu suo concluso, fontem adornaverat insignem: qui, ut asserit Andrichomius l. c. *Vocabatur Rogel, totumque hortum conclusum irrigabat: & ex eo Rex bibebat.* Eoque sine *signatus*, sive, ut vertit Arabicus, sigillo obli- gnatus erat; ne quispiam fontem vitaret, inficeret, turbaret, aut ne serpentes, bufones, alivè venenata reptilia accederent, virûsque injicerent. Similis fons apud Persas repertus fuit, ex quo solus Rex cum primogenito Filio, lympham in potum hauriebat, aded, ut filius ex eo potaret, capite plecteretur, teste Athenæo L. 12. Nec ab similibus in Hispania prope Complutum fons visitur, ex quo, pro Rege solo aqua de- promitur.

Talis rursus *Fons signatus* est anima pia, anima sancta, anima religiosa, fons puram, illiorem, & minimè turbidam aut turbatam continens aquam; non commoventibus eam passionum ventis; aut cupiditatum serpentibus, venenum inspuentibus. De fonte Ecclesiæ loquitur S. Augustinus L. 2. contra Cresconium c. 14 & 15. *Hinc fontis signato nemo communicat alienus, nullus nisi natus a cædo aut ita omnino mutatus, ut non sit alienus: sed sit celestis particeps pacis, sanctæ socius unitatis, plen-*

nus individua charitatis, civis Angelicæ civitatis. Quales S. Augustinus cupit esse fideles, tales S. Ignatius (& quivis Fundator) suos optat esse sodales; fontes signatos, à passionum turbatione & cupiditatum inordinatarum veneno immunes. Sic quisque *celestis particeps pacis*, domito passionum inter se beligerantium furore: *Sit sanctæ socius unitatis*: animi demissione, intellectûs & voluntatis subjectione; ac mitis mentis dulcedine: *sit plenus individua charitatis*, rixarum & discordiarum expulsi- one, & perfectâ mutuâ dilectione atq; unionem. Sit denique *civis angelicæ civitatis*, castitatis angelicæ candore, & sensuum, appetituumque omnium abnegatione. Ante omnia verò, viperas, colubros, serpentisque vitiorum procul à cordis fonte arceat. Serpens est inquietudo, quâ quis nisi ipse in pace degit, nec alios degere sinit: vitusque in communitatem, perquam noxium, evomit, sed huic sigillum, in præsentem Regula apponit S. Ignatius, volens, ut simus fontes signati, *nosque in pace interna conservare studeamus.* Draco est superbia, toxicum propriæ excellentiæ, & æstimationis sui evomens, quo alius præferri cupit, alios despicit, debitumque honorem denegat, & venenum hoc communitati admodum nocivum est; ne id nos inficiat, S. Fundator sigillum addit, ut nimiram instar fontis signati & bene clausi, *nos in humilitate interna conservemus in omnibus optando atque procurando potiores partes alicui deferre omnes in animo, tanquàm sibi superiores ducendo, & ex ætate honorem & reverentiam, quâ exigui cujusque status, cum simplicitate &*

moderatione religiosa exhibendo : Non more aulico & affectato, non animo duplici aut ficto : atque hoc ipsum castitatem plurimum adjuvat : humilitas exterior & interior fontem illum signatum conservat : Nulla est castitas carnis, quam non commendat humilitas mentis, inquit S. Gregorius. Coluber est nimia loquacitas & garrulitas, varium communitati aconitum afflans, murmurando, detrahendo, obloquendo, rixando. Apponit sigillum S. Ignatius hanc ipsam Regulam jubens, ut pacem & humilitatem conservemus in silentio, cum id observandum est, cum autem loquendum in circumspectione & edificatione verborum, ac maturitate incessus, motumque omnium sine ullo impatientia aut superbia signo exhibere. Atque ita necatur quoque anguis impatientiae, manensque fons signatus, ab omni veneno vitiorum purus, limpidus, amenas salubresque continens aquas, quae alios & nos ipsos pascant atque oblectent. Praesertim vero juvabit id, mirum in modum, ad tutelam castitatis, ut docet Cassianus Coll. 12. c. 6. *Quantum quis in lenitate & patientia cordis, tantum in corporis puritate proficiat : quantoque longius pepulerit iracundiam passionem, tanto tenacius castitate obtinebit ; non enim astus corporis declinabit, nisi qui animi motus ante compresserit ; & ideo dicitur Matth. 5. Beati mites (mansueti, humiles) quoniam ipsi possidebunt terram, scilicet carnem suam.*

III.
Puteus
aquarum
viventium.

III. Tertium symbolum, quo Sponsus Sponsam extollit, est *Puteus aquarum viventium, quae fluunt impetu de Libano.* Hunc quoque puteum describit Adrichomius pag. 6. num. 67, dum ait :

Puteus aquarum viventium, cuius in Cantu ticus fit mentio, iuxta viam, quae Tyrum ducit, situs, egregius est & admirabilis. Continet quatuor fontes, muris quadratis inclusos unde varii deducuntur aquaductus & rivi, qui totam Tyri plantitiam, omnesque ejus hortos irrigant & faciunt dant.

Ejusmodi fontem, puteumve optabat quemlibet de Societate esse, S. P. Ignatius, ut nimis plenus sit aqua viva, quam haurire valeat ; dum in Regula praescribit, ut quisque Deum in alio, velut in illius imagine, cognoscere studeat ; ex qua cognitione, multi, praclarique fructus velut e fonte scaturiunt. Ut igitur in fratribus ac proximis nostris Deum, tanquam in imagine, intueamur, sciendum est ; quod homo, secundum corpus sit imago Dei, licet rudior atque imperfectior ; habet enim vultum erectum in Caelum ; *Os homini sublimiter dedit, caelumque tueri ; iussit & erectos ad sidera tollere vultus.* Canit Ovidius. Ut in rebus caelestibus & aeternis, omne bonum & delectationem querere discat. Capillos versus caelum erectos gerit, ut dilcat omnem bonae voluntatis succum, ad incrementum Spiritus, hauriri desuper ; oculos, manusque orans in caelum elevat, unde auxilium expectat. Longè autem nobilior & expressior Dei imago ac similitudo in anima cernitur ; quomodo enim Deus est Spiritus, immortalis, trinus & unus ; ita anima Spiritus est, immortalis, & quodammodo trinus & unus. Unus in essentia, trinus in potentiis, memoria, intellectu & voluntate. Dilectior vero imago est gratia, virtus ac vitae

vite sanctimonia, quæ nos vivas reddit
Dei imagines, filios adoptivos atque
heredes regni cœlestis.

Ex hac consideratione haurimus a-
quam vivam variatum virtutum : nam
1. Assuescimus mentem paulatim à car-
nalibus & terrenis abstrahere , 2. Ut
Regula innuit, in devotione crescimus,
dum ad opera charitatis exhibenda,
promptiores reddimur, 3. Ut Regula
insinuat; Dominum Deum laudamus,
tanquam in sua imagine, fratres nostros
videntes, virtutibus à Deo acceptis or-
natos, pro quibus, grates referimus.
4. Denique illorum virtutes imitatur;
atque ita impediuntur cogitationes, ca-
stitati officere valentes, & vite cœle-
stis initium auspiciamur, quam in aë' est
patria, aliquando æternam prosequemur.

Quæ cum ita sint, Charissimi, si ca-
stitas Angelica, tanquam præstantissi-
mum animæ cimelium, nobis curæ &
cordi est; terna à S. Patre nostro præ-
scripta remedia, sedulo adhibeamus,
necesse est. 1. Instar *horti conclusi*, sen-
sus nostros, præcipue autem, oculos,

aures & linguam, ab omni inordinatio-
ne probè custodiamus : hi enim por-
te sunt, per quas libido & mors animæ in-
greditur, ut David, Salomon, Samson,
innumerique alii, experientiâ didice-
runt. 2. Instar *fontis signati*, omne iræ,
impatentiæ, superbiæ, loquacitatis,
immodestiæ, aliarumque passionum
venenum, omnino arceamus: quin po-
tius in pace & humilitate nos conser-
vemus, ista enim pax & humilitas ca-
stitatis florem mirifice conservat, ut è
contrario, ira, impatentia ac superbia
eandem lædunt, & luxuriæ ignem suc-
cendunt, ac faces subministrant. 3. Instar
putei aquarum viventium, in fratribus
nostris, in aliis proximis, cæterisque
creaturis pulchris, Deum tanquam in
imagine intueamur, à quo omnis gratia,
dona naturalia & supernaturalia pro-
cedunt; hoc modo, amore carnali de-
victo, extinctoque, spiritali duntaxat
dilectione cunctos complectemur, &
fiet in nobis fons aquæ vivæ, san-
guinis in vitam æter-
nam.





REGULA XXX.
DE REFECTIONE CORPORIS.
EXHORTATIO
IN EANDEM,

Agit de Temperantiâ, Modestiâ, & Oratione,
in corporis refectione adhibendâ.

T H E M A.

Mellui myrrham meam cum aromatibus. Cant. 5.

VEL:

*In refectione corporis curandum est, ut Temperantia, modestia,
& decentia interiùs & exteriùs ab omnibus adhibeatur.*

Reg. 30.



PONSAM CHRISTI, Animam ipsam, religiosam, sanctam, hortum conclusum esse, exhortatione proximè præcedente exposuimus: nunc eadem Sponsa Dilectum suum ad hortum hunc, id est, ad seipsam, humanissimè invitat. *Veniat Dilectus meus in hortum suum.* Tanquam si diceret: Si ego hortus sum; *Veniat Dilectus meus in hortum suum* (licet omnibus aliis conclusum, Sponso tamen soli patulum, tanquam suum) *& comedas fructum pomorum suorum.* Cant. 5. quos flante Austro, id est, Spiritu Sancto, ipsa produxit; ut iis se oblectet, pascat, atque

reficiat. Auditâ humanissimâ Sponsæ invitatione, mox Sponsus Cælestis, Christus Dominus respondet: *Veni in hortum meum soror mea Sponsa.* Hoc est, jam intravi & descendi in hortum meum; meum scilicet, & tuum; Sponsi enim & Sponsæ omnia sunt communia. *Mellui myrrham cum aromatibus.* v. 1. Mellui, carpsi, collegi ramos odoratos myrrhæ & liquorem myrrhinum, ex frutice stillantem, unâ cum aromatibus. Per myrrham Sancti Patres mortificationem, per aromata virtutes intelligunt, quas Christus Dominus, tanquam hortulanus cælestis efficit, plantat, decerpit, colligit, iisque quasi vescendo, sese oblectat.

Nos

I.
Myrrha
Tempo-
ratiz,

Nos in
fomemus, p
tham intel
non unive
Gulæ & si
cum myrr
ma: ve
Sanctus
modesta
devotio
cum ar
L. M
cet my
myrrh
indid
ûr San
alli Pat
sanct
primo
religio
raque
My
c. 15. a
arbor
ferè c
de ea
alferu
acum
è cup
gusta
licca
nus L
purg
discu
inqu
lateri
graver
oculor
valet p
de My

Nos in præfenti, ex toto partem fumemus, per Synecdochen, ac per myrrham intelligemus mortificationem, non univèrsalem, sed particularem Gulæ, sive Temperantiæ; quam cum myrrhâ comparabimus; per ornamata verò, virtutes, quas in hac Regula Sanctus Patriarcha noster exigit, scilicet modestiam, decentiam, pietatem, devotionem orationis & lectionis, quas cum aromatibus componemus.

I.
Myrrha
Temperantiæ.

I. *Messus myrrham meam.* l. c. Scilicet myrrham mortificationis Gulæ, myrrham Temperantiæ, quam ego tibi indidi & inserui; hæc enim mortificatio, ut Sanctus Gregorius, S. Anselmus & alii Patres docent, prætere debet vitam sanctam, ac tanquam prima virtutum primo loco demeti, ut per eam anima religiosa ad alia gradum faciat, ceteraque virtutum aromata metat.

Myrrha, ut Author est Plinius L. 12. c. 15. arbuscula est in Arabia, minor arbore thuris, altitudine ad quinque ferè cubitos adolescens. Authores alii de ea scribentes, consensu unanimi asserunt, esse scabram, spinosam, foliis acuminatis, caudice duro & intorto, è cuius vulnere defluit lacryma, gustu acris, amara, vi glutinandi, siccandi & abstergendi prædita. Galenus L. 7. Medic. Simpl. Myrrha (ait) purgat pectus, astringit, concoquit, discutit, calefacit. Dioscorides L. 1. c. 6. 7. inquit, Myrrha contra tusses, pectoris, laterisque dolores, dysenteriam, gravem anhelitum, distillationes, oculorum caliginem, aliosque morbos valet plurimum. Omnia hæc, quæ de Myrrhâ Arabicâ prædicantur, longè

meliùs præstat myrrha mystica & spiritualis; myrrha mortificationis Gulæ, & virtus Temperantiæ, in Regula præfente à S. Patre, tanquam Medico Spirituali, Nobis præscripta, Temperantiæ enim initio est scabra, spinosa, dura, amara; sed paulatim dulcescit, & mira affert commoda & emolumenta: Nam siccet, concoquit discutit, noxios humores corporis, animæque morbos arceat ac præscribit. Ordiamur à morbis & miseris animæ.

I. Temperantiæ animam, veluti myrrha corpus, sanum conservat, morbos depellit, & à peccatorum corruptione & putrefactione præservat, qualia sunt Gula, Crapula, Ebrietas, Luxuria, Ira, Acedia, aliaque plura; quæ ex intemperantiæ fonte velut rivuli ebulliunt. Atque ut modò Loth ebrium Holofernem vino sepultum, Epulonem quotidie splendide epulantem, aliosque innumeros taciti prætereamus; quam inculentam nobis tragædiam exhibent Protoplasti Parentes; quibus omnium primò Temperantiæ Præceptum à Deo est impositum: *De Ligno Scientia boni & mali non comedetis.* Quamdiu hoc tributum & vestigal Conditori suo persolverunt, in quantâ innocentia, felicitate & sanctimoniâ degebant? Hoc verò moderationis tributo denegato, in quantam miseriarum abyssum præcipitati sunt? Prolapsi sunt in statum peccati, in inimicitiam Dei, aliaque calamitates innumeras, quibus se, suosque Posteris subjecerunt; Paradiso expulsi sunt; ac morris spolia, Dæmonum ludibria, morborum, laborum, ærumnarum ergastula & nosocomia evaserunt.

Deinde. Temperantia animam ad illustrationes divinas excipiendas disponit, ad orationem, contemplationem, & studium omne virtutis ac perfectonis agilem, expeditamque reddit; veluti ex adverso, Gula, Crapula, Intemperantia, ad omnia spiritus exercitia gravem, pigrum, tardum, somnolentum & acediosum efficit. Exules & Peregrini hic sumus, qui non habemus hic manentem civitatem; sed futuram inquirimus; ut scribit Apostolus *Hebr. 13. Equum igitur est, ut cibum, potumque & res hujus seculi, non ad luxum, non ad voluptatem & abundantiam; sed ad usum & necessitatem adhibeamus: Nemo enim viatorum se farcinis gravat: Sapiens nemo amiis se cibis onerat; hi enim corpus gravant, atque in itineris progressu proficiscentes retardant. Ideoque Sanctus Petrus hortatur; *Obsecro vos, Charissimi, tanquam Aduenas & Peregrinos abstinere vos à carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam, eamque in interitum sempiternum deturbant. Vultis tragicum ac ditum intueri spectaculum, & finem luæuosum carnis amatorum, ac gulæ suæ servientium? Exemplum horrendum præbet Franciscus ille Burgundus, ut eum vocat Nebridius à Mundelheim Canonicus Regularis S. Augustini, in pererudito suo Antiquario Epist. 86. p. 391. Qui cum Ordini Rigidiori (quem Author nominat; ego autem ob causas nominare superfedeo) se transcripisset, videretque illos, qui tunc præerant, ob hospites, aut officii dignitatem subinde meliusculè tractati, ut ad lautitias illas adreperet, carnique suæ blandiri posset,**

fucatâ virtute, tandem in aliquo Sabaudia Monasterio Præfectus, cœpit frui desideratis cupidus, abjectâ eâ, quæ in Ordine isto tantopere floret, mortificationis curâ, Brevi, angustâ ad extrema deductus, Gulæ pœnas dedit in Gula; ita ut post Sacramentum Pœnitentiæ, nè Divinum quidem Viaticum sumere sit ausus; sed humili prostratus illud adoraverit, dicens: *Deus propitius esto mihi peccatori: Mox Vota solemnia renovavit, At hem! post altum silentium atque suspirium dolens ac desperanter suorum commodorum, ac spectæ mortificationis memor, in hæc erupit: O Fratres, Fratres! Verè non omnis, qui dicit, Domine, Domine, intrabit in Regnum caelorum. O, ô Fratres! Profectio spes impiis tanquam lanugo est, quæ à vento tollitur! Nulla pars est mihi cum hereditate Sanctorum. Gula & Ambitio totum me raperunt. Idcirco justo Dei judicio ad æterna supplicia damnatus sum. Stupensibus trementibusque omnibus, Confessario dicent, vitam, illi, adhuc, pœnitentiam, misericordiam, spera patere. Respondit: *Tempus pœnitendi modo recessit: DEI misericordia & omnis salutis spes occlusa mihi est. Heu dulces boli! Heu amara bonorum epula quàm duram mihi concollionem causatis! Instat Confessarius Crucifixum ostendens, & magno verborum pondere, amorem, languinem, mortem Christi exaggerans. At ille: *Frustra hæc mihi narras; Jam damnatus sum, nihil omnia juvans: Aliter Judas fui: Sub mentito Religionis titulo Christum velut osculo prodidi. Nulla mihi unquam erga Deum sincera fuit caritas; sed ambitio & gula cuncta mea opera quæ vobis bona apparebant,***

parebant, depravârunt. Jesu & Mariæ sacra nomina pronuntianda suggerit Confessarius, Tum sceleratus ille inimicus Crucis Christi: *Non possum, inquit; nec vellem, nisi possem.* Dixit & è manica Regularum libellum excutiens & abjiciens, exclamavit: *Damnatus sum.* Mox Agnum Dei projecit & dixit: *Damnatus sum.* Denique Deiparæ Virginis Rosarium cum eadem voce: *Damnatus sum:* Et cum ei eiterum offerrentur, noluit. Ergo optimi Filii tam scelesti Patris ac Superioris in tam lugubri trægédia se se in templum conferunt, & fuis humi corporibus coram Divino Sacramento preces & lacrymas fundunt. At Infirmus Infelix nihil interea dicebat aliud, quàm *Damnatus sum! Alter Judas fui!* Confessarius cum religiosâ reliquorum pompâ SS. Eucharistiæ Sacramentum ad ægrum deportat, rogatque, ut præsentem ibi Deum veneretur, Eucharisticam Pyxidem manu conrectet. Verùm ille (sunt verba Authoris) retorquens aliò caput & oculos, identidem vociferabatur: *Damnatus sum! Alter Judas fui!* Tandem miser altâ voce exclamavit: *In æternum! In æternum!* Et adhuc altiùs: *O in æternum!* Simulque spiritum ejecit. Ejus facies post mortem tam tetra, nigra, horrida apparuit, ut cunâis metum incusserit, Nec oculi, nec os claudi ullâ arte potuerunt; sed hiantia manebant, supra modum terribili spectaculo. Ita ille & ex eo P. Joannes Nadasi in Colle Thuris c. 17.

Hi sunt fructus intemperantiæ. Cui aures ambæ non tinniant! Quis myrrham mortificationis adhibere renuat, ut à tantâ corruptione ac perversione,

imò à tam miserabili desperatione ac damnatione æternâ præservetur? Præterimus nunc ea mala, quæ myrrha hæc etiam à corpore proscribit, dum morbos depellit, humores noxios exsiccat, omnemque propè infirmitatem fontem oburat, sanitatemque in vigore conservat. De quibus prolixè Pater Leonardus Lessius in suo Hygiastico: Et Ludovicus Cornarus Venetus in Tractatu suo de vitæ sobriæ commodis, De quibus aliàs agemus proxiùs.

II. Alterum, quod Sponsus Divinus, in Sponsæ horto se fecisse meminit, est, quod messuerit aromata: *Messui myrrham meam cum aromatibus.* Per aromata Sancti Patres intelligunt virtutes, quæ Sponso gratum, amabilemque saporem & odorem præbent, Appositè ad rem nostram hæc exponit Richardus de S. Victore: *O Sponsa est. Etio-ens Pœnitentiæ (& mortificationis) tolerasti, Et venisti ad messem perfectionis virtutum. Messui in te myrrham cum aromatibus: quia simul cum amaritudine laborum confecta sunt Et perfecta in te virtutum aromata: Cum enim mortificata fuerit carnalitas Et propria voluntas, tunc fluent virtutum aromata.*

Igitur præter Temperantiæ virtutem, quæ tempore mensæ metitur & colligitur, colligenda quoque ac metenda sunt nobis etiam virtutum aromata: Quænam verò illa sint, declarat S. Ignatius in Regula: scilicet Modestia, Decentia, pia mensæ benedictio, devota gratiarum actio, reverentia, spiritualis lectio & sedula ad eam animi applicatio, atque attentio.

Omnia hæc instar sacchari sunt, instar cinnamomi, caryophylli, macis, nucis myristicæ, aliorumque aromatum; quæ cibos condiunt, gratumque odorem & saporem præbent manducantibus.

1. Aroma primum, quod corporis refectionem condit, gratumque saporem & odorem Deo ac proximis præbeat, est modestia: quæ est virtus, quæ modum in cibi potusque sumptione tenemus, ne cupisquam aspectum offendamus. Respicit quidem hæc virtus exserna; sed tamen ex interna temperantiæ virtute procedit; quemadmodum immodestia, ex interiori appetitu inordinato oritur, ob quem quis sibi haud præsens est. Atque hæc modestia, ad ædificationem præsentium mirè facit, dum nos, ut religiosos decet, cibum capere conspiciunt. Huic autem virtuti repugnant sequentia, 1. Majore quàm par est, aviditate, celeritate & festinatione, cibum sumere. 2. Indecorè cibum ori ingerere. 3. Cubitum & brachia mensæ imponere. 4. Ossa alterâ, vel utrâque manu, arrepta rodere. 5. Jusculum ex ipsa scutella, ori admotâ, sorbere. 6. Cultrum manu tenendo, eadem cibum ori ingerere. 7. Cultro dentes palam purgare. 8. Oculis curiosè circumspicere. 9. Scutellis & cochlearibus streptum æere. 10. Ova pollice evacuare. 11. Inter bibendum oculos circumgyrare. 12. Tempore mensæ absque necessitate loqui & alia quàm plurima, quæ Religiosos, in tricliniis suis, haud parùm dedecent.

2. Alterum aroma gratum exhalans odorem, & à S. Patre, in Regula requisitum, est decencia; quæ respicit modum ipsos cibos tractandi & munditiam.

Contra quam, delinquunt, tum; qui plures ex antedictis, defectus committunt; tum etiam qui in sequentes impingunt. 1. Qui in orbe cibos inconclinè circumvolvunt. 2. Qui cibos ex scutella manibus efferunt. 3. Qui digitos valde immundos gerunt. 4. Qui scyphos, cochlearia, cultros & similia immunda habent. 5. Qui mappulas valdè commaculant. 6. Qui urgente necessitate, non strophilo; sed mappâ nares, salvâ veniâ, emungunt. 7. Qui panem integrum, aut dimidium butyro illiciunt. 8. Qui digitos indecenter lingunt. 9. Aut denique quidquid aliis commensalibus nauseam creare potest, admittunt.


3. Aroma gratum præbens odorem & saporem, atque in Regula requisitum, est, pia mensæ benedictio & gratiarum actio, Quæ more Romano apud nos, eum debita reverentia ac devotione obeundæ sunt. Devotio hinc ejusmodi adhibenda, qualis communiter in oratione requiritur, scilicet promptitudo orandi, gratiasque referendi, & insignis pietas. Cujus exemplum nobis præbuit S. Ignatius; qui in benedictione mensæ & gratiarum actione, non minùs atque in ipsa meditatione, mentem recolligebat; ita ut pietas, devotio, & ardor in ipsa facie, quasi succensè, reluceret. Reverentia debita à nobis exhibetur, dum capite aperto in triclinio consistimus; oculisque demissis benedictionem mensæ præstolamur; dum ad Gloria Patri, & similia pronuntiata, caput reverenter nonnihil inclinamus, in benedictis ultimis syllabas respondendo non involamus; &c.

4. Quar
savi virtut
reficit est
ptoris divi
Libro ad
eis & Ma
mur ac re
rata ac se
quid pian
trem me
desider
mos, Ch
manduc
nimus,
Atque
ac præ
præfer
Qua
sponsa
1888

E

Pr

Exp




C. v. c.
dno Eco
Paradiso

4 Quartum denique aroma, quod suavi virtutum odore ac gustu Spiritum reficit est Lectio pia ac spiritualis. è Scripturis divinis, SS. Patrum Voluminibus, Libris admodum Asceticis, Historiis facris & Martyrologio, Hoc aromate fruimur ac reficimur, dum lectionem moderata ac suavi attentione auscultamus, dum quidpiam observatu dignum, in ventrem memoræ demittimus, aut si lectio desideretur, dum pii quidpiam ruminamus, Christi, B. V. & Sanctorum aliorum manducantium exempla nobis proponimus, aut de cibo cælesti cogitamus. Atque hæc sunt aromata illa odorifera ac præstantissima à S. P. N. in Regula præscripta.

Quapropter, Dilectissimi, si cum sponsa cupimus esse sponsi hortus amœ-

nitare ac fructibus affluens. 1. Christus in nobis, & nos cum Christo metamus Myrrham temperantiæ, ad eam animæ salutarem, ut ab ea vitia quàm plurima recedat, eandem ad orationem & Spiritus exercitia disponat; ad eam corpori proficuum; ut morbos avertat, humores superfluos exsiccat, sensus & potentias vegetet, sanitatem tueatur, & vitæ longævitatem adducat. 2. Metamus aromata, Deo ac proximo gratum ad eam odorem & saporem præsentia; scilicet modestiam, decentiam, orationem devotam, lectionem piam; quæ si observaverimus, quotiescunque corpus cibo reficiemus, cælesti sponso, messis myrrhæ cum aromatibus odoriferis, & gratissimis exhibebimus, eumque mirifice oblectabimus.



REGULA XXXI.

DE OBEDIENTIA PERFECTA.

EXHORTATIO

IN EANDEM,

Declarat conditiones perfectæ obedientiæ.

T H E M A.

Produxit Deus lignum vitæ in medio paradisi. Gen. 2.9.

VEL:

Expedit in primis ad profectum, & valde necessarium est, ut omnes perfecta obedientia se dedant. Reg. 31.



Uemadmodum præstantissimi Ecclesiæ orthodoxæ Doctores S. Augustinus, L. 3. de Civ. c. 21. & S. Ambrosius L. de Paradiso Ecclesiam in sensu allegorico cum Paradiso componunt; Paradisus, in-

quiunt, est Ecclesia, quatuor flumina sunt quatuor Evangelia, l qua fructifera sunt Sancti, fructus Sanctorum opera, lignum vitæ Christus, Sanctus Sanctorum, vel ipsa bonorum omnium mater Sapientia. Lignum scientia b. ni

Et mali, est liberum arbitrium. Ita quoque alii cum S. Basilio homil. de parad. & cum S. Antonino, 3. p. 10. c. 20. §. 11. statum religiosum paradisi titulo honorant. *Paradisus est religio*, inquit Sanctus Antoninus, *qua à Deo condita est, ut in ea iuvenire beatè que viveremus.* In hac, ex mente Sancti Gregorii 1. moral. c. 27. Quatuor flumina, sunt quatuor virtutes cardinales vel sunt gratia Dei, quæ est quasi fons aquæ salientis in vitam æternam; & favores omnino singulares, à Numine supremo, ei liberaliter concessæ; & sunt tranquillitas conscientiæ, securitas vitæ, immunitas curarum, & torrentes consolationum spiritualium. In hoc amœno Religionis Paradiso, omnis generis virtutum arbores efflorescunt, præcipuè verò lignum vitæ, quod symbolum est obedientiæ, quæ Religiosæ vitæ alumnis, vitam spiritualem tribuit & conservat. Hanc igitur arborem præstantissimam, velut illustre obedientiæ perfectæ hieroglyphicum, in hac exhortatione, ob oculos ponemus.

I.
Obedien-
dum in-
tegrè.

I. Ex libro Geneseos c. 2. v. 9. fat, superque colligimus, Lignum vitæ in horto Paradisi amœnissimo divina manu plantatum, fructus admodum præstantes, efficaces atque perfectos protulisse; qui virtute polleant, vitam humanam in vigore suo diu conservandi, & ad aliquot annorum millia prorogandi. O arbor præclara! O lignum mortalium votis desiderandum! Talis arbor est perfecta obedientia, quæ cunctis vitam & motum tribuit, sine qua, languent, squalent, & immota hærent universa. Quæ fructus dulces,

sapidos ac perfectos, Deo & hominibus gratos producit, ac denique nos ad vitæ æternæ portam perducit, ut non ad aliquot annorum millia vitam prorogemus, sed cum Divina Majestate tota æternitate regnemus. *Quis dubitare potest de salute sua, (scribebat B. Catharina Bononiensis, in Libro suo, Del jussu exarato) si finiat vitam in obedientia, qua nos Christo magis assimilat, quam ulla alia virtus? Credat firmiter, se ejus ope, facilius salvandum, quam ullâ penitentiâ, jejunio & contemplatione.* Ecce quam præclara & salutifera vitæ arbor!

Quo autem obedientia, perfectione sua gaudeat, fructusque integros ac perfectos proferat, multa requiruntur, quæ Sanctus Patriarcha noster, hac Regula, velut compendio complectitur.

Prima igitur ejus qualitas, prima conditio & perfectio ab illo statuitur, ut sit *integra*: quæ Superiorum jussa integre perficiat. Præcipit obedientia orationem, integre, non ex parte ob-eunda est: præcipit laborem, integre, non dimidiatè perficiendus est. Rationem hujus conditionis Sanctus Legislator noster insinuat; ut in Præside Deum suspiciamus: *Superiorem, quicumque ille sit, loco Christi Domini nostri habeant.* Quod autem Christus Dominus, aut Superior Christi nomine mandat; quis non videt, integre & non ex parte solum adimplendum esse? Ipsiusmet Salvatoris nostri exemplo; qui Patris sui voluntatem, integre in omnibus exactè perfecit, & in esu Agni Paschalis, cæterisque operibus, omnes

omnes conditiones, omnes à Lege præscriptas ceremonias accuratissimè explevit: ideoque opera illi Patri cœlesti longè gratissima acciderunt. Voluti ex aduerso opera non integrè persoluta reprehensionem promerentur & pœnam. Præcepit Deus L. 1. Reg. c. 15. Regi Sauli, ut Amalec funditus deleret, à viro ad mulierem, nec quicquam de rebus ejus concupisceret. Verùm Rex rerum cupidus integrè ac plenè nequaquam paruit: Regi enim Agag pepercit, vitam ei donavit, optimaque ex ovium, & armentorum gregibus, & uniuersa quæ pulchra erant disperdere noluit. Quantopere verò id Divinæ Majestati displicuerit, Propheta Samuel discere affirmavit; dum ei hanc inobedientiam exprobrauit: *Quare non auduisti vocem Domini; sed versus es ad prædam?* Cùmque ille excusationum vela obtenderet; allegaretque populum ovibus pinguioribus pepercisse, ad eas immolandum Domino, Reposuit Samuel: *Nunquid vult Dominus holocausta & victimas, & non potius ut obediatur voci Domini? Melior est obedientia, quàm vittima; & auscultare magis quàm offerre adipem arietum: quoniam quasi peccatum ariolandi est, repugnare; & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere. Pro eo itaque, quòd abiecit sermonem Domini, abiecit se Dominus, ne sis Rex.*

Integrè igitur Superioris voci obediendum est, & res injuncta, non ex parte, sed plenè perfectèque exequenda; ne oculis Divinæ Majestatis displiceat, ac reprobetur,

II. Lignum vitæ ea à Deo dotatum erat virtute, ut ex illo manducantes à morbis, senio, gravedine ac tarditate immunes seruaret; simulque jucunditatem vitæ, alacritatem, & promptitudines ad qualvis functiones imperaret. Pari ratione Arbor Obedienciæ perfectæ tarditatem exequendi aufert, & languoris senium depellit; alacritatem verò ac promptitudinem juvenilem tribuit. Atque hæc est altera Obedienciæ perfectæ conditio. Quisquis in rem quampiam desiderio vehementi, & voluntate pronâ fertur; eam confestim exequitur; ita quoque, qui in voluntatem divinam ingenti amore ac desiderio rapitur; extemplò, manus operi admovet, & obedienciæ ductum sequitur. *Qui cito dat, bis dat:* dat enim & rem & voluntatem, quam Deus in opere quolibet potissimum respicit. *Verus obediens,* ait S. Bernardus, *nescit moram, mandatū non procrastinat; sed parat oculos visui, aures audire, manus operi.*

Quantopere verò prompta & expedita hujusmodi obedientia Deo placeat; & præmia ab eo referat, non uno in loco sacrarum Literarum monumenta perhibent. Vocavit Salvator noster ad sui sequelam Philippum, isque quamprimum, celeritate magna paruit: obedienciæque suæ promptitudine, fidei & devotionis incrementum fecit, quibus Nathanaëlem quoque ad Redemptoris sequelam pertraxit. Vocavit Dominus Matthæum ad Telonium residentem; qui extemplò surrexit, cuncta quæ præmanibus erant, negotia seposuit, & in Christi discipuli-

II.
Promptè.

disciplinam se tradidit. *Considera*, inquit Sanctus Chryostomus L. 5. in Caten. & *vocantis* (Domini) *virtutem*, & *vocati* (Matthæi) *obedientiam: n. que enim obstitit, neque vacillavit, sed protinus paruit.* Vocavit Christus Petrum & Andream, Joannem & Jacobum: Et confectim obedivè; quod Evangelista declarans, de prioribus ait: *Continuò illos retia reliquisse*; de posterioribus verò, *statim relictis retibus & Patre Dominum secutos fuisse.* Perpende, inquit rursus Chryostomus Hom. 14. in Matth. 4. & fidem & obedientiam vocatorum, si quidem in medio istius operis constituti (scitis autem, quam ardua sit piscatio) cum illam audissent jubentem, nihil distulerunt, nihil omnino cunctati sunt; non dixerunt: revertemur domum, loquemur Propinquis; sed cuncta illico relinquentes obediverunt.

Hæc est obedientia prompta, qualem à Filiiis suis quòque postulat S. Ignatius, in Regula præsentè; ut nimirum obsecundemus promptè & alacriter *sinè excusationibus, sinè murmurationibus*; non quemadmodam Propheta Jonas, qui à Domino ablegatus ad prædicandum Ninivitis, excusavit se & fugit à facie Domini in Thersis. An non Jonæ socii & imitatores sunt, qui aliquò destinati, quò non inclinat animus, protinus, pro excusationis palliolo, nunc virtutem debilitatem, nunc sanitatem, nunc aliud quiddam præterdunt? An non Jonæ affectæ sunt, qui dum manibus, quæ minùs arident, admoventur, in marmur ora laxant, oggeruntque: Quid à Præside, non meæ gentis aut nationis, aliud expectarem? Aut

cur ego, & non illi? Non considerantes, Superiorem rationibus nixum, quas ipsi ignorent, nec illis explicare teneatur.

III. Arbor vitæ hæc quòque virtute eximiam pollebat, ut fructibus suis vires attritas repararet, comedentibus novum vigorem, fortitudinem, ac robur conferret, & morbis & senio & debilitate liberaret: Humorem enim naturalem primigenium reficiebat, aut eo meliorem suggerebat: ut testatur S. Augustinus Lib. 13. de Civit. Cap. 20. *Calorem naturalem, continuâ actione & pugnâ, cum aliis cibis refractum, acuisset, roborasset, & in pristinum vel etiam meliorem statum restituisset; unde si stans temporibus homo ex eo comedisset, nec morbum, nec mortem, nec senium incurrisset.* Haud absimile quid in nobis efficit obedientiæ ardor, quæ nobis vigorem, fortitudinem, robur & constantiam affert; atque ad omnia Superiorum Jussû, quantumvis ardua, generoso pectore exequenda, confortat. *Fortiter* (ait S. Ignatius) *obediant.* Ita ut nec laborem magnitudo, nec multitudo molestiarum, nec periculorum incursum à Præsripto Obedientiæ nos revocet, aut retardet. Quò major labor & ærumna, eò major quòque erit gloria: quò formosior pigna & luctus, eò pulchrior corona; eòque Deo gravior & acceptior Obedientia. *Generalis hæc Regula tenetur* (ait S. Bernardus de præcept. & disc.) *ut in difficultoribus agendis Obedientia Deo hominibusque gravior & laudabilior, quam in facilioribus, minùsque onerosis aestimetur.*

Talis fuit Obedientia Christi Domini, ardua, fortis, heroica, quam totius vitæ

III.
Fortiter.

vires decur
sione, in nati
sione, in fuga
libi eventura
officium, nec
declinavit, ut
ab æterno Pa
marer, obe
mortem auct
mam, gener
tis obedient
Melliflous
dit: Ex his
Patri, pass
qui puri bo
obedientia p
Deuserat,
obedientiæ
emplis, ani
tot Ordinar
tatis nostræ
omnibus ac
stolo exclar
es, qui me
Quam forti
cici Xaver
Iulvi Sylve
Japoniam,
Quam tot
bedientia
pro salute
entia Pat
se devove
Hujus
fuit, exer
lia ardua
verba Ap
6. 10. Fr
no, & in

vitz suæ decursu nos docuit; in incarnatione, in nativitate, in circumcissione, in fuga, in prædicatione, in passione, in morte; & licet omnia sibi eventura præsciebat, tamen, nec officium, nec locum, nec personas declinavit, ut omnia de se scripta, & ab æterno Patre demandata consummaret, obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Hanc fortissimam, generosissimamque Redemptoris obedientiam perpendens Doct̃or Mellissius de grad. humil. ita concludit: *Ex his quæ Christus, ut obediret Patri, passus est, discimus quanta nos, qui puri homines sumus, oporteat pro obedientia persequi, pro qua is, qui & Deuserat, non dubitavit mori.* His obedientiæ arduis illustribusque exemplis, animati & corroborati fuere tot Ordinum Religiosorum ac Societatis nostræ pugiles & athletæ, qui in omnibus adversis & periculis cum Apostolo exclamabant: *Omnia possum in eo, qui me confortat.* Philip. 4. 13. Quam fortis obedientia extitit S. Francisci Xaverii, Josephi Anchietæ, Gonzalvi Sylveræ & aliorum, in Indiam, Japoniam, Brasiliam proficiscentium? Quam fortis hodiedum nostrorum obedientia, militaria castra sequentium, pro salute militum? quam fortis obedientia Patrum, obsequio pestiferorum se devoventium?

Hujusmodi nos excitemus, Charissimi, exemplis; si suo tempore, similia ardua vobis imponat obedientia, verba Apostoli auscultate ad Ephel. 6. 10. *Frater confortamini in Domino, & in potentia virtutis ejus: qui*

opem ferre & robur addere paratissimus est. Et cogitate talem à vobis requiri obedientiam, ex regula & mente S. Ignatii dicentis expedire, & necessarium esse ad profectum in spiritu, ut *Omnes perfecta obedientia se dedant, non solum executione externâ integre, promptè, fortiter injuncta peragendo; sed abnegationem propriæ voluntatis & judicii habendo; Superioribus in omnibus se conformando, quod exactius conformentur primæ ac summæ regulæ, omnis bonæ voluntatis & judicii, quæ est æterna bonitas & sapientia.*

Quocirca, Charissimi, si ex animo desideramus, ut anima nostra sic paradisi deliciarum Sponsi cælestis, quatuor fluminibus gratiarum irriguus, & variarum virtutum arboribus vernans ac efflorescens: ante omnia floreat in ea arbor vitæ, arbor, inquam, obedientiæ, quâ perfectè Superioribus subjiciamur, cunctaque ab eis injuncta, integre, promptè, fortiterque peragamus. 1. *Integrè, exemplo Salvatoris exactissimè jussa Patris sui exequentis, non instar Saulis Regis, Dei mandata ex parte duntaxat implentis, ideoque audire coacti: Melior est obedientia quàm victima, & quasi peccatum ariolandi est repugnare.* 2. *Obediamus promptè, ut præter rem, quam peragimus, voluntatem unâ offeramus; sequamur exemplum Apostolorum, & confestim, absque excusatione aut murmuratione pareamus, quæ obedientiæ virtutem vel obfuscant, vel labefactant ac penitus enervant.* 3. *Obediamus fortiter, etiam in rebus arduis, exemplo*

Redemptoris, usque ad mortem crucis, Patri suo obedientis, abnegando voluntatem propriam, ut impleamus Divinam; exuendo iudicium proprium, ut sequamur iudicium Superiorum. Hæc ratione lignum vitæ, seu arbor obedientiæ, non solum nos alacres, sanos, fortes ac constantes red-

det, verum etiam vitam nobis prærogabit, non quidem hanc mortalem, in mundo isto, ad aliquot annorum millia; sed vitam illam immortalem, cælestem & beatam protendet & protrahet, in æternitates æternitatum perennaturam.



REGULA XXXII.

De integra sui manifestatione & subiectione.

EXHORTATIO

IN EANDEM,

Fructus integræ manifestationis & subiectionis demonstrat.

T H E M A.

Unumquodque animal ante faciem suam gradiebatur. Ezech. I.

V E L:

Liberam sui ipsorum dispositionem, cum vera obedientia Superiori relinquunt. Reg. 32.



Ivum obedientiæ veræ, subiectionisque perfectæ symbolum & Propheeta Ezechiel c. 1. Et Evangelistarum Aquila Apoc. c. 4. 8. depingit ac mentis nostræ obrutibus objicit: dum asserit se con-

spexisse *Quatuor animalia* (à Deo, ut exponit S. Hieronymus, imaginationi ejus proposita) quæ erant 1. plena oculis. 2. Penna extensa desuper. 3. Unumquodque ante faciem suam gradiebatur. 4. Non revertebantur, cum incederent. Ita Ezechiel. Quatuor hæc animalia, ad literam, quatuor Angelos primarios, seu Cherubinos, tanquam Principes, Majestatem Divinam strantes

panes, Mundi &
 res, omni que p
 gubernationis,
 victoris ac t
 significabant &
 pologicè verò
 veros obediē
 fidam suorum
 linquentes,
 horum intar
 nam Numin
 fixis, parati
 que impetu
 impulerit,
 cedendo,
 declinando
 stram, nec
 peri injund
 dem imposi
 Quomodo
 malum, l
 tatis nostræ
 culis 1. A
 paratos. 4
 am ac sim
 veri, sed
 penitus
 tenui explar
 l. Qu
 Venis o
 bediens
 sit plenu
 ocalis.
 conspecta
 tetra, int
 Divinæ
 erant pe
 & sapie
 cognition
 li, in ga
 sie. Horu
 ligiosi (in
 que perspi
 foris, ut l

partes, Mundi & Ecclesie protectores, omnisque providentiae Divinae ac gubernationis, in bellis nominatim, victoriis ac triumphis, ministros, significabant & praefigurabant. Tropologicè verò quaternaria haec animalia, veros obediens, seseque liberae Praesidium suorum dispositioni, penitus relinquentes, repraesentant. Hi enim horum instar animalium, oculis in unam Numinis supremi voluntatem defixis, parati stant ad eundem, quocunque impetus aut nutus iussionis Divinae impulerit, ante faciem suam rectè procedendo, ad id, quod imperatur; nec declinando ad dexteram vel sinistram, nec revertendo antè, quàm operi injuncto exactè praestito, coronidem imposuerint.

Quomodo igitur, more horum animalium, Religiosos, praesertim Societatis nostrae, oporteat esse. 1. plenos oculis. 2. Ad nutum obedientiae stare paratos. 3. Ambulare ante faciem suam ac simpliciter obedire. 4. Non reverti, sed Superiorum ordinationi se penitus conformare, dictione praesenti explanabimus.

I. *Quatuor animalia*, ab Ezechile conspecta, plena erant oculis, antè & retrò, intus & foris. Id est, ut Scripturae Divinae Interpretes commentantur, erant perspicacissimi, providentissimi & sapientissimi Angeli, intellectu & cognitione, naturali & supernaturali, in gubernatione mundi & Ecclesiae. Horum Cherubimorum instar Religiosi (in primis Societatis) sint quoque perspicaces, pleni oculis, intus & foris, ut seiplos probè cognoscant,

suas passiones, inclinationes, ac vitia intimè perspiciant, quò sese Superioribus, integrè manifestare valeant, illudque implere, quod praesens regula commemorat: *Nihil ei clausum, ne conscientiam quidem propriam tenendo*: Haec enim subditi manifestatio, & cognitio Superiori, omnino necessaria est, ad rectam subditi gubernationem ac directionem, ne illum Superior vel peccandi periculo exponat; vel supra, quàm vires ferant, oneret. Deinde verò praevia hanc manifestatione & cognitione; rursus Religiosi (Societatis) perspicaces sint pleni que oculis, non in caulis indagandis, cur hoc, illòve modo, de se disponatur, verùm in eo, ut intimè penetrent, firmissimèque teneant: quidquid re bene intellectà, & subditi personam probè cognitã Superior ordinaverit, esse ipsissimam Numinis supremi voluntatem; secundum illud certissimum aeternae veritatis effatum: *Qui vos audit, me audit. qui vos spernit, me spernit*, Lucae c. 10. Et secundum illud Apostoli: *Non est potestas nisi à Deo; quae autem à Deo sunt, ordinatae sunt. Itaque qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Rom. 13.

Hac duo proinde, tanquam obedientiae fundamenta Religiosis omnibus clarè cognoscenda, intimèque penetranda sunt: mirificè enim onus obedientiae alleviant & dulcorant.

II. Jacto hoc obedientiae fundamento, Religiosos, instar Cherubimorum praedictorum, paratos esse oportet ad nutum obedientiae, & pennas desuper extensas habere, quasi ad volatum expeditas. Aut instar Seraphimorum,

II.
Stet ex
panis
alis.

de quibus Isaias c. 6. *Seraphim stabant, volabant, clamabant. Stabant* quasi in procinctu, parati ad volandum, quocumque Majestas Divina mandasset. *Volabant*, binas alas agitabant, & instar avium grandiorum, ante volatum alas ter quaterve concutientium, quasi volaturiebant. Et *clamabant*, Deum laudando & consuetum trifagion cantando. Pari pacto Religiosi (Societatis) cognitâ Dei per Superiores voluntate, *stent* parati ad obediendum, *volent*, seu alas explacent, ad jussu peragendum, & *clament Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens: Sanctus* in judiciis suis, *Sanctus* in dispositionibus suis, *sanctus* in omnibus operibus suis, quidquid enim ipse per Prælatos nostros ordinaverit, non est, nisi bonum, justum, & sanctum; adeoque à nobis magnâ promptitudine exequendum. Hâc ratione, liberam sui & rerum suarum dispositionem Superiori relinquunt; nec directè vel indirectè per se vel alios urgeant, ut alium locum, aliud officium obtineant, aut quovis modo Superiorum dispositionem infringant. Nunquam sanè Religiosustranquillitate, quiete ac pace uberiore gaudet, quàm si totum se Prælatorum, Dei locum tenentium, arbitrio consignet.

Illustre hujus obedientiæ promptæ, ac resignationis perfectæ exemplum suggerit Historia Societatis p. 1. l. 2. n. 8. & 9. Ubi S. Ignatius occasione expeditionis Siciliæ, domesticorum obedientiam periclitaturus, jussit omnes & singulos in charta designare, num ad abeundum Romam in Siciliam, atque ad manendum,

mentis trutina in æquilibrio starent, indifferentiamque in se sentirent ad studia quævis, inferiora ac superiora tractandum, vel quosvis manuum opificio-rumque labores exercendum. Et ecce die conductâ, ad unum omnes, numero sex supra triginta, ad omnia itinera, non modò in Siciliam, verùm etiam ad Indos; ad omnia officia & ministeria, promptos sese paratòsque offerebant. Inter reliquos resignatio R. P. Petri Canisii emittitur, qui hæc, in charta exarata, exhibuit. Habitâ mecum deliberatione, super iis, quæ Reverendus in Christo pater meus & Præpositus Magister Ignatius proposuit; primùm, adjuvante Domino in utramvis partem æquè per omnia moveri me sentio, sive Domini hîc manere perpetuò jusserit; sive in Siciliam, Indiam, aut quovis aliò transmitterit. Tum in Siciliam si abeundum sit, simpliciter mihi gratissimum fore profiteor, quale quale injungatur officium, illic obeundum, etiam coci, hortulani, ostiarii, adjutoris, & in quavis disciplina, licet mihi ignota professoris: atque ab hoc ipso die, qui est quintus Februarii, sanctè voveo, sine omni respectu, me curaturum nihil in posterum, quod quidem ad habitationis, missionis, similisve commoditatis, meam modum ullum facere possè unquam videbitur. Relictâ semel ac semper ejuscemodî curâ, omnique sollicitudine, Patri meo in Christo Reverendo Præposito: cui sanè tam quoad animi, quàm corporis gubernationem, & intellectum ipsum ac voluntatem meam, per omnia, plenè subjicio, humiliter offero. fideliterque commendo in Jesu Christo Domini-

Domino nostro.
mactum, qu
dragemum.

Horum ex
iptorum, re
tionem, Sup
omnia parati
rum candens
fabri est arb
Alvarez legi
rà obediens
coruscabim
& salutis a
demus.

III. Te
in Cherubi
scriptumque
quodque co
batur. 9.
quodque co
labat. Ho
eedebant,
bantque a
declinando
sed rectâ.
aliud doce
locum &
finatum re
repugnand
meminit
ratione qu
eis cont
unionem
ti, atque
militis in
& progred
plici ment
Superiorum
nus, vere
greduntur,

Domino nostro. Anno octavo supra millesimum, quingentesimum, quadragagesimum.

Horum exemplo, liberam nostrorum, rerumque nostrarum dispositionem, Superiori relinquamus, ad omnia parati; non secus, atque ferrum candens è camino extractum in fabri est arbitrio, ut de P. Balthasare Alvarez legitur, in vita c. 1. Sic verà obedientiā ac resignationis virtute coruscabimus, aptaque Divinæ gloriæ & salutis animarum instrumenta evademus.

III. Tertium, quod ab Ezechiele in Cherubinis prædictis notatum, descriptumque legimus, est id: *Vnumquodque eorum coram facie sua gradiebat. 7. 9. Et ibidem 7. 12. Vnumquodque eorum coram facie sua ambulabat.* Hoc est, Cherubini hi rectā incedebant, quò mittebantur, pergebantque ad locum destinatum, non declinando ad dexteram, aut sinistram, sed rectā. Quid Genii isti cælestes nos aliud docent, quàm nobis quoque ad locum & officium ab obedientia destinatum rectā pergendam esse, non repugnando, ut S. Fundator in regula meminit, non contradicendo, nec ulà ratione iudicium proprium ipsius iudicio contrarium demonstrando; ut per unionem ejusdem sententia & voluntatis, atque per debitam submissionem, melius in Divino obsequio conserventur & progrediantur. Si sic humili & simplici mente nos totos libera Dei & Superiorum dispositioni committamus, verè in obsequio Divino progredimur, tutòque itinere ad æter-

nitatis felicitis metam properamus.

Hæc est via certa & secuta, de qua Deus Pater S. Catharinæ Senensi in Dialogis c. 163. revelavit dicens: *Religio est veluti navicula secuta, animarum ad perfectionem currere volentium, eas ad portum salutis æterna perducens tutissime.* Hæc est via recta & brevissima, compendiosissimaque ad cælum semita, quam, quisquis ingreditur, dicere de eo licet illud Sap. 14. 13. *Consummatus in brevi explevit temporamulta.* Atque ut hîc taceamus notiores, Dositheum, Aloysium, Stanislaum, Bergmannum; memorabile est de Religioso Ordinis S. Hieronymi, quod refert Petrus de Verga in Hist. sui Ordinis: Is à Sanctorum suorum Patronorum cætu glorioso visitatus, disertè edixit: *Dolore crucior, tam exiguos à me in religione exantlatos fuisse labores: verum ob amarum Domini mei passionem & crucem & religionis obedientiam, rectā ad cælum contendo.* Quibus dictis paulò post, gaudio ingenti delibutus & facie Angeli instar radiante, inter pias aspirationes, animam Deo reddidit. Hæc autem securitas innititur verbis Apostoli: *Obedite Præpositis vestris: ipsi enim pervigilant, quasi rationem reddenturi de animabus vestris.* Hebr. 13. 17. Denique hæc obedientiæ via, amena est & jucunda: S. Dorotheus de semetipso fassus est doct. 5. obedientiam tantæ sibi quietis & solatii fontem fuisse; ut dolens id, tanquam tentationem hanc, spiritus directori aperuerit, à quo acceperit: tranquillitatem hanc & amœnitatem animi,

proprium obedientiæ fructum esse. Obedientia quoque mirâ B. Aloysium iucunditate perfundeat, dum pendebat Religionem navi non absimilem esse; in qua propter obedientiam, non minores progressus facerent, qui otiosi sedent, quàm qui remigando desudant. *In vita ejus.* Ejusdem sententiæ fuisse legimus S. Ignatium, à quo R. P. Franciscus Costerus, tria in tyrociniis documenta se accepisse memorabat, quæ & ipse servare, & aliis pariter præscribere solitus fuit, ut nimirum animi demissionem & obedientiam cordi haberet; ita enim fore (quod erat tertium) ut perpetuâ animi pace ac lætitiâ potiretur. *Tannerus p. 523.* Neque id in vita duntaxat, verùm etiam in morte, ut expertus fuit R. P. Joannes Gerardinus Belga; qui in agone supremo rogatus, quid sentiret de obedientia? respondit: qui lætitiâ in agone sentire desiderat, se Superioribus obedientem, & ad omnia officia resignatum exhibeat. *Ex annis Anno 1786.* Igitur ante faciem suam quisque simpliciter gradiatur, viâ obedientiæ; & omnes dictos favores experietur.

IV.
Nec re-
vertatur.

IV. Quartum cherubici obedientiæ symboli punctum est: *Nec revertentur, cum incederent.* Ezech. c. 1. v. 12. Id est, rectâ viâ, ad jussu exequendum, pergebant, & quidem celeritate magnâ, *instar fulguris coruscantis*: non erant animalia hæc quaterna canibus similia, qui sæpius revertuntur, viamque eandem bis relegunt: sed quò impetus spiritus eos impellebat, celeritate ac

promptitudine mirâ properabant. Hoc loci tamen, dubium fortasse quis moveat, existimans, eundem Prophetam Ezechielem c. 4. v. 14. sibi contradicere, dum ait: *Animalia ibant & revertentur.* Verùm hæc sibi minimè repugnant, non enim redibant opere etiamnum imperfecto; sed eo absoluto, perfectoque revertentur; ut rursus se coram Throno Dei sisterent, paratæ, ad nova alia jussu excipienda ac pariter celeritate exequenda. Pari modo Religiosi (Societatis) ante opus aut officium expletum non revertantur, non interrumpant, non cessent, non differant jussu, sed integrè & celeriter, *instar fulguris coruscantis* procedant, & mandata perficiant; munere autem suo ritè absoluto, revertantur, ac denuò ad nova imperata capienda Superiori promptos, alacresque se sistant.

Quæ cum ita sint, Charissimi, instar quatuor ante laudatorum animalium, Ezechieli Prophetæ representatorum, 1. Simus pleni oculis, tum cognitione & manifestatione nostri, tum in perspicua intelligentia, Numinis supremi voluntatem esse, quidquid Superior ordinaverit. *Qui vos audit, me audit.* 2. Hoc innixi fundamento, pennas seu alas, tanquam volaturientes, explicemus, atque ad omne mandatum Prælati, imò & nutum parati, accinctique stemus. 3. Obtento autem obedientiæ signo, ambulemus simpliciter coram facie nostra, viâ designatâ, quæ tuta, compendiosa, ac jucunda est ad beatitudinis metam semita. 4. Nec revertamur, nisi opere ad amissum expleto,

ut

ut nova jussa capessamus. Hac ratione melius in obsequio Divino conservabimur, de virtute in virtutem progrediemur, & tandem cum veris obedientibus, ad patriam cælestem transmeabimus: ubi cum Seraphinis &

Cherubinis stabimus, volabimus, atque cantabimus latissimum trifagion:

Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens.

Amen.

REGULA XXXIII.

De Obedientia Charitatis.

EXHORTATIO

IN EANDEM,

Obedientiam charitatis, ejusque præstantiam explicat.

T H E M A.

Castificantes animas vestras in Obedientia charitatis.

I. Petri I. 22.

V E L:

In spiritu amoris, & non cum perturbatione timoris procedatur. Reg. 33.



Ecclesia, & Religio est Christi Domini sponsa, vestitu deaurato charitatis & virtutis omnigenæ varietate circumdata; ita tamen nobilissima virtutum indumenta ac cimelia Sponsus celestis partitus est; ut non omnes in om-

nibus, sed alia in hoc, in alio alia excelleret, aliisque palmam præriperet. Sic Religio S. Augustini in charitate & discretionem: S. Benedicti, in choro & Dei laude: S. Brunonis in abstinentia & solitudine: S. Domini in zelo & verbi Divini prædicatione: S. Francisci Seraphici in paupertate & rigore pœnitentiæ: S. Francisci de Paula, in jejuniis & animi demissione. Ordines militares in fortitudine.

tudine & magnanimitate pugnandi pro Ecclesia Dei & religione eminent. Sanctus autem Fundator noster in aurea sua epistola de obedientia, in omnibus quidem virtutibus Filios suos cupit excellere, sed potissimum in obedientiæ perfectione: idem in regula præsentem inculcatum voluit, dum ait: *Omnes obedientiam plurimum observare, & in ea excellere studeant; ut ea velut signo distinctivo, quodammodo ab aliis discriminemur. Excellentiam verò & perfectionem illam, in eo collocat. Ut non solum in obligatoriis, verùm etiam in aliis non obligantibus, nec solum in expressò præceptis, verùm etiam nutu indicatis; pareamus, & in spiritu amoris, non autem cum perturbatione timoris, procedamus: Mediùmque ad ista efficax assignat: Versari debet ob oculos, Deus Creator & Dominus noster: propter quem homini obedientia præstatur.* Omnia autem illa verbo complectemur, si eam quam à nobis exigit, obedientiam charitatis vocitemus, ad quam Princeps Apostolorum hortatur: *Castificantes animas vestras in obedientia charitatis, l. c.* Id est, purificantes corda vestra per obedientiam, quæ ex motivo, impulsuque charitatis procedat. Quare quidnam sit hæc charitatis obedientia, & quamobrem in Societate nostra, imprimis locum habere debeat, modò exponemus.

I.
Quid sit
obedien-
tia chari-
tatis.

I. Quisquis rescire, ac penetrare aver, quid nam sit excellens illa obedientia, de qua diximus, seu obedientia charitatis; nullo negotio, id perspexerit, si prius apprehenderit, quid nam

sit obedientia spei & timoris: longissimè enim virtutum harum indoles inter sese dissident. Quid igitur est obedientia timoris servilis? Illa nimirum quæ quis Præsidi suo parer, ne ab eo monitis, reprehensionibus, aut pœnis castigetur; quemadmodum servus aut mancipium Hero suo obtemperat. Atque hæc est obedientia necessitatis, non charitatis. Obedientia spei est, cum quis eo solum sine Domino aut Principi suo obsequitur; ut ab eo commendetur, laudibus efferatur, donis ac præmiis remuneretur, aut ad munus honoratius evehatur. Atque hæc est obedientia mercenariorum, aut ambitione, superbiâque laborantium; non charitate ferventium. Obedientia verò charitatis est, quæ nec ob pœnæ timorem, nec ob mercedis, præsertim temporalis, retributionem; sed purè propter Deum, quem amore filiali prosequimur, Præsidibus nostris obtemperamus. Atque hæc est excellens illa *Obedientia charitatis*, quæ intra utramque prædictam se collocans, utramque exterminat. De ea loquitur S. Evangelista Joannes: *Perfecta charitas foras mittit timorem* 1. Epist. 4. 18. Hæc quoque nomen meretur obedientiæ filialis, quæ, tanquam filii ingenui ac dilecti parentibus, ita nos Superioribus obedientiam exhibemus.

Admirabile hujus filialis erga Deum & Parentem obedientiæ exemplum præbuit sanctus Patriarcha Isaac, dum usque ad mortem, promptum sese, obsequentemque Patri suo Abraham exhibuit. Gen. 22. 10. unde licet mortem evaserit, inter Martyres tamen, à quibusdam

DE
quibusdam
dientia virt
rit. Hero
charitatis,
scilicet &
huc alios
amore de
vix om
tia, quat
conscien
certissim
animam
S. Chr
Ingens
nem hu
tem)
tum pa
pueri o
charus
cessit &
siebant
per al
dexter
Al
em plu
angeli
tris; e
ardent
nucam
Angel
entes
com
ti pi
effici
per
juxta
rius,
Pial. 1
Ter
mum,

quibusdam recensetur, ut qui pro obedientiæ virtute, vitam gladio subjecerit. Heroica sanè hæc fuit obedientia charitatis, dum in flore ætatis, quinto scilicet & vicesimo vitæ anno, cum adhuc alios centum sperare potuisset, amore dei, se morti obtulit, spemque vitæ omnem præcidit: rara obedientia, quando à patre ligari voluit, aram conscendit, cervicem obtulit, idem certissimum, expectavit. *O religiosam animam! O fortem mentem!* exclamat S. Chrysostomus hom. 48. in gen. O ingens robur animi! O rationem, omnem humanæ naturæ affectum, vincen-tem! utrum admirer, fortemne spiritum patriarchæ, an tam constantem pueri obedientiam? quod neque reluctatus est, nec factum ægre tulit; sed cessit & obtemperavit iis, quæ à patre fiebant, & sicut agnus cum silentio super altare decubuit, expectans patris dexteram.

Alterum obedientiæ charitatis exemplum nobis suppeditant spiritus angelici, qui semper vident faciem patris; ex qua visione, necessariò amor ardentissimus oritur, quo impulsus, ad nutum divinæ voluntati obsecundant. Angeli enim sunt *potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum ejus.* Psal. 102. Hinc alati pinguntur & ignei, quia celerrimè & efficacissimè igneo amore succensi, permoti que Dei iussa exequentur, juxta illud: *Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis.* Psal. 103. 4.

Tertium, idque omnium nobilissimum, obedientiæ charitatis exem-

plum, offert nobis Redemptor noster Christus; qui rem summè arduam, passionem scilicet suam auspicaturus, ex obedientia charitatis, eandem maximo spiritu, animoque generosissimo aggressus est; unde dicebat: *Ut cognoscat mundus, quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic factum est; surgite eamus hinc.* Joan. 14. 31.

Quartum exemplum præbent primi Christiani, Christi exemplum secuti, quos S. Petrus 1. Pet. 1. 14. vocat filios obedientiæ, dum ait: *Quasi filii obedientiæ.* Tancquam si diceret; state succincti lumbos & expediti, ut decet filios obedientiæ, Christi & Apostolorum præceptis obedentes, Ubi S. Petrus exigit obedientiam à fidelibus, non qualem qualem, sed filialem, ex amore & reverentia filiali, siue *Obedientiam charitatis.* Deinde *Filii obedientiæ*, planè dediti & addicti obedientiæ, ut ex ea quasi matre geniti, obedientiæ indolem ac naturam hausisse atque imbibisse videamini. Denique *Filii obedientiæ*, quasi penitus devoti & consecrati obedientiæ. Et revera tales erant primi Christiani, qui votum & professionem obedientiæ Apostolis ediderant, ut ostendit Cornelius à Lapide in c. 5. 7. Actorum. Adeo que sicut vocantur filii perditionis, incredulitatis, diffidentiae, iræ, mortis & gehennæ, qui perditioni, incredulitati, diffidentiae, vindictæ, morti & gehennæ addicti sunt; ita dediti filiali obedientiæ charitatis, filii obedientiæ ab Apostolo nuncupantur.

Hujus igitur, Charissimi, obedientiæ

filialis desiderium exitemus, ut non metu pœnæ, ut servi; non spe mercedis, ut mercenarii; sed impulsu charitatis, ut filii; ad Dei & Superiorum voluntatem inclinemur.

II,
Societati
præcipue
conveni-
ens.

II. Ratio autem, quare hæc obedientia charitatis, ad eò hominibus Societatis, omnibus & singulis sit necessaria, præcipua est; quia hæc duæ virtutes seorsim à nobis valde in Societate exiguntur; ergo etiam conjunctæ. Quod autem seorsim exigatur obedientia, patet: nam in primis S. Patriarcha noster in aurea epistola de obedientia, disertis verbis id palàm facit, dum cupit, ut obedientiâ perfectissimâ, velut caractere & signo distinctivo ab aliis Ordinibus discernamur, quemadmodum milites vexillo, colore aut baltheo dignoscuntur. Deinde ipsum etiam vocabulum *Societas* satis id arguit; hoc enim militare est vocabulum (militiæ enim cohortes compagiæ dicuntur, quo etiam nomine, in Gallia Societas appellatur) scimus autem quàm rigida, quàm exacta, inter milites, obedientia vigere debeat, quàmque ingentia oriantur damna & pericula, si ea jaceat.

Deinde seorsim exigitur charitas singulari modo à nobis, ut ex variis patet: nam 1. Statim initio Constitutionum monet S. Pater noster, charitatis legem, quam Spiritus Sanctus cordibus nostris inscribere solet, adiuturam, ut Societas nostra conservetur, gubernetur & promoveatur. 2. Diversis Constitutionum locis sancit legem charitatis, ut p. 3. c. 1. §. 18. *Unio & conformitas nostra diligentissimè curan-*

*da, nec quæ ei adversantur, permit-
tenda, quoniam in vicem fraternæ cha-
ritatis vinculo, melius & efficacius pos-
sint se Divino obsequio & auxilio pro-
ximorum impendere.* Et meritò sanè: Si enim omnibus Christi fidelibus 1. Corinth. 16. 13. dicitur; *Omnia vestra in charitate fiant.* Et ad Coloss. 3. 4. *Super omnia autem hæc, charitatem habete, quod est vinculum perfectionis.* Et illud 1. Petri 4. 8. *Ante omnia autem mutuam in vobismet ipsis charitatem continuam habentes.* Quantò magis hæc à Religiosis requiruntur, qui vinculo peculiari unius ejusdemque regulæ, seu normæ vivendi, tum in exterioribus, tum in interioribus, colligati sunt?

Et quamvis hæc omnibus Religiosis Ordinibus propria esse debeant, magis tamen, haud dubiè, Societati JESU; est enim hæc, ut suprâ meminimus, militari vocabulo insignita, ad innuendum ei; quod bonum certamen & pro sua & pro aliorum salute, certare debeat: scimus autem quòd sub vexillo militari, magna animorum consensio, magna Ducum benevolentia, magna inter omnes pax, ad bellum feliciter gerendum necessaria sit; quanta ergo pax, concordia, benevolentia & charitas inter nos necessaria erit, ad longè majus, periculosiusque bellum, quod contra Mundum, carnem & dæmonem bellandum susceptus, feliciter conficiendum?

III. Quemadmodum verò hæc obedientia charitatis à primordio semper in Societate floruit, atque etiamnum viget; ita spiritus ille charitatis ex
Instituto

III.
Et semper
ulicata,

Instituto no
forendus à
Sanè cum
à S. P. I.
& Lustrat
explicat
ardore
um alie
dam vi
alacres
regula
acti ju
laus,
nuntin
fictio
2, Co
get no
in om
per se
cialer
exhib
elle n
Nam
16, S
repe
habe
I
taris,
cellin
ardu
nie
&
dis
pu
cio
Soc
ex E
verb
dilig
quid

Instituto nostro promanans, assidue fovendus à nobis est, & conservandus. Sanè cum R. P. Hieronymus Natalis à S. P. Ignatio missus, per Hispaniam & Lusitaniam, Constitutiones nostras explicaret, mirum ubique excitavit ardorem; adeò ut cum quis Collegium aliquod intraret, videret interdum viros graves & ætatis provectæ, alacres & festinantes ad omnia, quæ regula injungit, currere; haud secus, ac si juvenes essent. Præclara certè laus, quam hodieque tam multi generum Societatis Filii æmulari student, factoque ipso veluti loquuntur illud 2. Corinth. 5. 14. *Charitas Christi urget nos.* Adeò promptos, lætos, alacres in omnibus Superiorum mandatis, seu per seiplos, seu per subordinatos Officiales deantientur, exequendis, se exhibent. Nimirum caritas otiosa esse nequit; & quia igni assimilatur: *Nunquam dicit, sufficit.* Proverb. 30. 16. Sed ubicunque pabulum aliquod reperit, esto solum Superioris nurum habeat, huc se illico vertit.

De hoc in Societate, spiritu charitatis, ut quam plurima omittamus, testimonium luculentum præbuit Ruardus Tapperus Universitatis Lovaniensis Cancellarius, Vir sanè gravis & doctus, qui Patris Adriani ab Adriani professionem solennem excepit, in laudem Societatis pro concione dixit; ut videre est tom. 1. Hist. Soc. L. II. n. 43. Propositis namque ex Evangelio S. Joannis c. 13. Christi verbis: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* Primò quidem ante sacrum, latinè, deinde

verò post Sacrum, ut frequentissimè multitudini inserviret, linguà vernaculà, studio sensuque animi maximo: In lege, inquit, veteri, carnalibus, rudibusque Judæis mandatum fuit: *Diliges proximum tuum, sicut teipsum.* At in nova, uti S. Cyrillus in Joannem exponit, jubentur discipuli diligere proximum supra seiplos: nempe sicut Christus dilexit nos; atqui Christus longè magis dilexit nos, quàm ipsimet diligamus nos. Tum ad Societatem transiens, id est, inquit, quod hæc sancta & nova JESU Societas præstare studet; hoc ejus filiis propositum est, ex hoc novo Christi mandato, nihil charitate fraternâ prius habere, sui nullam rationem ducere, seiplos exinanire, totos se ad honorem Dei & salutem proximorum effundere, quemvis laborem, quodvis delictum subire, denique vitam ipsam, pro Christo & animarum salute contemnere: novus, inauditusque modus charitatis, quem Christus ex hoc mundo transurus ad Patrem commendavit suis. Postremò ita concludit: Hoc ergo novum mandatum pro fundamento & radice, sancta hæc Societas habet: qui enim se ei mancipant, non uni cupiam, ut aliæ religiose familiæ, charitatis officio se dedican; sed planè omnibus, ad quæcunque loca, ad quæcunque oras terrarum mittantur.

Præstans sanè Societatis elogium, cujus summam, Scriptor historiæ se monet proferre, tum ut extet benevolentie tanti Viri erga Ordinem nostrum monumentum: tum ut ex eo

posterl, quales esse debeant, aut certè
cujusmodi Institutum profiteantur,
agnoscant.

Magna ergo planè, ut ante diceba-
mus, à nobis exigitur scorsim & obedi-
entia & charitas: sed S. Pater noster
vult hæc quasi copulare; imò alterum
ab altero veluti pendere, & in alteru-
trum influere; ut & charitas sit obedi-
entia, & obedientia charitatis. Tunc
est charitas obedientia, quando chari-
tatem, quam vel fratribus domesticis,
vel externis exhibeo, ex præscripto
obedientia exerceo, tunc est obedi-
entia charitatis, quando ex charitate mo-
veor ad obediendum: Unde sicut
quando dico, equus petri, ostendo Pe-
trum esse dominum equi; sic cum dico,
charitas obedientia, vel contra, obedi-
entia charitatis, ostendo obedientiam
veluti dominam imperare charitati,
vel contra charitatem obedientia.
Quamquam autem utraque phrasis pro-
pria est, & charitas obedientia, & obedi-
entia charitatis, posterior tamen,
quæ à S. Petro usurpatur, maximè pro-
pria est: si quidem cum charitas est re-
gina omnium virtutum, ejus est con-

tinere, possidere, dominari virtutibus,
non obedientia solum, sed etiam om-
nibus. Unde hanc obedientiam S. Pa-
ter noster à nobis requirit 3. p. c. 1. §. 26.
*ut placeamus divine bonitati propter
seipsam & propter charitatem, & exi-
mia beneficia, quibus prævenit nos, poti-
ùs quàm ob timorem pœnarum. vel spe-
m præmiorum.* Ubi procul dubio idem
cupit, cum Vicariis Dei, id est, supe-
rioribus obedimus.

Quapropter, cum hæc obedientia
charitatis 1. aded sit præstans, variè in
antiqua & nova lege à Christo & Apo-
stolis, primisque Christianis, verbis &
exemplis probatâ. 2. deinde societati
aded conveniens & necessaria, sine qua
nec pro sua, nec pro salute proximi
pugnare aut triumphare valeat. 3. Deni-
que assidua praxi usitata ab initio in
Societate fuerit; omni studio, industriâ-
que in eam incumbendum erit, ut char-
ritas tanquam regina virtutum, om-
nibus, uti cæteris, ita & obedientia
nostræ imperet: hæc ratione in hac vir-
tute, Societatis proprio charactere,
& distinctivâ tessera, vel maxi-
mè excellemus.



REGULA



REGULA XXXIV.

De Obedientia prompta.

EXHORTATIO

IN REGULAM XXXIV. SUMMARI.

De Obedientia prompta.

T H E M A.

Dico huic, vade & vadit. Lucae 7. 8.

V E L

*Ad Superioris vocem, tanquam si à Christo Domino egredere-
tur, quàm promptissimi simus.* Reg. 34.

Uis unquam castra vidit, quæ ad imperium Dei moverentur & starent? tentoria figerent & refererent? quæ Angelum columnamque ducem haberent? Gen. 32. *Castra Dei sunt hæc*, ait Jacob Angelos videns. Similem in modum nos de Israelitis dicere possumus, *Castra Dei sunt hæc*, quæ Deo viæ ducem movente & stant, quæque Deo juvante bella gerunt. Sed *Castra hæc vetera*, adumbrant nova & præstantiora, nempe castra Ecclesiæ toto orbe diffusa: quæ quidem si quis atten è consideret, exclamabit; *Castra Dei sunt hæc*. Dei enim

imperio in hoc orbe terrarum locata sunt, Dei imperio reguntur, Dei mandatis moventur & stant, Dei columnam habent, quam sequantur. In hac Ecclesia quot sunt Ordines religiosi, tot sunt castra partialia, vexillis, coloribus & tentoriis distincta, quæ tamen omnia & singula, quia per Angelos id est, Superiores Dei Vicarios reguntur, moventur & stant, quiescunt & pugnant: *Castra Dei sunt hæc*: quæ peculiari ratione contra carnem, mundum ac Dæmonem depræliantur. *Non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed adversus Principes & potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritalia ne-*

quittia in caelestibus. Ad Ephes. 6. Ut castra hæc feliciter pugnent & victoriam reportent, præter concordiam & fortitudinem, vel maximè illis opus est obedientiâ promptâ; ut Superiorum suorum voce, tanquam Dei Viciorum, moveantur aut stent. pugnent aut cessent. *Vir obediens loquetur victorias.* Proverb. 21. 28. Necessè est igitur ut militaris obedientia in eis vigeat, id est prompta, quam centurio Evangelicus in suis experiebat militibus; *Dico huic: vade & vadit; & alii, veni & venit.*

Quàm necessaria sit cuiusvis Ordini & vel maximè Societati nostræ, prompta hæc obedientia, exhortatione præsentè exponemus.

I.
Obediencia
prompta.

I. Singularem prætulit obedientiam, miles Gedeonis, qui in omnibus exactè paruit, adeoque Dei ope admirabilem victoriam retulit. *Judic. c. 7.* Numerabat sub signis Gedeon ultra viginti duo millia; sed formidolosos ad duodecies mille abire iussit; *Dico vade & vadit.* Remanserunt decem millia. Sed Deo asserente *adhuc populum esse nimium*, iussi sunt seligi, qui curvatis genibus biberent à Aamine, quorum numerati trecenti, reliqui canum more, proni lambentes aquas, remissi ad tentoria: & *Dico vade & vadit.* Secuti igitur trecenti Gedeonem, pugnaturi contra Madian & Amalec, qui jacebant in valle sua, ut locustarum multitudo innumerabilis. Nec tamen trepidant, nec retrocedunt; *Dico huic vade & vadit.* Iussit illos manu alterâ tubam, alterâ lampadem in lagena testacea clausam præ-

ferre, & contra hostem procedere. Nemo insolitum armorum genus admiratur, nemo cunctatur, nemo contradicit: dico *Fac hoc & facit.* Sed quid? *Quod me videritis facere, facite.* L. c. Tubas inflate, lagenas complodite & confringite, & clamate, *Domino & Gedeoni.* Clanxerunt buccinis, confregerunt hydrias, clamaverunt, hostes terrefecerunt, fugarunt, & devicerunt. Hæc est obedientia militaris, quæ victoriam reportat: *Vir obediens loquetur victorias.* Ejusmodi prompta obedientia, omnino militibus est necessaria, nisi sterni, vinci que cupiant. Nam *Et ego*, inquebat Centurio Evangelicus, *homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites:* Ego sum homo sub potestate, seu in potestate constitutus, aut sub potestate altiore, Ducis, Regis aut Imperatoris, habens sub me milites centum; & *Dico huic: vade & vadit.* Si dixerò vade in campum, vadit; vade ex illa civitate, ex illo præsidio in aliud, vadit; vade ad prælium, perge ad assaultum, vadit; ut obedientia militaris exigit.

Ordo religiosus, & in primis minima Societas nostra exercitus volans est, sub labaro Crucis Christi militans, & pro regno Christi dilatando, propagando que decertans; in quo prompta, imò promptissima requiritur obedientia; quam S. Fundator 34. regula expressit hisce verbis: *Ad Superioris vocem, tanquam si à Christo Domino egrederetur, quàm promptissimi simus.* Et quemadmodum nemo militum, accepto Ducis aut Centu-

riouis

tionis mandato, causas inquit; ita & nos obrento Superioris imperio, nequaquam indagemus, causas aut rationes, cur nos & non alii mittantur, cur hoc illudve demandetur; sed exemplo, promptè, alacriter ac celeriter pareamus, quia mandatum est: *Vade & vadit, fac hoc & facit.* Obedientia enim, ut docet S. Bonaventura tom. 1. in centiloq. p. 3. lect. 44. est *virtus, quâ inclinamur ad faciendum mandatum Superioris, ut, vel quia mandatum est.*

Promptam hujusmodi obedientiam declaravit S. Ignatius, ut refert Lyræus L. 2. apoph. 14. Dum dixit Operarios Societatis, altero tantum pede terræ insistere, altero ad iter suscipiendum elevato, esse debere. Et Pater noster Golvvinus, decimus Societatis præpositus Generalis Epist. 1. inquit; instituti nostri ac viæ ratio postulat, ut, quod de S. Paulo ait Chrysostomus, tanquam pennati, totum pervolitare orbem parati simus. Non secus atque Patriarcha Joseph Gen. 37. ad vocem Patris sui Jacob, promptissimus extitit: missus enim ad Fratres suos, à quibus odio habebatur, & incommodum metuere poterat, mox tamen respondit: *Præsto sum*, & quantocyus pertexit. Idem incumbit præstandum nobis, ut cum Propheta, Si interrogemur, *Quem missam?* illico respondeamus. *Ecce ego, mitte me.* Isaïæ 6. 8. *Bonus obediens*, ait S. Bonaventura in speculo c. 4. *verbum non expectat, ubi de voluntate Superioris consisterit.* Qui cito dat, bis dat, qui cito injuncta facit, bis facit, qui lentè facit, imperfectè

facit. *Fidelis obediens*, inquit Doctor Mellifluus, *nescit moras, fugit crastinum, ignorat tarditatem, præcipit præcipientem: statim parat oculos visus, aures auditivi, linguam vocis, manus operi, pedes itinervi.*

Promptam illam obediendi celeritatem, uno alterove exemplo, à nostris, nobis præbito declaremus; nec defunt in aliis Ordinibus similia. Tradidit Andreas Oviedus, Abissinis deinde datus Patriarcha de V. P. Petro Fabro primo de denis S. Ignatii Socio. Is cum jussus esset ab Ignatio tunc Societatis Præposito Generali, Neapoli Romam redire, summis caloribus qui cælum Romanum primò subeuntibus pestiferum reddunt. Hanc profectonem dissuadebant amici, ipsique etiam medici, monebantque ut cunctaretur paululum, dum pluvix æstus frangerent; nihilominus constanter ire perrexit, adjiciens illud, dignum posteris: *Homini religioso obedire est necesse; vivere non est necesse.* Dixit, paruit, ivit, & simul obedire ac simul vivere desiit. Verum non dissimulavit è beata cæli regione, palam facere, quæ ab hac obedientia consecutus esset præmia: se enim videndum obtulit amico cuidam, beatâ luce collucentem, docuitque obedientiam illam, quæ mortali noxia fuerat, proficuum sibi immortali fuisse, magnæ gloriæ & felicitatis accessorie, quam scilicet unam spectabant, & qui imperabat, & qui parebat. Lobbet, Tr. de Obed. q. 1.

Alterum obedientiæ promptæ exemplum nobis exhibuit V. P. Gonçalvus Sylveria, ut natalibus illustris sic

fic & illustrior effuso pro Christo sanguine. Hic acceptis à Rectore Connimbricensi literis, quibus ex Urbe Portuensi jubebatur quàm primùm Connimbricam redire, repente se pedibus in viam dedit, nihil moratus socium, aliòsque viros graves, qui tantulam moram suadebant, dum calcanei festinatò refarcirentur; aiebat enim, obedientiam non pati moram, multùm referre, quàm citò fiat, quod præcipitur, cum in his quæ ad obedientiam pertinent, non hora, sed etiam horæ pars exigua, magnum sæpe detrimentum virtuti afferat. Denique ut in conferendis beneficiis, ita in exequendis Superiorum mandatis, quantum adjicitur moræ, tantum demi gratiæ. Dixit & paruit, hyemæque perfrigidâ atque humidâ, nullâ penitùs interpositâ morâ, iter arripuit, & quidem, quod miròre, nudis pedibus, sicque aquâ & luto perfusus, post dies aliquot Connimbricam venit, omnèsque attonitos habuit tam singularis & promptæ obedientiæ exemplo. *Alegambe in ejus gestis & morte c. 23,*

Horum exemplo, *Ad Superioris vocem quàm promptissimè simus*, more militari, *Vado & vadit*, camus cum Gedeone ad pugnam, prompti, & alacres, si Instanda tuba, id est dicendum pro concione, pareamus, si hydria complodenda & confriagenda, id est, nonnulla mortificatio subeunda, pareamus. Si aliò migrandum, tempore æstivo, aut brumali, licet non absque incommodo, pareamus, & quidem sine mora, vox enim Superioris vox Dei est.

II. Quàm verò prompta requiratur obedientia in Religiosis, quoad modum & celeritatem, rursum docet disciplina militaris, quæ opus inchoatum, nec perfectum ab affectis suis reposcit. Versetur miles in medio lusu, & tuba ad arma clangat & militem convocet, illico aleas, chartasque projiciat, oportet; ut quantocyus in cohorte & ordine suo compareat. Occupetur refectio corporis, famémque ex parte duntaxat expleverit, resonetque ad arma tympanum; mox cibo relicto arma corripit, & in acie hosti oppositâ se sistet. Quæ de causa, ut scribit Plutarchus in apophtheg. Rom. Scipio minor edixit, ut milites stantes pranderent, & obsonium sumerent, ut eò promptiùs, si causis ingrueret, ad arma proficere valerent. In pelle aprina recumbat, & somnum capiat miles, simulque clametur: hostis adest, ad arma miles: extemplo somnum rumpet, armis se accinget & vel media nocte in campum prodibit. Videre est id ipsum in militibus Gedeonis, qui jussu ducis sui, in vigiliis media nocte surrexerunt & hostem aggressi sunt. Judic. 7. Quemadmodum verò dato signo ad arma procurandum est, ita quoque signo ad receptum audito mox, cessandum est militi, gladiusque in vaginam recondendus, L. 2. Regum c. 18. 16. *Cecinit Joab buccinâ & retinuit populum, ne persequeretur fugientem Israël, volens parcere multitudini.* Quo in genere promptissimè, ad admirationem obtemperavit Chrysantha miles, de quo Xenophon

II.
Obedientia
ad literam.

Xenophon L. 4.
let, quod cum
stem esset perc
cepui canent
illelo placide
Militem pr
ritate parend
seu Religio
amore, suig
quàm celerit
sele confert
relicto; qu
nec absolut
am suis filii
in regula s
tatis gradus
quam deus
mox exoco
bant, impe
obedientia
fuis sequant
dientiam
Bonaventur
inquit; Pe
perfecta re
ad stipulat
tius; qui
34. Litera
scribendur
aris camp
evocet,
ut literar
Quis
parendi e
etioris
gradus ac
xermitate
grata Deo
tia accidat

Xenophon L. 4. de Lyric. def. recen-
set, quod cum elatâ jam bipenni ho-
stem esset percussurus, ut tubam re-
ceptui canentem audivit, ab hoste
illâ solo placidè & composîtè recessit.

Militem profanum, meritò in cele-
ritate parendi vincat miles spiritualis
seu Religiosus, quem perfectionis
amore, sui que vincendi studio, decet,
quàm celeritè ad id, quò accersitur,
sele conferre, opere etiam imperfecto
relictò; quin & caractere inchoato,
nec absoluto. Hujusmodi obedientiam
suis filiis præscripsit S. Benedictus
in regula 5. ubi ait: primus humili-
tatis gradus est, *Obediencia sine mora*:
quam deinde explicat: nimirum, *Ut
mox exoccupatis manibus, & quod age-
bant, imperfectum relinquentes, vicino
obediencia pede, jubentis vocem, fa-
ctis sequantur.* Similem quoque obe-
dientiam à Tyronibus suis exigit S.
Bonaventura in spec. Novit. c. 4. Ubi
inquit: *Perfecta obediencia, sua im-
perfecta relinquat.* His aliisque Sanctis
adstipulatur S. Fundator noster Igna-
tius, qui obedire nos vult, regulâ
34. *Literâ imperfectâ relictâ*: ut si inter
scribendum vel vox Superioris, vel
æris campani sonus ad quidpiam re-
evocet, tantâ promptitudine pareas,
ut literam inchoatâ non perficias.

Quis verò recenscat, quot, istâ
parendi methodo, Religiosus sui vi-
ctorias reporter? quot meritorum
gradus acquirat? quot coronas, pro
æternitate, in cælo sibi fabricet? quàm
grata Deo ejusmodi celeris obediencia
accidat? Sanè de veteribus cæno-

bitis narrat Cassianus, obedientiam
celerem, unicè ipsis cordi fuisse: ut
si quis, inquit, opus Scriptoris exer-
ceret, quam repertus fuerit inchoasse
literam, finire non audeat, sed in eo-
dem puncto, quoad aures ejus pul-
santis sonitus advenerit, summâ ve-
locitate prosiliens, ne tantum qui-
dem moræ interponat, quantum cæ-
pti apicis consummet effigiem, sed
imperfectam literæ lineam relin-
quens. L. 4. de Instit.

Mirum est, quod in vita S. Bernardi
de eo legitur. Dum enim is altior
emineret in ipso orationis actu, à se
ipso exiit, & in illo mentis excessu
JESUM vidit, ejusque aspectu &
colloquiis mirè recreatus est: sed ecce
dum his fruitur, importunus appellit
ad aures, campanæ domesticæ soni-
tus, atque ad everrendam domum
evocat. Quid hîc Bernardus? abire à
suavissimo JESU, à suis amoribus
& deliciis? id enim verò grave ac du-
rum: non abire, evocante campanâ,
ceu Superioris linguâ, etiam nefas.
Abit illico Bernardus, sed non abit
JESUS: ubi enim mandatâ scopis
domo ad cellam suam rediit, JESUM
reperit, adhuc eodem hærentem ve-
stigio, audiitque illud à Christo:
Nisi abiisses Bernarde, ego abiissem.
Ita nimirum inobedientes deserit op-
timus Salvator, & obedientibus con-
stanter adhæret.

Sic adhæsit quoque S. Ludgardî;
hæc enim cum Christi colloquiis &
sæpiùs & familiariùs uteretur, si
quando obediencia aliò vocâsser,

candidè solita dicere : *Exspecta me hic, Domine JESU, ubi me expediero, celeriter revertar.* Et verò expectabat JESUS, ad eò amans erat & patiens obedientiæ.

Celerem hanc nos imitari par est obedientiam : ut sive vocemur ad laborem, sive ad recreationem, sive ad meditationem, sive ad mensam, sive ad examen, sive ad lectionem spiritualem, vel literam imperfectam relictam, auspicemur id, ad quod accersimur. Fundamentum & ratio omnium est, ut Superioris vocem, tanquam si ex ore Christi egrederetur, intueamur.

Quapropter, Charissimi, cum in castris Dei, & Christi Domini militia, nos esse agnoscamus & profiteamur; militarem, id est, promptam celeremque obedientiam amulemur.

1. Quod Gedeonem, quod milites facere cernimus, & nos faciamus, *Dico huic vade & vadit.* Quocunque

nos obedientia ablegaverit, protinus properemus, tanquam alati voiemus, tanquam uno duntaxat pede terræ innixi, altero elevato, iter auspicemur, tametsi difficile esse videatur, exemplo V. P. Petri Fabri & Gonsalvi Sylveria. *Ad omnia, que mittam te, ibis, respondebimusque: Præsum: Ecce ego, mitte me.* 2. Obedientiam ad literam, præstemus; Dei vox est quæ te evocat, surge velociter, promptè sequere vocantem: idque non solum, cum ad alia loca obedientiæ ductu proficiscendum est, verum etiam in operibus quotidianis, assuecamus à tyrociniî limine celeritatem & promptitudinem obedientiæ, hæc enim ratione, plurimas imperfectiones evitabimus; plurimas mortificationes exercebimus, plurimisque meriti, gratiæ & gloriæ gradus nobis in cælo comparabimus.





REGULA XXXV.
DE OBEDIENTIA COECA.
EXHORTATIO
IN REGULAM XXXV.
Explicat obedientiam cœcam.

T H E M A.

Surrexit autem Saulus de terra, apertisque oculis nihil videbat. Act. 9. 8.

V E L:

Omnia sententia & iudicium nostrum contrarium cœcâ quadam obedientiâ abneganda. Reg. 35.



Obedienciæ cœcæ, à Sanctis Basilio, Benedicto, Bernardo, Climaco, Bonaventura, Laurentio Justiniano, Dorotheo, aliisque Patribus, tantopere commendatæ, normam & formam præclarissimam, S. Apostolus Paulus nobis exhibet Act. 9. Is enim in itinere Damascum versus, subitâ luce circumfulgente, quasi fulmine ictus, in terram prostratus, cœcitate percussus, apertisque oculis nihil videns exclamabat: *Domine quid me vis facere?* cœca enim obedientia, nihil aliud novit proferre, quàm hoc unum: *Domine quid me*

vis facere. Hæc Apostoli verba expendens S. Bernardus serm. de Convers. S. Pauli, in hæc voces erumpit: *O verbum breve! sed plenum, sed vivum, sed efficax, sed dignum omni acceptione: Domine quid me vis facere?* Ad hujus Apostoli imitationem, quilibet religiosus, & in primis de Societate, qui vitam profitetur Apostolicam; bina ista in Gentium Doctore æmuletur. 1. Ut in Superiorum suorum jussis, oculos apertos gerat. 2. Ut sit cœcus & nihil videns, & in omnibus imperiis id unum dicat: *Domine quid me vis facere?* Quo autem pacto, hæc duo combinanda sint, & præstanda, in præsentiarum declarabimus.

I. Primum ad obedientiam cœcam & simplicem, requisitum, est, oculis esse

I.
Obediens
sic apertis
oculis &
videns.

R r r z

esse

esse apertis; ut erat Saulus; non igitur penitus sit cæcus, verus obediens; sed in quibusdam oculis sit apertis: nam 1. Intueatur & cognoscat, necesse est personam Superioris mandantis, noveritque eundem sibi à Deo assignatum esse, tanquam suum Vicarium, cujus verba, ceu oracula, ab ipso edita, respiciat atque excipiat. Deinde apertis sit oculis, ac probè perspiciat Superiorem à Deo sibi submissum esse tanquam Rectorem, Ducem, Gubernatorem, & Patrem, cujus ope, Divina Providentia ipsum regere atque ad beatitudinem æternam deducere cupiat; adeoque certò sibi persuadeat, Superiorem vivum esse Numinis supremi instrumentum, quo mediante ipsum moveat, huic illive muneri, vel operi applicet, & ad utilitatem obediens verba & jussa inspiret, suggerat, ordinet aut permittat. 2. *Apertis oculis* rectè cognoscat, quid jubeatur, aut mandetur, pro meliore executione: sin' ulque videat, non esse peccato obnoxium, quod præcipitur; sed licitum & honestum: si enim manifestè cum peccato junctum foret, minimè parendum esset veluti Apostolorum Princeps tradit: *Oportet Deo magis obedire, quàm hominibus, Act. 5. 29. 3. Apertis oculis* cernat, obediens motivum, scilicet voluntatem divinam: ad alias autem causas, rationesque investigandas oculos non aperiat, sed claudat.

Tria verò ista *oculis apertis* intueri discat à Saulo, prostrato & cæcutiente; is enim 1. Mandantis personam cognovit: Audiens enim allapsam è

cælo vocem: *Saule, Saule, quid me persequeris?* illico reposuit: *Quis es Domine?* Atque ubi audivit: *Ego sum JESUS Nazarenus, quem tu persequeris.* Mox credidit, ac paratum se obtulit, dicens: *Domine quid me vis facere?* 2. Intellexit mandatum, & voluntate Christi jubentis, permotus, illud explevit, dixit enim illi: *Surge & surrexit, ingredero civitatem, Damascum, & ingressus est: Vade ad Ananiam,* perrexit jussus instructionem ab ipso accipere: *Ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere,* Accepit. Jussus obedire fidei, paruit: & ex Saulo Paulus, ex lupulo agnus, ex persecutore evasit Apostolus.

Imitemur, Dilectissimi, luculentum hoc Apostoli exemplum, & in his tribus personâ, re, causâ videndis obediens oculos apertos geramus; in aliis minimè: neque enim id Saulus solum exemplo, sed & Paulus postmodum verbo docuit ad Ephes. 6. *Servi obedite Dominis vestris carnalibus cum timore & tremore, in simplicitate cordis vestri, non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes; sed ut servi Christi, facientes bonam voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate servientes sicut Domino.* Ubi servis præcipit, in personâ Domini, Christum, & pro motivo obediendi, Christi voluntatem intueri. Quod si hoc Apostolus à servis sæcularibus, erga Dominos etiam ethnicos & improbos postulat; quid exiget à Religiosis?

II. Alterum cæcæ obediens requisitum est cæcitas, ut nimirum obediens sit cæcus, nihil videns, veluti Saulus.

II.

Sic cæcus & nihil videns.

Saulus.

Sicut nihil videns
oculis mentis, ut
dere & obediens
Christi mandantis
tibi, sibi in
cipibus, si
horum nihil
injuncta præ
demum h
ri modo Re
1. In pe
deat, & in
rioris qual
virtute an
tiâ, pru
prudentiâ
piissimus
gins, Chri
Ne respici
nazione est
quàm ve
penses; s
meâ tibi p
per quem
David Sa
dem Sim
superbus e
verum h
prosequat
2. Q
petante
tienda
& nihil
veniens
ens & uti
xia; grata
vili, grav
modi, j
dum est. N

Saulus nihil videbat. Act. 9. idque non tantum oculis corporeis ; sed etiam oculis mentis , non vidit multa , quæ videre & obmovere potuisset , contra Christi mandatum ; pericula præsertim , sibi imminentia à Judæis ac Principibus , si jussioni obtemperaret. Sed horum nihil videbat , & cæcè omnia injuncta præstitit : quidquid sibi demum sinistri inde eveniret. Pari modo Religiosus , subditus.

1. In persona Superioris nihil videat , & sit cæcus in discernendis Superioris qualitatibus ac talentis ; utrum virtute an vitio , doctrinâ , an ignorantia , prudentiâ & discretione , an imprudentiâ noletur. Clarè id exponit piissimus Scriptor Joannes Lanspergius , Christum inducens loquentem : *Ne respicias ad hominem , qui me à ordinatione est Superior ; quam doctus , quamve idoneus sit , non advertas , nec pensas ; sed hoc tantum respicias , quod me à tibi providentiâ datus est Superior , per quem ego te volo regere.* Obedivit David Sauli impio , & reprobum eundem Samuel honoravit : ac proinde superbus est , qui Superiorem licet perversum honore & obedientiâ non prosequitur.

2. Quemadmodum in persona imperante , ita & in re imperata discutienda , obediens Religiosus sit cæcus & nihil videat : nempe utrum res conveniens sit , an inconveniens ; expediens & utilis , an non expediens , & noxia ; grata , an ingrata , honorifica , an vilis , gravis an levis , in omnibus ejusmodi , judicium proprium abnegandum est. *Nescit judicare , quisquis perse-*

ctè didicerit obedire, ait S. Gregorius in L. 2. Reg. c. 4. & Doctor Mellifluus in Tract. de vit. solit. *Perfecta*, ait, *obediencia est indiscreta ; hoc est , non discernit , quid vel quare præcipiatur ; sed ad hoc tantum nititur , ut cæcis oculis fideliter & humiliter fiat , quod à majore præcipitur.*

3. Cæcus quodque sit , in præcepti causis indagandis ; utrum causa justa & magni momenti , an exigui præcipientem moveat ; utrum ex amore , an passione Prælati imperet ; utrum commodum commune , an privatum & proprium spectet , utrum suam , an divinam gloriam intendat , verus obediens non dijudicat. Rectè S. Joannes Climacus gradu 4. obedientiam cæcam describit : *Obedientia*, inquit, *est inexaminaus atque indiscussus motus , spontanea mors , vita curiositate carens , securum periculum , tuta navigatio , confectum dormiendo iter.* *Obedientia est sepulchrum voluntatis , nihil resistit , nihil discernit.* *Obedientia est dissipatio discretionis , inter divitias discretionis.*

In veteri lege luculentum & quidem geminum legimus exemplum cæcæ hujus obedientiæ in Patriarcha Abraham & quidem I. Genesis c. 12. jubetur exire è patriâ sua in terram ignotam & procul distitam : *Egredere de terra tua & vade in terram , quam monstraverò tibi.* Putant Pererius in Gen. c. 12. & Vasquez hic. Abraham distinctè non scivisse , eundem sibi esse in terram Chanaan. Abulensis verò Oleaster & Ribera hic censent illum id scivisse , quia disertè dicitur Gen. 11. 31. *Tulit Thare Abraham filium suum*

& Lot, & Sarai, & eduxit eos de Ur Chaldaeorum, ut irent in terram Chanaan. Et Gen. 12. Egressi sunt, ut irent in terram Chanaan. Verùm utrovis modo intelligatur, excellentem obedientiæ cœcæ actum præstitit Abraham: licet enim scivisset sibi proficiscendum in Chanaan, ignoravit tamen, in quam partem aut plagam vastissimæ ejus terræ, sibi pergendum foret, non secus ac si quis ex Italia juberetur proficisci in Germaniam aut Hispaniam; & nesciret, in quam partem abeundum foret. S. Paulus de illo loquens ad Hebr. 11. 8. *Fide Abraham obedivit, in locum exire, quem accepturus erat in hereditatem; obedivit, exiit, nesciens quò iret. O cœcum, fidei luminibus inclytum!* exclamat, Orator aureus, *exiit nesciens quò iret*, præclarè & laudabili cœcitate præditus. Sed quæ, inquis, est ista prudentia? Quid enim si ad barbaras nationes eundum? Obedientis parùm interest, non est illi oculus qui ista spectet, est illi oculus cœlestis, quo utitur. *Ego*, inquebat ille Isaïæ voce, *ante te ibo. c. 45. Ego ducam, & hoc obedienti sufficit.*

Alterum æquè, imò & magis admirandum obedientiæ cœcæ exemplum, idem Patriarcha præbuit, dum jussus fuit immolare unigenitum & dilectissimum filium suum. Gen. 22. Dicere enim potuisset: Domine paratus sum, quod jubes exequi, verùm non possum non tibi revocare in memoriam, quod is, quem mactari jubes, Isaac ille est, in quo & benedicendas gentes, & mihi vocandum semen spondesti. Vide quid imperes, ego jam illum sacrifi-

co. Haud ita deliravit, duxit filium, eduxit gladium & quod his majus est, non solum non exhorruit fieri carnifex filii, sed amittendo filium, spem posteritatis ex filio non amisit. Non putavit pœnituisse consilii sui Deum, nec jam nolle in Isaac propagandam posteritatem suam: sed & illum mori, & ex illo prodituros, qui viverent, firmissimè credidit. *Contra spem in spem creditur*, clamat, mirabundus Paulus Rom. 4. 18. Unde & pergens in admiratione ait: *In promissione etiam Dei non hesitavit diffidentia; sed confortatus est fide, dans gloriam Deo: plenissimè sciens, quia quaecunque promissit, potens est & facere.* O verè obedientiam cœcam sed apertis oculis; quibus & Personam Dei mandantis, agnovit, & mandatum perspicuè cognovit, & unam Dei voluntatem, impellentem & moventem sensit: ad alia cœcus.

Aliud obedientiæ cœcæ specimen proponit nobis Samuel Propheta 1. Reg. 9. 16. quem sanè Domini mandatum tam impigè adimplentem, in tanta rationum contrariarum procella, quis non obstupescat? Dixerit enim Deus, se ad illum transmissurum virum, non modò, quem ungeret in Regem, sed & quem nosset populi futurum Redemptorem, hostibus profligatis. Et videt ante se agasonem, rudem, agrestem, pannosum. Et nihilominus non interrogat, an unquam arma tractaverit, num militaverit aliquando; sed eum confestim ungit, & de Domini prudentia & veritate minimò dubius, victorias ei ominatur: *Et liberabit populum suum, de manibus inimicorum ejus.* 1. Reg.

10. 1. *Et cujus erunt optima quaque Israel? Nonne tibi, & omni Domui Patris tui?* 1. Reg. 9. 20. Quare Samuel, non conversus ad Dominum ait: Domine, hiccine est, quem regno destinasti & triumphis? nunquam in Senatu confedit, ut sceptro assueceret; nunquam acinacem eduxit, ut palmas meteret, Itane ab asinis ad solium? ex agasone dictator, imò & triumphator? ex ultima tribu, gentis caput? Domine, quis crederet auditui nostro, quando te dictante, Jacob, tribui Juda Sceptrum spondit, & nunc postrema tribuum Reges dat. Non hæc cogitavit; sed statim Dei reveritus oraculum, ea credidit, quæ naturæ vires omnino excedebant. Pari ratione verus obediens vocem Superioris, tanquam Divinam oraculum intueatur & exequatur.

Nec desunt in nova lege illustria cœcæ obedientiæ specula: Apostoli Petrus & Andreas vocati à Christo, non hæsitantes, non solliciti, unde viverent, non considerantes, quomodo rudes homines, prædicatores fieri possent, sine mora secuti sunt Christum: idem est in Joanne & Jacobo filiis Zebedæi, quin & cæcus Evangelicus Joan. 9. 6. exemplum præbet: quem cum Dominus illuminare vellet, fecit pauxillum luti, *Et liniens super oculos ejus, jussit ipsum ire ad natatoriam Siloe*, ibique lavari. Videri poterat res hæc à ratione valde aliena; siquidem lutum oculis impositum, visui potius officeret, quam prodesset, & lavare in aqua, in qua sæpe frustra laverat, nihil ad tollendam cæcitatem

conferebat, incedere item oculis luto obiectis per populosas plateas, homini adulto dedecori erat, nihilominus, abnegans cæcus judicium suum, abiit ad fontem & lavit, simpliciter injuncta peragens, atque ita vitum perfectè recepit.

Ne autem recentiora quoque cœcæ obedientiæ exempla deesse videantur, adjungam, quod uni è Societate nostra accidit. Fuit is Alphonsus Roderiquez Coadjutor ad Marthæ munia destinatus. Hic, ut refertur in ejus vita impressa, explorandæ obedientiæ gratiâ, jussus est aliquando ire ad Indos: è vestigio ut erat in domestica tunica, ire incepit, atque ab janua revocatus, rogatusque, quò sine pallio exire domo, & sine publicis literis ingredi iter auderet? aut quò denique iturus esset totus disclusus mari? Respondit, sibi de pallio & literis nihil fuisse imperatum, iturum se porro fuisse ad littus, tum si quæ occurrisset navis, conscensurum illico; quòd si nulla esset iam promptu, mare ipsum collo tenus ingressurum, cætera Deo permissurum, cujus scilicet nutu agerentur Superiores, & ipse quoque obediens ageretur, ulteriora quærere non esse perfecti obsequii. En cæcam obedientiam, quæ nec horret maria irata, nec pericula refugit, nec regiones quantumvis barbaras, nec aliud quidvis timet, aut amat; sed unum illud, quòd obedientia dederit: quia scilicet in ea est, ut lutum in manu figuli, ut ferrum in officina fabri, quòd tundi & patiatur & contundi, fingique formas in omnes.

Atque


Atque hæc est obedientia, quam S. Ignatiùs à filiis suis requirit; Ut proprium iudicium, cæcâ quâdam obedientiâ abnegemus. Reg. 35. Ubi prolixius, omnia obedientiæ perfectæ requisita insinuat; dum ait: *Ad eum scopum vires omnes ac intentionem in Domino convertamus, ut sancta obedientia omni ex parte perfecta sit.* At in quibus ea mox subjungit: 1. *Tum in executione.* 2. *Tum in voluntate.* 3. *Tum in intellectu.* 4. *Cum magna celeritate.* 5. *Spirituali gaudio.* 6. *Perseverantiâ, quidquid nobis injunctum fuerit obeundo.*

At quo medio id à nobis impetrebimus? illico subtexit: *Omnia iusta esse nobis persuadendo, quæ injunguntur; omnem sententiam & iudicium nostrum, cæcâ quâdam obedientiâ abnegando.* Nostrum enim iudicium à sensibus & rationibus humanis pendet, in quibus facillè error obrepit, obedientia verò procedit ex principio supernaturali, atque ex causis Deo, non mihi, nec fortè Superiori, notis. Quare hujusmodi obedientia rectè à Cassiano nuncupatur, obedientia sine discussione, sine examine, neque enim mandati causas indagat. A Sancto autem Basilio obedientia simplex appellatur: quemadmodum oves simpliciter Pastorem suum sequuntur, eisdemque obediunt, quòcunque eas duxerit, sive ad orientem, sive ad occidentem, sive ad pratium pingue, sive ad macrum. Atque hæc obedientia omnibus quidem Societatis nostræ, & cujusvis alterius Ordinis Religiosis convenit; sed vel maximè Tyroni-

bus; tum ut addiscant, tum ut assuecant perfectæ obedientiæ, ejusque paulatim habitum acquirant. Unde S. Bernardus Epist. ad Fratres de Monte Dei scribit: Nam *Novitium prudentem, incipientem, sapientem, omniâque indagantem, in cella diu posse consistere, in cõgregatione durare* (moraliter loquendo) *impossibile est. Quid igitur facies?* Respondet Bernardus: *Stultus fiat, ut sit sapiens.* Rom. 4. 18. *Et hac sit omnis ejus discretio, ut in hoc nulla ei sit discretio: & hæc omnis ejus sapiëntia sit, ut in hac parte nulla ei sit. Nam scire, quare hoc ita fiat, vel faciendum sit, Superioris est discernere, subordinatum obedire.*

Quare, Dilectissimi, instar Pauli Apostoli 1. apertos habeamus oculos, non ad judicandum, discernendumve causas mandati; sed ad intelligendum ac videndum, Superiorem Dei vicarium & instrumentum esse, ad regendum nos datum, deinde rem mandatam probè perspiciamus, eamque nulli obnoxiam peccato cernamus. 2. Cæci sumus ad Superioris qualitates minimè respiciendo, rem imperatam, ejusque circumstantias non judicando, nec ipsius mandati causas indagando; præterquam, quod Dei sit voluntas, quæ nobis esse debet loco motivorum omnium. Hæc viâ ad perfectam pertingemus obedientiam; omnia celeriter, simpliciter & confidenter, exemplo Patriarchæ Abrahamæ, Samuelis Prophetæ, Petri & Andreæ Apostolorum, cæci Evangelici, Alphonsi Rodriquez nostri perficiemus, & quemadmodum illi, perquam felicem operum nostrorum effectum nanciscemur.

REGULA



REGULA XXXVI.
DE OBEDIENTIA INDIFFERENTE.
EXHORTATIO
IN REGULAM XXXVI.

Obedientiam indifferentem similitudine cadaveris & baculi
senis declarat.

THEMA.

Domine quid me vis facere? Act. 9. 6.

VEL:

*Se ferri ac regi à Divina Providentia per Superiores suos finire
debent, perinde ac si cadauer essent, atque senis baculus. Reg. 36.*



Obedientiam indiffe-
rentem, & ad om-
nia loca, munia, ope-
ra resignatam, prom-
ptamque, variis non
solum encomiis; ve-
rum etiam symbo-
lis Hieroglyphicis, ac similibus, Sancti
Patres & Ascetici Scriptores, nobis ob
oculos posuere. S. Basilus in Const.
Monast. comparat instrumento, quod
quocunque modo & ad quæcunque
moveri se sinit ab Artifice c. 23. & 28.
Alii obedientes instar jumenti, quod
quolibet ducitur aut impellitur, ad
omnia promptos esse debere volunt,
exemplo Regii Vatis, dicentis: *Vt
jumentum factus sum apud te. Psal. 72.
22. Cujus dorso, indifferenter, quæli-*

bet imponuntur. Alii velut lutum in
manu figuli constituunt. Humbertus in
Epist. de 3. votis, docet obedientes in-
star metalli in manu fabri esse oportere:
*Sitis, inquit, dilectissimi, sicut aurum
ductile, & quasi virga flexilis, qua recta
& curva redditur ad libitum artificis: &
sicut rota volubilis, qua secundum impe-
tum spiritus movebatur.* S. Ignatius in
Regula præfente, duo alia nobis propo-
nit obedientiæ ad omnia indifferentis
symbola, scilicet cadaveris & baculi
senis: *vultuque ut ferri ac regi à Divina
Providentia per Superiores nos finamus,
perinde ac si cadauer essemus, aut senis
baculus.* Quàm verò apta sint hæc sym-
bola, & quæ obedientia ista in praxin
redigenda sit, exhortatione præfenti
insinuabimus.

§§§

I. Primum

3.
Obediens
sit instar
cadaveris.

I. Primum obedientiæ indifferentis symbolum, à S. Ignatio propositum, est *cadaver hominis*: vult enim ut nos ferri ac regi sinamus instar cadaveris. In quo reperimus sequentia, obedientibus imitanda: nam

1. Obedens sit *cæcus* instar cadaveris, oculosque clausos in omnibus teneat. Cadaver nec videt, quid secum agatur, nec causas rescire cupit, cur loco moveatur, aut cur aliò transferatur; nec locorum differentias advertit. Ita pariter obediens oculos clausos gerat, inter loca aut munia, ad quæ ab obedientia destinatur, minimè discernat, res injunctas non dijudicet, causas mutationis inquirere aut rescire nolit. Si enim oculos aperiat, ut hæc cernat, illico à cadaveris similitudine & imitatione deflectet: atque ab obedientia cæcâ & indifferente longè recedens, ad commoda propria declinabit. Causas enim investigare, Superiorem judicare & condemnare, licet pareas, teste S. Bernardo, *non est virtus obedientia sed velamentum malitia*. Obedientia indifferens ac perfecta, ut ex Augustino docet Bonaventura, Tr. 8. Coll. debet esse *simplicis, sine discussione*.

In hac simplici & cæca obedientia S. Antonius re & conomento magnus, sanctum Paulum simplicem, quem diu repulerat, tandem tamen in disciplinam suam admiserat, exercuit, in rebus quibusvis etiam rationi contrariis 1. Primò enim jussit funem contextum, magno labore retexere; tum etiam denuò contexere. 2. Panem mensæ apponere, atque assidere, non tamen manducare. 3. Aquam totâ die hauri-

re, ac deinde eandem effundere. 4. Vasculum mellis in terram effundere, ac rursus à pulvere purgatum, recolligere. 5. Vestem quâ tegebatur dissolvere, ac denuò consuere: quæ omnia optimus senex, obedientiæ studio, atque amore, promptè explevit, nec de inutili, vanoque labore vel verbulo conquestus est. Bolandus in vita S. Antonii Hoc est cæcum esse instar cadaveris. Hoc est, ut Climaci verbis utar, *pio motu inexaminato & indiscusso, ad jubentis voluntatem se accommodare, oculo proprii judicii clauso, & ad Superioris judicium aperto* quod cæcæ obedientiæ munus est. Et ne hanc cæcam obedientiam, in solis viris sanctis, qualis erat Paulus simplex, reperiri putetis, Tyronis cujusdam è Societate exemplum adducam ex Historia virtutum P. Rho. l. 4. c. 6. ubi refert de Sebastiano Davino, apud Lugdunenses Novitio, qui aridum arboris ramum, in hortu temerè projectum, terræ mandare, & aquam quotidie affundere jussus, usque dum cresceret; exactè paruit, nullâ præabsurdi imperii interpretatione usus: videri poterat & rideri vanissimus labor, nisi eum probâisset eventus, docuissetque ab obedientia etiam vinci naturam: nam ab illa multorum mensium irrigatione, viror rediit, & ramus, jam arbuscula, novas frondes induit, auctaque ad justam altitudinem, Tyronibus, qui eam obedientiæ arborem appellavere, exemplo fuit & admirationi.

2. Sit *surdus*, instar mortui: mortuum sive laudibus prosequaris, sive vituperiis, contumeliis & maledictis proscin-

proscindas: si
resoluitures
ge, non app
non turbat
verus obedi
imperio, de
amor prop
suggerat
præceden
re, impedi
aures ob
ret: nisi
pedimen
candum
quid ille
cum ind
nos exco
piam in
nem, st
poni, m
inde tua
dum, ca
dus esto
unum
lancem
fuisse.
pulis re
Orat.
gure P
ip: d
um pr
polo
ma
ipa
soph
quid
phar
dient
peare
aut, &

proscindas: sive aliud quidpiam in aures insufurret; non audit, non intelligit, non apprehendit, non movetur, non turbatur; quia mortuus est. Ita verus obediens, si accepto Superioris imperio, de loci, officiique mutatione, amor proprius, rationes in contrarium suggerat, suadeatque excusationes prætere, causas non causas allegare, impedimenta varia prætexere; mox aures obturat, non auscultat, sed parat: nisi fortè præmissâ oratione impedimentum certum Superiori significandum occurrat; intereatamen quidquid ille, re bene perpensâ, statuerit, cum indifferentia expectat, & protinus exequitur. Item si adulator quispian ingerat, mirari se hanc mutationem, stupere se, tale sibi officium imponi, majora te posse præstare; ac proinde suadeat, replicandum, scribendum, causandum; non audias, sed surdus esto, in indifferentia persta; idque unum in æquilibrio, voluntatistuae bilancem, teneat: Superiorem ita disposuisse. De Ethnicis Pythagoræ discipulis refert S. Gregorius Nazianzenus Orat. 3. contra Julian. *lis qui Pythagora Philosophiam volunt, illud autem ipse, id est, ipse dixit, dogmatum omnium primum est & maximum.* Si causæ poscerentur in quæstionibus, in dogmatibus, nihil reponerent, nisi *hoc ipse.* Si hoc Ethnicis, ut discant Philosophiam inanem; quid Christiani, quid Religiosi, ut addiscant Philosophiam veram, id est humilitatem, obedientiam & perfectionem? Surdi sint, præter vocem Superioris, nihil audiunt, & hac voce acquiescant: *autòs ipse.*

Ipse dixit: Ita Deum audient nam scriptum est: *Qui vos audit me audit.* Lucæ 10. 16.

3. Sic *mutus* & elinguis instar cadaveris. Cadaver quacunque ratione se tractari sinit, citra querelam, citra murmur & contradictionem. Id quod S. Franciscus Seraphicus notavit, teste S. Bonaventura in ejus vita c. 6. ubi ait, sanctum virum dixisse: *Tolle corpus exanime, & ubi placuerit, pone, videbis non repugnare motum, non murmurare situm; non reclamare dimissum: quod si statuatur in cathedra non alta; sed ima, despiciet: si collocetur in purpura, duplo pallefcet.* Deinde subtexit: *Hic verus obediens est, qui cur moveatur non judicat; ubi locetur, non currat; ut transmutetur non instat; evertus ad officium, solitam humilitatem retinet; plus honoratus, plus indignum se c. n. t.* Videntur indifferentiam cadaveris? hanc moribus exprime; & in æquilibrio consistite. Quod si verò iudicium contrarium, aut obmurmurandi pruritus te incessat, sequere consiliuin S. Joannis Climaci datum in Epist. proœm. ad Joan. Abb. *Cùm tibi inquit, cogitatio suggesterit, ut Prælatum, aut iudices, aut damnos, (aut ei obmurmures) ab ea non secus, ac à fornicatione distilas, nec prorsus huic serpenti requiem præstes; non locum, non intium, non ingressum. Loquere ad bujusmodi draconem, ac cum his verbis incesses: O maligne seductor! non ego iudicem meum iudicandum suscepi, sed idem me: non ego illius, sed ille mei dux esto.* Ad similia hortatur S. Casarius Arelatensis Episcopus homil. 8. *Quidquid, ait, tibi à Senioribus fuerit imperatum,*

accipe tanquam de caelo, sicut de ore Dei prolatum. Nihil reprehendas, nihil discutias, in nullo prorsus murmurare praesumas: totum sanctum, totum iustum, & utile iudica, quidquid à Prelato tibi videris imperari. Hæc ratione in indifferentia perstabis immotus, & omnia promptè, alacritèrque, quæ injuncta sunt, exequèris.

4. Denique sit sine sensu, instar cadaveris: sive cadaver ad cœmiterium deferas cum pompa & honore, sive ad patibulum deducas cum dedecore; sive ad palatium, sive ad stabulum deportes; nihil sentit, nullatenus movetur. Sive amici accedant & lugeant, sive recedant & gaudeant, sive laudent & applaudant? sive explodant & irrideant, ejus nihil interest, nihil turbatur, nec gaudio afficitur; nec tristitiâ cruciatur; nec superbiam extollitur; nec pusillanimitate dejicitur. Ita prorsus Religiosus obedientiam & indifferentiam ac resignatione præditus, sive relinquatur in laboribus suis, sive aliò mittatur atque avellatur à noris, cognatis, pœnitentibus, discipulis, amicis; sive in functionibus, aut concionibus suis plausum, sive vitæ periculum referat; sive habitationem commodam, sive incommodam nanciscatur: nihil sentit, nihil curat, nihil ei inquietudinem parit: nec gaudium inane illum titillat; nec nœtor absorbet; sed in voluntate Dei, per Superiores declarata, fixus, inconcussusque persistit. Obedientia enim perfecta, ex mente S. Joannis Climaci, est mors voluntaria & sepulchrum voluntatis. Ex S. Augustini sententia, quam allegat S. Bonaventura;

Est prompta sine dilatione, voluntaria sine contradictione, perseverans sine cessatione, strenua sine pusillanimitate, universalis sine exceptione: nihil petit, nihil renuit, nihil excipit, indifferens & resignata ad omnia.

O simplex! ô indifferens! ô perfecta obedientia! quàm es rara avis in terris! Et tamen quàm laude digna, quàm Religiosis omnibus necessaria? Hanc, Charissimi, à cadavere discamus; aut potius ab ipso Christo, ad flagella, ad crucem, ad mortem, ad omnia adversa & abjecta parato & indifferente, hauriamus: quidquid nobis injunctum fuerit, nihil discernamus cœci, nihil audiamus contrarium, surdi; nihil obmoveamus & obmurmuremus muti, nihil sentiamus, inconcussi & immoti. Ita obedientiam perfectam, resignationemque indifferentem Deo ac Superioribus exhibebimus.

II. Alterum perfecti obedientis, & indifferentis symbolum est *baculus senis*; ad imitandum à S. Ignatio propositus: *A Divina Providentia*, inquit, *per Superiores ferri ac regi se finant, perinde ac si baculus senis forent*. Varios in Scripturis Divinis baculos celebrari legimus, scilicet Regum, Pastorum, Pontificum: primo rebelles tubiguntur; secundo oves ducuntur, tertio filii gubernantur; primus valet ad vitiorum expulsionem, secundus ad morum compositionem, tertius ad virtutum ordinationem. Primus fuit virga Joseph, quâ Egyptios sibi subjecit; & cujus lunimitatem Jacob adoravit. Hebr. 11. 21. Secundus Moysis, quo mare percussit, & prodigia edidit.

Tertius

II.
Sit instar
baculi
senis.

Tertius Aaronis, qui floruit, & quo dignus sacerdotio ostensus fuit. Verè aptissima obedientiæ symbola: quid enim? an non omnibus hisce baculis aut virgis, virtus obedientiæ ad vivum adumbratur? quæ instar virgæ regiæ voluntates rebelles coercet & subjugat: instar virgæ pastoritiæ subditos, velut oves ducit? instar pedi episcopalis aut pontificalis, ecclesiæ & religionis filios dirigit, atque instar virgæ Aaronis, virtutum flores producit. Fateor, omnia hæc obedientiæ quadrant; & tamen S. Patriarcha noster obedientiam, seu obedientem, non scipioni Regum, non virgæ Pastorum, non pedo Præsulum; sed baculo senum comparare maluit. At eurnam obsecro? causam geminam protinus subdit, dum ait: *Qui ubicunque & quacunque in re velit eo uti, qui eum manu tenet, ei inservit.* Adeoque præ aliis perspicuum, in indifferentiæ, & obedientiæ resignatæ symbolum ob oculos ponit. Discutiamus singula.

1. *Ubicunque* velit eo uti, ei inservit. Id est, quocunque in loco sive in terra, sive in mari, sive in loco mundo, sive sordido & lutofo, sive in alto, sive in imo, eum senex collocaverit ac fixerit; baculi nihil interest; nullatenus se difficilem ostendit, aut opponit. Sic à pari r. Religiosus obedientiæ amans, præsertim is, qui vult instituti sui, & regulæ, paratus esse debet ad habitandum in quavis mundi plaga, ubi major Deiglória, & major salutis animarum occasio speratur, instar baculi senis, *ubicunque* Superior ejus operâ uti voluerit, ei inserviet: sive sit apud fideles, sive apud infideles, sive apud Ca-

tholicos, sive apud Heterodoxos, sive in Collegiis, sive in Missionibus, sive in magnis Urbibus, sive in oppidulis & pagis, paratus sit *ubicunque* jussus fuerit, degere; & fructum reportare, *ubicunque* locorum, *ubicunque* terrarum, absque discrimine. 2. Et quemadmodum baculus senis absque difficultate ac repugnantia, transponitur, & de loco in locum deportatur: ita Religiosus, ad solam Superioris vocem; ad unam epistolam atque etiam literam, exemplo S. Francisci Xaverii, paratus sit desectâ Indiâ redire in Europam; aut relicâ Europâ transuigrare in Indiam: tam promptus ad transeundum Bethlehe-mo Hierosolymam, quàm Hierosolymâ Bethlehemum; aut ex magna civitate in parvam, quàm ex parva in magnam. 3. Veluti baculus senis altè terræ, lutove infixus, difficulter extrahitur, locoque movetur; ita pariter Religiosus si haud absque difficultate loco cedit; & aliò commigrat; & vel ipse intercedit, vel aliena procurat patrocinia, esse se luto amoris proprii profundè infixum, nullatenus dubitet.

2. *Quacunque in re*, velit eo senex uti, baculus ei inservit: si senecio iter promovere cupiat; si eidem inniti, & corpus fessum sustentare desideret; si canes allatrantes & mordere parantes abigere optet, in omnibus ei servit. Ita quòque Religiosus Superiori se sistat, & quacunque in re, eo uti voluerit, promptè inserviat: sive literas humaniores tradere, sive scientiis sublimioribus intendere, sive catechesin rudibus exponere, sive pro con-

cione perorare, sive ægros, & carceri mancipatos invisere, sive discordes pacificare, illum desideret; ad cuncta indifferens, quàm promptissimè obediatur. O quanta in eo latet perfectio! ò quanta sui victoria! quanta in cælo merces & corona!

Verùm oggeres & oppones Religio-
se talenta tua, ingenium, docendi &
perorandi capacitatem; quæ ad vile
oppidulum, aut rudem plebeculam,
pueritiàmque erudiendam ablegari
non conveniat: neque è gloria divina
esse videatur. At intuere Christum;
cadetque hæctua persuasio: de illo ceu
sponso suo asserit sponsa. Cant. 2. *Sicut
malus inter ligna sylvarum, sic dilectus
meus inter filios.* O dura conditio!
arborem esse frugiferam, & in sylvam
transportari, sociandum quercubus &
pinatris, ubi nullus qui riget, nullus
qui excolat; nullus qui poma dignetur
decerpere. Solo vento succussa cadent,
ut sues mixta glandibus exsaturent.
Quàm durius hominem eruditum, ta-
lentis egregiis præditum, in oppidulo
latere cum indoctis! sed si Christo si-
milis es, patere te ablegari è viridario
in nemus: Deo & sponsæ malus sum,
etiamsi videar una ex abietibus infœ-
cundis. Athanasius cum sua doctrina,
ad quinquennium in puteo delituit:
Pulvis in catena, Christus in fœno, in
Ægypto, in Nazarethana domo. Ho-
rum lege vitigia; & vel in sylva fructu
copioso non carebis; indifferensque
obedientia, idoneum reddet, ut denuo
è nemore transplantatus in virida-
rium abundantiores fructus proferas.

Quapropter, Dilectissimi, si obedi-

entiæ indifferentis, ac perfectæ tanto-
pere à sanctis Viris commendatæ vir-
tutem assequi desideretis; I. Instar ca-
daveris, vos cæcos surdos, mutos, &
inconcussos exhibete in omnibus Su-
periorum ordinationibus, dispositio-
nibus, missionibus, occupationibus ac
officiis, cæci estote & indifferentes,
nihil iudicando, nihil discernendo, ni-
hil indagando. Surdi estote, adurato-
rum, imperfectorum, amicorum ficto-
rum, & amoris proprii prava consilia
non auscultando. Muti estote Superi-
oribus non contradicendo, non obstre-
pendo, non obmurmurando, non re-
plicando, non literis crebris Superio-
rem fatigando; non causas frivolas,
aut exceptiones allegando; sed mur-
mur, instar sibili serpentis aut draconis
repellendo, omniaque iusta, sancta &
utilia esse existimando. Insensibiles
seu absque sensu estote, non dolendo,
non ex aliqua re, aut charorum sepa-
ratione tristitiam percipiendo; sed
firmiter Dei voluntati inhærendo: hac
ratione perfectam indifferentemque
obedientiam demonstrabit. 2. Instar
baculi senis *ubicunque* locorum, aut
terrarum, Superior operâ vestrâ uti
voluerit; ite, pergite, properate, quo
Deus per Præsides vos evocat. *Et qua-
cunque in re*, quocunque in munere
seu occupatione, sive humili, sive sub-
limi, sive ardua, sive facili, operam ve-
stram requisiverit, cæcè & promptè
instar baculi, obtemperate: hæc viâ,
integrè & perfectè, ac cum resignatio-
ne indifferenti, Deo ac Prælati subje-
cti eritis, securam humilitatis viam
tenebitis; in pace & tranquillitate
degetis:

degetis : ac denique obedientiam perfectam , quæ reliquas virtutes menti inserit , insertasque custodit , à largitate Domini Dei nostri , feliciter consequemini.



REGULA XXXVII.

De Correctione Paterna

EXHORTATIO

IN REGULAM XXXVII.

Correctionis paternæ, animo libenti acceptatæ, utilitates explicat.

T H E M A.

Corripiet me justus in misericordia. Plal. 140. 5.

V E L :

Adimplere quisque debet quasvis pœnitentias. Reg. 37.

SI quis Ordinem religiosum (Societatem nostram minimam) cum arca fœderis , à Moysse fabricata , comparaverit , ab allegoria seu similitudine haudquaquam aberraverit : quemadmodum enim in illa veteris testamenti arca, tria , manu Moysis, indita reperiebantur , scilicet urna mannae, legis tabulae, & virga Aaronis , teste Apostolo ad Hebr. 9. 7. *In arca testamenti erat urna aurea habens manna, & virga Aaron, quæ fronderat. & tabula testamenti.* Ita quoque in Ordinis religiosi (Societatis) arca, ad Deigloriam & cultum fabricata, tria, manu fundatoris reposita inveniuntur. 1. Est manna suavissimæ gubernationis , in

spiritu charitatis ac dulcedinis. 2. Tabula legis seu regulæ ac constitutiones, non in spiritu timoris, sed amoris, ad perfectionem dirigentes. 3. Virga Aaronis amygdalina, quæ floruit, fructusque produxit : id est, virga correctionis seu correptionis paternæ ; cumque in præcedentibus, de binis prioribus, crebrius egerimus, in præsentiarum de tertio, id est virga, seu de usu & fructu correctionis tractabimus : virgâque istam, primò amygdalinam, secundò floridam , ac tertio fructiferam esse ostendemus.

I. Non reperies Ordinem tantâ perfectione , nec statum ullum tantâ sanctitate, in quo Dei servi, ex conditione fragilitatis humanæ, in quosdam non labantur defectus ; quos deinde à Prælati disciplinæ studio , corrigi sit necesse

I.
Virga
correctio-
nis amygdalina.

neceſſe: quæ correctio ab omnibus ſalutis & perfectionis ſuæ ſtudioſis, in ſchola Chriſti, eſt amanda & acceptanda animo benigno, tametsi ob defectum inculpabilem injungeretur: pueri dyſcoli & degeneres, virgam paternam oderunt ac deteſtantur, probi atque ingenui exoſculantur; idem præſtandum Religioſis, cum vero emendationis & profectûs ſpiritualis deſiderio: quia

1. Virga hæc paterna eſt omnino neceſſaria in religione quacunq;ue, ut in flore primævo perduret: in hoc enim Ordo florens à ſeneſcente a laxatâ diſciplinâ macreſcente diſtinguitur, non quòd in illo nulli cernantur defectus; ſed quòd in illo corrigantur, in hoc impunè diſſimulentur. Cur obſecro religionem ingreſſi ſumus, niſi ut in ea mala noſtra corrigamus? quid eſt, quod hominem labilem & defectibus obnoxium à diabolo diſcernat, niſi corrigibilitas? homo enim dum in hac mortalitate verſatur, quamvis exiſtat malus correctionis eſt capax: minimè verò diabolus: unde homo corrigi nolens, adeòque incorrigibilis, diabolo haud eſt abſimilis; ſecundùm illud Eccli. c. 21. *Qui odit correptionem, veſtigium eſt peccatoris.* Veluti enim veſtigium pedi admodum ſimile eſt, ita qui correctionem odit, diabolo; qui per antonomafiam peccatoris nomen fortitur.

2. Virga hæc correctionis, valde congruens eſt vitæ huic, & loco, in quo degimus, perquam conveniens. In cælo enim correctio locum non reperit, eò quòd nulla ibidem ſit corruptio,

In inferno autem, non eſt poſſibilis correctio: licet ibidem multa ſit peccati corruptio: ſed in hac valle miſeriaz eſt & peccati corruptio & poſſibilis correptio: eaque de cauſâ in hoc loco Deus hominem virgæ diſciplinæ ſubjicit, ut mala ſua corrigeret: atque hæc corrigibilitas, inter maxima vitæ præſentis bona eſt recensenda; eâ enim ſublatâ, an non ſatius peccatori eſſet, aut natum non fuiſſe, aut potiùs canem vel buſonem eſſe, quàm hominem?

3. Hæc virga correctionis, amygdalina eſt, qualis fuit illa Aaronis, id eſt paterna, plena erga ſubditos charitate, atque ex deſiderio profectûs illorum orta: omnino enim vult ac optat religio (Societas) filios ſuos moveri ac regi, non ſpiritu timoris, ſed amoris; diſciplinamque obſervari ac pœnas infligi, ob defectus & negligentias, non ex paſſionis impetu, non ex odio aut vindictâ, ſed ex charitate, eodémque modo eam acceptari cupit à ſubditis: quamvis, ſi charitate non proficiat, ad media timoris meritò deſcendat. *Vultis, ait Apoſtolus, in virga ventam ad vos, an in manſuetudine & charitate?* 1. Corinth. 4. 21. Atque hunc ordinem S. Chryſoſtomus ſuper Matth. docet: ſcilicet in correctione ſic procedendum eſſe, ut delinquens

1. Admoneatur per amorem. 2. Confundatur per pudorem. 3. Puniatur per rigorem. Eundem quòque ordinem ſervandum eſſe tradit S. Auguſtinus in regula ſua, c. 23.

4. Virga hæc correctionis amygdalina, eſt ſuavis & diſcreta, non dura & aſpera; quia eâ reguntur filii Dei, licet defecti-

defecti-

D
defectibus
reſis; quale
petre eſt,
plectatur
Pſalm.
intentat
communi
tore (and
Domini
riſſimè,
enim vi
quàm fe
in hoc
mortu
tantem
baculi
& cum
miliant
commo
ſpiritu
ſubdito
tari ſe
vitate,
parvul
amore
de non
quema
pulum
s. H
lina, eſt
Chriſt
virga
ealm
ligio
venit
zquan
politic
ciantur
ventur
non ſun

defectibus obnoxii, non tamen per-
 versi; quales in mundo complures re-
 perire est, qui meritò virgâ rigidiorè
 plectantur. *Reges eos in virga ferrea.*
 Psalm. 2. 9. Non enim Religio facilè
 intentat carceres, non minatur ex-
 communicationes, non mandat, in vir-
 tute sanctæ obedientiæ, aut in nomine
 Domini nostri JESU Christi, nisi rari-
 simè, & in gravi necessitate; mavult
 enim virgâ amygdalinâ & paternâ,
 quàm ferreâ & servili, ferire. Imitari
 in hoc lubet Prophetam Elisæum,
 mortuum Sunamitidis filium resuscitan-
 tem; qui surrexit, non ad tactum
 baculi, Elisæi. 4. Reg. sed per affe-
 ctum & amplexum Prophetæ, sese hu-
 miliantis, & ad pueri rationem se ac-
 commodantis, eumque oratione &
 spiritu suo confoventis. Ita Religio,
 subditos suos fovet, ipsorum infirmi-
 tati se accommodat & pro delicti gra-
 vitate, ac subjecti capacitare pœnam
 parvulam injungit; cogitur enim
 amore disciplinæ conservandæ, subin-
 de non nihil pungere atque urgere,
 quemadmodum & Elisæus Giezi disci-
 pulum suum delinquentem.

5. Hæc virga correctionis amygda-
 lina, est justa, recta & æqua; veluti de
 Christo dictum fuit: *Virga æquitatis,*
virga regni tui. Ad. Hebr. 1. 8. sicut
 eam in quavis republica; ita & in Re-
 ligione pro delictis pœnam statui con-
 venit, ut justitia & pax servetur;
 æquum est, ut in omni communitate
 politicâ, boni præmio, mali pœnâ affi-
 ciantur: in religione præmia refer-
 ventur in futurum, quæ in hac vita
 non sunt; ne sempiterna amittantur;

pœna verò pro delictis desideranda
 est, ut hîc potiùs quàm in igne pur-
 gante Deo faciamus satis. Deinde
 Prælati tanquam Pater vi officii sui
 Filios delinquentes corripere & e-
 mendare tenetur, ne disciplina reli-
 giosa intereat, & ipse ob correctionis
 neglectum pœnas dare cogatur. Nec
 sufficit verbis duntaxat admonere; sed
 si monita non emendent, ad pœnas
 descendendum est. Exemplum terri-
 bile scriptura divina nobis suppedi-
 tat L. 1. Regum c. 3. In summo Sa-
 cerdote Heli; qui filios suos quidem
 monuit; sed non corripuit, ut debuit,
 ideoque gravissimâ à Domino pœnâ
 plexus est. Audite stupendum Numi-
 nis decretum: *Prædixi ei (Heli) quòd*
judicaturus essem domum ejus in æter-
num, propter iniquitatem; eò quòd no-
verat indignè agere Filios suos, & non
corripuerit eos; idcirco juravi domui
Heli, quòd non expietur iniquitas Domus
ejus victimis & muneribus, usque in
æternum. Mira res; & tamen scribitur
 c. 2. v. 23. 24. Heli reprehendisse Fili-
 os suos, dicendo: *Quare fecistis res hu-*
jusmodi, quas ego audio, res pessimas, ab
omni populo? & nolite filii mei, non est
enim bona fama, quam ego audio.
 Sæpe illos deterruit, delicta filiorum,
 Heli non dissimulavit, ait S. Basi-
 lius in reg. brev. Interrog. 47. &
 tamen Deus minatur, quòd non cor-
 ripuit eos. Cur hoc? Non tam se-
 verè corripuit, ut debuisset; corripuit
 verbis, debebat pœnis. *Debebat eos*
ferire, ait S. Gregorius 2. p. Pastor, c.
 3. *debebat eos abjicere,* inquit S. Hi-
 eronymus L. 1. contra Pelag. &

L. 1. aduersus Iovin. *Debebat eos à conspectu suo remouere, exheredare & uerbis afficere*, ait Theodoretus in q. 10. in L. reg. *Debebat eos post unam & alteram monitionem è sacris locis & claustris exturbare*. At quia non corripuit, pœnas non sumpsit, neque eo modo, quo par erat erga eos indignatus fuerat, usque eò Dei iracundiam irritauit, teste S. Basilio l. c. Ut & populus, unà cum filiis ipsius, internecone absumptus sit, & arca ipsa capta, in hostium potestatem deuenit, & ipse miserabili exitu vitam terminauerit. Imò ut ad inferni pœnas perpetuas damnatus, opinione S. Augustini L. 17. de civ. c. 4. S. Gregorius l. 2. c. 3. in L. 1. Reg. & 3. p. post, c. 6. Eucherii Ven. Bedæ.

Non committuntur quidem graves adeò excessus in religione, quales à filiis Heli commissi fuere; colligimus tamen, meritò non omittendam à Superioribus correctionem in leuioribus, ne paulatim ad grauiores defectus ostium pandatur. Cùm igitur Prælati incumbat obligatio, subditos suos paternè corrigendi, ne Dei offensam incurrant, & aut pœnas ignis purgant, aut infernalis incurrant, clarè elucescit, quàm æquum, & rationi consonum sit, eiusmodi pœnas à subditis promptà uoluntate suscipi atque adimpleri.

II. Quod si Religiosus, uirgam hanc paternam, sibi necessariam, convenientem, charitate plenam, discretam, justam & æquam esse agnouerit; ideoque libenti animo acceptarit, atque exosculatus fuerit, *Virga correctionis uerè ipsi florida: flores enim amygdalinos,*

purpurascens, gratos & amentenos variarum uirtutum proferet; protervus uerò ac parùm in humilitate fundatus, correctionis osor, non flores sed pappos uolaticos, non suauitatem, sed amarorem uitiorum producet; nam ex correptione in tristitiam, ex tristitia in indignationem, ex indignatione in impatientiam prolabetur; ex impatientia autem in proterviam, ex protertia in murmurationes, suspiciones, detractiones, odia ac demum in abyssum malorum precipitabitur. E contrario autem bene Religiosus, humilitate præditus, si quando uirga correptionis tangatur, instar filii ingenui eam exosculatur & variarum uirtutum flores, ac germina edit.

1. Flos est humilitas: dum fragilitatem, infirmitatem & culpam suam agnoscit, pœnà se dignum profitetur, confusionem nonnullam libens accipit, & cum Propheta ingeminat: *Bonum mihi, Domine, quia humiliasti me.* Psal. 118. 71. 2. Flos est patientia; dum pœnam iniunctam, & confusionem acceptans, occasionem, Christo se conformandi, naàm gaudet, atque ad grauiora ferenda se disponit. 3. Flos est iustitia uindictiua, exigens, delicta à Superioribus puniri, & à subditis pœnam impleri. 4. Flos constantia: sic enim probatur, quàm in uocatione, religione & uirtute reliqua constantes simus: si enim nihil in ordine nobis eveniret, quo uoluntas sensualitatisque nostra probaretur; profectus noster lateret; eapropter Vates coronatus flagitabat: *Proba me, Domine, tenta me, ut cor meum & reus meos.*

Psal.

II.
Virga
florida.

Pfal. 25. 2. Sic pœnis immissis Deus probavit Jobum, Tobiam, Abrahamum, & Israelitas, quibus Moyſes dicebat Deut. 13. *Tentat vos Dominus, ut ſciat (id eſt experientiâ comperiat, & vos cognoscere faciat) utrùm diligatis eum.*

Porro flos 5. eſt diligentia, pœna enim reddit diligentiores, & velut calcet ad alacrius currendum impellit. 6. Flos boni exempli; dum alios ad cantelam, humilitatem, & obedientiam, pœnas exſolvendo, pertrahimus. 7. Denique flos eſt charitas & amor Dei; dum de manu ejus pœnitentiam acceptamus, tanquam filii à Superiore velut parente, caſtigationem cum dilectione ſuſcipimus. *Filii mi noli negligere diſciplinam Domini tui, neque fatigeris dum ab eo argueris, quem enim diligit Dominus, caſtigat: quis enim ſcilus, quem noc corripit Pater?* Prov. 3.

Nec deſunt exempla in aliis Ordinibus flores ejuſmodi pœnitentiæ correctionis affatim producentium, ſufficiet mihi unum è Societate noſtra allegaſſe. Fuit is P. Hieronymus Ottellus, de quo Bartolus L. 3. vitæ S. Ignatii. n. 45. refert, quod inſignis hic Eccleſiaſtes in crimina Romæ impugne graſſantia invectus, zelo ardente demum eò devectus, ut dixerit: quando neque amor Dei, neque timor gehennæ locum Romæ haberet; nihil ſuperſeſſe aliud quàm ut arrepto Pontifex maximus flagello, ſceleratam illam turbam è ſancto expelleret loco. Ignatius recognitâ haud diu poſt, hominem ad ſe evocat; querit, quotnam ſint in orbe Pontifices ſummi? ille unicum roma-

num eſſe reſpondit: tum Vir ſanctus: & tu tibi fas eſſe arbitraris, pro concione talem non nominare ſolùm perſonam, veram etiam legem illi præſcribere; abi nunc & coram oculis Dei perpende, quâ te dignum pœnâ arbitrâre; & ante noctem ad me refer: Ottellus dolore ſummo, atque verecundiâ tactus, conſiderato diu & agnito errore ſuo, rediit, & ad S. Patris pedes proſtratus, in charta deſcriptas, quas paratus erat ſubire, pœnas protulit: nimirum flagellationem in publicis totius Urbis platels: peregrinationem Hieroſolymam pedibus nudis; ſolo pane & aquâ contentum jejunare aliquot annis, & ſi quid præterea injungere placeret. Verùm Ignatius, tam liberali contentus animo, aliquot ſolùm verberationes privatas illi injunxit.

En quàm præclaros flores hæc nobilis virga correctionis paternæ protrudit; gratiſſimum Deo, Angelis, & hominibus ſpectaculum præbentes, omneſque odoris amabilis fragantiâ mirè recreantes!

III. Virga correctionis, promptè acceptata non flores duntaxat, ſed etiam fructus acceptanti profert uberrimos. 1. Fructus eſt purgatio animæ: culpa ſcedat; pœna, velut ignis, ferrum purgat: unde Salvator Joan. 15. *Omnem palmetem in me non ferentem fructum, Pater meus purgabit illum, ut fructum plus afferat.* 2. Fructus eſt mentis illuminatio; pœna enim in cognitionem culpæ ducit. *Virga atque correctio tribuit ſapientiam.* Proverb. 29. Oculos quos culpa claudit, pœna aperit, ait S.

Gregorius. Non raro culpæ gravitatem non ponderamus, nisi pœnæ amaritudo, quemadmodum fel piscis oculos Tobix illuminet. 3. Fructus est emendatio defectus, & præservatio, ne iterum iterumque cadamus; pœna enim instar myrrhæ à putrefactione conservat. 4. Fructus, augmentum meriti; *Beatus v. r. qui suffert tentationes; quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitam, quam Deus repromisit diligentibus se.* Jacobi, 12. 5. Fructus satisfactio, pro pœna justitiæ Divinæ debita. 5. Ludovicus Bertrandus ex Ordine S. Dominici, Societatis nostræ, dum viveret, tempore S. Ignatii, patronus ac defensor, cum rogaretur, cur tantâ severitate levium defectus castigaret: respondit: *Ut severiores Purgatorii pœnas evadant.* Rectè id Sanctus ponderabat: si Superior hoc tempore, pro uno verbo otioso, publicam flagellationem injungeret, tyrannus audiret; & tamen pro verbo otioso pœnæ purgantis ignis insiguntur, mundi hujus tormentis graviores. Lancel. opusc. 19. c. 5. 6. Christi pro nobis patientis, imitatio. 7. Robur contra tentationes Diaboli. 8. Reconciliatio cum Deo. 9. Aliorum emendatio; *Dum unus corripitur, plurimi emendantur* ait S. Greg. in regist & bonorum de zelo Superioris gaudium. 10. Denique variorum donorum, à Deo omnium bonorum largitore, impetratio.

Admirabile promptitudinis pœnæ suscipiendæ eluxit exemplum in V. P. Jacobo Laynez ob doctrinæ excellentiam in Concilio Tridentino celebri, & secundo Societatis nostræ Præposito Generali. Hic cum Italiæ Præsidem

Provincialem ageret & Ignatius præclariora subjecta è Collegiis Romam, ob universale bonum evocaret, doluit; ac per literas questus est. Sed jussit S. Pater eum expendere, num hæc querelæ è sincero zelo, an sui amore proficiscerentur: quod si reum in hoc se deprehenderet, videret ipse, quâ se dignum pœnâ censeret. Perculit epistola illa animum Laynii vehementer, eâque lectâ, relectâque sæpius, ac factò illo suo coram Deo considerato; summâ cum veneratione rescribit, delicti causas, gravitatemque agnoscit, meliora spondet, ac demum concludit: habitâ ad Deum precatione, multis cum lacrymis, quod rarum in me est, elegi; & nunc ipsum, haud item sine lacrymis eligo, ad ista vindicanda peccata & radices, unde prodiêrunt, tollendas, ut Reverentia vestra removeat me ab aliis regendis, & concionibus habendis, & ab omni literarum tractatione, unico relicto Breviario, jubeatque Romam mendicatum ire, ibique in culina & triclinio, aut horto, aut alio quovis ministerio ultimo, vel si minus ad hoc idoneus sum, in Grammaticæ infima schola contineat, usque ad mortem; nunquam respiciens, curansque me, nisi ut quisquilias & peripsema. Atque hæc est pœna, quam pro loco eligo & depono. Et si ista non probaretur pœna, ad jejunia, ad flagella, ad quamvis præterea se offert depressionem, ignominiam, & mortificationem. Verùm Ignatio promptus ille, demissusque pro satisfactione animus fuit. Quo in genere Laynii humilitas, cum Ignatii charitate & mansuetudine certavit. Tannerus in vita ejus.

Virorum hujusmodi virtutis ac profectus

nem formosum; aut, si luberet, in sené rugosum deformabat. Tertiam Mercurii virgam indigitabant, quam operum stupendorum credebant artificem. Non aberraremus à vero, si fictitias ejusmodi virgas, veras obedientiæ imagines ac symbola pronuntiarem; obedientem enim, quidquid egeris, quantumvis vile censueris, in aurum convertit: obedientia juvenes prudentiâ beat, velut senes: & senes alacritate excitat, tanquam juvenes: obedientia denique opera admiratione digna, ac plena stupore patrat, ut gesta Sanctorum perhibent. Verùm doctas fabulas, ingeniosaque Poëtarum figmenta antiquitati relinquimus, & è Codice divino celeberrimam, ac thaumaturgam Moysis Virgam, tanquam præclarum, tum potestatis Superiorum, tum subditorum obedientiæ symbolum depromimus; & quemadmodum exhortatione proxime præcedente, virgam correctionis, virgæ Aaronis floridae, comparavimus; ita nunc prodigiosam Moysis, fratris ejus, virgam; & virgam directionis & obedientiæ esse demonstrabimus; dum eam corylinam, pastoritiam & divinam fuisse ostendemus.

I.
Virga
Moysis
corylina.

I. Virga Moysis, quâ tam admiranda patravit, qualis obsecro, aut è qua materia fuit? An fuit ex auro affabrè elaborata, aut gemmis, adamantibusque splendide exornata? Minimè sanè? sed lignea fuit, & quidem non ex cedris Libani, aut cupressis Sion recta, sed ex corylo, virgulto, quàm arbori, propiori. *Virga Moysis*, ait S. Gregorius Nyssenus L.

advellus Judæos, tam. 13. 10. *Virga erat ex corylo, lignum commune, quod à cujusque manu caditur, & igni ad arbitrium traditur; ubi tamen Deus voluit, lignum hoc, aquam in sanguinem redigebat.* Tantæ Numen supremum est potentiæ, atque artis; ut instrumento vili, æquè ac præstanti, opera patrare valeat obstupescenda: & per Præsidem è sæpe populi progenitum, æquè, ac per illustri stemmate satum, te queat gubernare. Non est quod in Rectore tuo, auream desideres vitæ sanctimoniam; non est quod argentea Sapientiæ flumina requiras. Non difficile us omnipotentis Divinæ accidit; te virgâ directionis ex corylo excerpta, quàm ex cedro Libani præcisâ, in viam salutis ac perfectionis deducere; atque ad opera grandia sublimare. *Affuescant*, ait S. Ignatius. l. c. *non intueri quis ille sit, cui obediunt; sed cui in omnibus obediunt, qui est Christus Dominus.*

Quemadmodum enim, Christi in crucem suffixi simulacro eundem prorsus honorem, venerationemque exhibemus, sive ex auro, sive ex cupro, sive ex ligno, manu artificis sit, fabricatum; quia non materiam; sed figuram spectamus: ita pariter eandem nos par est præstare obedientiam, sive Præsidem illustri, sive obscuro loco natum, sive ætate, prudentiâ, & doctrinâ conspicuum, sive ejusmodi ornamentis destitutum nacti fuerimus; neque enim nos materiam intueri decet; sed figuram seu significatum: significat autem Christum Redemptorem nostrum, Olim, ut refert

Herod-

II.
Virga
Moysis
palmata.

nam
regar
Respe

Herodotus L. 2. Rex Ægypti Amasis, cum ab Ægyptiis, quod illustri loco natus non esset, parvi se æstimari conspiceret; pelvim auream, suis, suorumque convivarum pedibus abluendis destinatam, in simulacrum Dei, nescio cuius, convertit, ac populo proposuit adorandum: Id quod animo libenti populus præstitit. Quare convocatis Ægyptiis, narrato facto suo, se plevi similem fuisse asseruit, plebeio ortum genere, nunc verò ex abjecta pelvi, factum esse simulacrum, id est, regem, adeoque honorem regium sibi esse deferendum. Atque hoc pacto, ait Herodotus, ad se traduxit Ægyptios, persuasitque, ut æquitati contentaneum censerent, eisdem servire & imperio ejus patere. Haud ab simili modo, fuerit Superior antè pelvis vilis, nihil refert, nunc Dei Vicarium & simulacrum exhibet, ideoque jussis ejus est obsecundandum.

Quisquis igitur, Dei providentiã, nobis legitime propositis fuerit Superior, virgam potestatis, virgam directionis tenens, ei præemptè pareamus, sive perfectione fullerit, ut aurum; sive sapientiã radiarit, ut argentum; sive natalium & omnium donorum splendore, gemmarum instar, coruscaverit; sive etiam his carens, minimè clarescat, Deus enim in illo respiciendus est, cujus amore, homini obedientia præstatur.

II. Virga Moysis, sicut pastoralis: nam dum I. Dominus Moysen interrogaret; *Quid id quod tenes in manu?* Respondit; *virga*: Exodi 4. Virga

scilicet seu baculus pastoralis, quo regebat oves soceri sui Jethro, cujus filiam Sephoram, duxerat uxorem. Hæc virga pastoritia, quã annis quadraginta, rexit oves in Madian, ac postea aliis quadraginta annis, populum Israël, symbolum est potestatis regendi & imperandi, si activè sumatur; Sin autem passivè, virtutis obedientiæ, præsidibus etiam subordinatis præstandæ: qualis erat Moyses apud socerum suum Jethro, cui serviebat pascendo oves. Nos in præsentî modo utroque sumamus, ut cum potestatem regentis, tum obtemperantis obedientiam adumbret. Hanc igitur virgam, sive Jethro ovium Dominus, manu tenuissat; sive Moyses ejus optio, sive famulus, aut puer quispiam alius; oves æquè eam respexissent, obedienterque ac simpliciter secutæ fuissent. Par ratione S. Ignatius cepit Religiosos Societatis, cuicumque obedientiam exhibere, qui ex Superioribus, sive supremis, sive mediis, sive infimis, virgam potestatis manu tenuerit, & quidpiam præceperit. Magnum Basilium in Const. t. Monast. c. 23. hac de re differentiã auscultemus: *Quemadmodum, inquit, Pastori suo oves obtemperant, & viam, quamcunque ille vult, ingrediuntur; sic qui ex Deo cultores pietatis sunt, moderatoribus suis obsequi debent* (tam primariis, quàm subordinatis) *nihil omnino curiosius illorum jussa perscrutantes.*

Existunt verò in quovis ordine Præsides subordinati; in Ordine D. Benedicti Abbatibus subsunt priores & illorum locum tenentes; in Ordine S. Fran-

13.
Virga
Moysis
pastoritia.

S. Francisci Guardianis, subordinantur eorum Vicarii, similia in aliis Ordinibus reperias. In Societate nostra Officiales subordinati nuncupantur, quibus ex parte virga directionis seu potestatis committitur. Primus est Minister, in rebus domesticis & sibi commissis Rectorem adjuvans. 2. In majoribus quibusdam domibus & Collegiis Subminister constituitur, qui est superior juniorum & Fratrum. 3. In tyrocinio est Manuductor, Novitios in laboribus externis & exercitiis corporalibus manuducens & dirigens. 4. In Collegiis datur Gymnasij Praefectus, cui Magistri in rebus ad scholas & studia pertinentibus, obtemperant. 5. Est Praefectus Ecclesiae, Sacrificiorum ordinem, ac res Ecclesiae ordinans. 6. Praefectus sanitatis, infirmorum valetudinem curans. 7. Culinæ Praefectus, qui culinæ praestit & hi omnes potestatem nonnullam à Superiore communicatam habent, virgâque directionis certis in rebus tenent, in quibus, qui illis subduntur, velut oves sequuntur atque obediunt: haud tamen in aliis, ad officium illorum non pertinentibus.

Præclaram hanc obedientiam, quâ subordinatis etiam Praefectis paremus, aliquando in Ecclesia Dei & religionibus futuram, in spiritu prævidisse videtur Isaias Propheta c. 11. 6. dum ait: *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hœdo accubabit: visulus & leo & ovis simul morabuntur; & puer parvulus minabit eos.* Id est, in Ecclesia Dei Gentiles & Judæi, barbari & tartari, Indi & Europæi simul pacificè

degent, positâ barbarie & feritate: & in religionibus bene ordinatis, ubi maximè viget spiritus Christi, videre est, superbos & feroces evadere humiles & mites; è leonibus agnos: ita ut à parvulis & simplicibus regi se sinant: *Puer parvulus minabit eos.* Significat Isaias, ut exponit hîc Cornelius à Lapide, in Ecclesia Christi & Religione fore summam humilitatem, pacem, subordinatorem, & omnium obedientiam, sub quovis Prælato, etiam ignobili, indocto, atque imperfectioribus obnoxio. In quo sanè obedientia illustrior, & paranoi studium excellentius reperitur.

Hoc est quod contestabatur S. Franciscus Seraphicus, & de seipso libens fatebatur, ut scribit in ejus vita S. Bonaventura c. 6. Inter alia quæ dignanter mihi pietas Divina concessit, hanc gratiam contulit, ut ita libenter unius horæ Novitio obedirem, si mihi in Præsidem daretur, atque antiquissimo & discretissimo fratri: nam subditus Prælatum suum, non ut hominem considerare debet; sed in eo illum, pro cuius est amore subjectus.

Quare non solum Prælatis primariis, verùm etiam ab illis potestatem vicariam habentibus, animo libenti, velut Christo Domino pareamus.

III. Virga Moysis nomen quòque virgæ Divinæ sortita est: nam ut sacer textus loquitur: *Portans (Moyses) virgam Dei in manu.* Exodi 4. Virga Dei fuit; quoniam per eam Dominus, ad eò admiranda patravit prodigia: Verè virga virtutis, virga prodigiosa ac thaumaturga: virga potestatis Divinæ

III.
Virga
Moysis
Divina.

Divina: quâ Mo
gnum converti
pro extinxit; var
celo grandinis
exercitus; mare
toram aperuit;
de hostibus tri

Sicut sum
pretemur: in
potestas Divi
in illum dev
est: is nisi à D
stati resistit,
Arque hæc p
rioribus, on
nis largè in
cessit: Und
ejus vita nov
dicere solitu
is subesse, q
& fortuna b
tura corrupt
Deo ejusque
se, nulla seu
cùm ei cur
qui Dei vic
minoribusq
eò alienam,
gis nudat
obsequia in
divinamque
adeò que o
& glorios
Erperu
cus Borgia
nostræ relig
hicuti nov
legitur, in
testatem div
inimicum, I

Divinæ: quâ Moyses Nili aquas in sanguinem convertit primogenitos in Ægypto extinxit; vapulavit Pharaon; devocavit cælo grandinis tempestatem; profligavit exercitus; mare divisit; viamque per illud tutam aperuit; regna occupavit; nec non de hostibus triumphos egit.

Si rursus activè virgam hanc interpretemur: in Superiore, est virga Dei, est potestas Divina; à Numine supremo in illum derivata: *Non enim est potestas nisi à Deo.* Rom. 13. *Et qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* ibid. Atque hæc potestas non solum in Superioribus, omnibus naturæ ac gratiæ donis largè instructis; sed etiam in aliis elucescit: Unde noster B. Aloysius, ut in ejus vita noviter Florentiæ edita legitur, dicere solitus fuit, sibi gratius accidere, iis subesse, qui minùs corporis, animi & fortunæ bonis sunt ornati; quia natura corrupta ægrè talibus subest: At Deo ejusque personam sustinenti subesse, nulla seu natura, seu fortuna recusat; cum ei cuncti serviant Reges. Is verò qui Dei vices gerit; quò humilior est, minoribusque ornamentis conspicuus, eò alienam, vicariamque potestatem magis nudat, ac proinde clariùs constat, obsequia in illo non sistere, sed ad Deum, divinamque potestatem pertingere; adeoque obsequia tali jucundiùs longè & gloriofius deferri.

Expertus id quòque fuit S. Franciscus Borgia Duce Gandiæ Societatis nostræ religiosus, qui dexterè virgâ hac uti noverat, de quo L. 4. vitæ c. 3. legitur, in cunctis sibi præpositis potestatem divinam, mentis oculis fixè intuitum, sive donis cælestibus ornati,

virique præstantes forent, sive ex infimo Frattum, ut vocamus, coadjutorum ordine; dum enim, ne in castigatione corporis excederet, à S. Ignatio Fratri Michaëli Marco subjectus esset, diligentissimè ei parebat, non in victùs duntaxat ratione, sed in omni etiam tuenda corporis valetudine: si Marcus mandabat, comedeat; si vetabat, abstinebat; si Marcus absens alteri potestatem commisisset, & illi parebat, sinè ejus venia, nec domo quidem egrediens. Unde verò exacta & prompta adeò obedientia: in Marco, Christum Dominum intuebatur.

Quod si passivè, virgam Dei, virgam Mosaicam sumamus, pro obedientia: si quæras, cur illa in manu Moysis tot stupenda ediderit prodigia? Respondet Ecclesiastes apostolicus Joannes Paulus Oliva, Exhortatione primâ ad nostros Romæ habita: *Quia Legislatoris manus tractabilem se præbuit: Israëlitas servavit, tyrannos demersit.* Sive enim eâ Moyses aquas percuteret, sive terræ pulverem commoveret, sive eam deprimeret, sive in cælum elevaret, atque extenderet, *Legislatoris manui tractabilem se præbuit:* & hac ratione admiranda patravit. Ita quòque si Superioris manui tractabiles nos exhibuerimus; si virga flexilis, & ad nutum movibilis extiterimus, mira patrabimus, virtute obedientiæ, tanquam potentiæ obedientialis: etiamsi nec sumus sublimitate doctrinæ, & ingenii acumine Aristoteles aut Platones, nec eloquii & facundia flumine Tullio aut Demostheni pares: si tamen instar virgæ coryli, in manu superiorum, ad omnia

nia prompti fuerimus, per obedientiam: apostolici zeli prodigia patrabimus; vincemus animos, expugnabimus vitia, animas Deo lucrabimur; nam *vir obediens loquetur victorias*: Proverb. 21. 28. Unde vel oculis nostris conspicimus, non raro, viros minùs Philosophicâ ac Theologicâ scientiâ exornatos, plures Deo animas lucrari, quàm profundissimâ doctrinâ inclutos, ipsòque aded in Religione Tyrones majori ardore ac fructu rudem populum instruere fidei Christianæ elementis, quàm in Ordine religioso ætate profectos. Ante omnia verò caveamus ne regentis dexterâ excidamus: cum enim effectrix prodigiorum virga, dexterâ Moysis excidit, continuo provoluta in pulvere, in serpentem & draconem grandem mutata est, ita ut Moyses ipse perterrefactus auferret.

Idcirco, Dilectissimi, virga Moysis eorylina doceat nos 1. In Superioribus, non considerare generis nobilitatem; non vitæ virtutumque perfectionem; non ingenii felicitatem; non scientiæ laudem; sed Dei omnipo-

tentis auctoritatem: & Christi Domini personam, in Superiore reluctentem. 2. Virgam Moysis pastoritiam seu Superioris potestatem, respiciamus, honoremus, eidemque nos submittamus; sive eam manu prætulerit Superior summus, sive medius, sive infimus, sequamur simpliciter vel oves; quacunq; nos viâ duxerit. 3. Hâc ratione, virga seu potestas Superiorum, & ipsa quoque obedientia, erit Virga divina, magnâque in nobis ad gloriam Dei operabitur, in animarum conversione & salute; præsertim si ad obedientiæ nutum flexiles semper fuerimus. Loquemur victorias ac triumphos, & re ipsa experiemur id quod docet S. Augustinus & ex eo Doctor Angelicus, ac tradit Joannes XXII. Pontifex Maximus in extravag. Quorundam. De verborum signif. *Paupertas magnum bonum est, majus integritas; sed maximum obedientia: quia primis rebus, secunda carnâ, tertia menti & animo dominantur: & Mosaicæ instar virgæ, grandia per nos & stupenda operatur.*



REGULA XXXIX.
DE DESCRIPTIONE LITERARUM

EXHORTATIO

IN EANDEM,

Ostendit varias cautelas in Epistolis scribendis adhibendas.

T H E M A.

Hanc ecce vobis, charissimi, secundam scribo Epistolam, in quibus vestram excito, in commonitione, sinceram mentem.

2. Petri 3. 1.

Vel ex Regula. Si aliquis alteri scriberet &c.



Homo geminam quodammodo nactus est linguam, quâ animi sui | sensa depromit: putata, linguam, quâ verba profert; & manum, quâ literas pingit: illa est lingua oris; hanc dexteræ linguam, cum Davide, nuncupare poteris: Psal. 44. 1. *Lingua mea calamus scribe, velociter scribentis.* Vel ut clariùs Aggæus Propheta exprimit: *Factum est verbum Domini in manu Aggæi.* c. 1. 1. Et veluti illa plurimorum vel emolumentorum, vel detrimentorum scaturigo esse potest, ita pariter & hæc; unde sequitur utramque rite

esse gubernandam: imò magis referre videtur, ut sobriè, prudenterque tractetur stylus, quo scribimus; quàm lingua, quâ verba proferimus: volant enim verba, & nullum sui in aère vestigium relinquunt: at verò quæ chartæ consignantur, extant, atque perennant. Hinc orta est tanta Fundatorum Ordinum cura (& in primis S. Parentis nostri) caventium, ut literæ nec absque facultate Superiorum scribantur, aut accipiantur, nec vana aut noxia; sed utilia ac salutaria contineant; ut exhortatione præsentis exponemus.

I. Prima cautela à S. Fundatoribus præscripta est, *Ne literæ exarentur ac destinentur absque Superioris facultate.* Exegit hoc multis antè sæculis S. Augustinus in Regula c. 14. S. Benedictus

I. Cautela ut literæ scribantur cum venia Superiorum.

Vuu & dictus

dictus in Regula c. 34. S. Fructuosus Episcopus in Regula c. 5. Carmelitæ Constit. p. 1. c. 23. Carmelitæ Discalceati S. Eliæ p. 1. Const. c. 1. §. 7. Carthusiani p. 2. Statut. c. 24. n. 17. Prædicatores Constit. dist. c. 17. inter culpas graves numerant si quis literas alicui miserit, vel sibi missas legerit, quas suo Præsidi antè non ostenderit. Capuccini, Clerici Regulares Theatini, Const. p. 3. c. 7. Clerici S. Pauli L. 2. Const. c. 1. aliique plures. Quibus accedit S. Fundator noster p. 3. Const. c. 1. & in Exam. c. 4. §. 6.

Duplex autem potissimum ratio, ad hoc statuendum viros sanctos permovisse videtur; nimirum bonum commune religionis, & bonum privatum Religiosi scribentis: & quidem 1. Bonum commune: quanta enim Ordini cuius incommoda ac detrimenta accerferentur; si subditi, pro libitu, literas ultro citroque mitterent, de rebus externorum, de bellis Regum ac Principum; dum pro suo quisque affectu, contra hunc, vel illum Regem, multa exarat, quæ si interceptantur (ut non rarò accidit) quantæ inde Principum offensæ, animi aversiones, aliæque damna nascuntur? 2. Bonum privatum scribentis: si enim cuius absque facultate literas dare liceret; quantæ occasiones tentationum, præsertim junioribus & tyronibus, de suis difficultatibus, cum parentibus & amicis, per literas agentibus? quot distractiones, quot in studiisurbationes, quot in pietatis exercitiis impedimenta orirentur? Cur autem ejusmodi clanculariæ literæ scribun-

tur, nisi quia aliquid continent vel inconveniens, vel illicitum, vel noxium, quod Superiorem latere volumus? Jam enim recensentur defectus domi commissi, atque ita facilè committitur detractio: jam patefiunt commotiones contra Superiorem, & est murmuratio; jam contra fratres nostros querelæ deponuntur, & est charitatis violatio.

Jurè igitur vetatur, absque facultate *cuiquam* scribere: sive sit persona Ordinis, sive sit extranea: ac multò magis si sint parentes aut sanguine propinquo juncti: & vel maximè si sint personæ alterius sexûs, olim notæ aut familiares, id enim periculo majori obnoxium est; facilè enim antiqua renovatur amicitia & animæ periculum accersitur. *Blandas literulas & crebra munuscula sanctus amor non habet*, ait S. Hieronymus Ep. 2. ad Nepotianum.

Neque id solùm intelligendum est de literis clausis, verùm etiam de apertis, Syngraphis, memorialibus & schediasmatis. Quemadmodum declaravit A. R. P. Mutius Vitelleschus VI. Societatis nostræ Generalis Anno 1630. ad Provinciam Tolosanam hæc scribens: *Schedula nequeunt scribi sine ventâ, juxta regulam, quia sunt literæ breviores.* Idem rescripsit A. R. P. Claudius Aquaviva V. Societatis Generalis ad Congregationem Provinciam Venetam; vetans absque facultate scribi memorialia, chirographa, schedulas. Idem PP. Prædicatores in Conventu Generali hîc Treviris habito Anno 1289. statuunt: *Inhibemus, in-*
quunt,

quint, literas
quæ memorial
quia in memor
tari queunt
2. Si apertum
modi adfert,
xat, ad quem
à tabellario
derit, legi q
mal ex eo,
valet. Ex qu
omnem (sic)
clausis siue
dam, ne tu
damna rece
II. Alie
adhberi j
alus missæ
tur, qui e
dat, vel non
expedire j
trumque
Legitur id
in Regula
S. Bonaver
scribit Ne
rum Ord
Ne fortè lit
quod ten
Ur Superio
nre quean
dem, sed
juncta,
diti affec
tatem ab
rescunt: i
& virtutis
Refert
& in vitis
ne quodam

quiant, *litteras, vel schedulas, vel alia quævis memorialia*. Et ratio est prima, quia in memoriali parvo, eadem exarari queunt, quæ in majore Epistola. 2. Si apertum fit, hoc quòque incommodi adfert, quòd non ab illo duntaxat, ad quem destinatur; verùm etiam à tabellario, & aliis, quibus ille ostenderit, legi queat; adeoque plus sæpe mali ex eo, quàm ex literis promanare valet. Ex quibus liquet, clanculariam omnem scriptiõnem, sive apertis, sive clausis fiat literis, omni studio evitandam, ne tum Ordini, tum scribenti, damna recensita obveniant.

II.
Cautela
ut non
absque
facultate
legantur
alio de
mille.

II. Altera cautela à Fundatoribus adhiberi iussa est, ut literæ ad nos ab aliis missæ, priùs Superiori exhibeantur, qui eas lectas aut non lectas, tradat, vel non tradat, prout in Domino expedire judicaverit; nõsque ad utrumque indifferentiam præferamus. Legitur id quòque cautum, sub pœna, in Regula S. Augustini Reg. 9. & idem S. Bonaventura p. 1. speculi c. 4. præscribit Novitiis; & suis alumniis aliorum Ordinum Regula. Ratio est 1. Ne fortè literæ quidquam contineant, quod tentationem parere valeat. 2. Ut Superiores, subditos suos præmunire queant, si quæpiam scienda quidem, sed cum detrimento spiritus conjuncta, literis contineantur. 3. Ut subditi affectum inordinatum & curiositatem abnegent, dum literas esse allatas resciant: idque ad Dei majorem gloriam & virtutis profectum.

Refert Cassianus L. 5. Instit. c. 29. & in vitis Patrum L. 4. legitur de fene quodam, Machete nomine: huic

cùm aliquando Epistolæ Patris ac Matris, amicorumque multorum, de Provincia Ponti transmissæ fuissent: accipiens grandem fasciculum literarum, diùque apud semetipsum volvens, dixit: Quantarum cogitationum causa erit mihi istarum lectio! quæ me vel ad inane gaudium, vel ad tristitias infructuosas impellent? Quantis diebus, horum recordatione, quæ scripserunt, intentionem pectoris mei, à proposito contemplationis revocabunt? Atque hæc animo volvens, literas minime referatas, igni tradidit cremandas. Non absimile est, quod de S. Ignatio recenset Ribadeneira L. 5. vitæ c. 1. Quamobrem verò ista? Ut scilicet amorem magis magisque à sanguine junctis avellerent, & curiositatem abnegarent.

III. Tertia cautela, est, ut literarum materia à viro Religioso non sit aliena: hinc ut docent nos monita Gen. n. 4. *curandum est diligenter, ne de secularibus negotiis, aut inutilibus; aut ab eo quò scribit, alienis, literæ quidquam contineant; cujusmodi essent rumusculi, nuntii de rebus viro Religioso non consentaneis: quin etiam forme quedam scribendi, & figura, locutionesque seculararem & aulicam consuetudinem ostentes, inania officia, & affectata assentatiuncule, & id genus alia, quæ haud parum dedecent.* S. Hieronymus Epist. 87. Monacho incongruum esse censebat, *laere corpore, & lingua per totum orbem vagari.* Quis neget inconveniens esse cuivis Religioso, Deo, rebusque sacris consecrato, Urbes, emporia, oppida & regna in Hemi-

III.
Literæ
non con-
tineant a-
liena à vi-
ro Reli-
giolo.

sphærio nostro sita mente pervagari, rumores expiscari, iis chartas imple-
re, ut se aliòsque iis inaniter pascat? O
quot temporis nobilissimi horæ hac
ratione dilapidantur, quæ meliùs æter-
nitati consecrarentur? Quid, oble-
cro, ad nos, negotia sæcularia, ut iis nos
intricemus, aut iis scribendis, tempus
pretiosum, ad præmia sempiterna no-
bis comparanda concessum, frivole
infumamus? *Nemo militans Deo, im-
plicat se negotiis sæcularibus*, ait Apосто-
lus 2. Tim. 2. 4. Quid ad nos aliena, in-
utilia, otiosa, rumores ficti, falsaque
nuntia? sanè, quemadmodum ea, os
religiosum profari, nefas est, ita quo-
que calamo ejusmodi exarare omni-
no est indecens. Neque opponas ejus-
modi literis amicitiam coli, charita-
tem foveri atque conservari. Negat
enim id S. Gregorius & Symmachus;
qui veram amicitiam, conjunctionem-
que christianam, literarum garruli-
tate, & chartis haud indigere asserit:
L. 4. Epist. 28. *Facit securitas mea,
ut diligere me etiam à tacente non ambi-
gam: ergo amicitia nostra fiducia non ex
literis pendeat.* Si ne amicitia quidem
ex literis pendet sanctitate plenis,
quales dabat S. Gregorius ad Symma-
chum; quanto minus ab otiosis, inuti-
libus, curiosis, sæcularium nugis aut
quisquiliis scatentibus, pendeat? *Non
quia lingua tacuit*, ait S. Gregorius
Homil. 24. in Evang. *ardere chari-
tas cessavit. Et sol cum nube tegitur, non
videtur in terra, & tamen ardet in celo;
sic occupata esse charitas solet; & intus
vim sui ardoris exerit, & foris flammam
operis non ostendit.* Verùm demus ami-

icitiam, charitatemque conservari li-
teris; id sanè uberiùs meliùsque literæ
religioso consentaneæ quàm ab ejus
statu alienæ præstabunt.

IV. Quarta cautela in literis exa-
ratis adhibenda est, ut & res quæ scri-
bitur, ac scribendi methodus, legenti
& scribenti ad profectum in virtute
proficit, & utrumque ædificet: Postu-
lant id à nobis monita Gen. n. 4. ci-
tato: ubi jubent: *ita à nostris scriben-
dum, ut non res solùm, sed ipse etiam
scribendi modus, adificationi sit legenti.*
Tunc autem literæ nostræ ædificationi
sunt legentibus; si non vana, non cu-
riosa, non ludrica & jocosa, sed seria,
sed spiritualia ac sancta tractent; qui-
bus aut mœstos solatio recreemus:
aut afflictos ad patientiam excitemus;
aut tepidos ad amorem divinum &
perfectionis studium animemus: aut
rudes, ignaròsque rerum cœlestium
scientiã instruamus. Tales, quæ id
præstiterunt, fuere Epistolæ S. Cy-
priani Carthaginensis Episcopi ad
S. Cornelium Papam, & vicissim hu-
jus ad illum. Tales fuere Epistolæ S.
Chrylogoni M. ad S. Anastasiam af-
flictam, victamque. Tales S. Chry-
sostomi ad S. Olympiadem magni
nominis devotam, quam in fide vir-
tutèque firmavit. Quantum luminis,
mutuo literarum commercio, sibi atto-
lere, S. Basilii & S. Gregorius Na-
zianzenus, S. Hieronymus & S. Au-
gustinus? Quid de M. Gregorii, &
M. Leonis, quid de Mellistui Bernar-
di, Sapientis Paulini Nolani, Reli-
giosissimi Petri Damiani, aliorumque
pientissimis literis dicemus? Quid
denique

IV.
Literæ
spiritali-
tatem,

denique de literæ
quid in animis
gere licet in e-
toli L. 4. n. 1.
Quanta vis
stolæ paulina
illustre tro-
quem illa è
ctum, è Man-
ste romanæ
magistrum
tus juvenis
lum in man-
illud ejus ac-
malegerat
lemus, non
tatibus; no-
tis; non in-
sed induim-
sum; &
desideris.
cam ingen-
multo helici-
torum fecit
quàm lepra
elucit. E-
& agnoscent
terrenis boni-
haberem om-
que Angu-
non tam el-
tuisque
scripsit,
natis int-
purgavit
misti auru-
hominem
& sanctissim-
Exclamabat
sens intus.

denique de literis S. P. N. Ignatii? Eæ quid in animis nostrorum effecerint, legere licet in ejus vita apud Patrem Bar-
toli L. 4. n. 1.

Quanta vis & energia vel una epistolæ paulinæ sententia exitit, cujus illustre trophæum Augustinus fuit, quem illa è libidinum cæno extractum, è Manichæo Catholicum, ex hoste romanæ fidei propugnatorem ac magistrum reddidit: vix enim perditus juvenis sub arbore confidens Paulum in manus sumplerat, ac celebre illud ejus ad Romanos scriptum axioma legerat: *sicut in die honestè ambulamus, non in comessationibus & ebrietatibus; non in cubilibus & impudicijs; non in contentione & amulatione; sed induimint Dominum JESUM Christum; & carnis curam ne feceritis in desideriis.* Vix, inquam, hæc legerat, cum ingenti vi lacrymarum profusâ, multò feliciùs, sanctiùsque inveteratorum scelerum scabiem absterfit, quàm lepram Jordane Naaman Syrus elucit. *Exclamabam legens hæc foris, & agnoscens intus, volebam multiplicari terrenis bonis, cum in æterna simplicitate haberem omnia.* L. 9. confess. c. 4. Itaque Augustini conversi decus Ecclesia, non tam eloquentiæ Ambrosii, perpetuisque Monicæ Matris lacrymis adscriptis, quàm Pauli epistolæ, quæ fornacis instar ardentissimæ sordes expurgavit, vile plumbum in purissimum aurum; hæreticum impurumque hominem in admirabilem Theologum & sanctissimum Præsullem efformavit. *Exclamabam hæc legens foris, & agnoscens intus.*

Quanta efficacia, imò & potentia in qualibet Augustini manu exarata pagina, quæ non tam legentibus suadebat, quàm imperabat, sæculi fastum ponere, honorum insignia calcare; falces abjicere, patrimonia ampla largâ manu in egentes erogare; ut sibi accidisse S. Paulinus testatur: *Charitas Christi per literas tuas visceribus meis intimavit, quas & de scholasticis facultatibus affluentibus & de celestibus favis dulces, ut anima mea medicas & altrices teneo: O verè sal terra, quo præcordia nostra, ne possint sæculi evanescere errore, conduntur.* O si tales nostræ forent, quas mittimus, tabellæ! O si animarum forent medicæ & altrices; quæ instar alexipharmaci animæ morbos depellerent; aut instar vitalis ligni adversus mortis pericula, præsidium afferrent; aut instar mannæ, famem sitimque justitiæ alerent, ac enutrient; aut instar salis animas respergerent, atque à vitiorum corruptione præservarent!

Pudore meritò suffunduntur Religiosi, dum sæcularium chartas spiritu plenas perlegunt, suas verò velut mortuas, aridas, spiritûque vitali destitutas intuentur. Aspiciant non gentium Doctorem, non rectorem animarum, sed equestris Ordinis hominem, gladio cinctum, loricâ & casside protectum, Pammachium dico; de quo S. Hieronymus scripto hoc judicium tulit: *Simplices epistola tua, olent Prophetas, Apostolos spirant.* Epist. 19. ad Pammach. Cedo jam, si milites cataphracti, literas suas novæ, veterisque legis sententiis animant; quæ ignominia, quod probrum

probrum erit Religioso, in Christi schola educato, Evangelii lacte nutrito, epistolas omni virtutis ac pietatis succo destitutas exarare? Is qui hostium sanguine manus cruentat, arces inimicas expugnat, populos sub jugum mittit, Evangelistarum tonitruis personat, & Prophetarum fulminibus armatur: *Epistola tua oleat Prophetas, Apostolos spirant.* Et Religiosus, Christi miles, Crucifixi assecla, Evangelii præco, chartas circumquaque mittit, non Prophetarum oracula, non Apostolorum acroamata, sed novorum, rumusculorum, & figmentorum mendacia crepantes & buccinantes. O quale hoc dedecus & ratio agendi præpostera!

Quapropter, Dilectissimi, ne id nobis dedecoris accersamus, antedictas, in literarum conscriptione, quaternas cautelas ad amissim observemus 1. Nunquam clancularias, insciis Præsidentibus nostris, literas destinemus; sed alveum communem ac consuetum teneamus, aded ut nec chirographum, nec schediasma, nec memoriale, ut vocamus, absque facultate amandemus; sive ad nostros, sive ad externos, & minime ad sequioris sexûs personas, ne aut Religioni, aut nobismet ipsis tem-

porale vel spirituale nocumentum afferamus. 2. Idem in literis accipiendis, & absque Superiorum venia non aperiendis observemus; ut tentationibus ac periculis occurramus. 3. Procul sint ab epistolis nostris, ea quæ à statu nostro aliena sunt, procul rumusculi, & nuntii nobis non consentanei, procul sæcularia negotia, Regum bella, Principum matrimonia, inania officia, assentatiunculæ, aulicæ verborum phaleræ, aliaque Religiosos dedecentia. Sed 4. discamus à Sanctis Apostolis, discamus ab Ecclesiæ sanctæ Doctoribus, Patribusque venerandis, quin & à Pammachio Viro militari, quæ materia, quæ forma epistolarum nostrarum esse debeat; ut nimirum religiosam simplicitatem, pietatem, virtutem præferant, oleant Prophetas, Apostolos spirent: neque id difficile accidet, si spiritu Dei pleni fuerimus: ex abundantia cordis, lingua loquitur; calamus scribit: sed omnino facile erit, si de nobis diceat, quod Paulus de Corinthiis:

*Vos epistola nostra estis, scripta non atramento, sed spiritu Dei
1. Corinth. 3.*





REGULA XL.
DE REDDENDA RATIONE CONSCIENTIÆ.

EXHORTATIO

IN EANDEM,

Tradit conditiones rationis Conscientiæ.

T H E M A.

Effundite coram illo corda vestra. Psalm. 61. 9.

V E L:

Conscientia magna cum humilitate & charitate manifestanda est. Reg. 40.



THematis allegati verba, à Vate coronato, instinctu piritus Sancti prolata, triplici sensu non incongruè exponuntur. 1. *Effundite coram illo (Deo scilicet) corda vestra*, per orationem, id est, in oratione, desideria, gemitus, necessitates & afflictiones vestras, coram Deo plenè declarate. Hac ratione David ipse Psalm. 141. 3. inquit: *Effundo in conspectu eius orationem meam, & tribulationem meam, ante ipsum pronuntio.* Ita pariter Anna, Heli Pontifici respondebat: *Mulier infelix nimis sum ego, & omne quod inbriare potest, non bibi; sed effudi animam*

meam, in conspectu Domini. 1. Reg. 1. 15. 2. S. Ambrosii & Hugonis Cardinalis expositio est: *Effundite coram illo corda vestra*, per exhomologesin: Cor etenim peccatoris, cloacæ, ac sentinæ instar, peccatorum sordibus, stercorebusque cõpletum est; cui Dominus, purum gratiæ divinæ liquorem haudquaquam infundit, nisi peccator, ope Sacramenti pœnitentiæ, delictorum sordes evacuet, atque effundat. 3. Intelligi quoque rectè potest, dicta Davidis cohortatio de ratione conscientiæ, quæ in Societate, aliisque Ordinibus, Prælati redditur: *Effundite coram illo* (Prælato aut Superiore) *corda vestra*; ut tanquam Superior vos cognoscat, & dirigat, tanquam Medicus vos curet; & sollicitudine paternâ vobis tanquam Pater provideat; atque

X x x

ut

ut id melius præstetis, ternas rationis conscientia conditiones, sive virtutes, scilicet puritatem, humilitatem & charitatem, præsentis dictione, declarabimus.

L
Conscientia
maior
festanda
cum sinceritate
ut
Superiori.

I. R. P. Claudius Aquaviva sextus Societatis nostræ Generalis Præpositus, in præclarissimis industriis suis cap. 9. Terna rationis conscientia impedimenta recenset; scilicet Superbiam, profunditatem, seu candoris & charitatis defectum, atque inanem incommodi secuturi timorem. Ternis autem hisce vitiis seu defectibus, Sanctus Fundator noster, in Regula præsentè, ternas è diametro opponit virtutes, nempe humilitatem superbiæ, puritatem profunditati, & charitatem timori. Quas explicare necesse est: incipimus autem à puritate.

Effundite coram illo corda vestra; Finis hujus manifestationis est, ut Superior subditos sibi commissos probè cognoscat; atque sine detrimento salutis eorum dirigat: sunt in Societate variæ missiones, varia officia & ministeria, inter heterodoxos & orthodoxos, inter paganos & Christianos: sunt in aliis ordinibus, variæ quoque grangiæ, præposituræ, Parochiæ, Missiones, Domicilia, ad bona Monasteriorum foris administranda & procuranda, ad quæ diversi applicandi ac destinandi sunt: id autem securè & commodè fieri nequit, nisi Superior plenam suorum cognitionem adeptus sit: hujus enim cognitionis defectu, continget facilè, nonneminem eo loco collocari, in quo magna labendi occasio, & multa tentationum periculorum materia se offerat, ad quam

eò missus, vehementi impetu & animi inclinatione rapiatur, ac in ruinam præcipitetur. Ne id accadat; *Effundite coram illo corda vestra*; & magnâ puritate, charitate, sinceritate, Præfidi tanquam animarum Rectori, cordis sinus & latentes in eo inclinationes pravas detegite.

Ad idem præstandum hortatur Jeremias Propheta Thren. 20. 19. dum ait: *Effundite sicut aquam cor tuum*. Quam sententiam Hugo explicat. Cor, inquit effunde, non sicut lac, cujus color remanet; non sicut vinum cujus odor remanet; non sicut mel, cujus sapor remanet; sed sicut aquam, de qua, cum effusa fuerit, nihil remanet. Pari modo effunde de corde tuo passionum tumultus, propensionum pondus, & robur vitiatorum, ut nec color remaneat in signis exterioribus, nec odor in verbis, nec sapor in affectibus, quem non effundas atque aperias, dicens & statuens cum Isaia c. 14. 21. *Perdam Babylonis nomen, & reliquia, & progeniem & germen. Cor nostrum effundimus*, ait S. Ambrosius, *quando omnes cogitationes & voluntates cordis nostri, alicui aperimus*: Ut nimirum præmuniamur, defendamur, & custodiamur. O quot recenseri possent, in variis religiosis Ordinibus, qui claritatis defectu turpiter corrumpere?

S. Dorotheus, in vita spirituali, omnique asceteos genere longè versatissimus, disertè affirmat, nullam aliam causam quærendam lapsus omnium, quàm quòd Superioribus se clarè non detexerint, nec motus animi, morèque ad medelam obtinendam, manifestarint. Ac proinde Veteres Ascetæ, tantâ, hac

DE
hac in parte ac
Jannes Climac
gradu 4.
Monachum p
in quo omne
nem configu
mandatæ m
idem reliqu
tum fuisse.
graditur, q
ruinæ expon
dicio prop
nestuas Pat
Isaias, & g
neglecto, t
bitavit S. V
ric, Christus
tam, minist
via perfectio
ejus. Hac m
via regia est
deducens, ca
Etenim
claritas &
Vicarius sin
puritas & v
ris, aperit
vel maximè
dum huic
plurimum
ridet, tel
ter. s.
gratulat
adeoque
nt. Ita in
perfunde
bati retulit
quem velut
carius, ejus
& dicitur

hac in parte accuratione erant, ut S. Joannes Climacus scriptum reliquerit, gradu 4. Se in quopiam Monasterio Monachum spectasse libello instructum, in quo omnem conscientia suæ rationem consignaret, ad eandem Archimandritæ manifestandam. Additque idem reliquis Monachis in more positum fuisse. Et rectè id quidem: securè graditur, qui à Superioribus ducitur; ruinæ exponitur, quisquis iis relictis, iudicio proprio innititur. *Aperi cogitatio nestuas Patribus tuis*, inquit Abbas Isaias, & *gratia Dei protegat te*: quæ, eo neglecto, te deseret: ut asserere non dubitavit S. Vincentius Tract. de vita spiritali. *Christus*, inquit, *nunquam suam gratiam, ministrabit illi, qui, cum habeat, in via perfectionis Ductorem, negligat ductum ejus. Hæc manifestatio ex ductu obedientia, via regia est homines ad summitatem scalæ deducens, cui Deus innixus.*

Etenim gratissima Deo accidit hæc claritas & cum Superioribus, Christi Vicariis, sinceritas: cum enim ipse, sit puritas & veritas summa: animis sinceris, apertisque ac veritatis amantibus vel maximè delectatur: quemadmodum huic virtuti contraria obscuritas, plurimum ipsi displicet, & Dæmoni aridet, teste S. Dorotheo antè laudato term. 5. *Cacodæmon*, *de eo sibi maximè gratulatur, qui Duce & Governatore caret*; adeoque proprii iudicii ductum sequitur. Ita in primis de uno Fratre, gaudio perfundebatur; de quo S. Macario Abbati retulit: *Habeo unum e fratibus tuis, quem velut turbinem, pro libitu, verso.* Macarius, ejus accepto nomine, accersitum & diu restitorem, tandem fateri coë-

git, quod reserat, & quo in cardine versaretur, quibus pravatum cogitationum insultibus quateretur; illque detectis, correctus & quieti restitutus, eâ animi deinceps constantiâ fuit, ut Dæmon in eum, tanquam aliis duriorem, maledicta evomeret. *Igitur effundite coram illis*, seu Superiore, seu conscientia arbitro, *corda vestra*, & tuti eritis, Dæmonumque victores evadetis.

II. Proxima conditio, seu virtus in ratione conscientia, & superbia contraria, est humilitas; quâ Superiori, sive Provinciali, sive locali, sive conscientia directori, animi plagas & vulnera detegimus. *Effundite coram illis corda vestra.* Verùm, habet, inquis, hæc effusio cordis, hæc sui pectoris denudatio, & arcanorum mentis manifestatio difficultatem suam; ex verecundia & pudore ortam; quâ quisque miseras suas aperire refugit. At huic remora humilitatis clypeum oppone: & scito Præsidentem tuum, Medici partes agere; ac proinde coram spiritali hoc archiatro, instar infirmi, morbis corporis oppressi te gere. Quid præstat ægrotus, dum Medicum adsciscit? An non morbum, & morbi causas atque origines; & si fortè pluribus infirmitatibus jactetur, singulas aperit? An non & morbi tempus, & humorum temperiem, seu complexionem propriam, exactè exponit: magno alioquin vitæ periculo exponendus, si Medicum informatione debitâ, haud instrueret? Imò an non quandoque secretiores etiam partes, non absque rubore, Medico ostenduntur ut curentur? Pari ergo methodo, ægritudines spirituales, animique dispositiones, tam præsentem

II.
Cum humilitate,
ut medico

quàm præteritas explica, ut sanentur: nam ut docet S. Hieronymus super Ecclef. 10. *Quod ignorat, medicina, non sanat.*

Quapropter rectè monet Ecclesiasticus c. 18. 20. *Ante languorem adhibe medicinam*: quemadmodum enim ante languorem corporis, adhibes antidota, alexipharmaca, ac præservativa; ita quoque & multò magis, in morbis animæ, adhibe medicinam: sed qualem? Cum humilitate, cum candore & puritate, intimos mentis tuæ sinus ac recessus Præsidi aut conscientie Directori aperi, ut morbi & mortis pericula prævertat; nec ullate verecundia absterreat: ut enim l. c. idem Ecclesiasticus suadet: *Ante languorem humilia te*. Sentus literalis est, ante languorem oportere sobriam vitam ducere, abstinentiâ corpus macerare, atque ita se humiliare; ne quis in morbum prolabatur: jam verò, si haud difficile reputatur, ad præveniendam ægritudinem corporis, sobrietate cibi potûsque corpus humiliare; quis sanum esse consilium inficias iërit, sese coram Deo & Superiore deprimere? Quæ sanè Deo gratissima, hominiquè utilissima est humilitas.

Ante languorem humilia te? Humilias te, dum devicto rubore, cor tuum effundis: quæ cordis effusio seu manifestatio, pharmacum tibi, medelamque præstantissimam & multiplicem exhibet. Quid enim? Medicinam præservativam desideras? Conscientie manifestatio, à vitiorum morbis & tentationibus custodit. Purgativam optas? A peccatorum & culpatorum fordibus emaculatur. Vis conservativam? Sanitatem acquisi-

tam in flore & vigore suo tuetur. Confortativam cupis? Vires animæ in exercitio virtutum, præsertim humilitatis, corroborat. Denique si emollitivam ac lenitivam malis, illa Deum emollit, propitium reddit ac placat, ut eò majoribus te cumulet favoribus & gratis, quò candidioris pectoris, mentisque demissioris & fidelioris erga Vicarios suos te deprehenderit: id quod antedictis Ecclesiastici verbis Spiritus Sanctus insinuat, dum mox subtextit; *Ante languorem humilia te, & in conspectu Altissimi invenies propitiationem*. l. c. Quis igitur, ut hæc medelâ gaudeat, ante languorem se humiliare, sinusque cordis aperire recuset?

Hanc sanè manifestationis suæ humilitatem miris præconiis exornant, & commendant sancti Patres. Basilus, Ambrosius, Hieronymus, Bernardus, Gregorius, Benedictus, & alii; dum eam multorum meritorum, & coronarum caelestium causam, veræque demissionis notam ac tesseram esse profitentur: Existimas fortasse, genuinâ humilitatis virtute præditum esse te, cum eâ tamen careas: probam ejus desideras? Clarissimam, conscientie manifestatio, ejusque sinceritas & claritas, aut ejusdem obscuritas tibi præbebit. Rectè enim Cassianus L. 4. c. 19. inter humilitatis veræ indicia, illam secundo loco recenset: *Vera, inquit, humilitas est, si non solum actuum suorum, verùm etiam cogitationum, nihil suum celaverit seniore*. Abbas verò Moyses collat. 2. c. 10. primo eam loco collocat, dicens *Vera discretio non nisi verâ humilitate conquiritur: cujus humilitatis hæc erit prima probatio, si universa,*

III. Cum Charitate & Patri

DE
 non so
 am que cogit
 examini. Ad
 ne dictus in te
 militatis grad
 malas, cordi s
 absconse vom
 nem, Abbat
 que Gregori
 canoorem a
 primis eam
 tibus comm
 eo, qui volu
 rentur inte
 cera pietas
 confessionem
 tot sublimi
 Hæc igitur
 rus rationi
 Medico, hu
 & ante vel
 liemus, qu
 tem & an
 peratam c
 tur S. Cyp
 est, ubi pla
 tatem, me
 vulnus, qu
 III. Te
 dimento
 modorum
 ritas: Ma
 S. Ignati
 rem: cha
 suspition
 tionibus
 festatione
 sionem
 non alia in
 sua vulneta

universa, non solum que agenda sunt, sed etiam que cogitantur, seniorum referuntur examini. Ad stipulatur S. Patriarcha Benedictus in reg. c. 7. asserens: *Quintus humilitatis gradus est, si omnes cogitationes malas, cordi suo advenientes, vel mala à se absconse commissa, per humilem confessionem, Abbatem non celaverit suum.* S. quoque Gregorius M. humilem ejusmodi candorem magnis effert laudibus; & imprimis eam in sancto Job præ aliis virtutibus commendat: *Mirentur, inquit, in eo, qui volunt, castitatis continentiam, mirentur integritatem justitiæ, mirentur viscera pietatis, ego in eo non minus admiror confessionem humillimam peccatorum, quam tot sublimia gesta virtutum.*

Hæc igitur, altera est conditio & virtus rationis conscientiæ, ut eam, veluti Medico, humilitate magnâ, aperiamus, & ante vel post languorem nos humiliemus, quò Dei gratiam, animæ sanitatem & amissam recuperemus & recuperatam conservemus. Ut enim loquitur S. Cyprianus L. de zelo: *Facilis cura est, ubi plaga perspicua est, & cito ad sanitatem, medelâ subveniente, perducitur vulnus, quod videtur.*

III. Tertia conditio & virtus, impedimento tertio, scilicet metui incommodorum futurorum, opposita, est charitas: *Magna cum charitate se aperiant,* ait S. Ignatius. Charitas foras mittit timorem: charitas non cogitat malum, non suspicionibus movetur, non perturbationibus agitur; non metuit ex manifestatione sui contemptum, non depressionem, non abalienationem animi, non alia incommoda: quoniam revelat sua vulnera Superiori, non ut Judici &

vindici; sed ut patri & amico, qui compassione tangitur, qui opem adferre conatur, solatium impertit, atque ad meliora dirigit: imò instar benevolentissimi Parentis puerum ægrum aut vulneratum, non irâ & furore; sed dolore & compassione profecquitur.

Effundite ergo coram illo corda vestra: ejus latibula detegite; quidquid mali absconditum est, in sinum paternum conjicite; & instar pueri, spinam pedibus infixam gerentis, absque incommodi metu ad paternam manum, ut eximat, recurrite. Magnum profectò beneficium est, fidelem nancisci amicum, in rebus hujus sæculi, cui cordis tui arcana tutò possis committere: cujus consilium sequere, cujus opem expectare valeas. Res autem animæ potiores sunt, majoribus difficultatibus patent, pluribus discriminibus expositæ sunt. Quidni igitur fidelem amicum, qui nos instituat, juvet, tueatur ac dirigat, magni æstimemus? Quis autem amicus sollicitudine, & vigilantia, fidelitate & sapientia præstantior, Prælato, à Deo in Patrem, Præceptorem, ac Ducem nobis assignato, rationemque de nobis, nostræque curâ reddituro? Quamobrem igitur ab illius oculis nos abscondemus? Et instar Adæ, conspectum illius fugiemus? Expendamus præclarissima Divi Augustini verba L. de amico fideli prolata c. 5. *Quæ felicitas, quæ securitas, quæ immunitas est, habere, cum quo æquè audeas loqui, ut tibi? Cui confiteri non timeas, si quid deliqueris, cui non erubescas revelare de spiritualibus si quid profeceris? Cui cordis tui omnia secreta committas & commendes consilia? Amicus fidelis,* ait Sapiens, *medicamentum*

camentum vite Eccli. 6. 16. Non enim validior, nec efficacior vulneribus nostris est medicina, quam habere, qui omni incommodo occurrat compatiens, omni commodo occurrat congratulans, ut junctis humeris, onera sua invicem tolerant.

Effundite, igitur, coram illo corda vestra; tanquam Filii coram Patre amantissimo: sanè vidimus non rarò, accurrentes ad Superiorem, ut morbos suos aperiant, solâ manifestatione sanatos: diabolus enim libens piscatur in turbido, & in tenebris ambulat; detectus autem fugit, ipsaque culpa, humilitate & confessione lassescit. Vcluri apud Climacum gradu 4. & apud Cassianum coll. 2. c. 11. exempla luculenta testantur.

Quocirca, Charissimi, dum suis temporibus conscientia ratio reddenda est, terna prædicta, spiritualis profectus impedimenta, profunditatem, superbiam, & incommodi secuturi metum, procul amandate; & vice versâ, oppositas virtutes assequi contendite. *1. Effundite coram illo corda vestra, cum puritate & sinceritate: generale enim & evidens indicium, diabolicæ cogitationis esse, pronuntiat Cassianus, si eam seniori aperi-*

re confundamini. Veterum Ascetarum more, sicut aquam, passiones, perturbationes, propensiones, cogitationes & affectiones effundere & revelare non reformidate; ita Deo quidem rem longè gratissimam, Dæmoni autem invisissimam præstabitis. Deinde effundite coram illo corda vestra, tanquam infirmi coram Medico nullâ verecundiâ aut pudore retardati; quemadmodum ægri corpore, occultissima sua mala pandere non verentur. Ante languorem, in languore, post languorem medicinam adhibete; humilitatem sectamini, ita multiplicem medelam invenietis. Qui vulnus detegere & auxilium gerere negligit, suâ non immeritò negligentia perit: ait Cassianus L. 4. Inst. c. 9. Denique effundite coram illo corda vestra, tanquam coram Patre, à cujus benevolâ manû auxilium, non incommodum vobis expectandum est: Effundite, ait S. Augustinus in Psalm. 61. coram illo corda vestra: nolite corda vestra retinere intra corda vestra, effundite coram illo corda vestra: non perit, quod effunditis: ille enim susceptor meus, si suscipit; quid timetis effundere?





REGULA XLI.

DE MANIFESTATIONE SUI.

EXHORTATIO I.

Ostendit à Subditis tentationes, defectus, Pœnitentiæ opera, devotionis exercitia ac virtutes Superioribus manifestanda esse.

T H E M A.

En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt. Cant. 3. 7.

V E L:

Nullam debent celare tentationem. Reg. 41.



Ociæ Sponsæ magnificentiâ ac splendorem Salomonis, laudibus celebraturæ, inter cetera magnalia lectulum ejus apud sponsam deprædicant, dum in Cantico Canticorum c. 3. 7. inquirunt: *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt, ex fortissimis Israël, omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi: Vniuscusque ensis super femur suum, propter timores nocturnos.* In sensu literali, Rex Salomon ejusmodi stipatores habuit sexaginta, quemadmodum

David Parens ejus triginta numeravit, qui eum diu noctûque custodirent, quomodo hodie dum Helvetii Pontificem, aliôsque Principes custodiunt.

At in sensu mystico ac tropologico. Verus Salomon est Christus Dominus, Salvator noster, Rex pacificus; cujus lectulus, ut S. Gregorius & Venerabilis Beda docet est Anima quieta, à rebus terrenis & Mundi tumultibus separata, quæ fluctus passionum edomat, ut pace & tranquillitate audeat. In ejusmodi Animâ, Deo deditâ, & à mundo avulsâ, Christus Dominus velut in molli lectulo requiescit. quam & 60. fortes ambiunt, curâque

curaque solerti custodiunt. At quānam illi? *Fortes* hi sunt Angeli (ait Aponius) qui nos custodiunt. *Fortes*, inquit Philo Carpathius, sunt Sancti, tum in Mundo viventes, tum Beati in cælo, qui meritis, verbis & exemplis suis nos tutantur. Verūm ad intentum nostrum, *Fortes* sunt (ut exponit S. Gregorius & Cassiodorus) Superiores, Doctores, Instructores, & Conscientiæ Directores, qui pro animabus sibi commissis vigilant, easque ab hostibus ac tentationibus defendunt: *Omnes ad bella doctissimi*, in bello enim spirituali adversus Mundum, Carnem, Dæmonem, perquā sunt periti. *Ommestenes gladios*, Sed quōsnam? Gladius est verbum Dei: *Vivus est enim sermo Dei, penetrabilior omni gladio ancipiti.* Ad Ephes. 6. 13. Gladius est Oratio, quā fugantur timores nocturni. Gladius est mortificatio, aliāque Media & alexipharmaca spiritualiā. His igitur fortibus pro nobis vigilantibus curāque nostrī gerentibus, si illis candidè & sincerè, ut exhortatione præcedente exposuimus, mentis nostræ arcana aperuerimus, securè dormiemus, & quiescemus. Quare sicut priore dictione manifestationis condiciones & virtutes; ita in præfenti materiam, seu res manifestandas exponemus.

I,
Manifestanda
sunt tenta-
tiones.

I. Lectulum veri Salomonis, id est, animam Deo consecratam, hostes infernales tanquam Leones rugientes circumeunt, ut devorent, inquietent, & tentationibus suis ad peccata pertrahant: Unde vigilandum est Superioribus & Directoribus, ut defendant, & timores nocturnos expellant: *Vniuscuiusque ensis super femur suum propter timores nocturnos.* l. c. Nocturni

timores sunt insidiæ tentationum occultæ (ait S. Gregorius L. 10. Moral. c. 3. & 4.) Quo autem pacto Superiores ac Directores occultas hæc retundent insidias, nisi hæ ipsi aperiantur? Unde S. Ignatius Reg. 41. *Nullam debent celare tentationem, quam Praefecto rerum spiritualium, vel Confessario, vel Superiori non aperiant.* Nequam spiritus id habent proprium, ut omnes quidem; sed non uniformiter omnes tentent: Observant enim loca congrua, tempora apta & singulorum naturas, ut ad suum, quos tentant, consensum pertrahant: callidā enim arte unicuique, Deo permittente, secundum gradum suum, ad decipiendum, laqueos tendunt: *incipientes namque* (ut docet S. Laurentius Justinianus L. de discipl. c. 12.) *impugnant de difficultate spiritualis belli, de austeritate vite, de asperitate Penitentiae, de memoria peccatorum delationum, de affectione Parentum, de sodalium & amicorum lascivā conversatione, de instabilitate Status, de tentatione & laboriosa impugnatione, de mulorum casu, qui ceperunt, nec perseverarunt, & de impossibilitate perseverantiae usque ad vite terminum.* At quid in hac luctā consilii? *Nullam debent celare tentationem quam non aperiant.* Si aperiat duntaxat, collabac-

Nec solūm Tirones novellos in via Domini impugnant Tartarei Spiritus; verūm etiam (ut pergit idem S. Laurentius Justinianus) *Contra Proficientes nimio furore bachantur, nam adversus eos omnium tentationum genera (si permisi sunt) irruere faciunt. Pronos ipsos ad iracundiam, ad elationem, ad gulam, & ad singula queque vitia reddunt: præcipue tamen*

ad

adificationem
huius ad illis fecerit
et fatique leon
sunt militibus
si quoquo modo
delictorum.
deserunt tent
dem longè
res, contra e
Sanctus An
Sanctus M
cientiā didi
solari ac re
quod sugg
lam debent
aperiant.
hilum recio
licet anima
tranquillat
horum &
morum, p
Præ reli
da est tent
five profic
rit, si Ca
nia esse ce
das esse sty
ipse jam n
daturus su
vel: Sup
aut puer
res frivo
detexer
tum, se
ostium S
viciosa h
tus enim
anima,
bertimè a

ad fornicationem: non diebus, non noctibus ab illis secedunt: & tanquam rugientes & virique leones, sine ulla requie infesti sunt militibus Christi generosè certantibus, si quoquo modo eos impingant in consensus delictorum. Imò nec viros perfectos deserunt tentationum impetus, & quidem longè graviores & vehementiores, contra eos non rarò insurgunt. Ut Sanctus Antonius, Sanctus Hilarion, Sanctus Macarius, aliique Sancti experientia didicere. At quid in omnibus solatii ac remedii? Non minimum est, quod suggerit Sanctus Ignatius: *Nullam debent celare tentationem, quam non aperiant.* Modò aperiant, illico in nihilum recider: & lectulus Sponsi, (scilicet anima justus) turbatus, agitatúsque tranquillabitur, ac ope fortium, Directorum & Superiorum ad bella doctissimorum, pace perfruetur.

Præ reliquis autem gravior censenda est tentatio Religiosi, sive Tiro, sive proficiens, sive etiam perfectus fuerit, si Cacodæmon ei persuaserit, omnia esse celanda, nec Superiori aperiendas esse stygias versutias. Tu, inquit, ipse jam nosti, quid responsi Superior daturus sit; parùmque id tibi proderit: vel: Superior te tentatis, imperfectis, aut pueris annumerabit, si ejusmodi res frivolas, similésque quilibet ei detexeris. Contra hunc stygis assultum, sciat Asceta, nullá aliá ratione, ostium Sathanæ ampliùs referari, quàm vitiosâ hujusmodi taciturnitate. Spiritus enim tenebrarum, cum hujusmodi anima, absque interpellatore ullo, liberrimè agit; quidlibet persuadet; &

velut piscem hamo, aut volucrem captam filo circumducit: cum nullo alio vitio, remediis omnibus, ita aditus intercludatur. Quare Sanctus Basilius Reg. fus. disp. resp. 46. hunc errorem dissuadens dictum Salomonis, Proverb. c. 18. allegat: *Qui non medetur sibi ipsi (cum facile queat revelando morbum curare) frater est sua opera dissipantis.* Quantæ superbix est, existimare, suam sibi, sine duce prudentiam, sapientiámque sufficere? Quantæ arrogantix est credere, responsum sibi à Præsidente dandum, jam tum sibi liquere? Verbum Superioris, Verbum Dei est, qui verbulo plùs potest, quàm alii cunctis viribus: ipsi sunt fortes, & ad bella doctissimi, tui curam gerentes, & te in timoribus nocturnis defendentes: ut experientiâ Serapion expertus est, dum panis furto revelato, illico Dæmon fugatus est. Cassian. coll. 2. c. 11.

II. At nihilne præter tentationes, lectuli tui custodibus à te detegendum est? interroga Sanctum Ignatium, qui mox tibi reponet. *Totam animam integrè manifestanda esse: nec solùm defectus aperiendos, sed etiam pœnitentias, mortificationes, devotiones ac virtutes omnes, idque cum desiderio directionis, casu quo à rectitudine deflecteretur.* Primò igitur detegendi defectus, sive habituales illi, sive actuales fuerint: habituales, dico vitia ad peccatum inclinantia: actuales verò opera ipsa vitiosa; in quæ prolabimur. Hujus autem manifestationis causa facilè patet: Ut nimirum conscientix nostræ Director, simulque Medicus, media convenientia præ-

Yyy scribar,

II.
Defectus.

scribat, & alexipharmacatribuat, tum pravis habitibus abnegandis, tum actibus pravis præveniendis opportuna. Nos ipsi in rebus propriis cæcutimus; defectus nostros non cernimus; aut perperam excusamus; vel instar ægrorum Medico carentium, crebrò medicamina inconuenientia usurpamus; ideòque sanitati uinimè restituimur. Verè & præclare S. Joannes Climacus gradu 4. de obed. *Qui cæcum dux, pastore gregem, via ignarum ductore, infantem patre suo, ægrotum Medico, gubernatore navem destituit; utriusque periculum parat. Qui verò sine Patris consilio, contra spiritus nequam pugnare nititur, ab illis occiditur.* Non latuit hoc Ven. P. Bernardinum Realinum, opinione sanctimonix celebrem in Societate nostra virum, qui quot hebdomadis, Tironis instar, Superiorem adibat, rationem animi redditurus; suos in charta notatos defectus ferens; & quidquid interiorem spectabat curam, exponens, atque in omnibus ejus arbitrio acquiescens. Tannerus in vita p. 496. O quam anima ejusmodi, mollis, gratusque est lectulus, in quo sponus securè quiescat! Quam tutà defluit undâ phaselus, quæ vigili Rectore gubernatur!

III.
Pœnitentia,

III. Vigiles & lectuli custodes etiam advigilare necesse est ut in jejuniis, mortificationibus, ac operibus pœnosis, modus seruetur, & excessus caveatur: sicut enim ubique laquei, ubique pedicæ, teste S. Ambrosio, *Multi laquei, quasunque ingredimur: Laquei in corpore, laquei in lege.* 4. in cap. 4. Luca. Ita quoque laquei in epulis, laquei in jejuniis,

laquei in deliciis, laquei in operibus pœnosis delitescunt: quare ne ab aucupe avernali capiamur, & strangulemur; opera quoque pœnosa conscientix arbitris detegenda sunt; etiam illa, quæ facultate illorum obimus; ut illis constet, num modo conveniente, ac secundum concedentium intentionem ea usurpemus: deinde num profectui nostro spirituali, nocumento, an adjuumento existant. Latet enim laqueus, & suspectus habendus est imperus ille, aut impulsus, ad ingentes, inusitatæque corporis afflictiones, & jejunia; præsertim, si absque licentia suscipiantur. Quid enim aliud hoc laqueo intendit Diabolus, nisi ut ad Ordinis labores, Apostolicasque, circa proximi salutem, functiones inutilem reddat, majusque bonum sufflaminet. Potissimum verò illaqueare solet, ante Ordinis ingressum, jejuniis, vigiliis, corporisque castigationibus valde addictos, qui in ordine, consueta solum opera pœnitentiæ obeuntes, laxiorem vivendi rationem suscepisse sibi videntur. Verùm hujusmodi nosse oportet dictum Apostoli I. ad Tim. 2. *Corporis exercitatio ad modicum valet; pietas autem ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est, & futuræ.* Corporis exercitatio, aut castigatio, regulæ repugnans, vel Superiore incio, invitoque suscepta ad modicum valet. Pietas autem ad omnia utilis. Pietas autem est, juventutem, timorem Domini docere; pietas est, pro concione populum à vitis deterre, atque ad virtutes incitare: pietas est, quovis modo Dei gloriam & mortalium

IV.
Deventio-

illum salu-
Sanguis præ-
Nolle præter-
precipuan-
tentiam,
voluntatis p-
num, vici-
gatione,
quod in ip-
dis non
tem sequi
ra fortis
animæ,
que cœ-
tem.
IV.
Deventio-
nes.
tionis ex-
fidiæ oc-
timendi
bique la-
queorum
ras, ait S.
in medio
in medio
hinc la-
quet à si-
quet in
pietatis
Dæmon-
devotio-
cedines
tiones
arbitr-
ramur
in his
in la-
tia. Es-
ditation-
nes, aff-

talium salutem procurare; ne JESU Sanguis pretiosus fructu suo frustretur. Nōsse præterea illos oportet, veram & præcipuam mortificationem ac pœnitentiam, in abnegatione judicii & voluntatis propriæ, nec non passionum, vitiosorumque affectuum subjugatione, sitam esse; atque adeò, in eo, quòd in ipsis operibus pœnosis obeundis, non suam, sed alterius voluntatem sequantur. Hâc ratione sexaginta fortibus advigilantibus, lectulus animæ, securitate gaudet, spontoque cœlesti amœnam præbet quietem.

IV.
Devotio-
nes.

IV. Verùm num etiam in devotionis exercitiis, timores nocturni, insidiæ occultæ hostis tartarei, laqueique timendi? Si Augustino credimus, ubique laquei & decipulæ. *In medio laqueorum ingrederis.* Eccli. 9. 20. *ignoras, ait S. Doctor, in Psalm. 141. quia in medio laqueorum ingrederis? Quid est in medio laqueorum, in via Christi? Et hinc laquei & hinc: laquei à dexteris, laquei à sinistris: laquei in prosperitate, laquei in adversitate.* Ita sanè etiam in pietatis & devotionis operibus, insidiæ Dæmonum & laquei. Ideoque sive in devotionis actibus adsint gustus & dulcedines, sive ariditates; sive consolationes, sive desolationes, conscientiæ arbitris aperienda sunt; in illis ne efframur, & irretiamur laqueo superbiæ, in his ne dejiciamur ac præcipitemur, in laqueos desperationis & diffidentiae. Exponendæ igitur, orationes, meditationes, illustrationes, inspirationes, affectus, proposita: complures

enim, ut vitæ Patrum perhibent, ab Angelo Sathanæ delusi, deceptique fuere, uti & hodie dum nonnullis accidit, præcipuè per consolationes: quibus in animi elationem eriguntur, existimantes se jam sanctimoniam apicem attigisse, cum vix fundamentum vitæ Religiosæ, mortificationisque locarint. Quare delusio est, existimare, non rectè succedere meditationem, nisi solatiorum mel degustetur: delusio est, censere preces malè instrui nisi lachrymarum dulcium imbres fundantur: delusio est, illo tempore precationi insistere, quo ab obedientiâ, vel somnus vel labor præcipitur. In omnibus enim his quid humani generis hostis aliud intendit, nisi ut obedientiæ ordo perturbetur; aut orans immodicâ capitis, pectorisque constrictione utrumque lædat, atque ita debilitet; ut postmodum ab oratione penitus desistere cogatur, & ad Ordinis munia ineptus reddatur?

V.
Virtutes.

V. Denique ipsæ etiam virtutes, operaque bona, ex S. Ignatii mente, sunt manifestanda: nam & in his laquei, in his foveæ, in quas incidere; dubia & perplexitates, quibus nos Dæmon involvere; avia & devia, in quæ possumus declinare. *Est via que videtur homini justa, novissima autem ejus deducunt ad mortem,* inquit Sapiens, Prov. 14. 12. Diabolus enim transfiguratur se in Angelum Lucis, & vitia sub virtutum specie suadere assidue nititur: ut ait Sanctus Laurentius Justinianus L. de disc. c. 12. Nam sub colore zeli, furorem inserit; sub justitiæ imagine

crudelitatem ; sub velamine charitatis, carnalem affectionem ; sub prætextu honoris DEI, privatam laudem ; & sub desiderio salutis animarum, prælationis officium suadet, ut quæratur. Hortatur etiam ad prædicationes, ad sæcularium conversationem, & ad virorum, mulierumque indistinctam colloctionem ; illud Apostoli commemorans : *Omnibus omnia factus sum, ut omnes lucrifaciam.* 1. Corinth. 9. In his omnibus latent fraudes & inimicorum laquei formidabiles, quibus capiuntur qui carent prudentiâ & elatum habent cor. O quot, qui jam inter astra nidos suos collocasse videbantur, occasione fraternæ charitatis, in lutum carnalis concupiscentiæ turpiter corruerunt ! Quot temporibus nostris fuerunt & sunt, qui tanquam ardentes lampades & mundi luminaria lucebant coram hominibus ; paulatim ex frequenti sæcularium conversatione & confabulatione tepesfacti, ad pristina opera sæcularis vitæ miserabiliter redierunt ! ita Sanctus Laurentius Justinianus.

Manifestandæ idcirco sunt etiam virtutes ; ne sub specie virtutum in vitia dessectamus, & sub palliolo charitatis, in sordes carnalis concupiscentiæ ruamus ; & sub integumento divini honoris, propriam laudem, inanemque gloriolam venemur. Vicina sunt vitia virtutibus : quare monet Sanctus Hieronymus Epist. adversus Luciferianos : *Conveniat unusquisque cor suum, & in omni vita inveniet, quàm raram sit, fidelem animam inveniri, ut nihil ob glo-*

via cupiditatem, nihil ob rumusclos hominum faciat. Neque enim statim, qui jejunat, Deo jejunat ; aut extendens pauperi manum, Deo sanerat. Vicina sunt vitia virtutibus ; difficile est, Deo iudice esse contentum. Ne igitur fallamur, aut decipiamur ; vitæ duce opus est ; periculosum aut certè parùm tutum est, viam longinquam ingredi, quam nunquam sis expertus : quantò igitur magis in via ad æternitatem, maximè longinquâ ductore opus erit, ne exorbitemus ? Hunc verò Ducem, si in dubiis consultuerimus, si arcana nostra retexerimus ; haud finet Divina Bonitas, nos à rectitudine & medio virtutis, in alterutrum extremum deviare.

Non possum, quin ipsiusmet Sancti Ignatii exemplo hos Sathanæ laqueos, ad Tironum omnium cautelam declarem. Hic enim sub vitæ melioris exordium, visus est in omnibus prædictis, quia sese non aperuit, impegisse : Nam 1. sensit vehementissimas tentationes, vanæ gloriæ stimulos, desperationem virium, ad vitam tanto rigore continuandam ; sed vel maximè & molestissimè scrupulis à Dæmone exagitatus Tiro Christi fuit ; adeò ut non nisi aversum à se Deum, à quo æternùm esset perdendus, cogitare posset ; & quodammodo violenter, ad vitam aut præcipitio, aut ferro, aut laqueo abruptendam, impelleretur. Totus ibat in lachrymas, rugitus & clamores ; in cælum ad Deum vociferans, inde ut aliquid sibi opis adesset, quam frustra ab hominibus quæreret. 2. Absque consilio arbitri conscientiæ suæ, admi-

admirabiles assumpsit pœnitentias, tri-
duana & quatruiduana jejunia, humi-
cubationes, cilicia, flagellationes, vi-
giliis, orationes, meditationes septem
horarum: quibus vires ita prostravit,
sanitatemque pessundedit, ut animo
linqueretur & vitæ periculum adiret.

3. Vita est tandem illi pia vis, quam
de aliquo Sancto legisse meminerat,
DEO adhibenda, decrevitque tam diu
cibo abstinere, donec liberationem,
à DEO afflicti miserente, exorasset:
& produxit à Sabbatho usque ad Sab-
bathum alterum, nec panis quidem
micâ, aut aquæ stillâ admisâ. Et
progressurus erat ulteriùs nisi conscien-
tiæ Director, rein edoctus, vetuisset:
cujus imperium, simul secuta est Igna-
tio plena animi tranquillitas. Tanne-
rus in vita pag. 4. Ecce quàm potens
remedium, in momento, omnia Dæ-
monis tentamenta retundendi: Dire-
ctoris imperium plena tranquillitas
sequitur.

Quapropter, Dilectissimi, quando-
quidem anima nostra veri Salomonis,
Christi Domini nostri, lectulus est,
quem tot fortes ambiunt, gladium
tenentes, & ad bella spiritualia doctis-
simi, his viris fortibus, Superioribus
inquam, Præfectis Spiritûs, & animæ
gubernatoribus, nos ex assè commit-
tamus; in dubiis & perplexitatibus ad
eos confugiamus; tentationes, defe-
ctus, pœnitentias, devotiones, & vir-
tutes, perspicuè illis manifestemus;
sensumque nostrum ac judicium, illo-
rum judicio submittamus, quos Christi
Domini loco tenemus, ac fideliter iis
obtemperemus: quod si fecerimus:
omnes tentationes, scrupulos, anxie-
tates, pericula feliciter evademus, Dia-
bolique astutias ac technas declinabi-
mus; contra quosvis timores nocturnos
tuti, securique erimus, & feliciter
ad perfectionem ac patriam
cœlestem prope-
rabimus.



EXHORTATIO II. IN REGULAM XLI.

De variis tentationibus Religiosorum, præsertim Tironum.

T H E M A.

Capite nobis vulpes. Cant. 2. 15.

V E L:

Nullam debent celare tentationem. Reg. 41.



SAMSON inter Hebræorum Judices, bellicosq; Archistrategos præ ceteris fortitudinis gloriâ inclytus, ut Libri Judicum c. 14. recensent, mirâ Dei dispositione vulpes collegit omnino trecentas; quarum caudas colligavit, faces accensas in medio interposuit, atque ita illas dimisit: hæ verò illico huc, illucque discurrerunt, ac non modò segetes & fruges in agris; verùm etiam vineas & oliveta Philistinorum, igne disperso, consumpsere. Phalangis stygiæ Dux, Samsonem imitatus, trecentas colligit vulpes, id est, trecentas concipit versutias, fraudes, ac tentationes, quibus

Religiosorum, Tironum præcipuè, agros & vineas, id est, Animas sive Mentem destruat, atque succendat, ne optatos fructus proferant: Quod ut facilius expediat, cujusque genium, indolem, inclinationem callidissimè explorat. *Novit Diabolus*, inquit S. Leo Serm. 7. de Nativ. Dom. *cui adhibeat astus cupiditatis, aut illecebras Gula ingerat; cui apponat incitamenta Luxuria; cui infundat virus Invidia; quem micore conturbet; quem gaudio fallat; quem metu opprimat; quem admiratione seducat; & omnium discutit consuetudines; ventilat curas; scrutatur affectus; & ibi causas querit nocendi, ubicunque viderit studiosius occupari.* Ut igitur noverimus vulpinari cum vulpibus, fraudes ac tentationes hæ dete-

degenza no
deca de prom
ac fortiter
Quemad
aut pluvie
dintemerat
labore, ser
L. de dila
Dzmonu
conatus fi
nempe i
scrutabil
talibus.
possunt c
cum sine
plurimis
è manib
& invel
tigabili
nimas
blandis
mentes
fictis ad
callidis
dem pr
aurem
quiescan
unt. Q
seu astu
Religios
greditur
I.
I.
Teoratio vinear
Religiosi rem
novelli i Caco
est me. i Mund
moria se
soli. seculi,
melanch
novello C
pristinam

detegendæ nobis sunt ; earumque antidota depromenda ; quod eas prudenter ac fortiter superare sciamus.

Quemadmodum si quis stellas cæli , aut pluvix guttas , seu arenam maris dinumerare voluerit , casso consumitur labore, scribit S Laurentius Justinianus L. de disc. c. 12. Ita & quicumque varias Dæmonum fraudes ad plenum referare conatus fuerit, supervacue defudabit : nempe ipsorum venenata malitia in-ferutabilis est , & prorsus ignota mortalibus. Deo solo revelante , eorum possunt detegi insidiæ : tortuosi namque cum sint colubri & anfractibus assueti plurimis , mox cum teneri putantur , è manibus defluunt : mille enim modis, & investigabili arte nocendi, ac infatigabili circumventionem simplicium Animas decipere moluntur. Nunc blandis persuasionibus ignorantium mentes decipere student , & rationibus fictis ad peccatum eos alliciunt ; nunc callidis machinationibus & astutiis eodem præcipitare contendunt. Tales autem nisi Majorum per omnia acquiescant consiliis, irremediabiliter ruunt. Quare quænam illæ sint vulpes , seu astutiæ in particulari, quibus Sathan Religiosos, & potissimum Novitios agreditur, dispiciamus.

I. Prima vulpes astuta, agrum, seu vineam Religiosi jam florere incipientem dentioliens, est tentatio, sive à Cacodæmone, sive à Carne, sive à Mundo suggesta, orta ex memoria seculi, atque inde enata tristitia ac melancholia. Revocat enim Tentator novello Christi militi in memoriam, pristinam libertatem, honores, digui-

tates, voluptates, divitias, parentes, sanguine junctos, amicos ac sodales longè carissimos. Hæc omnia velut agmine facto, unà in cor miserum irruunt, sese sperni lugent, & identidem ingerunt : Siccine nos deseris ? Siccine te à Caris omnibus elongas ? Siccine vivum te tumulas ? Sic inglorius, ac despectus, mæstus, cunctisque Mundi deliciis ac bonis orbatu vitam miseram trahere constituis ? Atque hæc ipsissima est tentatio, quæ Augustini, de vitæ mutatione deliberantis, pectus pulsabat : *Retinebant me (fateatur Ipse) nuga nugarum, & vanitates vanitatum, antiqua amica mea, & submurmurabant : Dimittis nos ? Et à momento isto non erimus tecum ultra in æternum ? Et à momento isto non tibi licebit hoc & illud ultra in æternum ?* His accedit spes & expectatio vitæ longævæ ad canos usque & senectutem multam protelatæ. Ex quorum omnium recordatione, ac vivâ memoriâ tristitia nascitur, spiritualia omnia desipiunt, socii pannosi, incultui, tristes reputantur, atque omnia felle illita & absinthio respersa existimantur.

At quo reti vulpes hæc capietur ? Responsum in promptu est : Considera vitæ hujus mortalis brevitatem ; & obgannire desinet : perpende omnium bonorum terrenorum caducitatem, & obmutescet. *Quid enim (interrogat S. Jacobus c. 4. 15.) est vita vestra ? Vapor est ad modicum parens. Quid est vita vestra ? Quasi umbra super terram & nulla est mora. 1 Paralip. 29. 15. Quid est vita vestra ? Flos, fabula, fœnum, ventus, punctum, nihil : Vita enim nostra brevissima, in senibus longa esse nequit. juvenibus verò sæpe*

I.
Tentatio
Religiosi
novelli
est me-
moria se-
culi.

sape in flore succiditur. Deinde quid sunt cuncta Seculi bona? Oculis Mentis, Fidei lumine collustratis, ea intueri: & videbis, non esse bona; sed umbras bonorum, & felicitatum larvas, & figmentorum imagines; quæ labore ingenti quæsitæ, in ictu oculi instar umbræ evanescant; & miseros sui amatores vacuos, tristes, ac sempiternæ morti addictos relinquunt. Si mihi fidem non habes, audi Damnatos illos experientiâ doctos in Libro Sapientiæ Cap. 5. & 10. ita lamentantes: *Quid profuit nobis Superbia, & divitiarum jactantia quid contulit nobis? transferunt omnia illa tanquam umbra, & tanquam nuncius præcurrens, & tanquam navis, quæ pertransit fluctuantem aquam, ejus, cum præterierit, non est vestigium invenire.*

Quanta ergo dementia est, ob umbram fictamque bonorum imaginem, vera & æterna bona perdere, & sibi ipsi illudere? quàm ignominiosum, eos, qui in croceis nutriti cœperunt, rursùm amplexari stercore, & in præteritis miseris ceu stolidi jumenta computrescere?

II.
Seguirics.

II. Altera vulpes dolosa est ignavia, segnities & vecordia quædam in divino servitio. Variis ex causis gigni solita: Vel enim oritur ex inscitia ac defectu cognitionis rerum spiritualium; vel ex falsâ quâdam tranquillitate, quod nimirum peccatis exhomologesi de totâ vitâ expiatis, quis se in tutissimo collocatum portu existimet, nihilque ultrâ agendum sibi esse autumat; vel denique ex inani persuasione, quod non rectâ intentione; sed levitate quâdam, aut sine præpostero ductus, sæculum reliquerit. At quibus armis contra vulpis lau-

jus fraudulentæ dentes sese armabit? Contra primum, scilicet inscitiam, necesse est, ut perfectionis dignitatem & vitæ spiritualis momentum intelligat; ex quo non divitiarum peritura, non regnum temporale; sed vitæ sempiternæ, & ponderis gloriæ immensi assecutio dependet. Contra secundum; ut tranquillitati minimè fidat, solet enim stygius veterator quandoque sub vitæ religiosæ primordia à præliis cessare; ut Religiosum incautum fallat, sibi que is persuadeat, vitam spiritualem otiosam esse, nec multis subsidiis indigere, quæ persuasione delusus, tentatione ingruente, à cœpto resiliat. *Erras Frater, erras (scribit Hieronymus ad Heliodorum) si putas unquam, Christianum persecutionem non pati: tunc maximè oppugnaris, si te oppugnari non sentis.* Contra tertium; intentionem, si vitium obrepserit, corrigat, Deoque corde pleno ac sincero deservire statuat. *Dixi, nunc capi: hæc mutatio dextera Excelsi. Psalm. 76.* Atque ita triplicem assultum vulpinum generosè, sapienterque retundet.

III.

III. Vulpes tertia pariter subdola est, Indiscretio. & in scopum priori contrarium collimat; estque fervor nimius ac indiscretus in operibus pœnosis, & corporis macerationibus. Oritur autem hic vel ex amore proprio, quia præteritorum criminum turpitudinem agnoscens, à pœnis, pro illis debitis, quàm citissimè se desiderat expedire. Vel metu ignis purgantis, velut mucrone confixus, asperitatibus illis, à gravioribus ac diuturnioribus suppliciis in altera vita tolerandis, liberare se desiderat. Vel vanâ fiduciâ subnixus, existimat, se suis viribus, operi-

operibusque, p
nunc arripere
obtinere.
Verum tu
illud Apostoli
et sequum ve
corpus dome
vitæ totius cu
non quod p
pere necesse
nostra sub
illud Leviti
tulris, sa
discretioni
cent, sine
rita, ignis
afflictione
prudenti
gratia Dei
tutum arx
corporis,
Domini,
nibus exp
IV. Vu
que in pu
cipitare T
gentia ob
hoc illud
mandetur
posse a
corporis
inelle res
lum per
bere, mi
teris que
posse cre
xius, tot
perfectio
cens? T
nie decus

spicio; si exempla ferventium Fratrum abessent, si signum campanæ & obedientiæ deficeret, si excitator ac visitator emaneret: si gratia vocationis non fulciret & corroboraret; si communis oratio Societatis universæ auxilium cæleste non efflagitaret, fortè, extra Religionem positus, ne octiduo quidem meditationi, examini, rebusque spiritualibus vacarem; sed mundanorum more in multam lucem sterterem; & somno, otio, lusu, aut certè negotiis sæcularibus, tempus nobile contererem. Harum vulpium exempla varia recenset S. Bernardus serm. 64. & 85. Uti Monachi illius, qui è Monasterio abiit, ut parentes converteret: sed ipsos non acquisivit, & seipsum perdidit. Aliorum, qui cœnobita deserunt, ut ad populum pro Concione dicant; aut sibi soli ac Deo vacent. Aliorum, qui cum feminis conversantur, pio prætextu, ut in spiritu eas instruant: sed mox Spiritus transit in carnem. Nam ut prudenter ait idem S. Doctor serm. 65. *Cum femina semper esse, & feminam non cognoscere, nonne plus est, quàm mortuum suscitare! Quod minus est, non potes; & quod majus est, vis credam tibi?*

VI.
In constancia.

VI Sexta vulpes versipellis, Tironi Religioso obgannit, & ad mutationem status inducere nititur: jam Religiosum Ordinem alium suadet mitiorem, & laxiorem, tanquam viribus & genio magis consentaneum; jam Religionem proponit rigidiorem; ea sub specie, quòd majori in eà sanctitate vivatur, corpus pluribus jejuniis, aliisque asperitatibus dometur, solitudo major, chorus prolixior, oratio frequentior observetur;

adeoque haud occurrant tot animæ pericula. Hujusmodi tentatio, vivente etiamnum S. Ignatio, incessit unum è denis primis ejus sodalibus, ex conversatione cum quopiam Eremita, ad amplectendam vitam Eremiticam, sollicitatum: alium impulit ad ingressum Carthusiæ; sed uterque extemplo penitentiâ ductus, resiliit: alii vix ingressi, mox magnâ inquietudine agitati, illicò pedem retulerunt. Accidit quoque crebrò, à Diabolo Tironem, ad alium incitati Ordinem, non ut eum capessat; sed ut ea sub specie, ad sæculum redeat, vitamque mundanam resumat. Evênit id euidem Fratri ad Marthæ munia destinato, in superiore Germania; qui Societatem, Religionem, non sat austeram, strictamque sibi esse causabatur, eò quòd in ea, prandio bono se reficeret, jejuniisque corpus non affligeret, more aliorum Ordinum: atque ita à Societate tandem dimissus, abcessit; sed curâ alterius ordinis rigidioris ingrediendi depositâ, hæsit in Mundo; ac non multò post Magistro Novitiorum obviam factus, rogatusque, quid in mundo ageret? Cur Ordinem alium non intraret? Reposuit, fruendum sibi prius esse sæculi jucunditate, delibandaque mundi gaudia. Hæc sunt Sathanæ stratagemata; hæc sunt vulpis dolosæ, astutiæ: sed eam nullo negotio ceperis, illâ Apostoli sententiâ: *Vnusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat.* 1. Corinth. 7. 20. *Confide in Deo & mane in loco tuo* Eccli. 11. 22. *Et Locum tuum ne dimiseris.* Eccli. 10. 4. Nisi periculo te exponere certo volueris. Avicula nidum suum deserens, aut locum commodiorem non

operibusque, posse pravitates corrigere, virtutes arripere, & perfectionis arcem obtinere.

Verum huic vulpi opponendum est illud Apostoli ad Rom. 12. *Rationabile obsequium vestrum.* Tale scilicet, quod corpus domet, non destruat; tale, quod vitæ totius curriculo, perdurare valeat, non quod paucis post diebus, abrumperet necesse sit, ut imbecillitas naturæ nostræ subsistat. Deinde oggerendum illud Levitici c. 2. *Quidquid sacrificii obtuleris, sale condies.* Opera nostra sale discretionis condita, Deo mirificè placent, sine illo desipiunt. Peccata præterita, ignisque purgantis supplicia, non afflictione corporis immoderata; sed prudenti & integræ sui oblatione, ex gratia Dei facta, sunt abolenda: & virtutum arx non in fortitudine equi, id est corporis, sed timore potius & amore Domini, ac solidarum virtutum actionibus expugnatur.

IV. Vulpes quarta vafra est, tentatque in pusillanimitatis voraginem præcipitare Tironem; dum futura contingentia ob oculos ponit. Quid si, inquit, hoc illud ve munus tibi à Præsidibus demandetur; virésne te pares illi adferre posse arbitraris? Tunc & ingenium & corporis robur juventuti erudiendæ tibi inesse reris? Tunc ex ambone ad populum perorare, pœnitentibus aures præbere, missiones Apostolicas obire, cæterosque Ordinis labores exantlare te posse credis? Tu tot defectibus obnoxius, tot vitiis innutritus, in sublimem perfectionis montem eluctaturum te censes? Tot inter occasiones, castimoniam decus, integrum, illibatamque

perstiturum tibi opinaris? Hujusmodi vulpes allatravit, initio vitæ melioris S. Ignatium, in hospitali domo Manresæ degentem: Quomodo tu, inquit, qui septuaginta annos victurus es, paupertatem tantam ferre poteris Cui opponendum illud Servatoris nostri: *Nolite solliciti esse in crastinum.* Matth. 6. Nunc in tirocinio locandum mihi est solidum vitæ Religiosæ fundamentum; cætera suo tempore dabit Dominus: qui dedit velle, dabit & perficere. Et illud Apostoli ad Philipp 4. *Omnia possum in eo, qui me confortat:* In me & ex me nihil. In Deo & omnipotentia ejus totam fiduciam meam colloco: hæc nixus, cum Augustino, animum erigam, dicamque: *Tu non poteris, quod isti & iste?* (quando instabat tentatio de servanda castitate) *an isti & iste in se & ex se hæc potuerunt, & non potius in Domino Deo suo?*

V. Quinta vulpes fraudulenta, nuncupari potest, species boni: ut dum quis in tirocinio aliquamdiu substitit, ac methodum religiosè vivendi, & exercitia Spiritûs utcumque addidicit; hæc fucata illi occurrit suggestio: si ad sæculum reverterem, atque inter mundanos degerem, quàm exemplarem, sanctamque vitam ducerem? Quot diebus ad horam quartam è strato me proriperem, meditationi vacarem, conscientiae latebras, examine gemino discuterem, elemosynas largas in egenos distribuerem, verbo, cunctis vitæ Christianæ, virtutisque omnigenæ exemplis prælucere. Verum hæc astuta vulpes est; cui Tito oggeret: Ego meam novi inconstantiam, fragilitatem meam per-

V.
Species
boni.

IV.
Pusillanimitas.

non reperit; aut antequam reperiat, laqueo capta manet. *Sicut avis transmissa de nido suo; sic vir qui derelinquit locum suum* Proverb. 27. 8. Ita pariter Religiosus à sua vocatione discedens, aut aliam minimè sibi convenientem nanciscitur, aut antequam obtineat, ad versarii decipulâ illaqueatur. Arbuscula, de solo in solum transplanata, non crescit; sed languescit; non fructificat; sed arescit, præsertim in diversa glebæ temperie, diversoque cæli & astrorum influxu.

Quapropter, Charissimi, si hæc vel illa vulpes versipellis, vos infestaverit, agrorumque & vineas vestras, id est, animas, deperdere, aut demoliri tentaverit; generosâ mente vos opponite: ejusque fraudes & mendacia, clypeo veritatis retundite. 1. Memoriam sæculi exterminate, memoriâ & consideratione brevitatis vitæ; quid sunt bona mundi, nisi somnia? In ictu oculi clauduntur omnia: vitæ longævæ promissio nequissima est, & fallacissima, quæ multa centenâ hominum millia, in

peccatis detinuit, & in tartarum detrulit. 2. Ignaviam, corporumque rebus divinis, perpensâ bonorum æternorum magnitudine, eliminate. 3. Fervorem indiscretum in maceratione corporis, salem discretionis aspergendo, juxta Superioris consilium temperate; 4. Pusillanimitatem, magnâ in Deum conceptâ fiduciâ, depellite; sine Deo nihil, cum Deo possumus omnia. 5. Speciem boni, in sæculo præstandi instantiæ & fragilitatis vestræ consideratione, discutite. 6. Denique cogitationes de statûs suscepti mutatione, vocationis divinæ æstimatione, mentisque constantiâ, ac perseverantiâ in eo ordine, in quo à suprema Numinis Providentiâ, collocati estis, generosè proffigite. Quod si præstiteritis, prædictas vulpes alturas ac fallaces, capietis & enecabitis, animæque vestræ vinea florebit, fructusque Deo gratissimos, & lapidissimos, exhibebit.





EXHORTATIO III. IN REGULAM XLI.

Exponit, tentationes minimas, Religiosis, præsertim Tironibus,
non minimi faciendas esse.

T H E M A.

*Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas; nam
vineam nostram floruit. Cant. 2. 15.*

V E L:

Nullam debent celare tentationem. Reg. 41.



Eferunt rerum naturalium Scriptores, Vulpes, præ cæteris fectis, vineis detrimentum adferre solitas: tum quòd eas suffodiant, & eradicent; tum quòd uvas deprædentur ac depascantur. Parvulæ autem vulpes cum sint petulcæ, nec satis habeant virium, ad eas eradicandas; eas dum teneræ sunt & florent, vellicant, arrodunt, floresque decerpunt, ac terram juxta radices suffodiunt, ut vites humore destituantur; & folis

radiis expositæ, urantur atque exarescant. Ea de causa Cœlestis Sponsus in Cantico Canticorum c. 2. hortatur: *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas nostras.* In sensu adæquato ex mente S. Gregorii, Anselmi, Bedæ, Augustini in Psalm. 80. Vineam est Ecclesia, vulpes parvulæ Hæretici subnascentes; instar vulpium, subdolè fidem & Ecclesiam subvertentes; qui dum adhuc pusilli sunt, & in paucis hærent, detegi, revinci, & exterminari debent, ne invalescant, totamque Ecclesiam corumpant. In sensu verò partiali, S. Bernardus, S. Gregorius Nyssenus & Origenes per vineam florentem, animam gratiâ

gratâ & virtutibus
pes Demonis
de vulpes par
pari Respon
parvis homin
Monet autem
annum pa
tationes lu
pes parvul
& adolec
struunt: i
tim peric
tim elidat
sternunt
nique gr
Quare
exhortat
pium par
species n
videntur
losis; qu
tant,
mus, qu
candæ h
Melli
Vra sapi
sua consi
cibi pal
sæ; lingu
inque
qu am in
sollit
quam
pior:
veru
cule:
L. V
pide hie
plur in r
nalterio
Tentatio
disciplinæ
laxatio.

gratiâ & virtutibus ornatam; per vulpes Dæmonis insidias intelligit. Verùm cur vulpes parvulas Scriptor facer nuncupat? Respondet Origenes: *Quòd in rebus parvis homines ad tentationem infestent.* Monet autem capiendas esse, dum etiamnum parvæ sunt. id est minimas tentationes superandas esse: quia sicut vulpes parvulæ, si non capiantur, crescunt & adolefcunt; totâque vineam destruant: ita tentationes parvæ, præsertim periculosæ, se negligantur, nec statim elidantur, augentur, animam prosternunt & in præceps devolvunt, omnique gratiâ ac virtute spoliant.

Quare, cùm præter vulpes astutas, exhortatione præcedente, detectas, vulpium parvularum, seu tentationum, species nonnullæ supersint, in rebus, ut videntur, parvis, re tamen verâ, periculosis; quæ Tirones potissimum exagitant, eas in præsentiarum declarabimus, quâque ratione capiendæ, ac necandæ sint, patefaciemus.

Mellifluus Doctor serm. 65. asserit: *Viro sapienti sua vita vinea est, sua mens, sua conscientia; in hac vinea, virtus vitis; actio palmes; vinum, testimonium conscientia; lingua, torcular expressions.* Sed tali, inquit, vinea, nunquam infestationes, nunquam insidia deerunt: *Sapiens autem erit sollicitus servare vineam suam, non minus, quàm excolere; nec sinet eam vorari à vulpibus: Nec à vulpeculis destriui ac subverti.* Quænam verò sunt hæ vulpeculæ?

I. Vulpecula est, ait Cornelius à Lapide hîc, relaxatio Regulæ, & disciplinæ in rebus parvis: v. g. cùm in Monasterio vel Collegio, dissimulatur ru-

ptura silentii, rerum parvarum, non petitiâ veniâ, usurpatio, levis inobedientia, contra Superiores obmurmuratio, discordiarum, licet non gravium, inter Fratres disseminatio. Huiusmodi enim defectus, nisi corrigantur, serpunt, crescunt, & magni evadunt, ut tandem disciplinam evertant, & omnem Regulam pessundent. Quare faciendum est, quod monet Sapiens:

*Principiis obsta, serò medicina paratur;
Cùm mala per longas invaluere moras.*

II. Vulpecula est, detractor, & suffurro, æquè ac adulator; licet initio, à rebus gravioribus non auspicetur: tales enim paulatim vineas; id est cætus, & societates dissociant, ac fidelium animas subvertunt. Testatur id S. Bernardus serm. 63. *Pessima vulpes, occultus detractor; sed non minus nequam adulator blandus; cavebis Sapiens ab his: dabit operam sane, quod in ipso est, capere illos, qui talia agunt; sed capere beneficiis, atque obsequiis, monitiisque salutaribus & orationibus pro his ad Deum: faciens mandatum sponsi dicentis: Capite vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas.*

III. Vulpecula planè versipellis est, cogitatio quædam inhonesta, aut phantasia & imaginatio turpis, negligenter repressa. Objicit enim Tyroni incauto: quid est una phantasia? una cogitatio? una exigua, obiterque percepta in his delectatio? Modica hæc & non magni momenti censentur. At cave tibi: res hæc minima tibi videtur; & tamen non rarò gravissimæ tentationis, ac ruinæ causa extitit. Solitus fuit asserere S. Franciscus Xaverius: *Quòd si semel levis- simam turpem cogitationem excutere cun-*

Zzz 3

demur;

II.
Detractor
& suffur-
ratio.

III.
Inhonestâ
cogitatio.

I.
Tentatio
disciplinæ
relaxatio.

demur; id ipsum arripit, Vulpes infernalis, eoque non contenta, longum agmen fœdarum specierum consequentium adnectit. Una enim ejusmodi cogitatio animo infixâ, nec sat repressa, recurrit, blanditur, allicit, carnem commovet, animum perplexum reddit; ut inter admissionem & repulsam fluctuet, & instat catti cum mure, ludat: atque ita tandem etiam voluntatis arcem expugnat. Talis cogitatio, una quasi scintilla est: & scintilla vel unica neglecta, quantum frequenter excitat incendium? Nonne integras, quandoque sylvas, civitates integras absumit? S. Jacobus c. 3. 5. de lingua ait: *Ecce quantum (id est quantulus, quàm parvus) ignis; & quàm magnam sylvam incendit? à scintilla una,* inquit Ecclesiasticus, c. 1. 5. 34. *augetur ignis.* Videas in navi grandi bellica, plurimis machinis æneis, militibus & epibatis instructa, omnis generis armaturæ & annonæ copiam ingentem: & quantum, putas, requiritur; ut in frustra dissiliat, & evibretur tota in auras? Non nisi una scintilla: hostili enim classe appropinquante, nec ullâ aut evadendi, aut vincendi spe affulgente; juvenis ad id constitutus, cameræ pulverariæ ignis scintillam injicit, & res tota confecta est. Simile accidit non rarò, in una cogitatione aut phantasiâ. Ergo quisquis sapias, cave tibi, non consideres, quàm parva res sit; sed quàm grandia damna pariat. *Quando parvam animi perturbationem susceperis,* inquit S. Chryostomus, *ne eam neglexeris, quòd parva sit sed considera quanta mala pariat.* Quemadmodum in domo, cum stupæ non nihil accensum viderimus, contur-

bamur, tumultumque ciemus; non enim attendimus initium; sed ex initio finem considerantes, movemur, & concurrimus, ut totum caminum extinguamus.

IV. Quarta vulpecula est affectio quædam inordinata, aut amor sensualis erga hanc illamve rem creatam: obstrepat hæc vulpecula & objicit: Quid periculi imminet; si hanc illamve personam dilexero, aut familiaritè cum ea egero, & amicitiam coluero: amor hic naturalis est, adeoque non perversus; nihil eo mali intendo. Verùm & hic latet anguis in herba; abscondit se vulpecula. Scribit Olaus L. 18. c. 13. Vulpes si quando inciderit in canes, nullamque sibi videat effugii locum, simulato latratu, canem effingit; ut imminens, mentitâ voce, declinet periculum. Non absimili ratione, vulpes stygia vafre simulat vocem affectionis bonæ amicitie honestæ, familiaritatis spiritalis; sed fallit, & ne deprehendatur, nequiter imponit. Amor enim naturalis & sensualis facilè degenerat in carnalem, hominisque cor captivat. *Ex volucrum aucupio,* inquit S. Ephrem tom. 3. serm. de Alcenf. *discite, quæ parva videntur non idèò contemnere: contigit enim, ut avis in laqueum incidens, minimâ capiatur unguiculâ, & alarum vires frangantur ac debilescentur, ob unguem vilem; & cum totum corpus sit extra laqueum, totum tamen retinetur.* Ecce tanta vis est in ungue, ut dum ipse tenerur, corpus totum captum teneatur. Idem in minimis affectionibus, amicitis, familiaritatibus ac tentationibus uluvenit: vulpeculæ isti unguicula detenta sufficit;

IV.
Inordi-
nata affe-
ctio.

una

V.
Vilus co-
tiosus.

una affectio in
Diabolus imi-
toribus & ost
nequeant
rum introm
ad ostium
tiora domi
rant, patet
25. Embrion
nostrum
elatos fi
puerum
immulere
ut hieron
auferre
amorem
tanquam
culam
tit; ut
pandat.
(inquit
in Marti
multi à op
font que
num ut
cipu. Ig
quere:
nequitia
culas, ne
ctiones
V. Q
incant
obgar
illud
nam si
Acrus
in amor
multis
anima c
tes per h

una affectio inordinata fat est, ut capiãre. Diabolus imitatur fures, qui si obleratis foribus & ostiis, ipsimet domum intrare nequeant; per foramen angustum, puerum intromittunt, qui deinde fenestram ad ostium aperiat, aditumque ad interiora domus, ad quam spoliandam venerant, patefaciat. Contigit id ante annos 25. Embricæ, ubi fures noctu in templum nostrum irrupturi, cum per fenestrarum elatros ferreos ipsi penetrare nequirent, puerum de platea raptum, coactumque immiserunt, qui ostium deinde reseravit, ut hierothecam & lampades argentæ auferre possent. Ita pariter Sathan amorem naturalem aut sensualem, tanquam furem parvulum, aut vulpeculam gracilem in cor hominis immitit; ut ostium deinde amori perverso pandat. *Veterator malorum Diabolus* (inquit S. Chrysostomus Homil. 87. in Matth.) *cum sit magnã malitiã, multã operã, ingenti studio, condescensionẽque nonnullã, ad perditionem hominum utitur: à minimo enim plerumque incipit.* Igitur S. Hieronymi consilium sequere: *Dum parvus est hostis, interfice; ut nequitia elidatur in senectute.* Perime vulpeculas, ne excrecant in vulpes: nec affectiones sensuales, ne in carnales desinant.

V. Quinta vulpecula est visio quædam incauta, aut aspectus curiosus: ubi illa obgannit: Quid (quæso) mali est, si hoc illudve objectum; hanc, illamve personam fixis oculis curiosius intuitus fuero? At rursùm cave tibi *Si nescis, o uli sunt in amore duces*, ut Poëta canit. O quàm multis oculis, scopuli extitẽre, ad quos animæ cymba impacta dissiliet? O quoties per hãsc fenestras, malè custoditas,

mors intravit? Quoties urbes & arces munitissimæ, altissimis septæ mœnibus, per subterraneum cuniculum, per aqueductum, angustumve meatum hostibus clam irruptentibus, occupatæ fuere? *In armato milite ferreis armis*, ait S. Ephrem Tom. 1. Serm. de morb. ling. *si per tenuem aliquem rimulam toto aut ferro aditus patefiat, strenu pugili mortem affert.* An non id expertus Henricus II. Gallia Rex, ut narrat Famianus Strada de bello Belgico, qui à capite ad calcem usque ferro tectus erat; sed quia galeam oculis objectam parùm firmè constrinxerat, patebat ibi rima; per quam in hastiludio lanceæ extremitas ad ipsum oculum usque penetravit; quem ita læsit, ut paulò post ex hoc vulnere Rex mortem oppetiẽrit. Tantum nocet rimula, non bene clausa. Tantum quodque, & majus animæ damnum parit oculus malè custoditus. An non hæc vulpecula Regem quodque Davidem aggressa est? Nonne per levem immodestiam, ut curiosius evagaretur, sollicitavit? Et quid inde accidit? Per hanc curiositatem illum in concupiscentiam impulit; hinc in adulterium dejecit, ac denique hinc in homicidium deturbavit. *Noli ergo dicere* (ait S. Chrysostomus Hom. 8. in Matth.) *Quid est, si formosam mulierem aspexero curio est? Ex aspectu namque concupiscentia; ex hac consensus & opus consequitur.*

VI. Sexta vulpecula est Tactus aliquis non obscœnus: suggerit illa: quid mali est in tactu non inhonesto, obiter solum tacto, nec intentione perversã? Tango corpus meum, tango alterius personæ manum, aut faciem palpo. At hinc rursùm attende

VI.
Tactus
periculo-
us.

V.
Vilus cu-
riosus.

attende tibi : Neque enim minima hæc in parte minimi sunt facienda. Ignis stramini admotus, nullo negotio & fumum & flammam suscitatur. Culex exile est animalculum, rostro te tangit exiguo, & si linis, gracili siphunculo fugit sanguinem, & inde manus continuo uritur atque intumescit. *Apicula exigua est volucris : Brevis in volatilibus est apis*, ait Ecclesiasticus c. 11. 3. Et tamen si oculum, si genam, si manum tangat, & aculeo suo feriat, quantus inde tumor, quantus dolor enascitur? Neque scorpius animalculum parvum, præter aculeum, quidquam armorum circumfert, & tamen si negligentia tua te tetigit, & velle vestimentum pupugit; veneno inficeris, mortisque præsens discrimen adis. Ita pariter in hæc tentationibus à minimis ad majora progredimur. Novit id Diabolus vulpes astutissima; qui (ut docet Sanctus Hieronymus in in Psalm. 140.) *Non pugnat cito contra aliquem per grandia vitia; sed per parva; ut possit quomodocumque intrare, ac dominari homini; ut postea eum in vitia graviora propellat. Non per fornicationem, non per avaritiam; sed per minimam vitia ingreditur.*

Igitur principiis obsta; manuum custodiam gere; ne tibi fide; homo es labilis; si stare & perstare cupis, cautus esto; ne à parvis in majora devolvaris. Similia, nisi temporis angustia vetaret, de auditu, gustu, orio,

aliisque vitis, vulpeculis pariter dolosis abducere liceret; sed ne prolixiores sumus, finem imponimus.

Quapropter, Dilectissimi, capite vulpes parvulas, quæ alioquin demoliuntur vineas: id est, vincite, resistite, expellite tentationes, quæ parvæ videntur; sed sunt periculosa; vigilate, ut mox in principio eas suffocetis. Principiis obstare; secundum Medicorum consilium (Galeni L. de cur. & cog. morb. c. 7. Hypocrat. Sect. 3. Aphorif. Celsi L. 3. c. 21.) Morbi excindendi, dum adhuc pullulant, non expectandum, donec excrecant, reddanturque insanabiles. Cavete, quantum in vobis est, disciplinæ relaxationem, crebrasque Regularum etiam minimarum violationes: Vitæ detractationes, susurrations, adulationes, quamvis exiguas. Eliminate quamprimum quascunque turpes phantasias & cogitationes: modica scintilla magnum valet suscitare incendium. Examine affectionem & dilectionem vestram, præsertim erga sequiorem sexum. Familiaritatem declinate; ne, cum fortè spiritu cœperitis, carne consummetis. Vulpes hæc dolosa est. Denique oculos manusque quam diligentissime custodite: potissimum in vitis attendite; verè enim scribit B. Petrus Damiani Opuſc. 13. c. 19. *Facilius est, hostiles impetus in vestibulo frangere; quam admissos extra mœnia propulsare: tutius est arcere præforibus, quam malaribus intromissos in terga compellere.*





EXHORTATIO IV.

IN REGULAM XLI.

DE SCRUPULIS ET EORUM REMEDIIS.

T H E M A.

Illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor. Psal. 13. 5.

V E L:

Nullam debent celare tentationem. Reg. 41.



Tentationibus, ab Ascetis, annumerari solent scrupuli, nomen trahentes à scrupulis, seu lapillis, qui calceis injecti, molestiam & dolorem creant: ut enim hi, pedes cruciant; ita illi animum angunt, vexant, & inquietant; sunt autem tales mentis scrupuli, cogitationes quædam, levissimis rationibus, & ferè nullis fundamentis nixæ, quibus putamus aut suspicamur, peccatum aliquot, sive grave, sive leve, pro qualitate scrupuli, actionibus nostris inesse: quamvis alii perturbationem, quæ hanc cogitationem sequitur, scrupulum esse velint: no-

bis autem perinde est, sive scrupulus sit cogitatio, vel ratio falsa, excitans iudicii perturbationem; sive sit perturbatio iudicii, falsis rationibus excitata, sive utraque simul sumpta. Horum autem scrupulorum causa est multiplex; tum intrinseca, tum extrinseca, intrinseca est, dum oriuntur ex parte animæ, ejusque ignorantia, apprehensione, nimio timore. Vel ex parte corporis, ejusque complexionem phlegmatica, frigida, melancholica, aut ex nimia corporis castigatione per jejunia, vigiliis & opera pœnosa, quæ corpus debilitant, & animam ad bene judicandum enervant. Causæ verò extrinsecæ sunt Dæmon, qui Deo permittente, scrupulis hominem infestat; ut à via virtutis abducat, & in prius peccata retrahat. Deinde Deus,

Aaaa

qui

Qui scrupulis tepidos extimulat, ut imperfectiones fugiant; aut probat fervidos, & tanquam aurum in fornace purificat, illuminat, excitat, acuit, & meriti & satisfactionis pro peccatis, occasiorem præbet. Ac denique societas scrupulorum, qui velut pestes latius serpunt, & in alios sese diffundunt.

Cum igitur hujusmodi lapilli seu scrupuli, quam plurimis, præsertim Tyronibus, molesti accidant; præcipuos, in præsentem exponemus, simulque antidota præscribemus, quibus eosdem efficaciter curare ac proscribere valeamus.

I.
Scrupulus
de peccatis
præ-
scribitis.

I. Primus scrupulus seu lapillus conscientiam Tyrorum vexans & putigans est de memoria præteritorum peccatorum, aut de exhomologesi eorundem non rectè instituta: dum existimant, jam aliquid grave peccatum in ea prætermisissimum; jam circumstantiam quandam necessariò exprimendam, silentio involutam; jam sine debita conscientia discussione, aut sine conveniente dolore, aut sine vero emendationis proposito, absolutionem susceptam esse, ac proinde se ad peccata denuò clavis subiicienda obligatos esse, omnino autumant: ideòque exhomologesi de tota vita, crebriùs repetunt.

Huic scrupulo geminum præscribit antidotum Cancellarius Parisiensis Gerson Alphab. 72. lit. K. & ex eo Franciscus Suarez tom. 4. de Relig. L. 9. c. 7. Primum est, oblivioni dandum esse tempus præteritum, præteritaque delicta, nisi in generali ad peccendam à Deo veniam per contritionem generalem. Alterum est, quando tempus præteritum sollicitat, timendo, quòd non sit

facta sufficiens confessio; occurrentem esse illi, recurrendo ad Deum, cum vera cordis humilitate & contritione; & in memoriam revocandam esse voluntatem, quam habuit integrè & perfectè confitendi: & quòd tunc fecerit, quantum in ipso erat, suòque Confessorii satisfecerit; cujus consilio statuit præteritorum non amplius recordari, ut Deo meliùs possit inservire; atque ita in eo proposito perseveret, nimiumque timorem contemnat.

Verùm objicit quispiam, rectè quidem ista: timorem omnem libens contemnerem, si modò à me præstitum esset, quòd Deus jure à me exigit: quis autem me certum reddit; verè me pœnituisse, peccata omnia & singula ritè enarrasse; verum dolorem elicuisse; propositum firmum concepisse, nihilque prætermisisse eorum, quæ Deo, in tantum momenti exsolvenda fuerant!

Antidotum hoc, dubio tuo oppone. 1. A Magistro spirituali aut conscientia arbitro consilium pete, illique humilitate magnà acquiesce: secundum Salomonis Regis sapientissimi monitum. Proverb. 3. *Ne innotaris prudentia tua.* Scrupuli enim adeò obscuram, perplexamque reddunt mentem & conscientiam tuam, ut à te ipso nullum sanum consilium poscere valeas: quare audi consilium viri prudentis, & tutus, securusque eris. 2. Habes deinde signa moraliter certa, exhomologeseos ritè peractæ, & remissionis peccatorum obtentæ, ac gratia divinæ tibi restitutæ. Nam perpende, obsecro, an non 1. Deus dirupit vincula tua; & in funiculis charitatis traxit te, ut ad pœnitentiæ lava-

crum

rum sponte venires; & illi cor contritum & hostiam laudis offerres? 2. An non integrum octiduum (ut in Societate moris est) præparationi, examini, attritioni, contritioni & proposito impendisti? 3. An non exhomologes eos tempore, te nihil amplius peccatorum præter dicta, & expiata scire, licet mors obeunda foret, diserte professus es? 4. An non mortem potius oppetere paratus es, quam ad pristinam conversationem, præteritæque crimina relabi? 5. An non sentis perfectionis desiderium, amorem virtutis, studium Deo placendi? 6. An non vitam, mores & secularia delicta emendasti, nec tanto jam tempore ea perpetrasti? 4. An non omnia mandata divina servare paratus es? An non libenter cum Deo in oratione loqueris? An non libenter Verbum Dei audis? An non terrena omnia contemnis, & Deum unice diligis? Quid igitur angeris? Quid scrupulis vexaris? Quanam certiora signa exhomologes rectè peractæ, gratiæque tibi restitutæ in hac mortali vita, reperiri queunt? Igitur acquiesce, ac deinceps in pace & tranquillitate conscientiæ, vitam tuam transige, Deoque fideliter servare perge. Quando homo moralem adhibet diligentiam, in peccatorum suorum confessione, Deus illico, omnium peccatorum obliviscitur, & ea in profundum maris demergit: *Si impius egerit penitentiam ab omnibus peccatis factis, iniquitatum ejus quas operatus est, non recordabor.* Ezech. c. 18. Quid igitur ultra te tantopere vexas & crucias? Angantur mundani, sese modico tempore ad penitentiae Sacramentum præpa-

rantes. Crucientur peccatores, post innumeras confessiones, identidem in pristina scelera relabentes: sed Novitii serio vitam emendantes, Deo servire & placere cupientes, & ex corde ad Deum conversi, omnem anxietatem depouant: *Ad Dominum jam conversos, non nimis cruciet præteritorum conscientia delictorum.* S. Bernard. serm. de SS. Petro & Paulo.

II. Alter scrupulus nascitur ex tentatione Diaboli, qui Religioso novello, cogitationes hæreticas, blasphemias in Deum, Deiparam, & Sanctos, aliasque nefandas & horrendas injicit, ac illis miserum vehementer exagitat; ita ut potius ad inquisitionis tribunal, quam ad exhomologeterium, pro remedio, sibi recurrendum existimet. Quemadmodum initio conversionis suæ expertus est S. Ignatius teste Tannero p. 4.

Antidotum I. est, quo morbus hic depellitur; has cogitationes omnino non timere: neque enim eas, qui scrupulis agitur, elicit, approbatque; sed Cacodæmon, Deo permittente, phantasmata movet, species adaptat, & indefinenter objecta nefanda proponit & ingerit. Ridendæ igitur & penitus contemnendæ sunt, tentationes hujusmodi; quantò enim magis quis iis affligitur; tantò magis à consensu & peccato distare se noverit. Perferendum itaque est hoc parvum Martyrium, divinumque auxilium implorandum; qui opportunè foetidas hasce muscas abiget, ac tranquillitatem optatam restituet.

Antidotum II. est Conscientiæ arbitris, aut Spiritus directoribus, tentationes suas manifestare; odit enim

Aaaa 2 Spiritus

II.
De cogitationibus blasphemis.

Spiritus tenebrarum lucem : Deusque demissè se aperientibus , mirè opitulari consuevit. Recenset S. Joannes Climacus gr. 3. de Asceta quopiam , ipsos viginti annos , jejuniis , vigilisque se discruciante ; ut nescio quam blasphemix cogitationem abigeret ; sed in cassum omnia , donec Seni cuiquam gravi ac prudenti molestiam detexit ; à quo iustus manum collo ipsius imponere ; hæc verba solatii plena audiit : *Super collum meum Frater , sit hoc peccatum , tot annis te oppugnans : tu illud floccipende , nihilque formida.* Quo facto , tentatio molesta penitus evanuit.

III.
De cogitationibus obsecris.

III. Scrupulus tertius nascitur , dum phantasia & cogitationes turpissimæ identidem ingruunt ; quales sunt luxuria , superbia , ira , vindicta ; quibus ad eò certò consensum se præbuisse scrupulosus arbitratur ; ut quidquid neget Conscientiæ arbiter , ipse suo iudicio mordicus adhareat , à Directore suo non rectè cognosci aut intelligi se existimet , ac propterea suos in peccata fœdissima consensus excusari , Dæmonumque duntaxat impulsus reputari.

Antidotum hujus erroris & persuasionis falsæ est , si bene apprehendas ac distinguas sensum tentationum à consensu ; aliud siquidem est sentire , aliud consentire. Sensus peccati , est cognitio peccati quasi ab extrinseco injecta , & veluti ignis quidam in cordis foco succensus , quem sæpe statim & facilè extinguere non licet ; sed interdum flammæ & motus turpes vel in invito excitat. Consensus verò est actus voluntatis , quo expressè peccatum vis & amplecteris. Te verò non consensisse , col-

liges ex eo , si Deum O. M. offendere timeas , ideòque de tentatione angaris ætristeris : si in gratia Dei persistere cupias ; si Deo placere unicè desideres ; si post tentationem adhuc à peccato abhorreas , illudque oderis ac detestaris.

IV. Scrupulus quartus emergit ex eo , quòd quis putat , non implere se aliud quòd præceptum , v. g. horas recitandi , quòd vel intentio , vel attentio , vel integra pronuntiatio defuerit , ideòque se ad repetendum altrungi. Simile quid accidit in audiendo Missæ sacrificio , ob nonnullas distractiones etiam non voluntarias.

Antidotum præsens est , virum doctum consulere , ejusque iudicio stare. Hac ratione Discipulum suum curavit S. Bernardus : dum enim is ob scrupulos , à celebratione Missæ retardaretur ; ei dixit : *Vade fili , & in fide mea celebres.* Ut refert Gerson de præp. Missæ. Accommodet se alterius viri prudentis iudicio , levissimisque sibi in contrarium occurrentes ratiunculas prorsus contemnat , tanquam penitus indignas quibus aurem præbeat. Consilium est S. Antonini p. tit. 3. c. 10. §. 10. reg. 6. *Scrupulos , more canum , oblatrantes & lascivare mirantes non possumus melius comperere quàm per contemptum.* Enim verò , in quantas exurgunt iras imbelles catelli , si quem penes domum , custodiae suæ commissam , transeuntem viderint : Accurrunt quasi pedes viatori velint detrahere , clamant , fremunt , ringuntur , & latratibus totam implent ac turbant viciniam. Quid hinc agat , si sapientior viator ? Sanè si canis respondeat , itinerisque

IV.
De præceptis.

V.
De introitus.

per rationem
nocentem se
quam domini
licet persuader
esse oblatra
majores in
res , neque
feret præ
quòd rati
Quid ergo
Clamete
nihilominus
citus , & e
dem car
etiam , recip
liberit
plaulum
cum ser
Antonin
cum illis
vis domi
omnia.
V. Sc
venit , q
cogitat
ti existim
expiarion
sui marit
tem que
Anto
culo , co
tæ vac
nibus
men n
Religio
stinens ,
à peccat
omnibu
est infan
cenis ;

que sui rationem reddere voluerit : innocentem se proclamet , neque quidquam domui se velle officere , si cani velit persuadere ; ac proinde non ita sibi esse oblatrandum : & tempus perdet , & majores in se caniculi excitabit clamores , neque quidquam à tota vicinia referet præmii , nisi ritus & cachinnos , quòd rationibus cani os velit obstruere. Quid ergo agendum est ? Nihil profus. Clamet catellus ad ravim usque : viator nihilominus prosequatur iter suum tacitus , & securus sui. Defatigabitur tandem catellus , ponet iras , & nullâ re actâ , recipiet se ad nidum suum , ibique si liberit de victoria sua phantastica , plausum sibi faciet & triumphos. Ita cum scrupulis agendum est , inquit S. Antoninus : iis responde & colloquia cum illis misce , si totam illico turbatam vis domum. Contemne , & tuta sunt omnia.

V. Scrupulus quintus ex errore provenit , quo quis in omnibus quæ agit & cogitat , peccatum lethale à se committi existimat ; etiam in ipsa peccatorum expiatione , Synaxi sacra , oratione , aut sui manifestatione. Stultam hunc errorem quo pacto corriges ?

Antidotum est , si cogites : cum in sæculo , more tuo liberè viveres , impudicitia vacares , ac Diabolo servires ; in omnibus tamen operibus tuis , lethale crimen non committebas : nunc verò in Religione positus , à pristinis vitiis abstinens , sanctis occupatus actionibus , & à peccandi occasione sequestratus , in omnibus graviter delinquis ; quæ isthæc est infania ? An non Sathanæ ludibria cernas ? Illud tibi Stygius Impostor , ve-

luti pueris , quibus si viâ lutosâ , lubricâ que incedentibus , acclameatur , laberis , laberis , præ timore labuntur : ita pariter te Diabolus , velut pusionem stolidum , illudit.

VI. Sextus scrupulus est , dum præscientiæ & prædestinationis divinæ nodi insolubiles vexant , ut se reprobos aut damnandos conjectent.

Antidotum in hoc , uti & in prioribus , validum est : concipere spem magnam ac fiduciam in Deum , piùmque de misericordia & bonitate ejus inñita sentum : ad quæ hortatur sapientissimus Regum Salomon Sap. 1. 1. *Sentite , inquit , de Domino in bonitate*. Magna in sæculo admisistis crimina & multa ; sed nemo propterea desperet ; nemo cum Caino dicat : *Major est iniquitas mea , quàm ut veniam merear*. Gen. 4. Sed potius perpendat illud Apostoli ad Rom. 7. 6. *Ubi abundavit delictum (plerumque) superabundat & gratia*. Quare rectè ait S. Laurentius Justinianus in *Ignovita de spe*. c. 4. *Quid tam grave committitur , quod non Christi morte solvatur ? Meritò igitur in Christo , mihi spes valida est , qui sanat omnes languores meos ; qui redimit de interitu vitam meam ; qui coronat me in misericordia & miserationibus*. Apprehenditis Deum , tanquam severum & acerbum vindicem scelerum , ejus judicii strictissimi terrore prostrati estis : sed timeant peccatores in peccatis perseverantes , mortemque infelicem oppetentes : at vos , qui peccata expiastis & emendare ea cupitis : *Sentite de Domino in bonitate* : & sperate in eo : justus est quidem Deus , sed simul misericors , & benignus , utpote , cui proprium

VI.
De præ-
destinati-
one.

V.
De erro-
ribus.

est misereri & parcere, magis quam punire & plectere. *Quam bonus, Israël, Deus his, qui recto sunt corde!* exclamat Prophetæ Regius, Psalm. 72. Quales vos per gratiam Dei jam esse accepistis. *Bonus est Dominus,* ait Jeremias Thren. c. 3. *sperantibus in se,* ut vos facitis, & *anima querenti illum;* veluti vobis unicè cordi est. *Quare sentite de Domino in bonitate.*

VII.
De variis
interro-
gationi-
bus.

VII Scrupulus septimus est, dum Dæmon variis hominem infestat interrogationibus. Quid faceres, si hoc, illudve succederet? Si hoc tibi eveniret? Si hæc vel illa peccandi occasio sese tibi offerret: si talis tibi contumelia, vel injuria irrogaretur? An non vindicares? an non percuteres?

Antidotum est optimum, omnes has cogitationes eliminare, ac sollicitudinem de futuris abjicere. *Sufficit diei malitia sua,* ajebat Salvator Matth. 6. *Noli esse sollicitus pro crastino;* in occasionibus peccandi, Divina Bonitas gratiam ubertem præstabit.

Quapropter, Dilectissimi, si scrupulis hæc agitemini, ne trepidetis timore, ubi causa timendi non adest. Sive enim vos Hostis Atygius infestaverit

scrupulis & anxietatibus de peccatis præteritis & exhomologesi perperam instituta; sive de cogitationibus hæreticis & blasphemis, sive de phantasiis & cogitationibus impuris; sive de impletis præceptis, sive ex ignorantis crassis, sive ex erroribus noxiis & interrogationibus periculosis; allegata ante mox adhibete antidota. 1. Vestræ prudentiæ nunquam fidite, sed juxta Regulam 41. vel Superiori, vel conscientiæ arbitro, tentationes vestras manifestate, illi credite, illi obedite, illi vos & judicium vestrum subjicite. 2. Scrupulos contemnite & pro viribus abjicite; nec cum illis disputationem instituite; idem enim est ac si cum Caco dæmone disputetis. 3. *Sentite de Domino in bonitate.* Deus Pater est, non vitricus; Amicus est, non Tyrannus; bonus & misericors est, non rigidus & crudelis; ideòque firmam in illo spem & fiduciam collocate. Hæc qui præstiterit, per auxilium divinæ gratiæ facillè juvabitur: qui verò ea neglexerit, pro agro deposito ac desperato habendus est, qui nunquam curabitur.





REGULA XLII.

DE UNIONE ET CHARITATE FRATERNA.

EXHORTATIO I.

IN HANC REGULAM,

Media conservativa Unionis & Charitatis proponit.

T H E M A.

Idem sapite, pacem habete. 2. Corinth. 31. 11.

VEL:

Unio & conformitas mutua diligentissime curanda est. Reg. 42.

UNIO animorum primitivæ Ecclesiæ; ex diversis populis, tribubus, & linguis conflata; meritorè cunctis Ordinibus religiosi, ac in primis Societati nostræ, ex diversis quodque nationibus congregatæ, ceu prototypum, & exemplum illustre Unionis Caritatisque fraternæ proponitur *Multitudinis Credentium* (ait S. Lucas Act. 1. 3. 4.) *erat cor unum & anima una:* non physicè, sed moraliter. Physicè enim

non erat in eis Anima una communis, quasi Idea Platonica; sed moraliter ita fideles omnes animis, sensibusque concordantes erant; ac si omnes cor unum, & animam unam possiderent. Verùm unde (obsecro) inter aded diversos, tanta animorum conjunctio? Non aliunde sanè, nisi ex perfecta amicitia & caritate, quam Spiritus Sanctus cordibus eorum insculpsit, eosque in christo, quem intimo prosequerantur amore, copulaverat; ita, ut, quæ erant unum in uno tertio (scilicet Christo, inhabitante, eos animante, agente, & movente) essent etiam unum inter se, maximè

maximâ animorum concordia. Et hæc quidem Unio inter Christianos primævos diu floruit, teste Tertulliano, qui vixit sub annum Christi ducentessimum; refert enim Apolog. 39. tantam inter eos viguisse caritatem, ut communis Gentilium de Christianis vox esset: *Vide, ut se diligant; ut alter pro altero mori sit paratus.* Crescente verò Fidelium numero, decrevit paulatim & refrixit hæc Unio: quare ejus retinendæ causâ, instituta sunt Cœnobita; in quibus tanta fuit Unio & communicio, ut S. Basilii Constit. Monast. c. 19. admiretur: *Homines ex diversis nationibus & regionibus profectus per exactam morum & vitæ disciplinam, adeo velut in unum coaluisse, ut in pluribus corporibus unus tantum animus esse videretur.*

Horum Antiquorum, tum Christianorum, tum Religiosorum vestigiis ut insistamus: quibus in rebus hæc animorum Unio demonstranda sit; vel quænam sint ejusdem conservandæ Media, à S. P. N. in Regula præsentate assignata, ostendemus.

Unio animorum.

I. Medium primum Caritatis & Unionis fraternæ conservandæ (quamvis etiam effectus sit caritatis) est *idem sapere.* Id ipsum quòque Gentium Doctor olim à suis Romanis, Corinthiis, & Philippensibus, atque in illis, à nobis postulavit. Et quidem Romanis c. 15. *vovet, optatque: DEUS det vobis id ipsum, in alterutrum sapite.* Corinthiis verò, 1. Corinth. 13. *idem sapere. pacem habete.* Denique Philippensibus c. 2. *implete gaudium meum, ut idem sapiatis.* At quidnam est, idem sapere? Ori-

Origines prædicta Apostoli verba interpretans, ait: *Idem sapite, id est, idem sentite ejusdem sitis judicii, mentis, sententiæ & sensus.* Interpretes alii, non de Intellectu duntaxat; verùm etiam de voluntate explicant: *Sapere enim innuit suavitatem quandam, gustumque gratum, quem in voluntate percipimus, dum grati quidpiam nuncii intelleximus:* V. G. Dum nova fausta de Principis cujusdam ab Hæresi ad Fidem Orthodoxam reductione; aut de insigni Cæsaris de Turcarum Tiranno victoriâ afferuntur. Ita nos quotquot in unam Religionem compaginati sumus, idem sapimus, suavemque gustum percipimus; quando secundum Deum Intellectu & voluntate ita concordamus, ut, quod sentit unus, sentiat & alter; quod uni jucundum accidit, alteri quòque jucundum existat; quod uni sapit, alteri etiam sapiat. Deinde idem sapimus, quando animo, corde & affectu ita mutuò conjuncti sumus; ut quod quisque sibi sentit ac sapit, idem alteri quòque sapiat: id est, ut quod quisque sibi querit, diligit, curat, vult; idem etiam alteri querat, diligit, curet, velit: atque ita mente, animo, & sensu consentiamus: Si Proximus gaudet, & nos gaudium sentiamus & cum eo gaudeamus: Si fleat, cum illo fleamus: Si doleat, cum eo doleamus; ut dixit Apostolus c. 12. ad Roman. *Gaudete cum gaudentibus; flere cum flentibus.*

Ubi verò talis est in Religione animorum conjunctio, quanta in eam felicitas, quanta jucunditas, quantum redundat solatium? *Qui alios diligit, sicut debet,* inquit S. Chryostomus Hom. 12.

in

in Epist. 2. ad Corinth. *ita vivit in terra, quasi esset in calos; semper gaudens summâ tranquillitate: In hoc enim Bono Caritatis anima bona habet; & per eam innumeras obtinet victorias & coronas, & inestimabiles thesauros pacis.* Chrylostomo ad stipulatur S. Augustinus in Ps. 132. *Nihil (ait) auditur dulcius, nihil operatur delectabilius, nihil nihil possidetur, quam ob rem dixit David: O quam bonum & quam jucundum habitare Fratres in unum: hac verba psalterii, iste dulcis sonus, ista melodia etiam Monasteria peperit.*

Hanc, Dilectissimi, concordiam constanter teneamus, nec unquam ab ea recedamus; floret illa (laus Deo) in hac Domo, ubi omnes idem sentiunt, idem sapiunt, idem volunt, idem nolunt, arctior: eque se invicem, quam germani fratres soleant, amore complectuntur: atque inde tranquillitas, inde pax, inde tanta jucunditas & lætitia resultat; ut merito cum Vate Regio exclamemus: *Ecce quam bonum & quam jucundum: habitare Fratres in unum!*

II. Alterum unionis & charitatis fraternæ conservandæ Medium, est idem sermo, idem colloquium, & loquela eadem, quam S. IGNATIUS in Regula præsentem exigit, dum ait: *Idem, quoad ejus fieri potest, dicamus omnes: Ubi non solum optat unionem animorum & voluntatum; verum etiam sermonum & linguarum; ut quemadmodum mente, ita & ore & loquelâ confenciamus; alloquin facill negotio, verbis Charitas fraterna rumpitur; porissimum verò fugienda sequentia, linguas dividenda.* 1. Non aciter aliis contradicendum; sed potius acquiescen-

dum, quando secundum Deum possumus. 2. Non vehementius disputandum; quod non raro de lana caprina, & rebus nullius momenti hominibus imperfectis evenit. 3. Non rixandum, aut verbis contendendum. Contentio est concertatio pro gloria & honore; cui semper conjuncta est æmulatio, seu boni alieni invidia; à quibus deterret Apostolus Rom. 13. 13. *Non in contentione & æmulatione:* Ea que refert inter opera Carnis, dum ait: *Contentiones & æmulationes.* 2. Corinth 12. 20. 4. Non mordendum verbis amaris, & sarcasticis; à quo rursùm dehortatur idem Apostolus ad Galat. 5. 15. *Quod si invicem mordetis & comeditis.* S. Ambrosius pro *comeditis*, legit *criminatis*. Quasi dicat: Si vos invicem roditis & laceratis verbis acerbis & amarulentis, odiis ac invidiis: *Videte ne ab invicem consumamini:* Quemadmodum enim duo canes rixantes invicem mordent se ac conficiunt: ita duo rixantes invicem, seipos ipsi conficiunt, De S. Ignatio legitur in vita L. 5. c. 2. & 6. quod triginta & amplius annis neminem unquam verbo contumelioso aut mordaci læserit, 5. Judicium proprium non eum pertinaciâ defendendum; ut rursùm S. Paulus hortatur, ad Rom. 12. 3. *Non plus sapere, quam oportet; sed sapere ad sobrietatem.* Et valet hinc S. Ignatii documentum: *Cedere se potius, quam superare juvat. Idem dicamus omnes.* 6. Cavenda doctrinæ differentia; *Doctrina differentes non admittantur*, ait S. IGNATIUS. Ubi 1. Doctores & Professores Nostri in Theologiæ & Philosophiæ Dogmatibus dissidere vetantur. Hec enim

doctrinæ diversitas efficacissima Diaboli machina & Medium est, ad animorum Caritate conjunctorum divisionem; quod tamen haud ita intellectum velimus, quasi Theologiæ ac Philosophiæ Professoribus contrarias non liceat docere Sententias in rebus levioribus, minorisque momenti; quæ exercitii gratia non raro, pro & contra probabiliter ventilantur; in rebus tamen gravioribus à Societate constitutum est, quasnam Nostri Sententias ubivis terrarum tradere debeant. 2. Prohibentur doctrinæ differentes in publicis concionibus; neque enim id absque populi scandalo accideret; inde, Nos animis diffidere, & superbia, æmulationeque agi colligentis, 3. Prohibentur quodque ejusmodi doctrinæ differentes typo vulgandæ; hac enim via Differentia illa ad plures dimanat, nec tanta facilitate, ac verba ore solum prolata, revocatur; unde cautum est, ut absque Præsidis generalis approbatione lucem ejusmodi libri minimè aspiciant: Et in exam. c. 3. §. II. præscriptum est, ut Doctorum laurea conspicui, & doctrina insignes in seculo, in Societatem deinde admissi, deposita, qua in seculo erant imbuti, contraria doctrina, sententias Societati præscriptas amplectantur; ut impleamus Regulam: *Idem dicamus omnes, & doctrina differentes non admittantur.* Ita stabit animorum Unio, studiumque perfectionis vigebit. Quamdiu ædificatores Turris Babel una utebantur lingua, felici omnino successu promovebatur Structura; at exorta linguarum confusione, res tota penitus interturbata, & Fabricæ continuatio abrupta est.

Quid in Religione ædificamus, nisi turrim perfectionis, ad cælum usque pertingentem? Quod opus secundis succedit auspiciis, si mente, lingua & doctrina consenserimus; At si animorum linguarumque inter nos exorta fuerit discordia, ac dissonantia, actum agemus, ceptamque perfectionis turrim imperfectam relinquere & deserere compellemur.

III. Tertiam unionis & charitatis fraternæ conservandæ medium est, idem agendi & procedendi modus: unde desiderat Sanctus Pater in reg. cit. *Ut absit omnis judiciorum diversitas in rebus agendis.* Causamque mox subtexit; quia *Ipsa est mater discordia, & inimica unionis voluntatum.* Perinde ac si diceret; Diversitas hæc in agendo, vivendo, negotia tractando, qua quis proprium suum consecratur sensum ac criterium; alterique se accommodare renuit; sed à communi procedendi methodo & consuetudine deflectit atque exorbitat; est pestis fatalis, est quodammodo mors Religiosi Ordinis, cujus vita est Unio; aperitque ostium Diabolo; qui discordias solum seminat; lites & contentiones suscitatur; ac destructionem vocationis, Religionisque everisionem vehementer exoptat; quemadmodum enim ex diversitate judicii, voluntatis, doctrinæ, & modi agendi exoriantur in Mundo lites, hæreses, bella, schismata, aliaque mala innumera; ita ex eisdem, in Ordinibus Religiosis nascitur odium, invidia, ita, contentio, æmulatio, & quidquid animorum unionem diffuit, in Religionis perniciem & ruinam.

Hæc igitur tanquam charitatis & uni-

III.
Unio
operum.

unionis interitus prorsus ab Ordine nostro proferenda sunt; iisque contraria totis viribus sectanda; quod si præstiterimus, geminum fructum à S. Fundatore in Regula insinuatum feliciter reportabimus. Primus est: *Us juncti invicem fraterna Caritatis vinculo, melius & efficacius nos possimus divino obsequio impendere.* Ita enim veluti uno corde, unâ mente, uno spiritu in via Domini strenuè progrediemur, de virtute in virtutem; & alter alterum verbo & exemplo adjuvabit, promovebit, atque excitabit: non secus ac quatuor animalia apud Ezechielem, pennis junctis; uno spiritu & impetu currebant, currumque gloriæ divinæ promovebant. Secundus fructus est: *Ut efficacius quòque ac melius auxilio Proximorum nos impendere valeamus.* Primi dñi Societatis Nostræ Minimæ Patres, Caritate maximâ uniti, quæ, quantaque admiratione dignissima non effecere? Sic & Nos, Caritatis mutæ glutino colligati, quid non præstare valebimus? Disjuncti verò, tanquam scopæ dissolutæ, animisque discordes, pro salute animarum, pro conversione peccatorum, pro Hæreticorum & Infidelium, ad Sanctæ Matris Ecclesiæ gremium, reductione, quid efficiemus? Quo pacto alios cum Christo in Fidei unitate conjungemus, qui ipsimet dissidemus Caritate? Quo modo inimicos inter se reconciliabimus, qui ipsimet inimicitias fovemus? Quâ ratione discordias componemus, qui ipsimet caremus pace & concordia? *Omne Regnum (omne Collegium, omne Cœnobium, omnis Provincia, Residentia, Missio) in se divisum desolabitur;* ait æterna Veritas

Matth 12. *Et qui non colligit mecum, dispergit.* Caritas calx est, lapides inter se uniens; tolle calcem, & non domus; sed lapidum acervum habebis, ruinamque; assidue præstolaberis. Tolle ab Ordine (à Societate) calcem Caritatis, & ipsa corruet, & alios ruinâ suâ involvet. Quid nobilissima Regna, Provincias, Urbes evertit, nisi animorum dissensio & bella intestina? Quid Romanum Imperium olim pessundedit; nisi populi contra Magistratum, militum contra Senatum, & Senatorum mutua inter sese dissensio, discordia & pugna? præsertim Julii Cæsaris, & Pompeji tempore, veluti Livius, alique Historici testantur? Similia Ordo qui libet Religiosus, similia Societas nostra, inter se (quod Deus avertat) divisa, reformidare poterit.

Quocirca, Carissimi, cum Nos in Ordinem Religiosum (In quo primævam Christianorum Caritatem conservari ac vigere oportet) à Domino miserante vocati simus; primum Christianorum ac Religiosorum exemplo cor unum & animam unam habere & conservare omni studio allaboremus. *Idem sapiamus omnes, Intellectu & affectu conjunctissimi, quo nihil dulcius, nihil delectabilius, nihil utilius.* Deinde *Idē dicamus omnes, unisona præditi loquela, voce & sermone; procul à nostris colloquiis sint contradictiones, procul disputationes vehementiores, procul rixæ & contentiones, procul verba mordacia, sacrasmî, pertinacia, doctrinæ diversitas, in scholis, templis, libris editis, quæ omnis pacis & charitatis sunt hostes.* Denique in rebus agendis, in negotiis, in operibus cunctis adsit concordia, absit differentia,

omnisque heteroclitus agendi modus ; ne & salus , perfectioque propria & aliena retardetur ; & regnum nostrum desoletur , id est Collegia nostra , Domus nostræ , eorumque incolæ inter se mutuo collidantur ; & sublata charitatis calce , dissolvantur , & corruant ; sed potius uno corde , una anima , una mente , voluntate , ore , manu , pro vltibus Dei gloriam promovamus ; & animabus cælo lucrandis constantiter invigilemus ,



EXHORTATIO II. IN REGULAM XLII.

Motiva unionis & charitatis fraternæ omnibus Christianis communia exhibet.

T H E M A.

Soliciti servare unitatem Spiritus, in vinculo pacis. ad Eph. 4. 3.

V E L

Unio & conformitas mutua diligentissimè curanda est. Reg. 42.



Ummo Salvator noster Christus JESUS flagrabat desiderio , ut Discipuli sui & Christiani omnes ardentissimo charitatis vinculo conjungerentur ; atque ut id à Patre cælesti impetraret , eum enixè precatus est ; *Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi ; ut sint unum, sicut & nos unum sumus. Joan. 17. Et. Ut sint unum voluntate, sicut & nos unum sumus* essentia & substantiæ unitate. Ad unitatem verò istam requiritur unio , glutin & vinculum. Unde Apostolus hortatur Ephesios c. 4. 3 *Soliciti ut sint, servare unitatem Spiritus, in vinculo pacis.* Ut sit unitas & conjunctio in fabrica Domus requiritur vinculum : sed quodnam illud ? Calx lateres connectens. Ut sit unitas in navis structura , necessarium est vinculum ; quodnam illud ?

Illud? Clavi & bitumen a fieres compa-
ginaas. Ut sit unitas in Horologio, ad-
sit, necesse est, vinculum: Quodnam il-
lud? Coordinatio & connexio rotarum.
Ut sit unitas in Ecclesia, in Republica, in
Civitate, in Ordine Religioso, in Cœ-
nobia, in Domo; desideratur vinculum;
quodnam illud? Vinculum pacis & cha-
ritatis. *Solliciti servare unitatem Spiritus, in vinculo pacis, Ut sint unum, sicut
& nos unum sumus*; Ut unum sint Pater
& Filius, intercedat vinculum; sed quod-
nam illud? Spiritus sanctus, qui facit
utraque unum, & est Spiritus charitatis,
& vinculum pacis.

Quo igitur & nos unum sumus per
vinculum pacis & charitatis, ternas, ex
multis ab Apostolo assignatis ad Ephes.
4. seligemus rationes, quæ nos ad chari-
tatem mutuam conservandam meritò
incitent: Nimirum, quòd sumus *unum
corpus, unus Spiritus, & una sit spes voca-
tionis nostræ.*

I.

Motivum
charitatis
fraternæ,
quia unum
corpus su-
mus.

I. Stimulus primus, nos ex sententia
Apostoli excitans ad mutuam charita-
tem fraternam: ut sumus *solliciti servare
unitatem Spiritus, in vinculo pacis*; est,
quia unum corpus sumus omnes, quot-
quot Ecclesiæ Orthodoxæ membra su-
mus: *Unum corpus.* ad Ephes. 4. v. 4.
Omnium fidelium, seu Christianorum,
unum corpus mysticum est, cujus caput
est Christus; qui in membra singula,
tanquam vitis in palmites, influit, vi-
tamque gratiæ producit, & opera vitæ
æternæ meritoria exercendi vim com-
municat. Totus Ordo Religiosus, u-
num corpus est. Totâ Provincia unum
corpus est: Collegium aut Domus u-
num particulare corpus est, Quòd si

ergo *unum corpus* Ecclesiæ, vel Religio-
nis, vel Domus omnes confiamus, &
invicem membra sumus, quis non cer-
nit, quantâ charitate nos unitos esse o-
porteat? Quis non perspicit, quantâ sol-
licitudine, servare debeamus *unitatem
Spiritus*, id est unitatem mentis & ani-
mi; ut licet corporibus divisi simus,
mente tamen & animis conjuncti, uni-
tate vivamus? At quibusnam in rebus,
hæc unio Spiritus elucesce? Quibusnam
occasionibus, se prodet? Docet id Apo-
stolus; exponit S. Laurentius Justinia-
nus, in Ligno vitæ, de charitate c. 17. &
L. de discipl. c. 4. Imò vel ipsa mem-
bra nostra, tametsi silent, ipsam chari-
tatis & unionis methodium & praxin
clamant; ita ut inexcusabiles simus, si
non audiamus & imitemur. Itaque in-
tueamur, quid membra membris præ-
stent obsequii & charitatis.

1. Membrum unum ab altero di-
velli, separari, & quàm maximè refor-
midat: cogita, si vel manus, vel pes,
gangrænâ latius serpente ac proficien-
te, amputandus sit, quo membra omnia
horrone concutiuntur, quo dolore pre-
muntur? sanè arctissimis hominem vin-
culis constringi necesse est, ne se mo-
veat, & vel invitatus relaxetur. Pari mo-
do & nos, præsertim Religiosi, qui non
unius duntaxat Ecclesiæ; sed religionis
etiam membra sumus, omnem divisio-
nem, omnem dissensionem, omnem
charitatis læsionem vehementissimè ti-
meamus: semper membrorum instar
conjuncti, *solliciti sumus, servare unita-
tem Spiritus in vinculo pacis & charitatis.*

2. Proinvicem solliciti sint membra.

1. Corint. 12. 25. Quanto studio se
Bbbb 3 membra

membra diligunt, & curant? Infirmatur oculus, nonne manus oculo languenti sollicitè remedia adhibet? Sc totam exponit in ipsius obsequium, palpat, linit, medetur; & si quid aliud impetiri queat solatii, semper præstò est. Quantum unque occupetur, quamvis à labore fessa sit, nunquam tamen se retrahit à ministerio, nam oculi malum, propter confederationem naturæ, suum esse arbitratur. Hoc agit os, hoc pes, hoc cuicunque alia membra: omnia enim membra uno consensu, pari voluntate, libenti animo & absque ulla reque se exercent, ut oculus recuperet sanitatem. Non absimili ratione, tanquam membra nos diligamus, Infirmos omni obsequiorum genere sublevemus, & in necessitate quavis, solatio sumus, & unitatem Spiritus conservabimus.

3. *Si quid patitur unum membrum compatiuntur omnia membra.* I. Corinth. 12. 26. *Compatiuntur* (ut sic membrum patiens dolore leveatur) *non per communionem cladis, sed per solatium charitatis;* inquit S. August. Epist. 133. Unde S. Basilius in Reg. brev. Reg. 175. docuit, evidens signum dilectionis esse duplex: Primò si quis proximi utilitate lætetur & pro ea laboret. Secundò si de ejus malo ac peccato tristetur & mœreat. Qui his destituitur, caret charitate: ne autem ea careat, solliciti sumus compatiendo servare unitatem.

4. *Si gaudet unum membrum congaudent omnia membra.* Nam membrum unum sibi fieri reputat, sive bonum sive malum, quod alteri evenit; ita & nos; quod fratribus nostris accidit, nobis irrogari existimemus; *Tania* inquit S.

Laurentius Justinianus l. c. *in eisdem huiusmodi corporis membris in est cupula tantus amor, tamque inseparabilis; & insuperabilis dilectionis unitas, ut unum sine alio, non valeat gaudere. Lætitia illis communis est poena aequalis, etsi non in actu, tamen in affectu; ita ut quod uni tribuitur, cetera recepisse se gratulentur.* Idem Christus Ecclesiæ & corporis huius mystici caput, suo docet exemplo, dicens: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Matth. 25. Similia quoque nobis erga fratres nostros opere aut affectu saltem demonstranda. *Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus.* Ut loquitur Apostolus. Rom. 12. 15.

5. *Solliciti servare unitatem,* sicut membra corporis servant, Primò. Unum membrum, alteri non invidet dignius officium; pes enim oculo non invidet sublimiorem locum: ita & nemo nostrum Fratri suo aut dignius officium, aut ingenium excellentius aut doctrinam, aut gratiam, sibi non concessam, invidet. Invidia enim est vitium diabolicum, ex matre superbia genitum: *Suffoca matrem & non erit filia.* Deinde quemadmodum unum membrum ab alio læsum, non illico se vindicat; pari ratione inter nos nulli vindictæ sit locus, ut monet Apostolus Rom. 12. *Nulli malum pro malo reddentes.* Tertiò. Quemadmodum unum membrum alterius officio se non immiscet; singula enim suis inhaerent officiis, nec oculus audiendi, nec manus ambulandi unquam sibi vendicat actum; sed singula juxta donum & actum suum naturæ obtemperant. Ita nostrum quisque commissam sibi functionem obeat, & stabit

abit pax; nullo autē modo alieno muneri se se immisceat. Quartò. Quemadmodum membris infirmioribus majorem impertimur honorem; magis enim custodimus ac tegimus pedem, quàm faciem: Sic quòque Nos nos despiciere oportet eos, qui infirmiores, ignobiliores & minores videntur; sed monitum Apostoli sequamur: *Honore invicem pravenientes.* Quintò. Quemadmodum unum membrum in periculo læsionis se exponit pro alio, veluti brachium aut manus se opponit ad idem avertendū à capite: ita & Nos pro Fratribus libenti animo quidpiam sustineamus, exemplo Christi JESU Capitis nostri pro membris suis & verbera & vulnera perpeti non dedignantis.

Hoc igitur stimulo indefinenter ad caritatis unionem excitemur: *Unum corpus sumus.* Ideoque invicem non debent ejus dividi ac separari membra; sed pro se mutuo curam gerere: Compassionem in malis, congratulationem in bonis, absque omni invidiâ, vindictâ, arrogantia, ac neglectu demonstrare. *Magna est hæc Caritas mutua, virtus & auxilium proficiendi in omni perfectione, qua data est divitibus pro gloria, pauperibus pro censu, exulibus pro patria, imbecillibus pro virtute, infirmis pro medicina, pro vna mortuis.* Inquit Sanctus Laurentius Justinianus in Ligno Vitæ, l. c.

II.
Motivum
quia unus
spiritus
sumus.

II. Alter stimulus nos ad unionem caritatis excitans est, quòd unum à Christo Capite nostro spiritum nacti sumus. *Unus spiritus,* ait Apostolus ad Ephes. 4. 4. Christus Dominus noster toti corpori mystico (Ecclesiæ) unum insudit spiritum scilicet Spiritum suum, qui singulis membris vitam & motum spirituales

adfert; sine quo illa mortua & absque motu existerent. At quis & qualis est iste spiritus, quem omnes Christiani accepimus, & à quo unus spiritus nuncupamur?

1. Est Spiritus Dei, Spiritus Divinus; Spiritus Patris cælestis, de quo loquitur Apostolus, aitque suis Romanis inesse: ad Rom. 8. 9. *Vos in carne non estis, sed in spiritu: Si tamen spiritus Dei habitat in vobis.* Spiritus iste Dei, spiritus Patris non est spiritus servitutis; non est spiritus timoris servilis, qualis olim regnabat in Judæis, viventibus secundum Legem timoris; sed est spiritus libertatis, spiritus amoris, spiritus filialis: velut discretè affirmat S. Paulus l. c. v. 15. *Non accepistis spiritum servitutis in timore;* ut metu pœnæ à peccatis coëceamini, Legemque observetis; *sed accepistis spiritum adoptionis Filiorum, in quo clamamus, Abba Pater.* In quo clamamus, non tam voce, quàm filiali affectu præ dulcedine & tenerritudine amoris, quasi infantes teneri, qui carissimum Parentem balbutientes blandolâ & iterata vocula compellere solent: Pater, Pater. Et hic unus spiritus est quem obtinuimus, dum Christianam Legem amplexi sumus.

2. Est Spiritus Christi domini, quis verò est spiritus Christi? est idem, qui Dei, quia Christus est Deus; Spiritus Christi impellit ad affectus & mores Christo similes, & ad imitandam vitam Christi; Spiritus Mundi est spiritus terrenus & spiritus superbus atque vanitatis: spiritus carnis, est spiritus carnalis & sensualis: spiritus Diaboli, est spiritus malignus, arrogans & invidus. Spiritus verò Christi, est Spiritus cælestis & humilis: Spiritus Christi est spiritus mortificationis & abnegationis:

abnegationis: *Qui enim Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis.* Spiritus Christi est spiritus dilectionis, vult enim, ut invicem diligamus, *Si quis autem spiritum Christi non habet, hic non est ejus.* Rom. 8. 8.

3. Est Spiritus Sanctus: est Spiritus Caritatis & Gratiæ à Spirito Sancto communicatæ & infusæ & ab eo separari nequit, Est spiritus vivificans animas nostras, vitæ gratiæ, ut docet Sanctus Chrysostomus, Ambrosius & Augustinus: Quemadmodum enim Spiritus Sanctus est vita essentialis & increata; ita quodque est causa vitæ nostræ spiritualis, eamque nobis communicat, & ad opera non carnis; sed spiritûs, non peccati & mortis; sed gratiæ & vitæ impellit: adeoque Filios Dei efficit: Etenim *Quicumque spiritu Dei aguntur, ii sunt Filii Dei.* Ad. Rom. 8. 14. Sicut ergo Samson ad heroica fortitudinis opera patranda, Spiritu Dei correptus agebatur: unde antequam ea aggredereur, ait Scriptura: *Irruit spiritus Domini in Samson:* Ita pariter Iusti, Sancti, omnésque Filii Dei tum ad opera heroica, tum ad alia vitæ æternæ meritoria Spiritu DEI aguntur. Igitur *unus spiritus* sumus, uno spiritu agimur & regimur.

4. Si verò religiosam vitam spectemus, ad quam Christus nos vocavit, & quam Spiritus Sanctus nobis inspiravit & ad quam Nos benignissimè attraxit alia peculiaris dilectionis Motiva apprehendemus. Sumus enim *unus spiritus*: hoc est regnat in nobis spiritus pauperatis, non divitiarum; spiritus Castitatis; non voluptatum; spiritus obedientiæ, non libertatis mundanæ & honorum:

sed spiritus Mundo abrenunciandi & moriendi, Deoque unicè serviendi & vivendi. Sumus ergo *unus spiritus* multis de causis.

5. Si denique Societatem spectemus, ad quam singulari Dei beneficio vocati, & arctius colligati sumus, *unus spiritus* sumus: accepimus enim Spiritum Apostolicum, spiritum zeli Animarum; qui verè & propriè est Spiritus Christi, de cælo descendens, ut homines ad salutem æternam perduceret.

Cùm igitur tot titulis omnes simus, quasi *unus spiritus*, facilè cernimus, quot stimulis ad Charitatem mutuam excitemus, ut nos uno corde, uno spiritu diligamus & complectamur, ac quidquid ad divisionem spiritus facit, cane pejus & angue fugiamus, ut uno humero jugum Domini portemus; ut uno studio, labore & fervore propriam alienamque perfectionem procuremus.

III. Tertius stimulus nos ad unitatem spiritus, in vinculo pacis factam testam conservandam impellens est: una spes vocationis nostræ. Allegat quodque hanc causam Doctor Gentium I. c. 5. 4. dum inquit: *Sicut vocati estis in una spe vocationis vestra.* Quem (obsecro) non vehementer incitet ad illam servandam fraternæ dilectionis unionem, si vocationis nostræ spem perpendamus? Una est spes nostra, una vocatio nostra. Omnes vocati sumus ad cernendam hereditatem cælestem, atque hæc est una spes nostra. Omnes vocati sumus ad unum Regnum, ad unam coronam, ad unam gloriam & beatitudinem æternam: & hæc est unica expectatio nostra,

III.
Mct. vum,
una spes
vocationis.

Cùm

Cum Igitur in ea brevi post temporis intervallo amicissimam, latissimam, felicissimam, in omnem æternitatem, vitā simul aucturi simus, quid hic in terra ex omnibus rebus caducis & quiescentibus esse potest, quod in Nobis spiritus unitatem & charitatem dissolvat? Terra universa Cæli intuitu Punctū est; & hujus Puncti punctulum aliquod Nos à Charitate mutuā separabit? Si quis in Cælo jam existeret cum Beatarum illarum Mentium choris, terramque hanc exiguam inde despiceret, hominesque litigantes, belligerantes, pugnantes pro terræ gleba intueretur, an non exclamaret: Hoc est Punctum, quod inter vos mortales ferro & igne dividitur! O quam angusti sunt mortalium animi! O quam angusti mortalium termini! Ne id fiat, unam vocationis nostræ spem consideremus: Cælum intueamur: ut hortatur S. Ambrosius L. 3. Hexaem. c. 12. *Nostre (inquit) conversatio in cælis est; unde ne aliquibus seculi procellis possit reflecti, & tempestate deduci, clavusculus & circulus, quasi amplexibus Caritatis, proximos quosq; complectitur, & in eorum conjunctione requiescit: Caritas est igitur, qua nos Superioribus nequit Caloque inserit.* Mediante scilicet spe vocationis nostræ, quæ Nos non secus atque agricolas in labore animat; ut milites in pugna confortat; ut mercatores in negotiatione excitat; ut messem coronam, thesaurumque cælestem unanimiter queramus & feliciter reperiamus.

Quæ cum ita sint, Charissimi, secundum Apostoli monitum pro viribus felicitati simus *servare unitatem spiritus in vinculo pacis.* Si id neglexerimus, verè inexcusabiles sumus. *Non Calum*

ait S. Laur. Justin. L. de dif. c. 4. *non Angeli non alia contra te producuntur testimonia. Tu mihi accusator eris: Tu testis, si hoc Mandatum (dilectionis fraternæ) fueris pratergressus.* Quare ad conservandam exactissimè unitatem spiritus & voluntatis extimulet Nos. 1. Quia *unum Corpus* sumus in Christo, & sub uno Capite Christo, alter alterius membra; ac proinde membrorum unionem æqualemur; omnem disjunctionem, seu dissensionem declinemus; pro nobis invicem in morbis & adversis sollicitudinem geramus; intimèque compatiamur: cum gaudentibus gaudeamus; fleamus cum flentibus; absque invidiâ, absque vindictâ, absque alterius officii occupatione, membriq; vilioris contemptu. 2. Extimulet nos *unus spiritus* ad unionis conservationem; *unus spiritus* Patris, qui Nos Filios Dei adoptivos constituit *unus spiritus* Filii, qui nos Christi imitatores efficit: *unus spiritus* Spiritus Sancti, qui nos ad opera herolca & vitæ æternæ meritosa impellit. *Unus spiritus* Religionis, qui Nos Fratres in Christo reddit: *unus spiritus* Societatis, qui Nos Christi Ministros & in animarum salute Cooperatores ordinat. 3. *Una spes vocationis* nostræ, una beatitudo, una Corona, una gloria perpetua, in qua, in omne ævum, conjunctissimis mentibus, victuri sumus, extimulet nos, adjuvet, & impellat Nos, ut hanc brevem & fluxam temporis ac vitæ nostræ periodum in maximâ Caritate, in pace & tranquillitate summâ transigamus; donec in æternâ felicitate, in summa unitate, uno corde & ore, uno corpore & spiritu, Sanctissimam Trinitatem amemus, laudemus & glorificemus in secula. Amen.



EXHORTATIO III. IN REGULAM XLII.

Motiva unionis & charitatis fraternæ, Societati, vel alteri
Ordini, magis propria declarat.

T H E M A.

Sint unum, sicut & nos unum sumus, Joan. 17. 11.

V E L

Unio & conformitas mutua diligentissimè curanda est. Reg. 42.



Uanquam omnes, quotquot Christiano nomine & omne gaudent, singulari decet unionis & charitatis vinculo esse copulatos; majus tamen oportet vinculum inter religioſa professione varia obstrictos intercedere; at inter unius, ejusdemque Ordinis Ascetas, longè maximum: non secus ac alia est unio in exercitu, alia in legione, alia in cohorte: alia est unio in Civitate, alia in certa tribu, alia in familia vel domo, Atque hæc est voluntas Dei, ejusdemque oratio, ut vinculo arctiore, sive naturali, sive spirituali conjuncti, arctiore quoque charitate sese invicem complectantur. Ipse enim est causa efficiens, ut omnis, ita & hu-

jus pressioris charitatis, & quemadmodum ipse, majori amore prosequitur, sibiſque intimiùs conjungit, obsequio suo arctiùs devinctos, ac libera eorum voluntate mancipatos; ita nos amoris sui particeps reddit, quo nos mutuo diligamus intensiùs, qui, præ secularibus, nos ei pressius astrinximus.

Eandem mejorem charitatem Redemptor noster amantissimus nobis promeruit qui cum tempore passionis suæ, inimicitias, quæ inter gentes & nationes esse poterant, in corpore suo destruxisset; non solum universum Ecclesiæ suæ mysticum corpus; verum etiam privata cujusque religionis corpora ædificavit ac struxit, & in singulis charitatem, unionemque ordinavit.

Sed ommissis aliis, illud in primis, in quod

quod nos Dei beniguitate adscripti sumus, perpendamus; Sanè hoc minimæ Societatis nostræ corpus, primam sui originem ex corde Christi traxit, in quo tanquam in fornace ardentissima, vi divini, intensissimiq̃ amoris, in hanc auream & mirabilem unitatem compacti, & in hoc amoris æstu fusi, mixti simul & quasi liquati purgatiq̃ omnes sumus; ut omni divisionum, dissensionum, ac dissidiorum fæce & scoria purgata, in novum gratiæ, ex Dei proximiq̃ charitate, spiritu amoris & adoptionis conflatum electrum prodeamus; unum ex diversissimis populis nationibus, linguis, variiq̃ statuum conditionibus, in costu ac Societate Christi, vi sanctissimi ejus amoris, effecti.

In hac autem cordis Christi fornace, quotquot in Societatem cooptati sumus, ternæ potissimum, nobis indicæ, impressæque conditiones fuere, tanquam totidem mutæ dilectionis motiva, quòd nempe simus commilitones, confodales, commensales & contubernales; quæ in præfati declarabimus, & tanquam ardentioris inter nos charitatis incentiva proponemus.

I. Incentivum primum, ad mutuam in hoc Ordine nostro unionem, charitatemque excitans est, quia *milites & commilitones sumus*; qui sub JESU Christo summo Imperatore ac Duce nostro stipendia meremus; sub sanguineo ejus labaro, Sacramentum militare diximus; In cohortem ejus ac Societatem relati sumus, pro Regno ejus dilatando, propagandoque decertamus; contra Mundum, carnem, Dæmonem, peccatum, cæterosq̃ hostes ejus capitales, arma

circumferimus, atque indies in compum & aciem prodimus. In sinuat hoc ipsum prima Societatis Jesu formula seu Regula, Paulo III. Pontifici oblata & ab eo approbata Anno 1540. quæ sic incipit: *Quicumque in Societate nostra, vult sub crucis vexillo, Deo militare, Milites igitur & commilitones sumus, sub Christi Domini signis militantes.* Quanta autem in et milites anmerum unio & consensus requiratur, ad hostes triumphandos, quis non videt? Si enim in hoste aggrediendo discordes exiterit, an non hostium acinacibus victima cruenta cadent? Si arcem, si urbem discordes, obsidione cinxerint, an non actum agent, & re infecta, cum confusione & clade recedent? In munitione ab hostibus obfessa, si præsidium inter se dissenserit, quo pacto eam tuebitur? Constat igitur in omni pugna & certamine, in omni obsidione & aggressionem, unionem & mutuam animorum consensionem militi omnino necessariam esse, sine qua exercitus omnis cadat, intereat ac pessundetur necesse est.

Compertum, perspectumque id fuit summo Imperatori & Archistratego nostro JESU Christo; qui ea de causa toties Apostolis & Discipulis suis, & in illis, nobis, unionem, charitatem, concordiam & pacem, tam sedulo commendavit, & iterum, iterumque verbis prægnantibus inculcavit. Primò enim ardentissimum charitatis mandatum tribuit: *Hac mando vobis, ut diligatis invicem.* Joan. 15. 17. Secundò, pro baltho ac cingulo militari, distinctionisq̃ signo, quo milites sui, ab hostibus discernentur, charitatem statuit: *In hoc agnoscant*

omne, quod Discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem. Joan. 13. 35. Apostolis per totam Judæam missis, pro tessera militari ac symbolo, charitatem ac pacem largitus est, dicens: *In quamcunque domum intraveritis, primum dicitis, pax huic domui.* Lucæ 10. 5. ab illis discessurus ad Patrem, charitatem pacemque pro testamento reliquit: *Pacem relinquo vobis pacem meam do vobis* Joan. 14. 27. Et si hanc observareat, suam illis assistentiam, & auxilium appromisit: *Ubi duo vel tres congregati sunt in nomine meo (charitate conjuncti) ibi sum in medio eorum.* Matth. 18. 20. Ut eos defendam, protegam, adjuvem, & contra hostiles incursum, animos, virisque sufficientiam. Ex quibus manifestè liquet, si commilitones sumus, quantâ unione & charitate conjuncti esse debeamus.

Nec latuit id ipsum S. Fundatorem nostrum Ignatium, qui post Christum, cohortis nostræ Dux & Capitaneus extitit; Dei & proximi charitate penitus succensus, eademque milites & asseclas suos inflammarî unice desiderans, Concilium Provinciale Terraconense apud Clementem VIII. pro apotheosi Sancti Patris instans, vocat eum *Propugnato-rem Republicæ Christianæ, ac Ducem novæ militiæ, de cælo lapsæ, sanctissimo IESU nomine signatæ, qui velut aliter Atlas orbem fulciat, humeris doctrinæ & pietatis.* Apud Scherlogum in Cant. tom. 3. vestig. 34. n. 35. ex relatione edita à Ribadeneira. Addit Synodus dicta; *Collocasse eum pedes, tanquam duas columnas igneas, dextrum supra mare, pro Indorum & Paganissimi conversione sinistrum supra terram; ut eam fecundaret seminibus virtutum, & salutari doctrina post eradicationem*

spinas ignorantia, errorum atque heresum. Datusque ei in manibus liber; ut à prima aetate ingenia erudiret, omnique optimâ literaturâ, divinâ & humanâ excoleret. Verè Dux hic militiæ novæ, sicut igneos pedes ambulando & discutendo, ita quoque igneas manus laborando, igneum cor amando, orando, meditando, & igneum os & linguam habuit excitando, prædicando & ad charitatem mutuam, tum Christianos omnes, tum filios suos accendendo; alludque non optando, quàm ut charitate mutuâ inflammarentur. Hinc illa verba, & fervens ista cohortatio: *Unio & conformitas mutua diligentissime curanda est; nec, quæ ei adversantur permittenda: quo juncti invicem fraterna charitatis vinculo, melius & efficacius possint se divino obsequio & auxilio proximorum impendere.* p. 3. Const. c. 1. §. 18.

Quare, Charissimi, si commilitones sumus, charitate mutuâ arctissimè colligati sumus necesse est, ut tam Imperatoris nostri Jesu Christi, mandato & monitis, quàm Capitanei nostri strenuissimi S. Ignatii Regulis & cohortationibus pareamus & faciamus satis, corde, ore, manu, affectu & effectu unionem inspirantes & fraternam charitatem demonstrantes.

II. Incitamentum secundum, nobis in Societate ad unionem animorum & charitatem mutuam calcar addens, est, quod Socii & Consoadales sumus. Socii aut Societatis nomen & ad militiam & ad negotiationem seu mercatoriam specialiter applicari solet; utroque autem titulo vox hæc à S. Ignatio usurpata est teste Francisco Suarez tom. 4. de Relig. L. 1. c. 1. Societas, inquit, unionem charitatis sonat, ideoque hoc nomen Religionis nostræ

II.
Sumus
Consoada-
les.

nostræ S. Fundator imposuit. Summo enim charitatis vinculo juncti erant inter se primi Patres: hæc enim sola ex tam diversis nationibus, summo animorum consensu, & perpetuo æxu, eos copulârat, & hunc spiritum in sua congregatio-
ne relinquere maximè cupiebant, quod nullo alio nomine magis significare potuerunt. Et hoc indicant illa verba in 2. Bulla Pauli III. *Ad perficiendam, & conservandam eorum Societatis in Christo unionem, quandam vivendi formulam tradiderunt.* Ita Suarez l. c. Verùm quacunque significatione id nomen usurpemus, sive de conjunctione negotian-
tium, sive de unione militum, sive de as-
sociatione in agro aut vinea Domini la-
borantium, aut in membrorum; quid aliud
clamat, quid fortis inculcat, quam mu-
tuæ charitatis inter nos arctissimam co-
pulationem? Patet id consideranti.

Quid enim est Societas Jesu, nisi Socie-
tas Negotiatorum hoc fœdere unitorū,
non ut gazas terrenas; sed margaritas
pretiosas, animas, inquam, mortalium,
lucraque cœlestia & æternæ sibi & pro-
ximis conquirant? Quâ verò ratione id
præstabunt, nisi mutuâ ope, auxilio,
consilio, charitate juncti, omni pro-
prio commodo & emolumento spreto,
in id unum assidue incumbant?

Quid est Societas Jesu, nisi ut ait Gre-
gorius XV. Pontifex maximus, in literis
Apostolicis, ad Carolum à Lotharingia,
*Sacra militia Societas, Catholicæ nominis
defensio, & hæreticorum excidiis cla-
rissima?* Quo autem pacto, nomen Ca-
tholicum tuebitur, hæreticorumque ar-
ma venenata retundet, nisi Socii inter se
charitate uniti, tanquam milites in acie
deprehendantur?

Quid est Societas Jesu, nisi congrega-
tio operariorum, agriculturalum, aut vini-
torum, in agro vel vinea Domini labo-
rantium, mutuoque auxilio in messe aut
vindemia deludentium: vel ut scribit
Paulus III. Summus Pontifex in Bulla
Anno 1549. data, incipiente: *Licet debi-
tum.* Quid est Societas, nisi *ager fertilis
in Domino multiplices atque uberes fru-
ctus animarum: ad summi Regis laudem
& fidei incrementum quotidie verbo &
exemplo offerens?* Quomodo autem a-
grum Domini, vineamve colet? quomo-
do fructus uberos verbo & exemplo
proferet; si verbis & doctrinis dissonet,
si moribus & exemplis discordet?

Quid est Societas Jesu, nisi conjunctio,
& consociatio petrarum firmatarum; aut
saxorum, seu ut ajbat Clemens VIII.
Pontifex, quid est nisi *murus firmus con-
tra impietatem?* asseverabat enim, *Mu-
rum opponi firmiorem pro domo Dei nul-
lum posse, contra impetus armata impie-
tatis, quam Sociorum in doctrina & vir-
tute constantiam.* Imago 1. sec. L. 5. c. 9.
Quomodo verò Societas erit contra
impietatem murus, absque calce unio-
nis & fraternæ charitatis?

Quid est Societas Jesu, nisi, ut asse-
rat laudatus ante Clemens VIII. *Bra-
chium dexterum Ecclesie?* *Qui dixerit,
inquit, me adversari Societati menti-
tur; semper enim existimavi Societatem
brachium dexterum Ecclesie.* Et Anno
1600. coram Patribus Romæ ad Socie-
tatis comitia accersitis; *Societatem bra-
chium dexterum Sedis Apostolicæ* appel-
lare dignatus est: quæ autem hoc brachi-
um vires suas exeret, ac pro Ecclesia,
Apostolicæque Sede dimicabit; si mem-
bra disjuncta, nervi disrupti, ossa laxata

per discordias & dissensiones extiterint? Summè igitur, ut clarè perspiciamus, Unio Caritatis Societati necessaria est.

Curnam (obsecro) brachium Societatis primævæ tanta, tamque stupenda, ope divinæ gratiæ, effecit? Tot hostes prostravit? Toties fortem armatum ex atrio suo exturbavit? Nisi quia summâ erat charitate, & animorum consensione? Quenadmodum Paulus V. Supremus Ecclesiæ Pastor, electo concordibus suffragis Layco, secundo Societatis JESU Præposito Generali fatebatur: *Eares (inquiebat) confirmat, Vos in unitate spiritus ambulare, unum & idem sapere, Vestramque Beatam Societatem in ipso angulari lapide, qui est Christus fundatam esse. Ut refertur p. 2. Histor. Soc. L. 2. n. 37. Imò tanta in eadem viguit animorum unio & dilectio, ut Gregorius XIII. omnium diligens Observator, cum alia observaret in aliis; in Societate JESU tria potissimum, eaque singularia, & non passim obviam miraretur; scilicet *Tantam in tam variâ, excellentique doctrinâ demissionem animi, de se demissimè sentientis; tantam in nationum, ingeniorumque diversitate tantâ unionem conspirationemque voluntatum; tantam in tam viridis & vividâ juventute continentiam à voluptatibus iis, qua nimirum quantum humano, etiam effecit corpori, dominantur. Imago 1. tæc. L. 5. c. 6.**

Ac proinde unio ista animorum assiduâ, vigilique curâ Nobis conservanda est, si opum cælestium mercatores, si Christi milites, si murus impenetrabilis, si brachium robustum, ad præliandum prælia Domini, si (ut agebat PIUS V. in Bulla) *Tanquam veri palmites in Christo*

per Caritatem conjuncti esse cupiamus; qui uberes Ecclesiæ Dei fructus proferrant.

III. Incitamentum tertium Nos in Societate ad unionem & charitatem mutuam impellens, est, quod sumus commensales & contubernales, domum, mensam, vestem, Superiores, Regulas, hostes & intentiones aliâque communia habentes. Quid enim, nonne omnes, quotquot in hâc Probationis Domo degimus, ab eodem Præside Generali, Provinciali & domestico gubernamur, quod unice exoptant, ut Filii sui tanquam Fratres Caritate sincerâ uniantur? Nonne eandem Domum incolimus, quam tanquam mortificationis, Caritatis & virtutis omnigenæ Scholam suavissima Dei Providentiâ Nobis reservavit? Nonne eandem frequentamus mensam, tam corpori, quam animæ reficiendæ stratam; eodemque cibo corporali & spiritali pascimur? Nonne eadem seu simili amicitur veste, tum exteriùs, quâ ab aliis Religiosis discernimur, tum interiùs stolâ caritatis, quâ tanquam aurèâ cyclade exornamur, Deoque & Cælitibus accepti reddimur? Nonne eodem insignimus nomine, à JESU vitæ imitatione, maximam Christi exemplo, erga Fratres Nostris, dilectionem postulante? Nonne iidem regimur constitutionibus, iisdem Regulis & Legibus stringimur, à S. Fundatore conscriptis, Caritate plenis; inter quas est & hæc præsens, quam exponimus, quâ idem sapere, idem omnes dicere, unionem & conformitatem mutuam diligentissimè servare, quidquid eam violat, studiosissimè evitate jubemur; Nonne

III.
Sumus
commen-
sales &
contuber-
nals.

Nonne eosdem numeramus hostes & Adversarios, isdemque Amicos & Patronis gaudemus? Qui enim uni favet, favet & alteri; Qui uni adversatur, toti Domui, vel etiam Societati adversatur. Denique. Nonne omnibus & singulis idem scopus, idem gloriæ divinæ & salutis animarum propagandæ finis est præstitutus; Ad quem tanquam Christi Milites decertamus; ad quem omnes vires & nervos animi ac corporis intendimus atque impendimus: ut passim Summi Pontifices Paulus III. Julius III. Gregorius XIII. & XV. nec non Pius V. in Bullis declarat: in quibus Hic ait: Nos esse Religiosos, sub sacratissimi Nominis JESU, totius humani generis Redemptoris vexillo, ad illius honorem & gloriam, ac Proximorum spiritualis profectum, & Orthodoxæ Fidei defensionem & propagationem in terris militantes. Ex quibus omnibus quid colligimus, quid evincimus aliud, nisi Nos in Societate, Caritate intima conjunctos vivere oportere?

Quocirca, Carissimi, cum hujus rei tanta sit utilitas, tanta necessitas, ad eam assequendam, seu potius tuendam, vires omnes cum divina gratia impendamus. 1. Suadet & persuadet hoc primò militia nostra & pugnæ societas, quæ absque unione Caritatis dissolvitur, perfundatur, dissipatur, attestante Christo Imperatore nostro. 2. Hoc exigit societas mercatorum, operariorum, militum & oppugnantium & sese defendentium, potissimum Societas amoris ad salutem animarum instituta, aliàs nimè scopum suum obtentura. 3. Hoc denique requirit omnium rerum communio, eadem Domus, eadem mensa, idem Supplicior, idem nomen, eadem Regula, idem amici & inimici, idem scopus & finis gloriæ divinæ & salutis animarum, qui concordia & unione maximè promovetur; discordia verò & dissensione quàm maximè impeditur & sufflaminatur. Concordiâ enim res parva crescunt; discordiâ maxima dilabuntur.





EXHORTATIO IV. IN REGULAM XLII.

Agit de particularibus amicitiiis extirpandis.

T H E M A.

*Domine nōne bonum semen semināsti in agro tuo ?
unde ergo habet zizania ? Matth. 13. 27.*

Vel ex Regula. 42.



Arabulam de zizaniis veluti ore Salvatoris prolatam Cap. x i i. Matthæi accepimus, sic ab eodem exp sitam, declaratamq; i. c. habemus. *Qui seminat [inquit] bonum semen, est Filius hominis. Ager autem est Mundus. Bonum verò semen, hi sunt filii Regni. Zizania autem sunt filii nequans. Inimicus autem homo, qui seminavit ea, est Diabolus.* S. Augustinus, Gregorius, Chrysostomus zizaniarū nomine, Hæreticos, Fidei mentes, velut triticum, corruptentes & suffocātes, intelligunt. Ascetæ verò bono semine virtutes; zizaniis vitia designari mysticè arbitrantur. Redemptor enim noster in agro Ecclesiæ suæ ab initio, & postmodum in agro Ordinum suorum Fundatores seminârunt semen bonum præstantissimarum virtutum; & præcipuè Caritatis

perfectæ, quâ & primi Christiani, & primi Ordinum Fundatores, eorumque Adjutores, tanquam *Cor unum & Anima una*, evant inter se conjunctissimi. At lapsu temporis, cum dormirent homines, cum Ecclesiæ, Ordinumque Prælati non satis advigilarent; *Venit inimicus ejus & superseminavit zizania in medio tritici.* Venit quippe Diabolus, atque inter bonum semen virtutum sparsit zizania pernicioſa vitiorum; inter frumentum etiam sinceræ Caritatis Christianæ & religiosæ iniecit Jolum falsæ, spurixque dilectionis ipsummet triticum suppressens, exlugens & strangulans.

Zizania hæc, quæ varia sunt, varias nobis particulares amicitias adumbrant, quas modò exponemus, ut si quid fortassis in Ordinis nostri agro ab inimico injectum fuerit, ne excrescat, eyellamus.

I. Inter

L. Inter quâ
Amicitia
nino noxiarū
mim eminent
triboli, quæ
provocant,
triplicis ami
pernitioſa,
lymbolum
effectus pr
in corpore
riorem ere
lat; D
ex ore tuo
disensio
non leves
Primu
lolum,
quos in co
unde Poë
illud ab ag
bat, dum
Et care ant
Quid mag
& obtul
cum Seco
contract
amore pr
quòd vel
rant, vel
lautius ha
gratiâ, e
relation
pascant
recreant
familiar
obscure
Neque e
tatem n
cum no
animarum

I.
Amicitia
nimia
cum Secu-
laribus.

I. Inter quàm plurima herbarum, tritico noxiarum genera, tria potissimum eminent, nempe zizania, lappæ & tribuli, quæ Visum obtundunt, vomitum provocant, sensumque perturbant. Ac triplicis amicitiae particularis admodum perniciosæ, & religiosæ Caritati inimicæ symbolum exhibent: quæ pariter effectus pravorum in Anima, quos zizania in corpore, producit. Dum Visum interiorum erroribus & ignorantis obnubilat; DEUM provocat, ut eâ infectos ex ore suo evomat; & denique in odia, disensiones, scandala, aliosque defectus non leves præcipitat.

Primum genus est zizanium sive lolium, quod propter vapores acres, quos in cerebrum attollit, oculis nocet: unde Poëtarum lumen Ovid. Lib. 1. Fast. illud ab agris procul proscriptum optabat, dum canebar:

Et careant lolis, oculos vitiantibus, agri.
Quid magis oculos Religiosorum vitiat & obfuscat, quàm amicitia nimia cum Secularibus, sive viris, sive feminis contracta? Niritur illa ut plurimum amore proprio, propriisque commodis; quod vel à Secularibus munuscula referant, vel cibo, potu, epulis & conviviis lautius habeantur, vel temporis fallendi gratiâ, colloquiis, rerum curiosarum relationibus, novisque rumoribus pascantur, aliisve sensuum oblectamentis recreentur. Quanto pere verò hujusmodi familiaritas animæ oculos obtundat, & obscuret, ipsimet vix animadvertunt. Neque enim I. Intentionis suæ pravitatem notant, dum seipsos quarunt, cum non nisi unius Dei gloriam & animarum lucra oporteret intendere.

2. Non cernunt suam erga DEUM caritatem minui, dum affectum ad Creaturas effundunt, in varia eundem dispergunt, & raro colligunt. 3. Non observant, Caritatem fraternam lædi & atteri; dum sensim sine sensu Secularium mores imbibunt, à simplicitate religiosâ deflectunt, Fratrumque animos à se avertunt. 4. Non perspiciunt, devotionem ac pietatem minui, dum cor rerum & sermonum mundanorum nugis opplent, mentem terrenis affectibus inficiunt, proinde ad Religionis pietatisque opera flaccescunt, seseque enerves experiuntur. 5. Denique non perpendunt pericula peccatorum, quæ hujusmodi amicitis incurrunt, nimirum verborum otiosorum, susurratorum, detractorum, ut alia taceamus. Ut de se in via testatur Sancta THERESIA, quæ Deo revelante locum in Inferno sibi præparatum conspexit, si ejusmodi familiaritatis filium non præcidisset.

Quis igitur non perspicit, hoc zizaniorum genus oculos obtundere, Deum ad vomitum & ejectionem ejusmodi hominum provocare, aliisque mala non levia causare? Et quis ejusmodi familiaritates cum viris, & vel maximè cum feminis, decuplo periculosiores, non cane & angue pejus fugiat?

II. Secundum herbarum frumento noxiarum genus est lapparum, quæ capitula habent leviter hamata; ideoque vestibus adhærent, & mutuo nonnunquam nexu tam arctè sibi copulantur, ut vix absque læsione solvantur: obsunt quodque frugibus, teste Poëtarum Principe Marone 1. Georg. *Intereunt segetes, subit aspera silya, lappaque tribulique.*

D d d d

Quid

II.
Amicitia
particula-
ris cum
similibus.

Quid verò lappæ hæc denotant, nisi amicitiam particularem Religiosorum imperfectionibus laborantium, vel in similitudine morum, & humorum, vel in vita laxiore, tepidâque conversatione fundatam: hæc autem procul absit à religiosis cordibus, perfectioni assequendæ deditis; quos communi Caritatis in virtute & in Christo radicatæ vinculo constringi necesse est.

Quantâ olim animorum unione, quàm indissolubili Caritatis nexu colligabantur David & Jonathas? de quibus Liber 1. Regum c. 18. 1. commemorat: *Anima Jonathæ conglutinata est anime David: & dilexit eum Jonathas, quasi animam suam.* Ne verò hæc dilectio in affectibus & verbis solis sisteret: *Exspoliavit se Jonathas tunicâ, quâ erat indutus, & dedit eam David, & reliqua vestimenta sua, usque ad gladium suum & arcum suum, & usque ad baltheum.* Amicorum enim omnia sunt communia. Quòdnam verò amicitia hujus fundamentum exitisse arbitramur? An vinculum Sanguinis? an similis complexio & humorum temperies? An par Generis Nobilitas? Minimè gentium: nulla sanè resterræna, aut naturalis amicitia huic ansam præbuit, cùm ingens inter utrumque foret distantia: Jonathas enim Regis erat Filius, & David opilio: sed sola virtus solidam sinceræ charitatis & unionis basin locavit: nam Uterque eximiâ probitate excellebat: Uterque insigni animi fortitudine & strenuitate eminebat: uterque singulari mentis candore & sinceritate præstabat: uterque egregio, pro Religione & patriâ, zelo æstuabat. Pari omnino ratione,

in Ordine Religioso, ac Societate nostrâ Caritas & amicitia, non in carne & sanguine, non in Patriâ & natione, non in Scientia & eruditione; non in simili, dissimilive indole ac complexione, ullâve aliâ re naturali; sed in vera probitate, in solida virtute, in insigni perfectione, & gloriæ divinæ propagandæ zelo atque fervore, aliisve rebus supernaturalibus fundanda ac stabilienda est.

Nec hanc animarum harmoniam ullâ morum, humorum, ingeniorum, statuum, conditionum aut graduum diversitate turbari fas est: unum enim Corpus sumus, licet membra multa eaque diversa. Aspicite (obsecro) corporis humani fabricam & compagem, & ab ea mutuam charitatem, communemque amicitiam discite. Quis vestrum, si perpendat attentius, tantam membrorum dissimilitudinem & tantam nihilo minus unionem & stabilitatem non meritò admiretur? Quanta enim inter oculum & manum; inter aurem & linguam; inter buccam & pedem; inter cor & hepar; inter venas & ossa dissimilitudo intercedit? Unde verò oritur, ut tanta inter hæc membra sit diversitas & tanta tamen conformitas? tanta dissimilitudo & Unio tanta? Tanta inæqualitas, & tanta connexionis stabilitas, ad quinquagesimum, sexagesimum, septuagesimum annum & usque ad vitæ humanæ metam? Sanè non aliunde nisi ex communi membrorum inter se Caritatis lege ab Authore Naturæ insculptâ, & amicitiaæ fœdere inviolabili, quo se mutuò fovent, juvant, protegunt atque defendunt. Spina forte pedi infigitur; mox communis

communis omnium membrorum dolor, compassio & auxilium sentitur. Lingua de dolore queritur, oculus spinam investigat, corpus se inclinat, manus extrahit; verbo omnia membra communi charitate mutuò sibi opitulantur. Tolle communem hanc charitatem, & ejus loco particularem inter manus, vel pedes, vel oculos amicitiam statue, an non de membrorum omnium salute, unione, conservatione stabili actum, conclamatumque fore videbis?

Talis igitur communis Caritas & Amicitia in quolibet Ordine Religioso, ac præcipuè in Societate nostrâ sit necesse est, in quâ Membra adeò diversa numerantur, Professi, Coadjutores, Scholastici, Novitii, & quidem è tot diversis nationibus: quæ amicitia & caritate universali tanquam unum corpus compaginantur, & in incolumitate suâ conseruantur. Quòd si autem in hujus locum spuria charitas & amicitia particularis inter certos irreperit, credite mihi hæc omnia destruet, & dissolvit Membra; efficietque, ut Religiosa Familia non instar Corporis rectè compaginati: sed instar statuæ Nabuchodonosoris multa habeat membra, quæ tamen sibi invicem membra non sint, sed quasi seorsum singula singularia, aurum, argentum, æs, ferrum, testa, malè sibi cohærentia: ideòque tota moles levi calculi allapsu aut contactu subito prosterneretur, comminaetur, ac dissipabitur.

Quis verò hujus particularis familiaritatis detrimenta alia eaque per multa ad calculum revocet? Ledit enim communem Caritatem, cui subtrahit, quod particulari impendit. Aliis Fratribus

scandalum parit, eosque non parùm offendit, dum illos quodammodo vilipendit, eorum confortium fugit, certisque aliis identidem sese conjungit non absque peccatorum navis atque defectibus. Quemadmodum vitis aut roseti foliis, pluvîa, aut humore viscoso conglutinatis, vermiculus semper innascitur; ita in hisce amicitiiis, conglutinatisque affectibus variorum peccatorum & defectuum vermiculi nunquam desiderantur. Hujusmodi vermes, defectus, ac peccata præclare recenset Sanctus Laurentius Justinianus in Libro de disciplina & perfectione c. 22. ubi his particularibus amicitiiis irretitos, eorumque mores graphicè depingit.

1. *Semper (inquit) hujusmodi discurrunt, semper similia sibi consortia quaritant in angulis, in latibus, silenti tempore ut plurimùm confabulari appetunt, & absentem vitam lacerare non desinunt.*

2. *Solent in illorum conversationibus familiaribus, nimiumque assiduis intermisceri vaniloquia, scurrilitates, detracti ornes, & effrenati risus; per quæ Mens distrahitur; compunctio dissolvitur, gratia subtrahitur; Proximus malè edificatur; Oratio confunditur; Confidentia amittitur; Conscientia obtenebratur, atque pretiosissimum tempus inutiliter consumitur. Vis plura damna, eaque non levia?*

3. *Tales frigeſcunt in amore Christi, & omne opus bonum tepidi derident. Derisor autem sicut Scriptura dicit) deridebitur. Tales ignorant quæ Dei sunt; carnem spiritui subigere non curant propterea quoniam interiora solatia & spiritualia non habent, care e exterioribus non patiuntur. Ideo amant sibi similia consubernia,*

jocis delectantur, spatiari desiderant, nova semper videre & audire appetunt, & aliorum negotia percunctari sedulâ curiositate non cessant: Nec advertunt hujusmodi, quod tantò vehementius interius infirmantur. Hæc omnia verissimè S. Laur. Justin. O quàm magna sunt hæc spiritûs detrimenta! ô quàm varia & non levia delicta! O si oculos aperirent, ac viderent ejusmodi Socii, quanta sibi in vitæ religiosæ disciplina & perfectione mutuo damna afferant; dum, ut loquitur antè landatus Venetorum Patriarcha l. c. *Patrum observationes frangunt, Monasterii constitutiones convellunt, silentium parvipendunt, orationem postponunt, & cellula secretam quâ tem negligunt!* Omnem sanè familiaritatem prædictam omni studio ac conatu devitent, si damna hæc grandia seriò trutinarent.

Verùm enim verò, quo medio hoc amicitix malè fundatæ & inordinatæ vinculum rumpemus? aut ne nos inno-det ac devinciat, antevertemus? Nihil occurrit efficacius, quàm ut à vitæ religiosæ primordiis, charitati communi studeamus; ac dilectionis universalis erga omnes spiritum imbibere, cordâsque nostri penetralibus intimis insculpere fatagamus. Sint Fratres nostri temperamento phlegmatico an cholericò; sint nobis genio, indole, moribus consentanei aut dissentanei, perinde id nobis sit; unus idemque charitatis communis spiritus, nos regat, impellatque & exceptum perfectionis iter, lucrandarumque animarum studium, conatu parili prosequemur. Quo id aptiore ob oculos ponemus emblemate, quàm mystico illo Ezechielis curru, haud procul flumi-

ne Chobar ipsi representato. Profectò fuit illi prorsus alia, quàm sæculi hujus Principum curribus, juncta quadriga; illi enim caballos jungunt, magnitudine, figurâ, colore ita similes ac si uno partu effusi forent. Aliud Deo in hoc curru prophetico placuit; quaterna enim illi adstrinxit animalia, tam sibi dissimilia singula, ut non solum magnitudine, formâ, colore; sed toto inter se genere differrent: hominem, inquam, leonem, aquilam & bovem; ut indicaret ex omni planè natione, ex omni hominum genere, nullo discrimine, vocandos esse ad Ecclesiam, Ordinemque religiosum, viros insignes, qui fidem, religionem, pietatem, & Jesu ter sanctum nomen ad ultimos usque Garamantas & Indos deportent.

Verùm, quâ tandem, per Deum, fiet, ut rectâ ad suum terminum deferatur currus, ubi tam diversa est trahentium indoles, ut non extra semitam sæpius rapiatur? Homo cum urbem viderit amplissimam, eò curiositate trahetur, secumque pertrahere leonem conabitur. Leo cum silvam viderit, feris pabulo suo aptis, refertam, eò secum hominem festinus rapiet. Aquila nihil non ager, ut sursum per aëra, quàm procul ab oculis potest, feratur. At bos ad pascua, pratæque viridantia viribus totis contendet. Interim currus abibit in frustra; aut si eâ sit firmitate, ut non disrumpatur; tandem tamen è montium rupiùmque præcipitiis in ima devolvetur. Ita omnino futurum fuisset, nisi Deus, dum animalia hæc curru suo junxit, iisdem etiam naturâ & indole disparibus, unum eundemque spiritum, quo agerentur, indidisset,

differ, nisi inquam communicasset spiritum gratiæ, spiritum vocationis, spiritum dilectionis de natura triumphantis. Dicit idcirco, quod, *Ubi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur*; non ubi impetus naturæ, impetus particularis amicitiae, & affectionis inordinatæ, sed *ubi impetus spiritus*; qui in singulis idem erat, sed spiritus tam fortis, tam potens, ut naturam resistentem ad nutum obedire cogeret.

Pari modo nos, quotquot in Societate, ad curram divinæ gloriæ seu Evangelii trahendum per orbem, vocati à Deo sumus, licet ingenio, temperamento, stemmate, statu, moribus, scientiis, dissimiles existamus ac discrepemus, naturam exuamus, uno spiritu gubernemur, in id unum conspirantes, ut curram divinæ gloriæ per mundum trahamus, Deum laudemus, animas lucrificiamus, & in cœlestem patriam deportemus. *Vbi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur*; non quò impetus amoris proprii aut sensualitatis rapiebat.

Quapropter, Dilectissimi, prædictum duplex zizaniorum (nam de tertio, exhortatione proximè insequente agemus) noxium genus, in agro cordis nostri radices agere minimè sinamus. Et quidem 1. Lolium mundanæ conversa-

tionis, quod intentionem sinceram vitiat, charitatem erga Deum minuit, dilectionem proximi extinguit, devotionem spiritus enervat, dum vel minimas in cordibus nostris fibras jacere nititur, mox conculcemus ac dissipemus. Aliàs in nos cadet illud Maronis 1. Georg. In agro cordis nostri: *Infelix lolium & steriles dominantur avena.* 2. Lappas sibi hamatis aculeis firmiter coherentes, id est amicitias particulares in morum, humorum, aut vitiorum similitudine radicata, haudquaquam in cordis nostri campo succrescere patiamur, & si vel minimum propullulasse noverimus, illico evellamus; aliàs non instar corporis bene compacti; sed instar statuæ Nabuchodonosoris malè coherentis, quo vis impetu, corruemus; innumeris peccatorum ac defectuum nævis, à S. Laurentio Justiniano recensitis, inficiemur. Quin potius cum quatuor animalibus, curram Ezechielis trahentibus, licet dissimillimis, uno tamen eodémque spiritu agitati curram divinæ gloriæ & sancti JESU Christi Evangelii, per orbem trahamus, ac spiritu charitatis, zeli que conjunctissimi, quàm plurimas in cœlum animas devehamus.





EXHORTATIO V.

IN REGULAM XLII.

De amicitia & amore nationali evellendo.

T H E M A.

Inimicus homo hoc fecit. Matth. 13.

Vel ex Regula.



Eminam amicitiam particularem, duplici zizaniorum genere adumbratam, exhortatione proximè præcedente, exposuimus; restat nunc genus tertium, æquè, si non magis, religionis agro nocivum, ab homine inimico, id est Caco-dæmone superfeminatum; nempe tribulorum ac carduorum, frumento, id est charitati fraternæ, admodum infestorum; quibus illud Nasonis hemistichium jure aptaveris: *Lolium, tribulique fatigans, triticeas messes.* L. 5. Metam. Dum sese longè, latèque explicant, aculeis suis segetem pungunt, ac supprimunt. Quid verò istud tribulorum genus, nisi amorem & amicitiam particularem, in natione & Patria fundatam

indicat? Quæ, nisi sedulò advigiletur, mirè, licèt occultè, serpit, se dilatat undique, nationesque alienas, verbis aculeatis pungit ac supprimit; tanto charitatis & religionis damno, ut non injuriâ, & morbum & pestem utriusque nuncupaveris. Plinius L. 13. c. 17. asserit: *Lolium & tribulos, & carduos, lappasque, non minus quàm rubos, inter frugum morbos potius; quàm inter ipsius terra pestem numeraverim.* Ego verò prædictas amicitias, præsertim radicatae & adultas, non modò morbum; sed & pestem & interitum veræ amicitiae & charitatis fraternæ, omnique vitæ religiosæ venenum ac toxicum esse meritò affirmaverim. Quod evicero, si eas charitati Christianæ, Apostolicæ, primitivæ Ecclesiæ & Societatis primivæ inimicam esse, & è diametro repugnare, demonstravero.

I. Amicitia

I.
Amor nationalis
repugnat
charitati
Christi.

I. Amicitia particularis, inter certæ nationis & patriæ, homines conflata, exclusis aliis, instar tribulorum & carduorum, à Diabolo superfeminata, charitati Christi & præcepto ejus è diametro repugnat; veræque dilectionis Christianæ ac Religiosæ hostis ac pestis est. Quali enim dilectione, nos Christus Dominus profecutus est? Nobisque præcepit Fratres nostros profequi? Non aliâ certè, nisi charitate universali, vehemente & perseverante: *Hoc*, inquit, *est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* Id est: quemadmodum ego vos Apostolos meos, omnesque mortales, universali amore complexus sum, neminem à visceribus charitatis excludendo; ita jubeo, mando, volo, ut & vos, fratres vestros ac proximos, simili amore profequamini. Hæc igitur est formula, hic est modus dilectionis religiosæ. Christus Dominus noster non solum Galilæis & Judæis, sed omnibus omnino hominibus, bene voluit; omnibus vera bona favit, omnes salvos fieri & ad agnitionem veritatis pervenire desideravit. *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut ego dilexi vos* & omnes vobiscum: Christus Dominus noster universalem suam erga omnes amorem luculentè ostendit, pro omnibus de cælo in hoc exilium descendendo: pro omnibus saccum mortalitatis nostræ induendo, pro omnibus 33. annis in hoc mundo sese detinendo; Pro omnibus Sacramenta instituendo; tanquam lux vera, omnem hominem venientem in hunc mundum, doctrinæ suæ radiis illuminando; pro omnibus durissima tormenta subeundo, & mor-

tem crucis probrosissimam oppetendo. Hæc est charitas Christi excellentissima, vehemens & constanter perseverans: nam cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos. *Adversis probatur amor*, inquit S. Chrysostrmus, *affectio pensatur periculis, pœnis examinatur dilectio, morte perfectâ charitas innuitur.* Serm. 6. de pass. Dom.

Talis, Charissimi, sit nostra, erga Fratres, dilectio, non particularis; sed, sicut Christi Domini, universalis erga omnes, S. Basilius in reg. brev. interrog. 160. cum quæreret, quali benevolentia inter nos copulari oporteat? Eâ, respondet, *quam Christus Dominus declaravit his verbis: Diligite invicem sicut dilexi vos. Majorem dilectionem nemo habet, quàm ut animam suam ponat, pro amicis suis. Pro amicis suis*, id est pro iis, quos diligit, amicorum loco habet, sive amici sint, sive inimici: quomodo Salvator etiam pro inimicis, pro persecutoribus & crucifixoribus suis mortem subivit. Tali igitur nos invicem complecti oportet amore, tam vehemente, tam constanti, ut mortem sustinere pro Fratribus non vereamur: quanto magis in rebus obviis & levioribus, charitas omnibus, nemine excluso, constanter, non in tirocinio duntaxat, sed toto vitæ decursu exhibenda?

II. Particularis amicitia nationalis pestis est, & repugnat charitati Apostolicæ; quâ hi omnes nationes, omnes gentes, omnes populos absque discrimine terrarum & patriæ, amoris sinceri sinu complectebantur. Percurrite totum Apostolorum Senatuum & veritatis, quæ dicimus, consentanea esse, repe-

II.
Repugnat
charitati
Apostolicæ.

reperieris. Quid enim? An non Apostolorum Princeps, licet Galilæus esset ac Judæus, Romam tamen profectus est, ibidemque in Romanos et gentiles, & caligine ethnica involutos, tanto ferebatur amore; ut pro eorum salute & vincula & carceres subire, & sanguinem profundere non dubitaret? An non S. Jacobus pariter Judæus & Galilæus erat, & tamen Hispanos tanto prosequeretur amore, ut ingentes pro eorum salute, labores, libens exantlaret; vitamque suam, istic promptè obtulisset, nisi divina providentia, capitis damnamandum, ac securi ferendum Hierosolymis ordinasset? An non S. Paulus, licet Tarso, Ciliciæ metropoli, oriundus esset, velut ipse testatur: *Ego sum vir Judæus, natus in Tarso Cilicia.* Act. 22. Nihilominus & in Romanos, & in Corinthios, & in Theſſalonicenses, Colossenses, Ephesios, aliosque, quibus Evangelium annuntiabat, tanto rapiebatur amore; ut pro illis, anathema esse & sanguinem fundere exoptaret; quem admodum Romæ postea, extra Urbem in loco, ad tres fontes dicto, accidit, ubi cervice reſectâ, lac, ut ait S. Chrysostomus, pro sanguine dedit. Eadem communis charitas in reliquis Apostolis eluxit. Et vix misero mundo, si solos illi dilexissent populares: quid si enim Petrus hæſiſſet Bethſaidæ, Paulus Tarſi, alii in alia urbe patriæ; ubi, obsecro, mansiſſet conversio totius orbis terrarum? Quo pacto impleviſſent Domini mandatum. *Ite in mundum universon, & predicate Evangelium omni creatura?* Non patriotistantum, sed omni creatura? Hæc est igitur charitas Apostolica,

ad omnes nationes, gentesque sese dilatans ac porrigens: hanc factis, hanc verbis illi docuere: Unde toties inculcant: *Non est distinctio Judæi & Græci, servi & liberi, Barbari & Scythæ, nam idem Dominus omnium*, qui sicut omnes homines amore magno prosequitur, ira eundem ab Apostolis demonstrari erga omnes voluit. Tali igitur & nos, qui vitam profitemur Apostolicam, charitate, non particulari, sed universali refulgere decet; si professioni nostræ facere satis, & ingentes animarum manipulos cum exultatione reportare desideremus.

III. Particularis amicitia nationalis, pestis est, & repugnat charitati primitivæ Ecclesiæ, quam Diabolus superfeminando zizania falsæ dilectionis gentis propriæ, pessundare conatus est. Erat, tunc temporis, teste S. Luca, in Ecclesia *cor unum & anima una. Cor unum*, quia idem sentiebant omnes; *anima una*, quia nec voluntatum diversa erant studia. Et cum præterea ager ille Servatoris nostri sanguine recens fuso largè irrigaretur; dici vix potest, quàm arcto charitatis vinculo omnes copularentur. Et tamen quod fidem penè superat, in tam alta pace ac tranquillitate, tam vehemens repente turbo ortus est, ut illam penitus disturbaturus videretur. Sed unde quæso hic turbo exortus est? Non aliunde, nisi ex nimio nationis propriæ studio & patriæ amore: quia nimirum in distribuendis eleemosynis communibus libentius Apostoli utebantur operâ viduarum hebræarum, quàm græcarum; propterea quòd illæ, ut observat Bedæ, majori rerum ac lo-

III.
Repugnæ
unioni
Ecclesiæ
primitivæ-

corum

corum usu atque notitia præditæ, melius omnium necessitatibus prospicere poterant, quàm græcæ. Cùm ecce Græci nuper in Christianorum numerum adlecti, non tam contra viduas Hebræorum, quos nihil in ea re culpæ admisisse existimabant, quàm contra Apostolos passim conquericæperunt. *Crescente numero discipulorum, factum est murmur Græcorum, adversus Hebræos; eò quòd despicerentur in ministerio quotidiano viduarum eorum.* Act. 6. Quis non miretur? Patiebantur Christiani illi primi, horrendas persecutiones, rapiebantur ad carceres, ad vincula, ad rogos & gladios: sed omnibus hæc tormentis sæva Tyrannis animorum unionem relaxare non potuit, quin potiùs auxit, arctiorique eos invicem charitatis nexu constrinxit; studium verò nationis, laxare & infringere hoc vinculum paravit. Cui in more positum est, non alterius nationis personarum dignitatem & merita attendere, sed illarum exaltationem, gentis suæ depressionem & contemptum interpretari. *Eò quòd despicerentur in ministerio quotidiano viduarum eorum;* non ajunt, postponerentur, sed *despicerentur.* Et hæc quidem tam virulenta ac pestilens est passio, ut ne ipse quidem Apostolorum Princeps, ad singulos propè passus, non tantùm verbis, sed umbrâ etiam prodigia patrans, ab hoc judicio illorum temeratio excluderetur. Nec turbo sedatus, pestiferque hic morbus compressus fuisset, nisi temporî providissent Apostoli, & viduis utriusque nationis à concredito ministerio remotis, septem viros Spiritu S. & sapentiâ plenos ad hoc munus elegissent, Act. 6.

O amoris nationalis inordinati malignitas! ô charitatis veræ hostis! ô luo- pestilens! ô sæcundum suspicionum, judiciorum temeratorum, obmurmurationum, odiorum ac dissidiorum seminarium! Si eum excitas turbinem, in primitivæ Ecclesiæ viris, primo spiritu etiamnum, novoque ardore flagrantibus; quas in pectoribus à primævo illo calore multùm deficientibus strages excitabis? Si ipse Apostolorum Princeps ac reliqui Apostoli, à suspicionibus virulentis & judiciis temerariis non fuere liberi; quis deinceps Præsidium aut Prælatorum immunis erit?

IV. Particularis amicitia nationalis, pestis est, & repugnat vocationi nostræ, repugnat legibus & menti Sancti Fundatoris nostri, repugnat primævæ Societati nostræ; quod paucis declarabimus.

IV.
Repugnat
vocationi
nostræ.

1. Repugnat vocationi nostræ; quæ ex Regula 2. est *diversa loca peragere & habitare in quavis mundi plaga; ubi majus Dei obsequium & fructus animarum speratur.* Ideo nos voto peculiari obstringimus, ad quasvis missiones, inter fideles & infideles, in Europa vel Asia, in China vel Malabaribus, in Brasilia, aliave regione longinqua obeundi. Et quâ id ratione fiet, ab iis, qui privato amore nationi suæ arctè nimis agglutinantur? Aut quis id præstabit, nisi omnes gentes, & totum mundum in corde suo gestet, ut de Gentium Doctore commemorat S. Chrysostomus: *Cor Pauli, cor totius mundi?* Aut quomodo tanta charitatis ac pectoris amplitudo & latitudo, cum tanta cordis coarctatione, angustiisque amoris stare poterit? cogitare ergo & videte Fratres vocationem vestram:

Eccc

Vos

Vos mandum deseruistis & patriam atque in scholam, cohortemque Christi adici estis; ad oque vos non estis de mundo. Sed ego elegi vos (de mundo) & posui, ut eatis & fructum afferatis, & fructus vester maneat: ait Salvator. Posuit nos ut fructum afferamus, hoc est invicem diligamus: exponit S. Augustinus Tract. 37. in Joann. Charitas ergo est fructus noster: hanc diligimus Deum, hanc diligimus invicem. Hanc Apostolus, commendare volens fructus spiritus, à capite posuit: Fructus, inquit, spiritus charitas est: Deinde gaudium, pax, longanimitas, benivinitas, bonitas. S. Aug. l. c. Quo autem pacto hæc cum amore privato consistet?

2. Repugnat menti & legibus S. Ignatii, qui 3. p. Const. quod etiam in Regulam 17. Summaril translaturum est: veluit nos omnium creaturarum amorem inordinatum exuere: ac deinde unione & conformitate voluntatum maximâ copulari. Reg. 42. Ut tanquam una phalanx & quasi vir unus, Domini nostri JESU Christi hostes aggredemur, & quoniam vis unita fortior est, generosè strenuemus, nequaquam verò, si divisi iudicio ac voluntate fuerimus, id obtinebimus; sed potius ab hostili exercitu fugabimur & dissipabimur.

3. Repugnat Societati primæ ad eò floridæ ac celebri, quæ ex diversissimis nationibus coaluit: S. Ignatius enim erat Cantaber; S. Xaverius Navarræus, P. Petrus Faber Allobrox; P. Joannes Codurius Gallus; P. Simon Rodericus Lusitanus atque ita de reliquis; & tamen tanta erat omnium, consensus unioque animorum, ut pro miraculo haberetur,

Quemadmodum Ecclesiæ Catholicæ decus & ornamentum est, quod ex variis ad eò nationibus ac populis conflata sit: nimirum *Ex omni natione qua sub cælo est.* Act. 2. Unde Davidi Regi spectandam se exhibuit, in vestitu deaurato, circumdata varietate Psal. 40. Quæ varietas, ex mente Augustini symbolum extitit diversorum illorum idiomatum & linguarum, diversarum illarum nationum, quas sinu suo Ecclesia Dei complectitur, vera totius Universi Regina. *Vestitus Regina hujus & pretiosus est & varius in linguis variis. Alia lingua Afræ, alia Syra, alia græca, alia hebræa, alia illa, alia illa. Faciunt lingua ista varietatem vestis Regina hujus: quâ magnificè refulget & gloriatur.* Ita pariter Societatis nostræ minimæ non infima gloria est, tanta nationum varietas & tanta animorum conformitas; linguarum divisio, cordium unio quam tantopere suspiciebat ac deprædicabat summus Pontifex Gregorius XIII. Verùm unice nobis in Societate curandum est, quod in Ecclesia, tanquam *tunica inconsuili*, observandum monebat Augustinus: *In veste ista varietas sit, scissura non sit.* Absit, absit, ut laus hæc & gloria varietatis à supremo Numine, tanquam ornamentum singulare Societati collata, occasionem dire & crudeliter ejus lacerandæ præbeat. Tunc enim verò posito omni ornatu aureo, atro se & lugubri habitu deberet obnubere. Avertat bonus Deus omen infustum! Hæc enim ratione omnis Societatis gloria marcesceret, flos omnis & decor decideret, atque ut scribit R. P. Claudius Aquaviva, quintus Societatis nostræ Præpositus Generalis

iq

In Epistola de perfectione; *Formidandum foret, ut olim S. Hieronymus dicebat, ingemiscens orbis terrarum se Arrianum esse miratus est; ita cum lacrymis miretur Societas, se non amplius eam esse, qua fuerat; sed sanguam effeto jam corpore desloruisse, & pristinum vigorem, charitatisque ardorem amisisse.*

Quæ cum ita sint, Dilectissimi, liliu hoc pestiferum, & carduorum venenatorum genus, aconiti instar, à Cæcodæmone, electo sinceræ charitatis frumento superseminatam, omnino evellere studeamus, & vel ab ipso vitæ religiosæ limine, nec minimas in cordibus nostris radicam fibras jacere permittamus. Ex variis regionibus convenimus in domum hanc probationis, & tanquam varii marmoris, diversique coloris tessellæ, in Religionis pavimento aut muro eleganter compingimur, & charitatis calce conjungimur; allaboremus, ut nec toto vitæ decursu, nec totâ ad eam æternitate unquam dissolvamur. Curemus, ut charitas nostra erga fratres nostros, Christi Domui charitatem æmuletur, omnes omnino homines complectentem, pro omnibus morientem; cui omnis particularis amicitia nationalis, quàm maximè repugnat. Caveamus hanc veræ & Apostolicæ charitatis

pestem; & cum illis absque nationum discrimine, ubicunque terrarum ex obedientia vixerimus, aut quibuscum commorabimur, dilectione communè prosequamur. Dilatemus cor nostrum, vasti instar maris, quosvis fluvios, Rhenum & Danubium, Tiberim & Sequanæ sinu pronò excipientis, sibique unientis, Ampliemus cor nostrum instar cordis Gentium Doctoris, *cor Pauli, cor totius mundi*; omnes omnino mortales amore Apostolico complectens. Foveamus charitatem, Ecclesiæ primitivæ, haud ab similem; & quidquid huic repugnat, averruncemus. Custodiamus unionem primævæ Societatis, in aurea veste, & varietate, ac summa simul unitate gloriosæ, omnemque spurlam nationum dilectionem, & ipsi Societati & vocationi nostræ, & S. Ignatii instituto ac legibus repugnantem penitus proseribamus: Sic in flore & vigore perstabit Societas: velut coadunata phalanx hostes JESU Christi Imperatoris sul fortiter aggredietur, ac feliciter expugnabit & detriumphabit. Et veluti paradysus, omni lolio & zizanio carens copiosos omnium virtutum fructus, suo & aliorum bono producet.





REGULA XLIII.

De communi affectu erga Principes disidentes.

EXHORTATIO

IN EANDEM REGULAM,

Geminas discordiarum radices evellendas suadet, scilicet
studium partium, & contemptum aliorum.

T H E M A.

*Audito inter vos scissuras esse, & ex parte credo. I. Corinth. II. 18.
Vel ex Regula.*

*In Societate nec sit, nec sentiatur animi propensio, ad partem
alterutram factionis, quæ esset fortassis inter Principes ac
Dominos Christianos. Reg. 43.*



Ivus Hieronymus, in exponendis Scripturis sacris, Doctor maximus, epist. 7. ad Marcellam, invitat eandem, ut Româ relicta, migraret Hierosolimam, quam variis insigni nominibus asserit. Et quidem 1. *Jebus* seu *Jebussalem*; sic nuncupatam à Jebus, filio Chan an, pronepote Noë; cujus posterii Jebusæi civitatem longâ annorum serie occupârunt; donec à Davide Rege tandem, ex ea depulsi sunt: adeoque nomen *Jebussalem* exolevit. 2. Urbs hæc celeberrima,

Salem vocata, id est pax; tum quòd incolæ ejus altâ pace & securitate gauderent; tum quòd humani generis Redemptor Christus, præcipua fidei nostræ mysteria, in ea peracturus esset, quibus justitiam ac pacem nobis conciliaret. 3. Urbs hæc sancta, *Jerusalem* appellata, id est, *visio pacis*: cum enim Abraham Patriarcha, in monte Moria, intra civitatem *Salem* sito, filium suum sacrificaturus, loco nomen dedisset: *Adonai sire*, id est, *Dominus videbis*, seu *providebis visitiam*, ab illa voce *sire* & *Salem*, conflatum nomen *Jerusalem*, illi constantè adhæsit.

Anima

Anima religiosa, rectè sanctæ huic civitati comparatur, quæ etiamnum mundana, & ante religionis ingressum est *Jebo*, quod D. Hieronymo interprete, *conculcatam*, sonat: est enim tunc adhuc à vitis, peccatis, ac passionibus, tanquam hostibus, devicta, prostrata & conculcata, ac proinde inquieta, bellicisq; tumultibus agitata: at religioni mancipata, vitiorum & passionum mortificatione, desinit esse *Jebo* & *Jebo* *Salemo*, civitas conculcata, & devicta: ac victrix & hostium suorum triumphatrix, *Salem* & *Jerusalem* evadit, id est pax, visio pacis, & urbs pacis, in qua Christus Dominus noster, verus Salomon, Rex pacificus, cujus in pace locus factus est, habitat. Hæc verò pax, ut in Religiosis Cœtibus jugiter conservaretur; O. dinum Fundatores, regulis ac legibus, aliisque mediis caverunt, omnèque discordiarum, ac turbationum radices amputarunt. Quemadmodum S. Ignatius Regula 43. præsentem unam, & Regula 30. communium, alteram radicem priorum *Alinem*, extirpat: veluti hæc ipsa exhortatione enucleabimus.

I.
Radix dis-
sensionis
studium
paritum.

I. Non secus atque olim inter Corinthios dissensiones enatæ fuerunt, tum de *coena*, aut *agape*, Eucharistiæ sumptioni, præmitti solita, tum ratione Doctorum, eò quòd non omnes se Christianos aut Christi Discipulos nuncuparent; sed alii assererent se esse Pauli, alii Cephæ, alii Christi, alii Apollonis, qui eloquens, id temporis, & acer, potensque in Scripturis Corinthi Doctor erat: cum tamen omnes meritò se Christianos appellare debuissent: eò quòd in Christi Invocatione, professione, virtute & merito baptizati essent: unde Apostolus eos

obtestatur: *Obsecro vos Fratres, ut idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata.* 1. Corinth. 1. 10. Ita hodie dum inter Christianos, atque etiam inter Religiosos, non rarò oriuntur dissensiones & schismata; dum inter Principes belligerantes, unus huic, alter alteri affectu adheret. Oritur v. g. bellum inter Hispaniæ & Galliæ Reges; aut Cæsaream Majestatem inter & Regem Christianissimum; Ecce tibi mox partium nascuntur studia, & hic se Cæsaris, ille se Regis affirmat; & suam quisque partem mordicus tuetur; unde fit, ut oriantur disputationes, contentiones, altercationes, mentisque inter nos bellum geramus, & animis, vocibusque mutuo confligemur: præsertim si diversarum nationum, in eisdem in ædibus, morantur; tunc enim bellorum ac rixarum non esset finis, haud absque animorum abalienatione, irâ, odio & rancore.

Quare ut hanc pacis inimicam, & discordiarum radicem è Societate evelleret S. Fundator noster, prudenti sanè consilio, Deo inspirante, hanc Regulam condidit p. 10. *Const. §. 11. In Societate nec sit, nec sentiatur animorum propensio ad partem alterutram factionis, quæ esset fortassis inter Principes Christianos: sed sit potius quidam universalis amor, qui partes omnes [scilicet sibi invicem contrarias] in Domino nostro amplectatur.*

Ansam verò atque originem Regulæ hujus condendæ præbuit, quòd, cum Societas in denis primis Patribus recenter coalesceret, eodem tempore, bellum vehemens, inter Galliæ & Hispaniæ Reges arderet; ipsisque primis Patribus tum Hispania, tam Gallia solum natale præberet: qui tamen per gratiam voca-

tionis, in itæque Societatis, secundum S. Ignatii directionem, pacem ac concordiam, integram omnino, in violatamque servarunt. Horum igitur exemplo, S. Fundator, pacis, & boni communis amanuissimus, hoc in Societate perpetuum, ac lege cautum esse voluit; ne fortassis aliquando lapsu temporis, Societas nostra perturbationum fluctibus commoveretur, ejusque membra dissensionum precellis inter se colliderentur.

Ex cujus Regulae observatione sedula, duplex pacis fructus propullulat. Primus est, ut ipsimet inter nos pace stabili, & in medijs bellorum tumultibus, tranquillitate maxima gaudeamus; experimur & cernimus id hodie dum, dum bello inter Imperatorem & imperium, nec non Anglos & Hollandos ex una, ac Galliae Regem, Bavarumque Electorem ex parte altera, flagrante, nos velut è portu, naufragantes, aut velut è specula exercitus utrimque dimicantes, urbisque invadentes tranquillè intuemur. Idem perspeximus oculis nostris, cum Anno 1696. Romae Societatis comitia celebrarentur; congregatis, illic ex universa Societate Patribus conscriptis: quamvis enim cruentum, inter Caesarem, Anglos, & Germaniae Principes ex una, & Regem Christianissimum ex altera parte tunc bellum flagraret: tanta nihilominus inter omnes Patres congregatos, Germanos, Gallos, Anglos, & alios viguit animorum concordia, tam gratia amœnaque conversatio, & amica familiaritas, ac si non bellum; sed pax summa, inter Reges prædictos, floureret. Hac ratione Societas verè est civitas *Salem*, sive pacis; aut *Jerusalem*, sive visio pacis, quando in ea non nisi Angeli pa-

cis, ac illimomutuae charitatis vinculo constricti recensentur.

Secundus fructus est, ut Societas affectu indifferente parti utriusque addita, inter alios quoque pacem conciliare, & cum utraque parte in pace agere & conversari valeat. Hac de causa V. P. Petrus Faber unus è denis primis Patribus, licet Gallus esset, seu Allobrox Galliae conterminus, durante etiam bello, in Hispania, omnibus erat longè gratissimus: quia erat filius pacis, pacemque velut Angelus pacis evangelizabat. Simili quoque modo in Galliae finibus, Patres Hispani pacificè vixere, ac per Evangelium pacis, proximis subsidio fuere. Pari ratione Anno 1580. bello inter Hispanos & Lusitanos flagrante, tam in castris Regis Catholici, quam in Lusitaniae urbibus tanta dexteritate, sinceritate & charitate Patres nostri versati sunt, opera charitatis valenibus & agrotantibus, etiam cum vitae periculo ac detrimento, exhibendo, & nihil de alterius partis jure loquendo vel proferendo, ut partem utramque se in Domino complecti palam demonstrarent. Qua re id effectum fuit, ut & Regi Hispaniae virtus Societatis mirè ex eo tempore probata fuerit, nec minus Lusitaniae Regi ejusdem charitas proberetur: nam cum accideret, hanc illamve civitatem obsessam, ad extremas redigi angustias; Patres nostri in illa degentes, rogati ut pacem peterent, diu cum vitae discrimine, de civitate exeuntes pacem impetrarunt.

Quòd si verò communis hæc charitas & indifferentia tollatur magnam tam Societati, quam proximis nostris cladem, ac damna enasci necesse est; nam præter animo-

animorum inter nos dissensiones etiam alteram partem, quæ victoriam retulit, contrariam nobis & inimicam experiemur; si ipsa nos antè contrarios experite fuerit; contingereque poterit, ut dæmone cooperante, & occasione hac utente, Societas à Regnis & Urbibus expellatur, magno animarum plurimarum detrimento.

Quare d'ctis rationibus permoti, utramque bellantium partem complectamur amore; idque re ipsa palàm faciamus; & si propè simus, eundem affectum omnibus Charitatis obsequiis demonstramus; si verò procul distemus, quæ precibus, quæ operibus pœnosis, pro viribus adjuvemus, liberè proficendo, nos Deum precari, ut bellum ad gloriam suam majorem dii at, ipsamque optime nôsse, in quam partem Justitiæ bilanx inclinet, quibusve de causis bella factionesque permittat.

Cùm autem non detur Lex, quæ exceptionem non patiat, secundum hanc quæ est, Charissimi, Regula hac non vetari, quò minùs sit, aut sentiat animorum propensio major ad partem catholicam, quando Catholicos inter & A catholicos seu Hæreticos bellum geritur; optando Ecclesiam sanctam exaltari ac dilatari; hæresin verò deprimi & conteri, cujus causa utique tum injustitia conjuncta est. Hoc pacto Societas, bello durante inter Philippum II. Hispaniæ Regem, & federatos Belgii Proceres, qui à Rège defecerant, & juramentum illi contrarium exigebant, in partes Regias propendebat, juramentumque parti adversæ præstare detrectabat; si enim illud Societas præstitisset, scandalum Catholicis primariis peperisset,

& exemplo suo ad idem imitandum pellexisset.

Simili modo, in Insulisteritiis, cum Don Antonio Nostros ad juramentum sibi contra Regem præstandum adigeret, jure id recusarunt; tum quòd Religiosi ad juramentum præstandum nulli parti teneantur; tum quòd Don Antonio apertum se Societatis hostem ostenderet, adeò ut eos, in Insulis istis repertos, flammis addiceret, & bis terve in altum maris provehì juberet, quòd maris fluctibus haurirentur; quòd tamen haud successit, in tribus identidem ad litus redeuntibus. Donec tandem Anglis extraditi, atque ab his in binas naves grandiores impositi sunt; quarum una vi tempestatis ad litus adacta, in navem bellicam Regis Hispaniæ incidit, ad cujus Præfectum missus Rector de Societate, navella Anglicana devectus, pacem libertatemque abeundi Anglis impetravit, ea conditione, ut omnes de Societate liberi dimitterentur. Altera Londinum appulit, quando mox Regis Hispaniæ Ablegatus, ibidem residens, Regis sui Subditos, nondum in terras expositos, libertati restitui petiit, & impetravit, atque alia navi in Lusitaniam remisit, ubi Rex Catholicus eos mox ad se evocandos curavit, solusque cum solis horarum duarum spatio colloquium magnis benevolentia signis protraxit; adeoque ista Patrum fidelitas Regi placuit, ut exinde maximi Societatem æstimarit.

Idem est, si inter Christianos & Ethnicos; inter Cæsarianos & Turcas, Tartarosque vel alios Barbaros bellum geratur ex justa causa; quòd vel hi pacem ante pacti initi temporis evolutionem pericidè

perfidè rumpât; vel illi religionis, justitiæ aliâve justâ ex causâ bellum his inferant.

Quòd si verò bellum injustum esse li- quidò constaret, neque hîc in Catho- licorum partem propendere liceret. Nostrium tamen non est de hujusmodi causis sententiam ferre, discursus insti- tuere, aut literas exarare, signâve ejus- modi edere, quibus Principes Christia- nos offendamus.

II.
Radix dis-
fensionis
contemptus
aliorum.

II. Radix altera dissensionum & dis- cordiarum est, de aliis nationibus, provin- ciis, regionibus ac civitatibus fini- stras fovere opiniones, malè sentire & loqui: quàm radicem S. Patriarcha no- ster non secus ac priorem penitus è So- cietatis agro evulsam extirpatamque de- sideravit. Etenim ut Regnum à Regno, Provincia à provinciâ, urbs ab urbe, præ- fertim vicina sit alienior atque erga eam haud bene afficiatur, ac malè loquatur; quid in mundo est frequentius? quid usi- tatius? quid vetustius? Nónne jam olim Salvatore etiamnum in terra degente, averfio ista reperiebatur inter Judæos & Samaritanos, quemadmodum Joan. 4. Mulier Samaritana Christo Domino og- gerebat: *Quomodo Tu Judæus cum sis, bibere à me poscis, quæ sum mulier Sama- ritana? Non enim contuntur Judæi Sama- ritanis*: Id est, non habent ullum inter se commercium, atque [ut testatur S. Au- gustinus] non utuntur eâdem mensâ, po- culo, vase. Sic quòque Apostolorum tempore sinistrè sentiebant & loque- bantur vicinæ civitates & regiones de Cretenfibus, aliisque Gentibus: *Doxit quidam ex illis, inquit Apostolus ad Ti- tum I. II. proprius illorum Propheta fuit is, teste S. Hieronymo, Epimenides habi-*

tus ab illis Propheta, seu Vates & Poëta) *Cretenfes semper mendaces, mala bestia, ventres pigri*. Epimenidis carmen, ab Apostolo hîc citatum, ità græcè sonat: *Κρητες αει ψευσαι, κακα θηρια, γαστρες αργαι*. Id est: *Cres semper mendax, ma- la bestia, venter iners est*. Deinde de Cappadocibus & Cilicibus æquè ac de Cretenfibus malè sentiebant, & loque- bantur Græci, unde de tribus hîc gen- tibus, à Cappa nomen suum incipien- tibus, illud Græcorum extat adagium: *Καπαδοκες, Κιλικες, Κρητες, τρια κακια καισα*, Cappadoces, Cilices, Cretes, tria pessima cappa. Similis sinistra affe- ctio ac locutio aliis in gentibus notaba- tur. Unde Erasmus initio Chilfadum cuilibet genti sua vitia, proverbio as- signans ait: *Pæno perfideor, Scythæ aspen- rior, Scythæ-Tauris inhospitalior, Parthis vanior, Thracibus bibacior, Sybarisâ fastuosior, Milesiis effeminacior, Arabè ditior, Arcadè stolidior, Care vilior, Cretenfi mendacior*.

Hic est stylus Mundi, hæc Mundi asse- clarum consuetudo est, ut vitia ac de- fectus suos mutuo sibi impropere, in colloquiis, joco aut joco setio se vexent atque exagitent. At non sic in Religio- ne, non sic in Societate JESU, à quâ hu- jusmodi cacoëthes omnino exulare San- ctus Fundator voluit: Unde p. 10. Con- stit. §. II. & Regulâ 30. communium, quæ quadragesimæ quartæ Summaril admodum affinis est, id hîc verbis ve- ruit: *Caveant sibi omnes ab illo affectu, quo alia de aliis nationibus sinistrè sen- tire aut loqui solent: quin potius & bene sentiant & peculiari affectu diversas à sue nationes prosequantur in Domino*:
46

ac proinde nemo bella, contentionesque inter Christianos Principes in colloquium inducat. Quibus verbis non solum sinistros affectus ac discursus proscibit; verum etiam peculiarem Charitatis affectum, dilectionemque erga alias nationes exigit: ac proinde Tirones à vitæ religio-
sæ limine ad hoc inclinent, ut majora & frequentiora Charitatis obsequia tam alienis, quàm suis exhibere satagant, ut hæc ratione aversionem, si quæ fortè sit, exuant; & Charitatem induant eximiam ac prorsus singularem.

Ratio 1. hujus Regulæ est: Quia ejusmodi sinister affectus, aut loquela in animis nostris aversionem, diffidentiam, indignationem, iram & odium; in colloquiis verò contentiones, & altercationes parit, alterumque provocat, ut vicissim de aliâ natione vituperia & scommata profundat. Atque ita non rarè ignis succenditur, qui non tam facili negotio extinguatur. Ratio 2. Discordias hæc nostras & dissensiones, si externi resciant, non leve scandalum capiunt, ex quo nostrî vilipensio, existimationis bonæ imminutio, fructûsque spiritualis detrimentum enascitur. Quanam verò antidota, & Regulæ huic exactiùs observandæ remedia adhibebimus?

1. Cogitemus, nos Mundum, Patriam, Parentes, Fratres, Sorores & Amicos ideo deseruisse; ut omnis & nullius Patriæ essemus. *Estne mihi circumscripta Patria, cui & omnis terra. & nulla terra Patria est?* ajebat S. Gregorius Nazianzenus. Idem & nos dicamus, & indifferentes ad omnem locum & plagam simus. *Obliviscere populum*

& domum Patris tui. Psal. 44. obliviscere populum & patriam, & id unum recordare, te Societatis Filium esse, cujus vocationis sit, diversa loca peragrarè, & in quâvis mundi plagâ habitare, ubi major Dei gloria & animarum salus speratur; ac proinde à nullâ regione aut natione abhorreas, aut sinistrè de ea sentire, vel loqui sustineas.

2. Omnino existimemus magnæ imprudentiæ ac temeritatis esse, integram quampiam regionem aut provinciam certi cujusdam vitii condemnare: asserendo, in hac regione homines esse leves, in illâ superbos, in istâ stupidos, in aliâ astutos ac versipelles: nam nulla non regio viros præclaros, & his nævis immunes profert: ne igitur injuriam inferamus plurimis, nunquam regionem universam vitii condemnemus. Nec ob fertilitatem unius regionis spernamus aliam. *Non omnis fert omnia telus. Sed hic segetes, illic felicitas avæ proveniunt,* quæ Divina Providentia obmutuum commercium humanum, communicationemque regionum ita disposuit: hæc autem taxare, magnæ est imprudentiæ.

3. Meminerimus nos omnes eidem Christi militiæ nomen dedisse: omnes sub Crucis ejusdem labaro militare; & contra mundum, carnem, ac dæmonem in dies in arenam descendere: sicut igitur in prælio acri contra Turcas non inquiritur, utrùm hic vel ille sit Germanus, Hispanus, aut Gallus, modò strenuè dimicet; ita in Societate non quærendum, cujus quis fuerit; sed an bene Religiosus, fervore ac zelo infini præditus, generosè pro Dei gloria

deceret, magnas hosti clades inferat, & spolia opulenta detrahat. Id nisi seruemus, actum est de victoria & pace. Teste S. Augustino serm. de verb. Dom. secund. Joan. *Non poteris ad hereditatem Domini pervenire, qui hereditatem pacis noluerit observare: nec potest concordiam habere cum Christo, qui discors esse voluerit cū Christiano. Pax est securitas mentis, simplicitas cordis, amoris vinculum, confortium charitatis.*

Quapropter Dilectissimi, geminas has dissensionum, discordiarumque pessimas

radices è cordibus ac linguis nostris stirpitus evellamus; ut omni divisione & schismate exclusis, constanti charitatis ac pacis vinculo colligati vivamus. *In pace autem vocavit nos Dominus.* 1. Corinth. 7. 15. *Qui non est dissensionis Deus, sed pacis.* 1. Corinth. 14. 33. *Ipse enim est pax nostra.* Ephes. 2. 14. *Et quidem Pax quæ exuperat omnem sensum.* Philip. 4. 7. Pax quæ tum ad Proximum pacificandum, tum ad cælestem Jerusalem & visionem pacis æternam unice est necessaria.



REGULA XLIV.

DE LABORE ET OTIO.

EXHORTATIO IN EANDEM,

Docet strenuè laborandum, otiumque vitandum esse.

T H E M A.

Multam malitiam docuit otiositas. Eccli 33. 29.

VEL:

Otium malorum omnium origo, domi nostræ locum non habeat.

Reg. 44.



Enuini Societatis JESU Filii (utà & aliorum Ordinum Religiosi) haud absimiles sint, oportet, quatuor animalibus, ab Evangelitarum Aquilâ inspectis, Apoc. c. 4. *Quæ non habebant requiem die ac nocte;*

sed clamabant: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens. Quaternaria hæc animalia Sancto Joanni representata, ad litteram, fuere quaternarii primarii Principes cælestes & Angeli Dei Administratores; quos diversi diversimodè, symbolicè interpretantur. Alii enim explicant de quatuor Evangelistis, ita ut Homo MATTHÆUM, Leo MARCUM, Bos LUCAM, Aquilâ

Aquila J
intelligunt
& Gregor
Leone, h
Aquila
quatuor
indicari
rudiner
victam
tyrum
Aquila
templ
si An
nostra
mine
tione
ditos
tiliori
Leone
perari
tentos
minif
rem. I
tione
horu
ex di
rant.
malia
restat
extit
suum
omn
statu
Reg
jam r
I.
I.
Labor
dem est.
nosse
occup
sive co
quatuor

Aquila JOANNEM exprimat. Alii intelligunt quatuor Ecclesiæ Doctores, & Gregorium Homine, Ambrosium Leone, Hieronymum bove, Augustinum Aquilâ adumbrari autumant. Alii quatuor Ecclesiæ Status seu Ordines indicari contendunt, ita ut Leo fortitudinem Fidei Apostolorum; Bos invictam patientiam & victoriam Martyrum; Homo Sapientiam Doctorum; Aquila sublimitatem Virginum & contemplationi addictorum indigitet. Ego si Angelos hólce quaternos Societati nostræ adaptaturus essem: cum Homine, Superiores prudentiâ ac discretionem, charitate ac misericordiâ præditos; cum Aquilâ, Doctores, subtilioribusque Studiis occupatos; cum Leone, Verbi Divini Præcones, Operariosque Animarum reductioni intentos; cum Bove, rei familiaris administratos, laboribus deditos, compararem. Novitios autem in via ac dispositione esse contenderem, ut uni quatuor horum statuum inserantur, & unius ex dictis animalibus speciem præferant. Quemadmodum verò, dicta animalia requiem non habuisse, S. Joannes testatur; sed semper in motu & cursu extitisse, & absque cessatione triflagion suum decantasse: ita in Societate nostrâ omnes, in quocunque demum versentur statu, *Semper occupari, nunquam otiosi*, Regula præsens præcipit. Quæ duo jam modò exponemus.

I. Primâ Regulæ parte S. Legislator noster negotium, laborem, studium, occupationem assiduam sive mentis, sive corporis præscribit. *Omnes (inquit) quamdiu corpore bene valent, in spiritualibus*

bus vel exterioribus habeant, quo occupentur. 1. Omnes. Superiores & Subditi, Sacerdotes & Magistri, nec non Fratres, Marthæ muniis addicti, omnes, nemine excepto. 2. *Quamdiu corpore bene valent:* Si enim morbo laborent, satis habent, quod agant, ut morbi dolores debitâ patientiâ & resignatione tolerant. 3. *In spiritualibus vel exterioribus habeant, quo occupentur.* Neque enim jubet, nos vel semper spiritualibus, vel semper corporalibus exercitiis occupari; sed ea misceri cupit: ita ut ordinariè laboribus exterioribus insudantes, dum ab iis vacant, exercitiis spiritualibus, festivis præsertim diebus se tradant. Ex adverso autem ordinariè spiritualibus intenti, dum ab illis quiescunt; exterioribus quibusdam vacent, ne quid pretiosi temporis otio transigatur. Ipsum adèò relaxationis seu recreationis tempus, dum colloquendum est, piis colloquiis, dum ludendum, lusu honesto, impendendum est: nec eo tempore aut melancholiâ se dedere, aut in angulo solitarii, otiosumque hærete fas est; sed ex Regulæ & Obedientiæ Præscripto occupatio honesta capeffenda est.

Nunc lege, nunc ora, nunc cū fervore labora; sicut hora brevis, sic labor ipse levis.

Ratio 1. ad laborem nos excitans est sancta ac justa Dei voluntas, ob Adæ peccatum eam illi & Posteris penam infligentis. Gen. Cap. 3. 17. *In laboribus comedes ex ea (de fructibus terræ) cunctis diebus vita tua.* Et 19. *In sudore vultus tui vesceris pane tuo.* Ad hoc igitur nati, ad hoc condemnati à Deo sumus. *Homo nascitur ad laborem, & avis ad volutum.* Jobi Cap. 1. 7.

Quis igitur ab hac lege communi, jure se eximat? Quis justitiæ divinæ facere satis recuset? Quis pœnam promeritam non libenti animo expleat: præsertim cum hac ratione, rem Deo pergratam faciat?

Ratio II. Fructuosus temporis nobilissimi usus. *Tempus breve est*, ait Apostolus 1. Corinth. 7. & fulmine ocys prætervolat. Tempus irrevocabile est; semel elapsum, nunquam revertitur. Tempus pretiosum est, omni auro & lapide pretioso excellentius; quò innumeras, pro æternitate felici, in cœlo, coronas, nobis fabricare valeamus; à momento autem sæpenumero pendet æternitas, nec effluit momentum, quo lucrum æternum & infinitum, acquirere non queamus: quanta igitur insania est; hîc esse desidem: Quidni potiùs cum Apostolo concludamus: *Ergo dum tempus habemus operemur bonum. Filius enim hominis veniet cum Angelis suis, & tunc reddet unicuique secundum suum laborem.* Matth. 16. 27. *Et voca operarios ac redde illis mercedem*; quò autem labor est major, eò merces & gloria in cœlis erit copiosior.

Ratio III. est præstantissimum Christi Domini, Sanctorumque & aliarum rerum creatarum, exemplum. Nam 1. Labores exantlavit Redemptor noster, velut ipse testatur Joan. 5. *Pater meus usque modo operatur, & ego operor.* Et Psal. 87. *In laboribus à juventute mea*; quando nimirum cum S. Josepho artem fabrilem exercuit 2. Laboribus distenti fuere Apostoli, sive spiritualibus sive corporalibus, Petrus, Jacobus, Joannes, ut in sacris Evangelii paginis le-

gere est: sed in primis Gentium Doctor, quantâ negotiorum mole obrutus semper fuit; regiones varias percurrendo, Evangelium prædicando, Regnum Dei annuntiando, publicè & per domos, docendo, instruendo, increpando? & crebrò manuum labori sese tradendo? Unde 2. ad Thess. c. 3. ait: *Non inquieti sumus inter vos (id est non inordinati & otiosi) nocte & die operantes, ne quem vestrum gravaremus (exercuit autem artem scenofactoriam, ex pellibus, in usum castrorum militarium, tabernacula seu tentoria consuendo) Deinde alibi id clariùs protestatur, dum ait: Argentum & aurum, & vestem nullius concupivi, sicut ipsi scitis; quoniam ad ea, quæ mihi opus erant & his qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ.* Act. 20. Similia de aliis Sanctis etiam nostris, eorum gesta loquuntur, 3. Omnia animantia quadrupedia ac reptilia laborant, circumcursitant, & alimenta sua conquirunt. Volucres cœli alarum remigio in altum se librant, circumvolant, & prædam, quæ alantur, captant. Necres inanimes otiose dedunt, sed labore, motu, & occupatione suâ distinentur: Sol lucidissimus mundi oculus, annum cursum suum peragit: luna cursum suum menstruum crescendo & decrecendo absolvit: planetæ & sidera, motus, cursusque suos constantiâ mirabili tenent: Elementa, aër, aqua, ignis, assiduo agitantur motu terra arbores, flores, fructusque profert; verbo, cuncta creata, ordinatione divinâ, ad gloriam ejus, munus suis ritè funguntur.

An non igitur, pari ratione, omnino decet hominem ad imaginem Dei creatum,

M.
Orium
figien-
cume est.

tem, ratio
Religioni
ni Sancto
plo, onu
cum quat
se impen
sele occu
opere, cl
Domi
expleat
time e
suam
II.
Fund
præci
otium
nam
Socie
cum t
indag
1.
rum co
riorum
Sapier
Inven
& ips
Hebra
tationi
sitatib
Cum
otiolu
deside
fluctu
duè ja
tius L
sumre
idem S
ria oici
quid qu
a puer

rum, ratione dotatum, & cum primis, Religioni mancipatum, Christi Domini Sanctorum, & rerum aliarum exemplo, otium fugere, laborem diligere, cum quatuor animalibus, Dei servitio se impendere, semper pro ejus gloria se occupare; semper, si non ore, saltem opere, clamare: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens?* Ut divinam expleat voluntatem, tempus quam optimè collocet, & gratiam, gloriamque suam cœlestem adaugeat?

H.
Otium
fugien-
dum est.

II. Alterâ Regulæ parte Sanctus Fundator, Filios suos, otium eliminare præcipit, causamque subnectit, quod *otium malorum omnium sit origo.* Quænam verò mala illa sint, quæ ex otio, in Societate (aliove Ordine) scaturiant, cum tacitus prætereat, nostrum erit ea indagare ad cautelam.

1. Otium fons & origo est plurimarum cogitationum pravarum ac desideriorum inutilium. Testatur id Regum Sapientissimus Salomon. Eccle. 7. 30. *Inveni, quod fecerit Deus hominem rectum, & ipse insipientis se miscuit questionibus.* Hebræa & Chaldæa lectio vertit, *cogitationibus*: Symmachus explicat, *curiositatibus* Cornelius à Lapide, *desideriis*: Cum enim nusquam quietem reperiat otiosus, mille curarum, curiositatum, desideriorum, passionum, tumultuum fluctibus & altibus, instar Euripi, assidue jactatur & fluctuat: atque ut Lucretius L. 1. canit: *Semper & in curis consumit inanibus ævum.* Confirmat illud idem Sapiens Proverb. 21. 25. *Desideria occidunt pigrum, noluerunt manus ejus quicquam operari, totâ die concupiscit & desiderat:* At quænam? jam cibum & po-

tum; jam recreationes & lusum; jam alloquia parentum & amicorum; jam lustrationes civitatum & arcium. *Mens otiosi*, ait Cassianus, L. 10. c. 6. *nihil aliud cogitare novit, quam de escis & ventre, donec ita paulatim reddatur noxiis cogitationibus irretitus; ut tanquam serpentinis spiribus obstrictus, nunquam deinceps ad perfectionem se valeat evadere.* Unde rectè concludit S. Bernardus ad Frat. de mont. Dei. *Omnium tentationum & cogitationum malarum atque inutilium sentinam esse otium.*

2. Otium origo est otiosorum & inutilium verborum, imò & vitiosorum & noxiorum: otiosi enim faciliè aut contra Superiores murmurant, aut Fratres suos contemnunt, aut perfectionis studio & regulari disciplinæ addictiores verbis proscindunt, aut aliis detrahunt. De quibus Salvator in Evangelio Matt. c. 12. *Dico autem vobis quoniam omnes verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii.* In textu græco est ἀργόν. quasi ἀνεργόν, id est, iners, sine opere, fructu aut utilitate: seu verbum vanum, frivolum, ludicrum, quod nec loquenti, nec audienti utilitatem affert. S. Hieronymus ait: *Verbum otiosum est, quod sine utilitate & loquentis dicitur & audientis, si omnis seriis, de rebus frivolis loquamur & fabulas narremus antiquis.* Caterum qui scurrilia replicat, & cachinnis ora dissolvit, & aliquid profert turpitudinis, hic non otiosi verbi, sed criminosi tenebitur reus. O quoties in otiosorum hominum sermones ejusmodi vitia irrepunt! Quamobrem magnus otii hostis Ignatius Parens noster, ut refert Massæus in vita L. 3. c. 6. cum

vidisset duos trēsve, è nostris Adjutoribus, ad januam alieno tempore converſantes & colloquentes; illico juſſit acervum lapidum, in proximo ſitum, ad ſummam ædium contignationem ſine cunctatione transferre; cùmque elapsâ trium menſium intercapedine iterum confabulantes reperiffet, eundem acervum in locum priorem referre juſſit, ſimulque admonuit, in Dei ſervitio nihil eſſe otio pernicioſius.

3. Otium origo eſt operum inutilium & nugarum, & exitium virtutum: ut S. Bernardus ad Eugenium Pontificem L. 2. de confiſ. c. 13. ſcribit: *Fugienda eſt otioſitas, mater nugarum, noverca virtutum.* Otium enim in Religioſo faſtidium generat erga Fratres, tædium erga meditationes, exercitia ſpiritualia, aliæque opera pia, quæ ſecundùm obedientiam obeunda forent; & quia erga hæc parùm afficitur, in rebus inutilibus ſolacium aucupatur; quærit occaſiones frequentes foras exeundi: captat occaſiones converſandi cum ſæcularibus, indagat rumuſculos & nova; non ut his fructum animarum apud externos referat; ſed ut tempus fallat, tædium levet, aut recreatiunculam quampiam ſectetur. Quid autem hiſce accidet, quando Judex veniet, rationemque omnium operum ſtriſtam exiget? Exiſtimabunt fortalſe ingentem ſe mercedem reportaturos; at verendum eſt ne eveniat illis, quod Pſaltes Regius de divitiſus canit: *Dormierunt ſomnum ſuum & nihil invenerunt in manibus ſuis.* Dum in alteram vitam evigilantes, ſe tempus malè collocâſſe, ac parum aut nihil pro æternitate felici laborâſſe deprehendent.

4. Otium origo eſt tentationum; omniſque generis vitiorum ſecundùm illud Eccli. c. 33. 28. *Multam malitiam docuit otioſitas.* Quam multiplicem malitiam S. Auguſtinus declarat ſerm. 26. dum ait: *Per hanc (otioſitatem) accendimur frequenter ad luxuriam; per hanc animamur ad ſuperbiam; per hanc ducimur ad mundi gloriam. Per hanc tentamur delicatè paſſi; per hanc ſuffocamur pretioſè veſtiti; per hanc ad ſuperſtuam dormitionem trahimur; per hanc ad ſæcularia verba inducimur:* ac denique paucis multa complectens, ita concludit: *Nunquam quis civis calorum erit, ſi otioſitatem amaverit.* S. Bernardus de grad. perfect. c. 9. ea quæ dicta ſunt, obviâ ſimilitudine dilucidat: Sicut, inquit, aqua quæ caret decurſu, & jacet in foveis, putreſcit; ita & corpus otii tabe confectum, concupiſcentiarum & voluptatum carnalium parit ac nutrit inſaniam. S. Chryſoſtomus hom. 9. in 2dam ad Corinth. eadem aliâ confirmat ſimilitudine: Sicut terra non occupata ſemente, aut conſitione, quamlibet herbam produceret: ſic & anima quoties non habet quod agat rerum neceſſariorum, cùm omnio cupiat aliquid agere, pravis actionibus ſeruet tradit. Naſciturque indè acedia, languor animi, laſſitudo corporis, pigritia, ſomnolentia & inhabilitas ad omnia. Quo autem alexipharmacum morbos hoſce curabimus? Docuit id S. Antonium Cæleſtis genius, ut refert S. Athanaſius in vita ejus. Cùm enim is à ſpiritu acediæ tentaretur, affligereturque, exiit è cella ſua dicens Deo: *Domine volo ſalvus fieri; & non permittunt me mala cogitationes meæ:* quo dicto, cùm faciem ad

ad cellam convertisset, Angelum con-
spexit, humanâ specie storeas, sportas-
que plectentem, deinde surgentem ab
operibus, & aliquamdiu orantem, rur-
sumque ad operandum se conferentem;
audivitque hanc ejus vocem: *Antoni sic
fac*: aliquâ temporis parte labori, aliâ
orationi insiste, atque ita mutando ex-
ercitia, otium fugies, acediam vinces,
ac salvus eris.

Quocirca, Charissimi, quamdiu cor-
pore rectè valemus, semper nos aut in-
ternis aut externis exercitiis fructuosis
pro Dei gloria & animarum salute, oc-
cupemus; sic sanctam Dei voluntatem
explebimus, nobilissimum tempus uti-
liter collocabimus: Christum Redem-
ptorem nostrum, SS. Apostolos, aliôs-
que Viros Sanctos, nec non cuncta cre-
ata, muniis suis semper intenta, amu-
labimur. Ex adverso nunquam non o-
tium omni studio evitemus, ita cum eo,
cogitationes inutiles ac noxias, sermo-
nes otiosos ac vitiosos, opera inutilia
ac inania, pariter refecabimus; tenta-
tionum innumerarum ac vitiorum sca-

turiginem obturabimus; *Semper ali-
quid boni operis facito, ut diabolus te in-
veniat occupatum*, monet S. Hierony-
mus. Quod si præstiterimus, cum san-
ctis quatuor animalibus, de quibus in
exordio meminimus, semper in motu
erimus, semperque Deum laudabimus,
& vel verbo, vel opere *Sanctus, Sanctus,
Sanctus* proclamabimus. *Benedicemus
Dominum in omni tempore*; vitæque no-
stra continua erit Dei laus & benedictio;
si opera humilitatis ac pœnitentiæ exer-
ceamus, Deum laudabimus; si miseri-
cordiæ & pietatis operibus vacemus,
Deum laudabimus; si verbi divini præ-
dicatione ac catechesi ignorantes doceamus,
Deum laudabimus; si juventutem
in gymnasiis, timore Domini imbua-
mus, Deum laudabimus; optabimús-
que ut nobis sint linguæ centum, ora
centum, corda centum, manus centum,
quas in Dei gloriam & honorem infu-
mamus; ac tandem repositam nobis,
pro laboribus, justitiæ coronam
in cœlis reportemus.

Amen.



REGU-



REGULA XLV.

De vitandis, Religioso, negotiis sæcularibus.

EXHORTATIO
IN EANDEM,

Fugam negotiorum sæcularium suadet.

T H E M A.

Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus. 2. Tim. 2. 4.

V E L :

Ut plenius possit Societas rebus spiritualibus vacare, à negotiis sæcularibus absteat. Reg. 45.

AD Regni, Reipublicæ, ac Civitatis cujusvis pacem, tranquillitatemque in flore conservandam, medium nullum aptius, nullum convenientius reperitur; quam si quisque vocationi suæ, ac professioni propriæ sedulò invigilet; atque intra sui muneris limites firmiter consistat: *Tractent fabrilia fabri: ut fert parœmia.* Tractet sua Consul consilia, Institor mercimonia, Procurator acta, literas Scriba, Miles arma. Verset Causidicus Bartolum, Medicus Galenum, Faber malleum, Sartor acum, Sutor corium,

Colonus arvum. Tractet Sacerdos cælicem, Ecclesiastes pulpitum, Clericus psalterium & cantum, & ubique pax regnabit in urbe: nec posset in cunctis major oriri perturbatio; quam si alter in alterius munia involet, & ea, ad quæ vocatus non est, tractanda, versandaque capessat. Idem metuendum est viris Religiosis, Prælati, Pastoribus, ac zelatoribus animarum; si relictis officiis sacris sibi propriis, negotiis sæcularibus se dedant. A quo Apostolus dum dehortatur Timotheum Ephesinum Episcopum, triplici similitudine utitur.

1. Monet, ut instar agricolæ se gerat, qui non aulæ, sed caulæ; non foro, sed agro & aratro; non statûs negotiis, sed laboribus sementis & messis invigilat.

2. Ut

2. Ut instar athletæ, qui luctæ & victoriæ unicè intentus, alia nec curat, nec respicit, generosè deceret. 3. Ut instar militis se gerat, qui omnibus aliis neglectis, arma & quæ belli sunt, cogitat: *Labora sicut bonus miles Christi: nemo autem militans Deo, implicat se negotiis secularibus.* Quod Doctor Gentium Timotheo, idem Ductor & Doctor noster S. Ignatius, Societati universæ præscripsit: Quænam verò rationes ad id præscribendum eum permoverint, exhortatione præsentate, exponere est animus.

I. Motivum primum seu ratio urgens, mox Regulæ initio attextitur: Nimirum, *Ut plenius possit Societas, rebus spiritualibus, juxta Institutum suum, vacare.* Communi fertur adagio: *Pluribus intentus, minus est ad singula sensus:* Sensus dum vehementius rapitur & intendit acutiùs uni, hebetescit in aliis, teste D. Thoma & Aristotele. Ita pariter Religiosus, dum totus abripitur ad sæcularia, à spiritualibus abstrahitur: & quantum temporis negotiis profanis tribuitur, tantum spiritualibus decerpitur; adeoque illis integrè, plenèque vacare, est impossibile. Aptissimo id simili declarat Apostolus 2. Tim. 2. *Labora sicut bonus miles Christi: Nemo autem militans Deo, implicat se negotiis secularibus.* Cogita, Timothee, cogita Religiose, te militem esse Christi, ac Deo militare; ac proinde, hæc in parte, ut militem te gere. *Miles,* inquit S. Basilius in præfat. de Asceticis, *non domos adificat, non agros comparat, non mercatura vacat: in plateis tabernaculum sibi collocat; cibum solâ necessitate meretur. Itinera frequenter & vigilia, acris ad frigora calorésque tolerandos pa-*

tientia, & sæpe mors gloriosa. Hæc strenui militis sunt; non verò suscipere aliena negotia; & ea quæ ad Domûs, urbis, aut regni gubernacula spectant administrare, sed uni bello & victoriæ intendere. Unde militibus olim vetitum fuisse conjugium, scribit Tacitus L. 14. Et Tertullianus in exhort. ad castit.

Et sanè si alienis à militia negotiis se miles occupet, perspicuum est, officio suo, plenè vacare nequaquam posse: quomodo enim pacto poterit & mercaturæ vacare, & in acie cum hostibus confligere? Circumcurfare per alienas aedes, & in excubiis militaribus consistere? Emendo ac vendendo pecuniæ lucris inhierere; & hostilibus insidiis atque stratagematis intendere? Idem omnino evenit hominibus Deo sacratis, ac sub Labaro ejus stipendia merentibus: nam non bene conveniunt, negotiis intricari sæcularibus, atque ad ea expedienda circumvagari; & simul ad verbi divini prædicationem se comparare, pœnitentibus aures præbere, aliâque spiritûs exercitia debitè obire. Experti sunt id ipsum primipili, Christi Archistrategi nostri, milites ac tribuni, Apostoli; qui adeò verò ab ipsarum collectarum, & eleëmofynarum distributione manus non secus atque à contagione serpentium retraxerunt: *Non est æquum,* ajebant, *nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis.* Act. 6. 2. Haud ibi de crapulis, de conviviis & litibus agebatur: sed de mensis egenorum, & viduarum, in quibus Christus palcebatur: & tamen, quoniam hoc munus, Verbi divini prædicationi, aliisque exercitiis spiritûs tempus adimebat: *Non est æquum,* inquam, prædicationem

tionem Evangelii, nostro muneri propriam deserere, & rebus ab Instituto nostro alienis, quæque per alios, nullo negotio, præstari possunt, nos intricare.

Quare & nos instar militum Christi, instar Apostolorum, rejectis alienis, negotiis Instituto nostro propriis vacemus. Sicut milites sæculares, *ita & tu*, ait S. Basilii l. c. *Miles Christi, simile tibi vita genus, propositum habe; solutus esto, atque ab omnibus vite curis liber. Imitari sponsum tuum, bellum cum potestatibus illis, ac principatibus infernalibus gerito; hostes invisibiles crebro in fugam dato; illos ex animo tuo primum expelle; tum ex illorum etiam, qui ad te velut ducem & protectorem confugiunt.* Hæc sunt negotia tibi propria; aliena & sæcularia fuge; ita placebis Duci tuo JESU Christo, velut Apostolus l. c. mox subdit: *Ut placeat ei, cui se probavit.* Cui se addixit & cuius militiae sese devovit.

II.
Curis
gravant.

II. Motivum alterum, negotia sæcularia declinanda, suadens, est variarum curarum, sollicitudinum, distractionum & molestiarum averruncatio, quæ ex illis, tanquam vermes è cadaveribus scaturiunt. Religiosi enim hujusmodi negotiis dediti quod tormenta parturientis cordis sui sustinent? quot animæ suæ tumultibus agitantur, quot curis & sollicitudinibus acervatim, conglobatimque iuventibus opprimuntur? His si liberari aveant, hujusmodi negotiis se perledeant, instar Levitarum Veteris Testamenti, quos Deus nullam, in divisione terræ promissæ, partem, cum aliis tribubus accipere voluit; ne terrenis & sæcularibus negotiis implicarentur; sed uni Deo, temploque vacarent, ac hære-

ditas illorum esset Dominus; id est decimæ, primitiæ & victimæ Domino oblata. Ita, inquam, religiosos & animarum Venatores, aliis negotiis & curis decet esse immunes, ut plenius Deo ac spiritualibus se tradant.

S. Patriarcha noster, ut ab his tricis & molestiis nos expediret, ambiguitatemque adimeret, terna potissimum negotia cavenda allegabat. 1. Primum est Testamentariorum; ut in testamentis testes minimè simus, nec eorundem executionem in nos suscipiamus. Quot enim curis, molestiis, laboribus, tum in sepultura & funebribus adornandis, tum in facultatibus relictis custodiendis, curandis, emonendis, dividendis, ac distribuendis tales se implicant? Quot ministris partium agnatorum, aut hæredum suspicionibus, crisiibus, judiciis, diceriis ac sermonibus sese innodant? 2. Alterum genus negotiorum, maxime vitandum, est Executorum & Procuratorum rerum civilium, sive circa lites & controversias, sive res alias temporales versentur. Quanti enim hinc rursus curarum ac sollicitudinum fluctus atque turbines commoventur? Quoties Judicum tribunalia, Assessorum, & Advocatorum ædes frequentare, quoties negotia suscepta commendate, urgere, promovere, & ad exitum perducenda curare necesse est? Verùm quantâ temporis longè pretiosissimi jacturâ? Quantâ animi distractione & evagatione? Quanto rerum spiritualium dispendio? Tertium huc spectans, est, procuratio officiorum honoratorum amicis, cognatis, aliisve externis apud Principes aut Magistratus. Cui rei S. Fundator noster, nunquam

nunquam se immiscere voluit: plerumque enim fructus refertur exiguus, sive commendatus ac promotus, expectationi respondeat, sive non. Ex adverso, odium aversionemque non rarò nobis consciscimus; dum enim unum adjuvamus, plures spe suâ delusos, à nobis abalienamus.

Omnia hæc detrimenta, ut unico velut ictu S. Pater amputaret, Regulâ cavet, ut hujusmodi negotia declinemus; nec ullis ea Principum & Magnatum precibus suscipiamus, aut in illis occupari nos sinamus.

Idem quod nobis S. Ignatius, jam olim Thessalonicensibus commendatum voluit Apostolus 1. ad Thess. c. 4. 11. ubi scribit: *Rogamus autem vos, Fratres, ut abundetis magis, & operam detis ut quieti sitis, & ut vestrum negotium agatis.* q. d. cupiditæne mei Thessalonicenses, quietem ac pacem conservare; vestra duntaxat negotia peragite, aliena relinquite & devitate. Idem cunctis Religiosis & nobis dictum est. Quodnam autem in Societate nostrum est negotium? Legimus id in formula Instituti à prima Patrum decade Paulo III. Pontifici oblata, quod scilicet sit: *Perfectioni propria & aliena vacare, verbum Dei predicare, exercitia spiritualia tradere, pueros ac rudes doctrinâ Christianâ imbuere, Pœnitentiæ & Eucharistia Sacramenta administrare, aliâque charitatis opera exercere.* Quàm meritò verbis Apostoli, quilibet Superior utitur: Rogamus vos Fratres, ut dictum negotium vestrum agatis: quod nisi præstiteritis; sed alienis vos rebus immiscueritis; non abundabitis magis; quin potius spiritu deficietis: nec quieti eritis; sed

instar Marthæ, solliciti ac turbati circa plurima: neque proprias occupationes ritè peragetis; sed distractionibus, & defectibus plurimis inficietis. Nec debita cum modestia ac honestate religiosa, ageris cum sæcularibus: tanquam enim cupiditatibus parùm domitis, boni exempli vix quidquam præbebitis; sed cum terrenis terreni eritis, cum vanis vani, terrena & vana tractantes. *Qui tetigerit picem, coinquinabitur ab ea.* Eccli c. 17. 1.

Rectè igitur cum S. Petro Damiano, de contemptu sæculi c. 27. concludimus: *Quisquis in prociñctu militæ cælestis positus, ad superna patria mancipium properat, se, sub qualibet specie, actionum sæcularium laqueis irretire abhorreat. Illud in memoriam revocet, quod scriptum est: Cave ne in multis sint actus tui. Sæcularibus relinquatur sæcularia: satis sit servus Dei perituro huic mundo mortuos se exhibere.* Notandum hîc, quòd S. Damianus sub qualibet specie ista evitari cupiat: sive enim ejusmodi sæcularis occupatio proponatur sub specie pietatis, sive sub specie amicitia, sive sub specie gratitudinis, sive sub specie carnalis, *se quisque, sub qualibet specie, actionum sæcularium laqueis irretire abhorreat.*

III. Motivum tertium, ad negotia sæcularia abdicanda, abjiciendâque impellens, est eorundem vilitas. Lites enim, controversiæ, procuraciones, executiones rerum temporalium, abjectiones sunt & indigniora, quàm ut anima religiosa, mundo pridem mortua, Sponsæ cælestis sponsa, & amica Deo consecrata, iis se occupet, & nobilissimum tempus suum conterat: quemadmodum

Gggg 2 enim

enim spiritus præstantia decuplo corpus, & cæli excellentia, terram decuplo superat: ita spiritualia, ac divina exercitia, negotiis corporeis ac terrenis, infinitis antecellunt parasangis. Quod si mihi fidem haud adhibetis, Doctorem Gentium, æquissimum rerum æstimatorem, auscultate; terrena hæc omnia, præ lucro cœlesti, tanquam stercora arbitrantem. Admirandum sanè est, quod de illo legimus 1. Corinth. 6. 4. ubi definiendis Cotinthiorum jurgiis & controversiis, nè acolythos quidem & infimos è Clero præfici voluit; sed viliores, abjectioresque in Ecclesia, quasi Religionis peripsemata & quisquillas suffici præcepit. *Secularia igitur negotia, inquit, si habueritis, contemptibiles qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad judicandum.* Si Apostolus ad hujusmodi negotia, sæcularium infimos vilissimosque deputavit; quantò minùs, viros religiosos, mundo mortuos, & Sacerdotes Apostolicos, ab se abjicere voluit? Hinc est, teste S. Cypriano Epist. 66. quod à Synodo Africana, defunctus quidam, censurae subiectus & altaris suffragio privatus fuerit, eò quod ausus esset curatorem filio suo impuberi Sacerdotem institueret: ut narrat Baronius ad Annum Christi 257. Rati enim Patres fuit, spiritualibus aræ & Ecclesiæ opibus, indignum esse eum, qui ab altari revocasset Sacerdotes ad saulas & forum.

R. P. Joannes Paulus Oliva XI. Societatis nostræ Præpositus Generalis L. 1. Stromatum prædicta confirmat; dum censet Sacerdotes & Religiosos sese ad sæcularia & forensia negotia demittere, nihil aliud esse, quam altaria & rostra

copulare: Scribarum acta, in Sacerdotum calicibus fluitare: Scripturarum divinarum oracula, & litigantium adversaria contentiosa combinare: uno ex ore hymnorum sacrorum mella, & felicitium profanarum profundere: ab aris digredi ad haras; ab Agno Dei, ad hædos exterorum; ab azymo Electorum, ad fermenta affinium & consanguineorum; à consortio Prophetarum, ad rixas bubulcorum; à Christi calice, ad dolia bacchantium; à thure, ad lolia; à sanctuario, ad palearium; à tribunali sacro, ad profanum ruere, ac sese præcipitare. Quæ si vera sunt, ac sunt verissima, quantæ indecentiæ est, Religiosum eâ se ratione prostituere, & dignioribus ommissis, ad eò vilibus & abjectis manum admovere?

Admirandum est, quod de Salvatore nostro legimus, exemplum, apud S. Lucam c. 12. 13. Qui licet, tanquam mundi & omnium rerum Dominus, jure meritissimo, potuisset; ad nostrum tamen exemplum, nè verbum quidem, ad controversiam sæcularem componendam, profari dignatus est. Ait autem ei quidam de turba, ut refert S. Evangelista: *Magister, dic fratri meo, ut dividat mecum hereditatem.* Frater enim meus vult solus hæreditatem paternam occupare, nec eam mecum partiri: jube ergo illi, ut eam mecum dividat, tanta namque tua est authoritas, ut vel verbo perfeceris, quod ego per Judices multis litibus vix obtinuero. *At ille dixit: Homo, quis me constituit judicem aut divisorem super vos?* Hoc judicium forensium est, qui terrenam; non meum, qui cœlestem hæreditatem disperior; quid mihi cum tempora-

pora-

poraneis, qui sum ad æterna destinatus? Præclare S. Ambrosius: *Tereena declinat, qui propter divina descenderat* Et S. Augustinus serm. 196. *Petebat homo hic mediam hereditatem in terra; Dominus offerebat totam in celo: plus Dominus dabat, quàm ipse postulabat.*


O quàm deceret nos simili responso, non dissimiles curas, cum ingeruntur, aut obtruduntur invitis, eludere! *Quis me constituit iudicem inter vos?* Ad divinorum omnium divinissimum vocatus sum, ad animarum scilicet salutem æternam procurandam; qui me ad infima & terrena abjiciam? *Qui manum Evangelii evolvendis destinatum, resignandis consignandisque causidicorum actis, exauthorare potero?* An avaritiam cœli & legis divinæ, ad alienas dati & accepti rationes descendere fas est? Id si constanter tenuerimus, sæcularium & potentum querelas justas evademus, veluti Innocentius X. Pont. Max. Congregationem Generalem paternè, hisce verbis, monuit: *Præscribenda ratio, quâ omnes Patres Societatis, se rebus ac negotiis secularibus non immisceant.* Cui venerabunda & ad obsequendum paratissima Congregatio respondit: *Unus esse omnium Patrum suffragium & votum Congregationis universæ; ut nostræ Societatis homines abstineant à negotiis secularibus, à Constitutionibus nostris alienis.* Unde Congregatio Superiores advigilare iussit, & decreti violati reis, pœnam injungendam sanxit.

Quapropter, Dilectissimi, nunc, dum in tirocinio, tanquam omnis perfectionis gymnasio, prima vitæ religiosæ ele-

menta discitis, hanc quoque Regulam tanquam lectionis utilissimæ materiam, memoriæ & cordi fortiter imprimite; ut suo tempore (modò enim abest periculum) in praxim redigatis. Milites Christi sumus; *Nemo autem militans Deo, implicat se negotiis secularibus, ut ex Apostolo audistis: quod si constanter observaveritis, plenius rebus spiritualibus & animarum lucris, ad amissum Instituti nostri, intendetis.* Deinde curas innumeras, labores, molestias, evadetis. Nec denique ad indigna statu vestro, tanquam ab ara ad haram vos abjicietis; sed dignioribus ac sublimioribus, inò divinorum omnium divinissimis, occupati eritis: Apostoli monitum, Christi exemplum sequemini & ad extremum, nemini sæcularium, aut Magnatum ansam querelarum præbebitis. Huic igitur, tanquam S. Ignatii, inò Christi Domini decreto & voluntati, firmiter insistite. *Neque enim, (ut ait S. Bp̄hem de Monach.) Deus vult Religiosum, relictis spiritualibus curare secularia: quamvis etiam justam aliquam causam habere videatur.* Illusio enim hæc est diaboli, qui tentat eum perdere: nam qui propter res mundanas negligunt spiritualia, magnum assiduè damnum patiuntur, non considerantes, neque mente amplecti valentes divinam illam vocem:

Nemo vivens manum suam ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est Regno DEI.

* * *



REGULA XLVI.
DE CURA MODERATA SANITATIS.
EXHORTATIO I.
IN EANDEM,

Nimiam sanitatis curam vitandam, moderatam verò adhibendam suadet.

T H E M A.

Ne solliciti sitis animæ vestræ, quid manducetis. Matth. 6. 27.

VEL:

Ut nimia sollicitudo reprehensibilis est, ita moderata tuende ad divinum obsequium valetudinis, laude digna est. Reg. 46.



Mantissima æquè ac prudentissima Mater nostra Societas (aut alia Religio quævis) haud absimilis esse videtur illi mulieri forti, de qua Salomon Proverb. 31. meminit. *Mulierem fortem quis inveniet?* fortem, id est strenuam, industriam, heroicam, prudentiâ, charitate, atque omni virtute cumulatam. Ubi verò inventa fuerit; quidnam illa? *Quæ sivit lanam & linum, & operata est consilio manuum suarum.* Lana, ex mente D. Augustini, significat temporalia; linum spiritualia: utraque in hac peregrinatione necessaria sunt; utraque, mulier hæc fortis comparare filiis suis studet, ac, Deo dante, præbet.

Nam facta est quasi navis institoris, de longè portans panem suum. Quemadmodum Mercatorum naves, è longinquis regionibus, frumenta, vestimenta, alimenta, aliàsve merces advehunt: ita Societas annonam, cibum, potum, aliâque vitæ communi necessaria comparat & filiis suis cum sufficientia, distribuit. Ex quo oritur, ut neque ob famem, neque ob nuditatem, sanitati suorum metuat. *Non timebit Domui suæ, à frigidibus nivis: omnes enim domestici ejus vestiti sunt duplicibus.* Ita Societas non timet Domui suæ: duplices enim vestes domesticis suis præbet, exteriores & interiores, id est, temporalia & spiritualia.

Cùm igitur hæc Mater nostra, tantâ curâ & sollicitudine nobis de omnibus provideat, tantâque sanitatis nostræ curam

curam gerat; duo inde inferemus, quæ in Regula præsentate exprimentur: primum est nobis nimiam valetudinis tuendæ sollicitudinem deponendam; alterum verò est; eam tamen non omnino negligendam; sed curam moderatam pro ea adhibendam esse; quæ dictione hodiernâ elucidabimus.

I.
Nimia sollicitudo reprehensibilis est.

I. Primò igitur, *Nimia sollicitudo in iis, quæ ad corpus pertinent reprehensibilis est*: ait Regula; adeòque hæc Religiosis, in primis, Societatis nostræ, quàm maximè est devitanda. Duplex autem nimia sollicitudo distingui potest; alia, quæ versetur circa substantiam & res sustentationi necessarias; alia circa modum seu qualitatem. Prior sollicitudo nimia est de victu, amictu, aliisque vitæ sustentandæ necessariis: à qua Redemptor noster omnes adeò fideles, ne dicam Religiosos, immunes esse iussit. Matt. 6. 25. dicens: *Nolite solliciti esse animæ vestre, quid manducetis, neque corpori vestro, quid induamini* Atque ut id ipsum efficacius persuadeat, variis rationibus evincere ac stabilire nititur. Primam deducit, à majori ad minus; *Nónne anima est plus, quàm esca, & corpus plus, quàm vestimentum?* Tanquam si diceret: Deus, qui ex infinita bonitate & liberalitate sua vobis donat, quod longè plus est, millièscumque præstantius; animam scilicet & corpus; illène quod longè minus ac deterius est, scilicet victum & amictum vobis denegabit? Alteram desumit, à minori ad majus: *Respicite volatilia cæli quoniam non serunt, neque metunt; & Pater vester cælestis pascit illa: nónne vos magis pluris estis illi?* Si Pater cælestis, tantâ curâ, pascit aviculas, neque ferentes, neque meten-

tes; & passeruculos, tam vilis pretii, ut duo veneant assè uno, & quinque duobus. *Nónne duo passerres assè veneunt?* Matt. 10. 29. Et *nónne quinque passerres veneunt dipondio?* Lucæ 12. 6. Id est duobus assibus: (seu ut in græco est, *assariis*, quod diminutivum est, & qui ut ait Eucherius, duos terunciolos, seu minimos obolos valent) si inquam passerres alit, adeo exilis pretii; vos, amicos suos, vos fratres suos, vos filios Dei, & regni cælestis hæredes, pretio magno, id est Jesu sanguine redemptos, deseret, ac fame perire sinet? Tertiam rationem, ab inutilitate hujusmodi sollicitudinis, mutatur; *Quis autem vestrum, ait, cogitans, potest adjicere, ad staturam suam, cubitum unum?* q. d. Si frustranea est cogitatio, sollicitudo & labor, quo quis vellet, staturæ suæ, adjicere cubitum unum; quò proceritate & longitudine cresceret; licet mille annis cogitaret, & cogitando discruciarer se illo, quod nunquam perficiet: quanto magis inanis est anxia sollicitudo, quâ quis vitam æscis anxie conservare, & prolongare suapte industriâ, eâque nimia, ac justò magis exquisitâ, molitur? Solius enim Dei est, uti corpus à se concessum novis incrementis augere, ut staturam justam attingat; ita multò magis illius est, vitam ac sanitatem, quam largitus est, conservare, & alimenta, cæteraque necessaria præbere.

Nolite igitur nimiam sollicitudine cruciari & queri, dicentes: *Quid manducabimus? Aut quid bibemus? Hac enim omnia gentes inquirunt.* Hæc est sollicitudo Paganorum, Deum, divinamque providentiam ignorantium; non

non verò Christianorum, Fide prædicatorum, spemque suam in Deo collocantium. *Scit enim Pater vester* (qui novit omnia) *quia his omnibus indiget* : ideoque providebit vobis, quia Pater est, idque facillè potest, quia omnipotens, utpote Pater cælestis est. *Quare factus super omnium curam tuam, & ipse te enutriet.* Psal. 54. 23. Quod S. Franciscus viatici loco suis donabat *Omniem sollicitudinem projicientes in eum, quoniam ipsi est cura de vobis* ac de vestra valetudine. 1. Petri 5. Idem inculcat S. Paulus ad Philipp. 4. *Nihil solliciti sitis* pro victu, amictu, corpore & sanitate : vobis enim exigui sunt humeri & oculi providentiæ : Deus est Atlas, qui mundum universum humeris suis sustentat : Qui sexcenta hominum millia in deserto mannâ cælesti pavit ; & vestes, calceosque annis quadraginta incorrupta servavit ; ita ut cum pueris crescentibus etiam accrescerent.

Altera sollicitudo circa victûs & amictûs qualitatem versatur : reperire enim est Religiosos nonnullos, qui pro ipsa substantia minimam gerant curam ; hanc enim Præsidibus suis relinquunt ; sed pro qualitate anxie laborant : solliciti quippe sunt pro veste bonâ, cibo delicato, vino optimo, cubiculo salubri, lecto molli, magnâque rerum aliarum commoditate. Idque (ut ajunt) pro tuenda sanitate. At respondetur à S. Ignatio : *Nimia sollicitudo reprehensibilis est.* Reperiuntur quandoque nonnulli, sive seniores, sive juniores (quales, laus Deo, in hâc Domo non reperimus) qui sub specie sanitatis frena gulæ & sensualitati laxant ; &

dum videri volunt curare valetudinem suam, curant cuticulam. Tales enim licet viribus sint integris (neque enim de infirmis ac debilibus loquimur) nimiam sollicitudine laborant ; & alii quidem falsis, alii acetosis, alii dulcibus, alii pinguibus, alii leguminibus, alii fructibus, absque valetudinis detrimento vesci se posse negant. Alii in suamet phantasiâ morbos sibi fingunt & fabricant : jamque externos eâ de re consulunt ; jam Medicorum libros evolvunt, & quid capiti, quid pectori, quid stomacho proffit, observent, magno studio & curiositate indagant, ac sibi unde unde comparare fatagunt, toti corporis curæ intenti, de animæ verò suæ sanitate parum admodum solliciti. Hujusmodi homines sensualitati magis, quam perfectioni dediti, ut scribit S. Bernardus Serm. 30. in in Cant. ajunt : *Legumina ventosa sunt, caseus stomachum gravat, lac capiti nocet, potumaque non sustinet pectus, caules nutriunt melancholiam, choleram porri accendunt ; pisces de stagno aut lutosâ aquâ mea penitus complexionî non congruunt.* Verum his enumerationis, denique Sanctus Doctor reprehensionem promeritam subjungit : *Quale (inquit) est hoc, ut in totis fluviiis, agris, hortis, cellariisve vix reperiri possit, quod comedas ? Puta te, queso, Monachum esse, non Medicum, nec de complexione judicandum, sed de Professione. Parce primùm quidem quanti tua : parce deinde labori ministrantium ; parce gravamini domûs ; parce Consuetudinis.*

At ingerit hîc Tironum quispiam : non tam morbum reformido, quam morbum ingravescentem aut debilitatem gravem,

gravem, q
ribusque
cino dir
Hæc
hic metu
occurri
moder
bilem
citudi
dam.
inqui
In H
in lo
Deus
gion
quod
ex ar
absqu
ergo
morbi
absqu
evenir
benevo
comm
fident
re semp
II A
comm
ad divi
rium
affec
non
tas,
min
neces
donu
inter
buit
omni
dame

gravem, quâ Ordinis functionibus, laboribusque reddar inhabilis, atque è tirocinio dimittar & remittar in mundum. Hæc cura & sollicitudo me tangit; hic metus & angor me premit. Verùm occurrit rursus S. Ignatius, asserens, moderatam valetudinis curam laudabilem & adhibendam esse; nimiam sollicitudinem reprehensibilem & fugiendam. Fidendum Deo. *Dominus regit me*, inquiebat David; & nihil mihi deerit. In Hebræo est: *Dominus pascit me*; & in loco pascua ibi me collocavit. Psalm. 22. Deus qui te è mundo maligno ad Religionem vocare dignatus est, gratiam quòque sibi serviendi tribuet: nec folium ex arbore, nec pilus decidit ex capite, absque Numinis supremi voluntate: ergo à fortiori, neque morbus, neque morbi incrementum vel minimum, absque ejus voluntate atque annutu tibi evenire valebit. Illi ergò, cen optimo, benevolentissimòque Patri totum te committe, ac resigna penitus; oràque fidenter, ut ejus voluntas sanctissima in te semper adimpleatur.

II. Alterum, à S. Fundatore in regula commendatum est, *moderata cura tuenda ad divinum obsequium valetudinis & virium corporis*: eamque laude dignam asserit. Ratio est: quia tamen morbus non minùs Dei donum est, quàm sanitas, ut Regulâ 50. insinuat; nihilo minùs ad laborandum in vinea Domini necessaria est sanitas, magnum Dei donum, cui Plato in Legibus primum inter omnia bona naturalia locum tribuit: ex mente Aristotelis in Ethicis omnium mundanorum bonorum fundamentum est sanitas: utpote sinè quâ

nec libertate suâ, nec divitiis, nec dignitate suâ uti quis potest. Apud religiosos animarum zelatores multorum bonorum operum & laborum pro gloria Dei suscipiendorum basis est sanitas. Ideòq; hoc donum petit Ecclesia, in Oratione ad B. Virginem: *Concede nos famulos tuos perpetuâ mentis & corporis sanitate gaudere.*

Atque hæc est causa, cur S. Fundator benefanos, ac robustos, laboribusque Societatis pares, in Societatem adlegi voluerit, debilioribus exclusis. Hinc in Exam. c. 2. §. 5. Inter impedimenta admissionis prima statuit infirmitatem, quâ obscurari, vel parùm sanum judicium reddi soleat. Et c. 3. §. 8. interrogatur Candidatus, num habuerit, vel habeat morbum aliquem occultum, aut manifestum. Et 1. P. Constit. c. 2. §. 11. inter dona, quibus ornatos cupit S. Pater admittendos, numerat bonam valetudinem, & vires, quibus ferre queant nostri Instituti labores. Quemadmodum verò pro admittendorum sanitate sollicitus fuit; ita quòque pro conservandâ jam Admissorum valetudine, qui in Tirocinio probantur, curam gessit. Unde 1. p. Const. c. 3. §. 15. ait: consideratione & providentiâ debitâ opus esse. Et 3. p. c. 1. §. 1. vult, ut sic in via Dei proficiant, spiritu & virtutibus, ut sanitatis & virium corporis, quæ ad laborandum in vinea Domini necessariae sunt, ratio habeatur. Neque in Tirocinio duntaxat; verùm etiam à Votorum emissionem, curam singularem valetudinis suorum geri voluit: tum ut in valentibus sanitas conservaretur; tum ut infirmus restitueretur. Causam verò reddebat; quòd ægroti parùm

Hhhh pro

pro Dei gloriâ laborare valeant, imò potius aliis quòque oneri sint; prosperâ autem gaudens valetudine, nunquam non quidpiam saltem præstare possit.

Hanc sanitatis suorum curam S. Ignatius semper quidem; sed modo singulari demonstravit Anno 1555. cùm in Collegio Romano 150. imò 200. quandoque Personæ numerarentur: & nulli ferè reditus suppeterent: nihil tamen illis Vir Sanctus & Caritate plenus unquam passus est deesse; sed eâ liberalitate providebat omnibus, quâ, licet arcas auro fartas possideret, majore non posset. Cùmque advertisset, præclaros Adolescentes nimio studio ante tempus confici: pro ipsorum recreatione villam in Urbe coëmit, ad thermas Antonini, non procul ab æde Sanctæ Balbinæ: cùm autem nonnulli inopiam prætenderent; & tempus vendi, non ædificandi esse distarent; ipse tamen sententiam suam non immutavit; asserens: pluris sibi esse unius Fratris sanitatem; quam omne aurum, thesaurósque mundi universos. *Orlandinus L. 15. n. 6. Histor. Soc.* Verùm cùm ipse plus quam maternam valetudinis suorum curam gereret; ideo quenquam vel minimam pro necessariis curam suscipere, vel quidquam aliunde sibi conquirere, omnino vetabat. Eiusdem quòque cum S. Ignatio mentis fuit S. Franciscus Xaverius; qui à Sancto Fundatore sibi in Indiam submittendos Viros flagitabat, virtute ac sanitate valentes, ad ferendos labores pro gloria Dei & salute Animarum. Ex quibus omnibus rectè colligimus, sanitatem insigne Dei donum esse, &

omnino necessarium ad labores magnos pro Dei gloria exantlandos; adeoque eam non esse negligendam, aut destruentdam, nec studio nimio, aliòve opere perfundendam; sed curâ moderatâ custodiendam ac conservandam.

Quòd si tamen anceps quis hæreat, num Superiori proponendum sit, nec ne, quod in cibo, potu, veste, habitatione, officio, occupatione & labore deficit; ad scrupulum, dubitumve abigendum, duo observanda suadet S. IGNATIUS. Primum est, ut orando Deum consulat; quod in minutis brevi suspirio peragi potest, in aliis verò cujusdam momenti, ut loci variatione, cubiculi mutatione, cibi potúsve extra-ordinarii petitione, præmissâ oratione fiat. Alterum est, ut re Superiori propositâ, sive is annuat, sive abnuat, integre nos in voluntatem ac Providentiam divinam resignemus; quæ defectum nullo negotio supplebit, eumque in emolumentum nostrum spirituale converteret. Atque ad eò nec per nos, nec per alios, res importunè urgenda, ac perurgenda; sed Deo O. M. committenda; quamvis mentem suam Superiori clariùs exponere, aut si oblivioni traditum credatur, in memoriam ipsi revocare, fas sit.

Quapropter, Carissimi, viam mediam teneamus; duo extrema evitantes. Primum est, cùm Societas (aut Religio *quavis*) mater nostra, adeò provida, ac pro nobis Filiis suis sollicita sit, ut sanitate ac sustentatione commodâ gaudeamus: nostrum esse, concludamus, curam super suam deponere, & sollicitudinem nimiam, sive quoad necessarium substantiam, sive qualitatem, proscribere;

nec

nec morbum, qui non est, in phantasia nostra cadere, aut in his, illisve alimentis, nimiam anxietate, aut scrupulositate nobis, aliisque molestiam creare. Dominus custodit nos, Dominus regit nos, & nihil nobis deerit, aut oberit. Secundum est, alterum quoque extremum declinare; quod incurreremus, si in sanitate tuenda, desides omnino atque incurios nos exhiberemus: sani-

tas enim magnum Dei donum est, ad laborandum in vinea Domini, pro Dei gloria, omnino necessarium, quodque magni fecit S. Fundator noster. Quare utrumque extremum declinemus, mediãque viam teneamus, ut & sollicitudinem nimiam resecemus, & moderatam sanitatis curam nunquam non foveamus.



EXHORTATIO II. IN EANDEM REGULAM,

Optimum sanitatis tuendæ medium esse probat temperantiam, & sobrietatem.

T H E M A.

In multis escis erit infirmitas. Eccli. 37. 33.

V E L:

Moderata cura tuendæ ad divinum obsequium valetudinis, laude digna, & ab omnibus adhibenda est. Reg. 46.



Sanitatem in homine religioso, magnum Dei donum esse, atque ad obeundos consuetos, pro gloria Dei & proximorum salute, labores unicè necessarium; exhortatione proximè præcedente declaravimus: ex quo nunc inferimus, donum hoc, curâ solerti, conservandum esse. Quantum verò donum censendum sit sanitas, clarè indicat Siracides, dum illud divitiis, aliisque bonis naturalibus longè antepo-

nit. *Melior, inquit, est pauper sanus, & fortis viribus, quàm dives imbecillis.* c. 30. & ib. v. 15. *Melius est corpus validum, quàm census immensu.* & v. 26. *Non est census per censum salutis corporis.* Et rectè id verèque: quid enim juvant divitiæ, absq; prospera valetudine? Cræsum aliquem, morbo graviore pressum, in mollissima olorina culcitra reponere, & in lectica argentea, præstantissimis Phrygii operis peripetasmatis operata; exquisitissima appone bellaria, nectar & ambrosiam propinã; suavissimis Aulædorum melodiis ac symphoniiis

H h h h aures

aures infirmi demulce : an non omnia ista amara accident, ægro, cuncta, præ doloris acerbitate, nauseanti & fastidienti? *Melius est corpus validum : quam census immensus*, & omnis generis eupediarum acervus. Præbe ægro montes aureos, quid proderunt? Argæus mons Cappadociæ altissimus, Dardanus Apuliæ, Hæmus Thessaliæ, Caphareus Euboiæ, Alburnus Lusitaniæ, Pyrenæus Hispaniæ & Galliæ, montium maximi sunt, vertantur hi in aurum, merum, in gemmas, & uniones; census sanè immensus hic erit; sed longè melior, majorque sanitas : *Non est census, super censum salutis corporis.* Cùm igitur tantum bonum sit sanitas, ut inter naturalia emineat, cur istud obsecro à mortalibus tam parvi penditur, tamque leviter prodigitur? Sanè Diogenes stomachabatur in eos, qui pro bona valetudine sacrificarent, & in ipso sacrificio, epulis immodicis se ingurgitantes, sanitatem læderent. Laërtius L. 6. Et S. Maximus ferm. 27. citat Democritum dicentem : Homines precantur à Deo valetudinem, ejus tamen vim in semetipsis nesciunt: dum enim inordinatè vivunt, sui ipsi valetudinis sunt proditores.

Quod ne nobis eveniat, abstinentiam, temperantiam, sobrietatem, ac dietam, præstantissimum sanitatis & longævitas medium esse, tum sacrarum literarum, SS. Patrum & expertissimorum Medicorum testimonio; tum ipsius rationis & experientiæ calculo comprobabimus.

l. Auspicamur à testimonio codicis divini, omni exceptione majore; in quo Sapientissimus Siracides, Eccli. c. 37. 32. præclarissimum suggerit documentum;

Noli, inquit, avidus esse in omni epulatione; & non te effundas super omnem escam. At curnam obsecro? causam mox subdit; v. 33. *In multis enim escis eris infirmus.* Multi cibi, multi morbi: copiosa mensa, valetudo defectuosa; perpetua latoritas, inconstans aut nulla sanitas. Intære divites helluones, splendide quotidie epulantes, & integra in eis reperies morborum agmina, quibus discutientur; jam enim catarhis & defluxionibus infestantur; jam caecixiâ, & dejectione stomachi vexantur; jam chiragrâ & podagrâ, jam calculo & colicâ, jam aliis morbis catervatim conglobatimque ingruentibus obæuuntur: Verum unde mala hæc omnia? Ecclesiasticus innuit: *In multis escis, (& in multis symposiis,) erit infirmus.* Si ejusmodi lurcones, comedones atque bibones, majore essent abstinentiâ & sobrietate; meliore uterentur valetudine. Unde ex adverso ortum ducit, cives, opifices, operarios, colonos, vix morbis impeti, rarò medicos consulere, ac pharmaca adhibere? Quia nimirum, multâ ciborum & ferculorum varietate non se fariunt, sed cibis obviis, simplicibusque, pro exigentia necessitatis, corpus reficiunt: hinc est, quod sani ac vegeti assidue degant, morbisque immunes, ad longam senectam perveniant. *In multis escis non decrit infirmus* & plerora; pharmacum pharmacorum est, dieta & temperantia.

Alterum testimonium suppeditat idem Siracides l. c. v. 34. dum ait: *Propter crapulam multi perierunt: qui autem abstinens est, adjicit vitam.* O quot hominum millia in dies singulos mors abripit! qui si prandiis parcioribus, moderatioribusque cœnis contenti vixissent, ac frequen-

esse, probant testimonio S. Scipionis.

l. Temperantiam marrem sapientis

frequentius esuriem nonnullam sustinissent; in annos plurimos pervixissent; verum quia gulæ & crapulæ dediti, nimio cibo, potuque naturam obruerant; hinc vires attriverunt, sanitatem destruxerunt, morbos fatales accersiverunt, & in ipsas mortis fauces sese, ante tempus, præcipitarunt. Verissimum enim est: *Propter crapulam multi perierunt.* Inest Germaniæ nostræ incolis, communiter natura fortis, solida corporum compages, sana robustaque complexio; vi cuius, si à pueris diætæ assuescerent, ad ætatem grandævam pertingerent; quam Itali, aliæque nationes assequuntur; nunc verò ante tempus, vitæ tamen abruptunt: quam obrem verò? In promptu causa est, major in his, præ illis est temperantia; licet clima, & cœli, solique temperies non parùm adjuvet: potissima tamen ratio, in intemperantiam refundenda est; dum illi largiore & copiosiore cibo potuque, verificant illud: *Propter crapulam multi perierunt: qui autem abstinens est, adjicit vitam.* Hinc est illud Italorum adagium longè verissimum: *Mulum volens comedere, parum comedat.* Hæc enim ratione, vitam protrahet, & sæpius ac diutius parùm comedendo, comedet multum.

Tertium testimonium idem præbet Ecclesiasticus c. 31. 23. dum triplicem helluonum insatiabilium pœnam recenset; dicens: *Vigilia, cholera & tortura viro infrunito.* Prima pœna viro *infrunito*, qui est quasi sine frumine, seu sapore, seu illa parte gutturis, quæ saporem sentit, & frumen dicitur; & morsellos seu bolos integros, instar corvi aut lupi deglutiens, sine sapore est, vel sine fræno, aut fronte, & cum frensi: prima, inquam,

ejus pœna est *vigilia*: bonus enim cibi potusque, quo prægravatur, cum dormire ac quiescere non sinit, dum vapores & fumi indigesti, ex eo, continuo ascendentes, & cerebrum ferientes, ejus soporati- onem impediunt. Secunda pœna est *cholera*: mellea enim ac saccharæa tragemata, dulciæque ciborum condimenta & em- bammata, in bilem & fel vertuntur, ut docent Medici; tum quia ciborum, vino- rumque copia calorem accendit & san- guinem; qui succensus, cibum quoque ac- cendit & in choleram convertit; cholera namque est sanguinis & chili inflamma- tio; quæ acris est, pungit, cruciat, vellicat, accendit, ac febres ardentes generat. Tertia pœna est *tortura*, sive tormina, pu- tà, ventris distensionem flatus, & phleg- mata: in hæc enim cibus indigestus con- vertitur, eò quod calor naturalis ad tan- tam cibi potusque copiam conficiendam, & concoquendam haud sufficiat: inde *tortura*, asthma, catarrhi, colica & morborum, malorumque ilias.

His igitur verbi divini testimoniis convicti, diætam, temperantiamque, sa- nitatis matrem & nutricem esse agnos- camus; & si sanam vitam, longævamque desideremus, & vigiliam, choleram, tor- turam, ac morbos evitare optemus, il- lam diligamus, & gulæ frænum con- stanter injiciamus: *Pone gulæ metas, ut sit tibi longior ætas;* & sanior.

II. A verbi divini oraculis ad San- ctorum Patrum & Ecclesiæ Doctorum testimonia progredimur, qui uno ore & calano, abstinentiam, temperantiam, sobrietatem ac jejunium sanitatis ma- trem, gulam verò & intemperantiam, omnium morborum seaturiginem indi-
 H h h h 3 gitant.

17.
Testimo-
ria SS.
Patrum.

gitant. Agmen hos inter ducat S. Hieronymus, qui in Epistolis suis disertè asserit: *Mater sanitatis est abstinentia; mater aegritudinis voluptas.* S. Petrus Chrysologus Hieronymo adstipularur, dum serm. 41. ait: *Prima homini medicina est abstinentia.* Cum utroque consentit S. Joannes Chrysostomus: *Venter crassus, inquit, mentem subtilem non parit; multa vorare, ad pardalim, ursum & leonem pertinet.* Deinde morborum copiam recenset: *Pedum dolores, & capitis gravitates, & oculorum hebetudines, & manuum aegritudines, & tremores, & resolutiones, & aurigo, & febres longæ, ac hærentes ex voracitate & repletionem produci solent.* Nec dissentit S. Basilius Reg. 17. ful. *Sumendum, inquit, quod cuiusque necessitas requirit: nam immodicè ventrem distendere, & immoderatè se epulis onerare, præterquam quòd detestabilis atque execratione digna res est, cum Dominus dixerit. Væ qui saturati estis nunc; co-pusetiam ipsum, ineptum prorsus reddit ad labores & proclive ad somnos, & morbis magis expeditum facit & pervium.* Prædictis Patribus universus adhæret Patrum reliquorum Senatus, unanimi voce, abstinentiam ac sobrietatem prosperæ valetudinis radicem, intemperantiam verò & ebrietatem, morborum fontem ac sentinam esse, profitentium. quorum autoritas id ipsum meritò nobis peesuadaeat, & ad amplectendū inducat.

III.
Testimo-
nia Medi-
corum.

III. Sanctorum Patrum sententiis, subscribunt celeberrima medicorum tam veterum, quàm recentiorum lumina, Hippocrates, Galenus, Avicenna, alique innumeri, qui uno ore fatentur, sanitatis matrem esse abstinentiam, & omnium pharmacorum pharmacum esse temperantiam. Ratio à priori est; quia absti-

nentia tollit cruditatem, quæ morborum omnium est seminarium. Unde Galenus L. de cibis boni & mali succi, disertè affirmat: *Nemo morbo corripitur, qui accuratè cavet, ne in cruditates incidat.* Hoc autem temperantiâ & abstinentiâ obtinetur, pro cuius praxi, quaterna serviunt documenta, nempe ut exactè quantitas, qualitas, tempus & modus observetur.

1. *Quantitate* peccatur, cum plus alimenti ingeritur, quàm fames cupiat, quàm valetudo poscat, quàm stomachus commodè digerat: quo stomachus oneratur, calor fatigatur, succus digestivus obruitur; unde oritur cruditas, omnium morborum seminarium. 2. *Qualitate* offenditur, dum cibi naturâ suâ vitiosi, pingues, præfalsi, maligni, crassi, plùs æquo duri, & nimium aut calefacientes, aut refrigerantes in ventriculum dejiciuntur, ut sunt pepones, fungi, cucumeres aliâque gulæ irritamenta, non rarò inter se pugnancia: & hinc rursus mala digestio, & cruditas morborum omnium seminarium. 3. *Tempore* delinquitur, cum inter prandium & cœnam, justa temporis distantia non intercedit; & cibus, priore nondum concocto corpori ingeritur: atque ita cibi semiconcocti & recentis in stomacho fit commixtio, & inæqualis digestio: unde rursus oritur cruditas, omnium morborum seminarium. 4. *Modo* impingitur, dum cibum malè mandimus, & dentibus non bene commolimus. Hebdomade quavis non pauca hominum millia mortem immaturam oppetunt, qui ad plures annos vitam produxissent, sanitatèque conservâssent, si minùs properè & avidè cibum sumpssissent; si nunquam (ut cum

Plaute

Plauto loquamur) tubercinati fuissent: At quia id plurimi haud observant; vix quidquam mandunt, avariter ingerunt, celeriter vorant, iustar canis aut corvi bolos integros deglutunt; inde rursus cruditas nascitur, morborum omnium seminarium, & morbi, quibus mors sola mederi queat, nisi antè medeatur abstinentia.

Quare, manifestè cernimus, Charissimi, omnibus cruditatibus & quod inde sequitur morbis, antidotum præsentissimum præbere abstinentiam & temperantiam, quâ neglectâ morbos propullulare necesse est; ne id accadat, quantitatem, qualitatem, tempus & modum exactè observemus. Medicorum enim præscriptio est: *Digestio prima fiat in ore. Exquisite cibum commolere*, ait Cardanus L. 4. de tuenda valetud. *ad vitam longitudo plurimum confert, cibus non bene mansus cruditates, imbecillitates stomachi, obstructions, renum lapides parit.*

IV. A Medicorum aphorismis, ad rationem ipsam dilabimur, testimoniumque ejus veritati præbendum, requirimus. Testatur autem ipsa abstinentiam sanitatis, gulam adversæ valetudinis originem esse; illudque hoc argumento comprobatur ac stabilit. Omne agens agendo patitur: cernere id est ad oculum, in lima, quæ agit in ferrum, & particulas complures, Fabro ductus reciprocante, abradit, abradendòque paulatim ferro multum admittit; at non absque limæ agentis detrimento, quæ & sui aliquid amittit; atque ita demum agendo atteritur, ut amplius agere aut limare nequeat. Pari ratione cibus in stomachum descendit; hunc calor & succus, (ut Medici loquuntur) digestivus, excipit, subi-

git, coquit; verùm quoties id fit, utraque illa naturalis facultas sui aliquid perdit: quòd si autem cibus ipse durior, crassior, copiosior, aut malæ digestionis fit, stomachus supra modum patitur: nam calor naturalis, veluti inter ligna humentia ac viridia, suffocatur, digestivus enim succus succumbit, ceptumque laborem absolvi nequit. Atque hinc cruditas provenit, ex cruditate variorum morborum series, ut catarrhi, tussis, febres, colicæ, vertigines, tremores, capitis dolores, & omne morbi genus: atque ita tandem stomachus atteritur, ut vix ovum forbile digerere valeat. Quisquis igitur vires suas non vult atteri, quisquis morbos in corpore suo non vult generari, moderatam dietam diligat.

V. Ipsa denique experientia suffragatur prædictis, & omnia recensita, testimonio suo corroborat, ad oculum demonstrans, temperantiæ & frugalitatis amatores vitam sanam, longævamque percurrisse. Ecce enim primævi homines, Adam, Enos, Malaleel, Henoch, Mathusalem, ultra nongentos annos, vitæ suæ stadium protraxerunt? Nisi quia carne & vino abstinentes, ac solis leguminibus & terræ fructibus vescentes admirandam dietam observarunt. Nam *quia abstiniens est, adjiciet vitam*. Eccli. 37. Cur S. Joannes Evangelista ad annum centesimum, S. Simeon Hierosolymitanus Episcopus ad annum vicesimum supra centesimum, S. Dionysius ad annum centesimum primum, S. Jacobus minor ad annum ætatis sextum supra nonagesimum pervenit? Nisi admirandâ dietâ, jejunio & abstinentiâ? *Qui abstiniens*

V.
Experientia

IV.
Ratio ipsa.

stinens est, adjiciet vitam. Quâ viâ S. Simeon Stylites ætatem ad annum centesimum decimum; S. Paulus primus Eremita ad annum centesimum decimum tertium; S. Arlenius & Romualdus ad annum centesimum vicesimum, produxit, nisi diætâ, jejunio & abstinentiâ? *Qui abstinens est, adjiciet vitam.* Quâ vivendi methodo ad similem ferè vitæ metam pertigère Sancti Hieronymus, Augustinus, Paphnutius, Macarius, Franciscus de Paula nonagesimo ætatis anno è vivis sublatis, nisi diætâ, jejunio & abstinentiâ? Ipsi demum Medicorum Principes, Hippocrates & Galenus, quâ arte ille annum centesimum quartum, hic verò centesimum vicesimum vivendo assecutus fuit? Num epulando, potitando, helluando; an potiùs abstinendo, jejunando ac diætâ exactam observando? Sanè de Galeno constat, eum nihil crudi, nihil fructuum, aut pomorum comedisse, ac de mensa semper, non expletâ omnino fame, surrexisse; quod S. Hieronymus triduo jejunio præfert. Hippocrates quoque præceptionum suarum observantissimus, abstinentiâ & diætâ incredibili ad illud ævi pertigit. *Qui abstinens est, adjiciet vitam;* quam abdomini & gulæ addictus decurtabit: abstinentia enim sanitatis & longævitas mater est, crapula verò ejusdem hostis, & noverca.

Quocirca, Dilectissimi, cùm sanitas Religioso Societatis nobile sit cœlium, ingens thesaurus, ac magnum Dei donum; illam ope divinæ gratiæ, moderatâque curâ ac diligentia conservare studeamus; cùm verò recta diætâ, abstinentia & temperantia, præstantis-

simum sanitatis tuendæ medium, & pharmacum pharmacorum existat: ut allegata Verbi Divini oracula, SS. Patrum testimonia, Medicorum nobilissimorum Aphorismi & sententiæ, atque ipsa ratio & experientia comprobant: Nos à vitæ religiosæ primordio, ab ipso tirocinii principio, ad abstinentiam, temperantiam, diætâque exactam assuescimus; eandemque, renore constanti, semper observemus; potissimum dum suo tempore, cum proximis aliquando conversandum erit; illi enim ad copiosum subinde cibum & potum invitabunt, & amicâ violentiâ quodammodo cogent: sed nullâ vel invitatione, vel coactione, ad excessum nos seduci sinamus: blanditur voluptas, alluciat cibi potiusque suavitas; ferculorum varietas, sapor ac dulcedo orexin excitabit: verum nullâ delectatione, nullis gustûs illecebris, nos irretiri, & à temperantiæ limite abduci permittamus. Quin potiùs id, quod Ezechieli c. 4. à Deo præscriptum est; *Cibus tuus, quo vesceris, erit in pondere & mensura,* studiosè observemus: ita præmium in mensura & pondere correspondente, reportabimus: ita sanitatem tuebimur, morbos evademus, vitæ annos complures adjiciemus, tempusque nostrum, tempus meriti, tempus gratiæ, tempus bonorum operum, & laborum pro gloria Dei, animarum salute ac beata æternitate, feliciter, utiliterque protelabimus

* * *



REGULA XLVII.

DE LABORE ET EXERCITIO CORPORALI.

EXHORTATIO
IN EANDEM,

Laborem nimium dissuadet, moderatum suadet.

T H E M A.

Rationabile obsequium vestrum. Rom. c. 12. 1.

V E L :

*Vt non expedit, tanto labore quenquam onerari, ut spiritus ob-
ruatur, & corpus detrimentum patiatur; ita aliqua cor-
poralis exercitatio, quæ utrumque iuret, omnibus
communiter convenit.* Reg. 47.



Uemadmodum ab-
stinencia, præstans
sanitatis tuendæ præ-
sidium est, ut exhor-
tatione præcedente
exposuimus; ita &
corporis exercita-
tio, teste Medicorum Principe Hip-
pocrate L. 6. Epidem. Sec. 4. ubi in-
quit: *Exercitatio sanitas est, citra sa-
tietatem cibum sumere, & impigrum
esse ad laborem.* Duplici hoc medio
præservativo, quàm plurimi senectam
longævam fani & sospites attingere:

Hos inter cum primis memorandus
est Aurelianus Imperator, qui vitam
sanam, vegetamque, absque omni
medicinæ sumptione & venæ sectione,
ad annum sextum supra sexagesimum
protraxit, omnium pharmacorum lo-
co, indies horæspatio obambulando,
corpus exercens; & quot mensibus,
die integro, cibo potuque abstinens.
Anno 1650. Fabius Chisius, Nuntius
Apostolicus, ac postmodum Summus
Pontifex Alexandri VII. nomine in-
signitus, Aquisgrani super mensam
retulisse fertur, Urbani VIII. Ponti-
ficis

ficis Maximi, conscientiae arbitrum virum perquam obesum ac pinguem, morbos & symptomata sua, literis integri folii descripta, Doctori medico submisisse pro remedio; qui literis iisdem, tanquam optimam omnium medelam, inscripserit hæc duo antidota: *Minus comedes, amplius labora.* Præclara sanè ac præsentissima valetudinis conservandæ amuleta.

Cùm igitur exhortatione præcedente, de abstinentia egerimus, in præsentiarum, de labore tractabimus, ac nimium quidem obesse, moderatum verò prodesse, ac strenuè promovendum esse, ostendemus.

I.
Labor
nimius
dissuade-
tur.

I. Labor nimius, impetuofus, atque indiscretus à S. Ignatio hisce verbis dissuadetur: *Non expedit, tanto labore corporali, quæquam operari; ut spiritus obruatur & corpus detrimentum patiatur.* Reg. 17. Omne nimium vertitur in vitium: ait paræmia, moderata durant: omnibus in rebus, mensura est optima: quam olim quoque Moyfi servandam mandavit Dominus Levit. 19. *Statera justa, & æqua sint pondera, justus modius, æquusque sextarius.* Justam ejusmodi mensuram in laboribus & æqua ac proportionata viribus pondera, vera exigit discretio, ne & spiritui & corpori detrimentum accedat. Ad idem hortatur Apostolus Rom. c. 12. *Rationabile obsequium vestrum.* Id est, ut explanat S. Basilius in Reg. Brev. *Ut considerate, circumspicite, sanatione, relictoque consilio, divinam impleatis voluntatem, ut rationem ducem siquamini non animi impetum & libidinem.* Unde vi hujus consilii

Apostolici, nec non vi primæ partis Regulæ, duo nobis præcavenda veniunt, primò labor corporis nimius; ac deinde labor mentis indiscretus, quibus vel spiritus, vel corpus nocumentum incurrat.

Ratio 1. est, ne *spiritus obruatur.* Obruitur autem spiritus, dum totus in opere defixus, immerfus, & quodammodo absorptus, vix ad Deum, cælestiæque se erigere valet: dum instar talpæ, terrâ obrutæ, totus circa terrena occupatus defudat, more sæcularium; cùm probi Religiosi sit, per intentionem, gratiæ postulationem, operis oblationem ante, in & post opus, mentem ad Deum attollere. Corpus nobis à Deo Optimo Maximo concessum est, ut animæ famuletur, & in procuranda salute propria & aliena sit auxilio: non autem ut animam totam operibus externis demergat, atque ita defatiget & obruat, ut ipla propriis exercitiis fungi nequeat. Ne igitur totus labores: sed corpore occupato, libera mens quandoque in cælum evolet.

Ratio 2. *Ne corpus detrimentum patiat*ur: dum immodico laborandi æstu, aut nimium atteritur, aut læditur, aut ad alia opera bona inhabile redditur; ut ait S. Laurentius Justinianus L. de Sobriet. c. 4. *Dum plures justo, caro per inordinatos labores affligitur, etiam ab executione boni operis enervatur.* Quod nec expedit, nec licet: causa est, quia Religiosus, res est Deo consecrata, omnesque quos præsentem intueor, vel in spe & dispositione, ut Tyrones; vel in re, ut vobis obstricti,

DE
obstricti, no
nos obruimur
Deo pariter
ferre, fas no
ait S. Basili
lio, consilia
sunt; ut
& ejus vo
mus: at
obruimur
stamus,
ruar; ma
& corp
sacrilegi
dum de
quando
severita
Deus p
Dominu
habens
autem ra
timus,
ra suscip
stamus.
Quo
mini, q
mentum
ita se mi
dedant;
mittant.
vires l
memb
tanta p
nocum
impetu
stunt,
labores
propere
voluntat
atque i

obstricti, nos Deo in holocaustum totos obtulimus; ac proinde corpori, Deo pariter oblato, detrimentum inferre, fas non est; *quæcunque facimus*, ait S. Basilius, *sana ratione, recto consilio, consideratè & circumspèctè agenda sunt*; ut Deo rem gratam præstemus, & ejus voluntatem sanctam adimpleamus: atqui dum nimio labore corpus obruimus, nec rem Deo gratam præstamus, nec ejus voluntatem exequimur; majus enim bonum impedimus, & corpori damnum inferendo, quasi sacrilegium committimus, quemadmodum de se existimabat S. Bernardus, quando corpus suum, nimio rigore ac severitate tractando, læserat. An non Deus per Isaiam loquitur: c. 61. *Ego Dominus, diligens judicium, & odio habens rapinam in holocausto*: Tunc autem rapinam in holocausto committimus, cum per indiscretionem opera suscipimus, quibus corpus labefactamus.

Quosnam verò illos esse arbitrari, qui nimis laboribus sibi detrimentum afferunt? 1. Primi sunt, qui ita se nimis, indiscretisque laboribus dedunt; ut exercitia spiritualia prætermittant. 2. Qui ita se gravant ac supra vires laborando sese fatigant, ut membra levare nequeant; aut pondera tanta portanda suscipiunt, ut corpori nocumentum pariant. 3. Qui tanto impetu ac festinatione laboribus insistent, ut spiritum obruant. 4. Qui labores ab obedientia injunctos præproperè absolvunt; ut ad propriæ voluntatis opera citius revertant, atque in his, non absque perditio-

temporis & sanitatis, nimium abripi se sinunt. 5. Qui clam & furtivè, absque scitu & facultate Superioris, multa pro suis usibus deseribendo, caput affligunt pectusque lædunt. 6. Qui nimiam intentione, & absque relaxatione, ita assidue animi nervos intendunt; ut nec tempore mensæ, nec recreationis, nec exercitii corporalis, à mentis occupationibus feriantur. 7. Qui mox à mensa labores graviores subeunt. Quod S. Fundator in constit. p. 3. c. 2. §. 4. in declaratione cavendum monet, dum ait: *A p'andio præsertim in astate, per unius, vel duarum horarum spatium, permitti non debent, quo ad ejus fieri poterit, corporis aut mentis graviora exercitia. Si quid verò necessitas postulabit, id quantum poterit charitate erit & metiendum & moderandum. Id autem temporis in aliis levioribus exercitiis occupari poterit. Sed nec extra hujusmodi horas, labores nimium continuari, sine aliqua relaxatione, vel convenienti recreatione, debent.*

Quò itaque rationabile sit obsequium nostrum, nimias & corporis & mentis occupationes & labores caveamus, primamque regulæ partem rite expleamus; ut sanitatem, ac vires corporis ad Dei gloriam diutius promovendam, conservemus: ut enim habet Medicorum aphorismus: *Neque satietas, neque fames, neque aliud quidquam, quod natura modum excedit, bonum est.*

II. Veluti laborem immodicum regula improbat; ita moderatum comprobatur ac laudet: *Aliqua*, inquit, *corporalis*

poralis exercitatio, quæ utrumque jubet, omnibus communiter convenit, nam

1. Labor corporalis convenit corpori: corpus enim segne & otiosum, instar aquæ stagnantis, quasi computrescit ignavia; motum verò & exercitatum laboribus, sanitate jugi gaudet: dum cibus melius digeritur purior sanguis generatur, humores noxii & infalubres, labore & sudore discutuntur, & foras expelluntur. Veritati huic adstipulatorem primum habemus, ipsummet Platonem in Timæo ita scribentem: *Corporum habitus quiete & otio corrumpuntur, exercitiis & in tibus magnâ parte conservantur.* Alterum verò Galenum L. 2. de valetuenda sic differentem: *Sanitatis tutela à labore est auspicanda: exercitationibus enim firmitas mentis accedit, & naturalis calor accenditur, & ex attritu partium, duritia quadam comparatur.* Atque ut addit Hippocrates: *Articuli firmantur, & sanguis per totum corpus defertur.* Tertium testem adjungo Hieronymum Cardanum L. 4. de tuenda valetudine verè affirmantem: *Parcitate vitæ, exercitatione, animique latitâ, omnis vita humana constat: cetera sunt quadam additamenta, & parùm efficiunt.* Labor igitur cum primis corpus sanum vividumque reddit, & in vigore pristino conservat.

2. Convenit labor fessæ menti: hæc enim labore quodammodo remittitur, & instar arcûs tensi relaxatur, ut deinde alacrius studiis ac functionibus suis intendere valeat: ac proinde nemens & caput detrimenti, læsionisque periculum incurrat, jubet Regula ea

misceri ac variari; ita ut studiis ex officio vacantes, laborem, laboribus autem addicti, orationem, lectionemve piam, loco cujusdam quietis interponant: ut hæc ratione, alterum alteri optuletur.

3. Vel maximè labor spiritui convenit adjuvatque ad meritum & profectum virtutum. Nam 1. illo obtinetur augmentum obedientiæ, dum Dei ac Superiorum voluntas in eo adimpletur. 2. Acquiritur augmentum patientiæ, dum difficultates in eo occurrentes, Christi amore superantur. 3. Comparatur incrementum charitatis Dei & proximi; cui laborando servimus; eapropter V. Pater Balthasar Alvarez c. 7. vitæ dicere fuit solitus; proximorum necessitates, tanquam aurifodinas ditissimas reputandas esse, ex quibus animæ propriæ, meritis & virtutibus locupletarentur. 4. In primis verò confert plurimum ad incrementum humilitatis. 5. Dorotheus ferm. 2. refert senem quempiam à Fratre interrogatum, quid esset humilitas? respondisse: *Magnum opus esse, ac nescio quid divinum; vias verò humilitatis, labores corporeos esse, qui cum scientia fiant.* Rectè asseruit, cum scientia fiant: neque enim, eo modo, à Religiosis exantlandi sunt labores, quo à sæcularibus cocis, sartoribus, sutoribus, aliisve opificibus, peragantur; sed purâ intentione divinæ gloriæ, ex sincera Dei, proximique dilectione; pro satisfactione peccatorum, pro conversione animarum, pro refrigerio flammis purgantibus addictorum: atque hæc scientia, ac praxis intentionis, aliarumque

tumque rerum spiritualium, in tyrocinio comparanda est. Eiusdem sententiæ exitit S. Joannes Climacus gradu 25. de oper. Monach. c. 12. cum dixit: *Viam humilitatis & materiam esse corporales labores, sancti & semper memorandi Patres desierunt.* Nec dissentit S. Augustinus, asserens: *Superbia tumorem, operis labore sanari.* Quod & Spiritus sanctus insinuat Psalm. 106. *Humiliatum est in laboribus cor eorum.* Ratio est, quia ex frequentatis actibus nascitur habitus humilitatis: anima enim imbibit & disponitur ab iis, quæ geruntur in corpore, & ejus habitum sequitur: aliter enim (ut loquitur S. Dorotheus serm. 2.) disponitur, afficiturque anima infidentis a sino; aliter residentis in throno, aut equo phalerato; aliter pretiosis indumentis ornati, aliter pannosi & la-ceri

Ex quibus omnino patet, laborem moderatum, tam corpori, quam animæ, non exigua emolumenta accersere.

III. Unde ulterius rectè inferemus, ob tanta corporis, animæque commoda, è laboribus orta, iisdem strenuè incumbendum esse, non solum Novitiis Marthæ muniis addictis, verum etiam Scholasticis, dum pro nonnulla capitis laxatione, corporalia exercitia iis injunguntur; his enim merita sua, pro æternitate, augent & accumulatur; virtutum antedictarum cimelia sibi conquirunt; & Sanctorum vestigia legunt: nec, ut ut claro genere orti

sint, eos suam dedecere personam extingunt; aut orto ex illis rubore ac pudore suffundantur, sed illustrissimis Sanctorum exemplis excitati atque animati, singulari quadam alacritate ac dexteritate eos aggrediantur

1. Præluxit exemplo omnibus Salvator noster, qui non *Venit ministrari, sed ministrare; & in laboribus fuit à juventute sua.* 2. Magistri exemplum securi Apostoli, Petrus, Paulus & alii. De Fratibus Domini, Jacobo & Joanne refert Eusebius ex Hegesippo L. 1. Histor. c. 15. Eos ad Domitianum Imperatorem accersitos, tanquam ex Davidico, regiòque sanguine prognatos, quos extinguere omnino constituerat; cum verò manus ostenderent, partim callo obductas, partim ex labore mechanico laceras, eos ab omni rerum novarum suspitione immunes, & liberos dimissos esse. 3. Apostolorum vestigiis institère Viri Apostolici, Episcopi, ac Prælati Hos inter emicant S. Spiridion, qui ab episcopali cura liber, oves tantisper pascebat. S. Equitius Abbas, manibus propriis fœnum secabat, teste S. Gregorio L. 1. dial. c. 4. S. Malachias Episcopus in triclinio & culina fratribus serviebat, ac super mensam legendo, anagnosten agebat. Teste S. Bernardo in vita ejus. De Sancto quoque Bernardo vita perhibet, eum, Fratibus, labore alio occupatis, lignorum findendorum, ac terræ fodiendæ operam suscepisse, cumque peritiam & vires demetendi fruges non haberet, utriusque gratiam à Deo cum lacrymis petiisse

III.
Labor
non se-
gnis, sed
strenuè
commen-
datur.

atque obtinuisse, & ex illo tempore, de hac pericia cum quadam animi jucunditate gloriatum fuisse.

Tacemus brevitatis gratiâ, quàm plurimos alios, Nobiles, Comites, Principes, Reges, atque Imperatores, manuum labore strenuè sese occupantes; qui, exemplo suo, ad laborandum, pro gloria Dei, non segniter atque oscitanter; sed sedulò, pro sua quemque vocatione & officio, hortantur. *Tempus breve est*, inquit Apostolus. *Ergo dum tempus habemus, operemur bonum.* Ad Gal. 6. Sequetur brevi alia vita, sequetur æternitas infinita, in qua *unusquisque mercedem accipiet secundum suum laborem.* De omnibus talentis & gratiis, de omni tempore & hora, Deo reddenda erit ratio, quantum lucrati fuerimus: & qui legitimè certaverit & laboraverit, coronabitur; servus verò piger & inutilis, ligatis manibus & pedibus, mittetur in tenebras exteriores.

Quare, Dilectissimi, labores nimios, indiscretos, corpori, animæ ac spiritui noxios, secundum regulam,

omnino devitemus, laborem verò moderatum, & corpori & spiritui perquam utilem variarumque virtutum occasiones præbentem, libenti animo amplectamur. Sequamur exemplum Christi, SS. Apostolorum, aliorumque Sanctorum, & laboremus, non segniter & oscitanter, sed strenuè & alacriter, ut in brevi hoc vitæ tempore, magna multaque pro æternitate meritorum lucra comparemus. Operemur dum dies est, venit nox, quando nemo potest operari. Concludamus cum Severo Imperatore septuagenario, cujus jamjam morituri ultimæ magnæ ac tessera erat, *Laboremus. Regium est laborare*, ajebat Alexander Magnus. *Homo nascitur ad laborem, & avis ad volatum* Jobi c. 8. Ergo laboremus: ad hoc creati, ad hoc nati, ad hoc vocati sumus, ut in excolendo novali Domini laboremus: *Ego elegi vos*, inquit Dominus Joan. 15. *ut eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat.* Igitur ut fructum speratum afferamus, strenuè laboremus.





REGULA XLVIII.

DE OPERIBUS POENOSIS.

EXHORTATIO

IN EANDEM,

In operibus Pœnitentiæ discretionem, & modum adhibendum
esse ostendit.

THEMA.

Castigo corpus meum & in servitutem redigo. 1. Corinth. 9. 21.

VEL:

Corporis castigatio immoderata esse non debet. Reg. 48.

Inter alia anigmata, parabolas, proverbias, & dicta ingeniosa, quæ sapientissimus Regum Salomon protulit, celebratur & istud, quod Proverb. c. 30. 21. legimus: *Per tria movetur terra, & quartum non potest sustinere. Per servum, cum regnaverit; per stultum, cum saturatus fuerit cibo; per odiosam mulierem, cum in matrimonio fuerit assumpta; & per ancillam cum fuerit heres Domina sue.* Hæc sunt tria illa, per quæ movetur terra; id est, ut septuaginta Interpretes exponunt; Respublica aut domus commovetur, fremit, tremit, indignatur & conturbatur, si nimirum servus imperet Domino, stultus sapienti, uxor viro, ancilla domina, & si hæc (ut vertunt septuaginta) dominam domo expellat, & thorum thronumque conscendat: hoc quartum, ob indignitatem nimiam, terra sustinere nequit. Famulo enim debetur, ad labores sustinendos, sufficientis cibi, potusque provisio, non delicata tractatio: *Qui enim delicatè nutrit servum suum, sentiet eum contumacem.* Proverb. 29. Stulto concedenda simplex & parca alimonia; non cibi, vini que calidioris copia, ne oleum flammæ addatur & furere occipiat. Uxori honor debetur & amor, non regimen & im-

& imperium. Ancillæ competit sustentatio, nequaquam verò dominatio. In sensu mystico.

1. Famulus animæ est, carnalis appetitus, cui concedenda est sustentatio congrua; non verò permittenda in rationem, domini gubernacula. *Appetitus lege natura rationi subiectus est*, ait Ambrosius. 2. Corpus nostrum, instar stulti est, cui si nimium tribueris, illudque abundè saturaveris, quid nisi ejus petulantiam & furorem auxeris. *Saturatis germana proles est petulantia*, ait Philo L. de agric. 3. Caro nostra, est quasi conjux, spiritus est maritus. *In nobis*, ait idem Philo de opific. *quasi vir est mens, sensus quasi femina; cui non plus, quam decet, concedendum est*. Si spiritus nobilissimus carnem vilem, ad æqualitatem admiserit, aut dominari siverit, quæ pax sperari poterit? 4. Ancilla est sensualitas & cupiditas; ratio domina; jam verò, si, ut vertunt septuaginta, famula dominam domo ejecerit, quodnam malum huic conferri poterit? *Va nobis* ait B. Isaias Abbas serm. 29. *Quia princeps anima pars carni, qua ancilla est, servit; & pars deterior, imperat prastantiori*.

Quemadmodum igitur non est permittendum, servo, stulto, mulieri & ancillæ regimen & dominium; ita non est inferendum exitium: servum & ancillam, stultum & uxorem corripere licet ac corrigere; non perimere & necare; idem observandum est in castigatione corporis, carnis, appetitûs & sensualitatis. Quem igitur secundum prudentiæ ac discretionis regulas, in

vigiliis, jejuniis, aliisque voluntariis corporis pœnis, modum servare oporteat, præsens exhortatio declarabit.

I. Ordiamur à vigiliis, quas primo loco S. Fundator in Regula commemorat. Laudabile omnino est vigilare: ad quod vel ipse Redemptor nos excitat: *Vigilate, quia nescitis, quâ horâ Dominus vester venturus est*. Matth. c. 24. Hortatur quoque Apostolorum Princeps 1. Petri 5. *Fratres sobrii estote & vigilate*. Neque minùs in laudes vigiliarum excurrunt SS. Patres; instar omnium sit S. Chrysostomus serm. 23. asserens: *Vigilans ad omnia esse salutaris, nemo ignorat: plus vigilare, plus vivere est: nam quid morti similis, quam dormientis aspectus? Rex pervigil hostis præcavet insidias: miles nocturnos impetus, cautâ pernoctatione propellit: nauta vigilando in certas vias intrat: pastor adjungit noctes diebus, ne qua lupis grassandi in grege præbeat occasio: viator solers per auras noctis, astus Solis prævenit*. Laude igitur & utilitate non caret vigiliis insistere. Neque id sapientes Ethnicos fecellit: nam Cato de re rustica c. 5. hujusmodi legem villico sancit: *Primus cubitum surgat; postremus cubitum eat*. Homerus quoque illustre Vatum præcorum sidus Iliade 8. canit; eosque, qui à consiliis sunt, instruit: *Non dect totâ nocte dormire virum consiliarium, cui populi commissi, sunt, & tanta curanda sunt*. Vigilandum igitur est Superioribus, vigilandum subditis, vigilandum omnibus: bonum etenim est vigilare. At quando & quamdiu? vigilandum est, cum id necessitas postulat.

Vigilandum

I.
Modera-
tio cen-
tanda in
vigiliis.

Vigilandum
charitas req
gendum est
re obedienc
men, hac in
nimium ven
fect parcom
& tempus
ad annullu
Ignatius m
in vigiliis
discreta
rugiens,
quem de
vel seve
quem pia
rius abho
titur: si
ventem,
ctere con
indiscretis
sanitatem
Atque
cipue, fu
se transfig
suadere te
noctantis
est fallacia
Christus D
sanctæ co
stratagem
stra Nov
dum Sath
mate, luc
paruit, j
queque a
re. Un
elatus, ab
schedulis
exarat, r

Vigilandum est, cum id, apud infirmos charitas requirit. Vigilandum & sur-
gendum est, cum id matutino tempo-
re obedientia exigit: sed excessus ta-
men, hac in parte, evitandus est: omne
nimium vertitur in vitium, communis
fert parcemia. Est tempus dormiendi,
& tempus vigilandi; ntrumque verò
ad amissum obedientiæ: eapropter S.
Ignatius monet: *Ut corporis castigatio
in vigiliis, non sit immoderata, nec in-
discreta.* Diabolus enim tanquam leo
rugiens, diu nocturne circuit, quærens
quem devoret; & nimiam vellaxitate,
vel severitate destruat: dum enim
quem piam reperit, à pœnis volunta-
riis abhorrentem, horrorem augere ni-
titur: si ex adverso, ad eas cernat fer-
ventem, ad alterum extremum infle-
ctere conatur, ut vigiliis, pœnisque
indiscretis, vires plus æquo atterat, &
sanitatem penitus pessundet.

Atque ut incautis, Tyronibus præ-
cipuè, fucum faciat, in Angelum lucis
se transfiguratur; & vigilias nimias per-
suadere tentat, Christi in oratione per-
noctantis exemplo. Math. 14. At sub-
est fallacia, & impostura: nihil enim
Christus Dominus noster, obedientiæ
sanctæ contrarium geri desiderat. Hoc
stratagemate quidam Societatis no-
stræ Novitius in fraudem inductus fuit,
dum Sathanas, sub Angeli boni sche-
mate, luce ingenti coruscus, eidem ap-
paruit, jubens eum è strato surgere,
quæque ad calamum dictaret, excipe-
re. Unde juvenis ille, in superbiam
elatus, alios præ se despexit. Verùm
schedulis, quas dictante Cacodæmone
exararat, repertis, rem totam Tyronum

Magistro detegere coactus est; jussusque
in faciem Angeli talis sputa jacere, quo
facto, ab hujusmodi apparitionibus
liber extitit; & dormiendo obedit.
Alius è nostra Rheni interioris Pro-
vincia Sacerdos, quem novimus, Ec-
clesiastes insignis, neque minus fervore
spiritus, quam eruditione præstans, eò
fervoris se abripi sivit, ut omni noctis
horâ evigilare, & in actum amoris Di-
vini & laudis erumpere studuerit, at
nimiam vigiliam, in mentis delirium incidit.
Rectè igitur monet S. Ignatius, ut cor-
poris castigatio, in vigiliis, immoderata
non sit, ne corpori æquè ac spiritui no-
cumentum adferat.

II. Altera corporis domandi, casti-
gandique ratio, quâ excessus com-
mitti amat, est abstinentia & jejunium.
Quæ tum in Divinis codicibus, tum
Patrum sanctorum voluminibus, ma-
gnis, multisque præconiis celebrantur.
Bona est oratio cum jejunio, ajebat To-
biæ Raphael. *Sanctificate jejunium,* cla-
mat Propheta Joel. De quo S. Hiero-
nymus ad Demetriadem, scribit: *Je-
junium non solum est perfecta virtus;
sed & ceterarum virtutum fundamen-
tum, & sanctificatio, & pudicitia, atque
prudentia; sine qua nemo videbit Deum.*
Nec dissentit S. Ambrosius serm. de
Quadrag. *Fames, inquit, amica est vir-
ginitati; inimica lascivia: saturitas ve-
ro prodigit castitatem, nutrit illecebram.*
Nec cessant à jejunii laudibus alii Do-
ctores sancti: S. Chrysostomus hæc
illud verbis deprædicat: *Jejunium est
alimentum anima.* S. Basilius; *Jejuni-
um est similitudo hominum cum Ange-
lis.* S. Augustinus: *Jejunium purgat
mentem*

II.
In jejuniis

mentem, subleuat sensum, carnem spiritui subicit, cor contritum facit & humiliatum, concupiscentia maculas dispergit. S. Athanasius denique ait: *Jejunium morbos sanat, distillationes exsiccatur, demones fugat.* Atque ut verbo complectamur omnia, jejunium & abstinentia, nullis encomiis sat queunt deprædicari: quæ dum necessitas postulat, utilitas suadet, Ecclesia præcipit, aut obedientia injungit, libenti, promptoque animo suscipienda sunt; ob ingentia, quæ, ut meminimus, pariunt emolumenta.

Verum enim vero, valet & hoc loci tritum adagium: *Ne quid nimis.* Et, *Est modus in rebus*; sunt certi denique fines, quos ultra, citraque nequit consistere rectum. Idem sacri Codices, qui jejunium extollunt, simul rationabile obsequium nostrum volunt: Idem sancti Patres, qui jejunium & abstinentiam deprædicant, moderationem unà inculcant, excessum castigant. Audiamus primo loco S. Fulgentium Epist. 3. ad Probam hæc scribentem: *Jejuniis sic est adhibenda temperies, ut corpus nostrum nec saturitas excitet, nec inedia immoderata debilitet.* Anscultemus deinde S. Gregorium M. L. 19. Moral. *Ex studio arcus distenditur; ut in suo tempore, cum utilitate, tendatur: qui si otium relaxatio: is non accipit, faciendi virtutem, ipso usu tensionis, perdit.* Et L. 1. Moral. c. 13. *Chorda in cibaria si unius tenditur, non sonat; si amplius, raurum sonat.* Simile quid evenit in abstinentia: moxque subjungit: *Per abstinentiam quippe, carnis vitia extinguenda sunt, non caro.*

Denique S. Basilium monentem (L. de Virg.) non prætereamus: *Ne, inquit ille, declines ad dexteram, neque ad sinistram; extrema enim quæcumque, ut quidam sapiens dixit; perniciosæ sunt.* Medium igitur tenendum est, jejuniumque moderatum suadendum & amplectendum.

Sed, hoc loco, fortassis nonnemo, exempla sanctorum perquam rigida & modum excedentia jejunia observasse oggeret; & vel ipsius S. Ignatii exemplam, à regula præsentis discrepans, objiciet. Verum, quisquis hæc obmoverit, sciat, Deum sanctos ad stупenda nonnunquam excitasse jejunia, ut nobis essent & pœnitentiæ specula, & vanæ gloriæ antidota; dum perpendimus, quàm modicum, illorum comparatione, præstemus: ac proinde dum ista legimus, admiranda potius, quàm imitanda esse sciamus. Quis enim non obstupescat rigorem abstinentiæ, à S. Ignatio, initio conversionis suæ, adhibitum? fuit enim jejunium ejus continuum, & quotidianum, si dominicum diem duntaxat exceperis, quo à mensa sacra, modicum oleis cinere conspersi, prandii nomine, sumebat: reliquis verò diebus, cibus omnis fuit frustum panis secundarii, mendicatio collecti, & aquæ scyphus, idque semel in die. Deinde cibo sæpius, triduum aut quatrimum abstinebat, ac vice quadam jejunium à Sabbatho ad Sabbathum protraxit, nè panis quidem micæ, aut aquæ stilla admittat: quâ de causâ, præter vires penitus attritas & prostratas, torquebatur stomachi cruciatu perpetuo, linquebatur animo sæpius, ac

ac sensibus d
putabatur;
quot sine pu
nalis, vix
mentis &
cibo refo
4. Quis
dum exc
cretionis
Dei influi
esse con
& Patri
P. Petru
nati pri
em lex
ad octa
rellecta
to, S. I
corpus
mandat
quodque
se jejun
unde S.
agrè tul
exiguo
que ferè
rallè, ac
te, necess
In par
tanti rig
Pater in
illus de
junia r
nocum
impedi
cessum
à recto t
tiz nutu
bitis ap
III.
la opesi
III.

ac sensibus destitutus, pro mortuo reputabatur; jactitque semel, dies aliquot sine pulsu, flatuque, mortuo similis, vix tandem piorum hominum fomentis & medicamentis suscitatus, & cibo refocillatus. *Tannerus in vita pag. 4.* Quis non censeret irum S. modum excessisse, & moderationis, discretiónisque limites transiisse, nisi, Dei instinctu, sanctos multa operatos esse constaret? Hujus jejunii rigorem & Patris exemplum, sectari voluit R. P. Petrus Faber, unus è denis S. Ignatii primis Sociis; jamque eum in diem sextum produxerat, etiam usque ad octavum continuaturus, nisi, re intellectâ, Deoque per preces consulto, S. Pater, abrumpendum, ciboque corpus debilitatum, refocillandum mandâisset. *Tannerus in vita.* Visus quodque nonnullis est modum excessisse jejunando S. Carolus Borromæus: unde S. Philippus Nerijs ejus coævus, agrè tulit hunc Virum sanctum, cibo exiguo, & extraordinarijs, inauditisque ferè alijs jejunijs, vitam sibi decurrâsse, adeò Dei Ecclesiæ, istâ tempestate, necessarium.

In paucis hodie dum periculum est tanti rigoris excessûs, eumque vetat S. Pater in Regula; quâ rationem quoque illius depromit, dum ait: hujusmodi jejunia modum excedentia, & sanitati nocumentum asserre, & majora bona impedire solere: quare ne sive per excessum, sive per defectum, deviemus à recto tramite, sequendus est obedientiæ nutus, réque tota conscientiæ arbitris aperienda.

ris genus est, cilicium, flagellum, dura cubatio, aliâque ad corpus domandum adhibita instrumenta: quæ laude digna, & omnibus propè sanctis usitata fuere. Patriarcha Jacob, audiens filium suum JOSEPH occisum, tunicamque conspiciens, scidit vestimenta sua, in signum doloris, & *indutus est cilicio.* Gen. 37. 14. Atque ita primus ipse exitit, qui cilicium iaduisse legitur: quod postmodum ejus posteris Israëlita, in luctu, imitati sunt. Idem à Juditha & Rege Davide in luctu & pœnitentia usurpatum fuisse, sacrae paginæ testantur. Hac de causa vestis, primorum Christianorum pœnitentium, erat cilicium, teste Tertulliano L. de pœnit. S. Hilarion, ut refert Hieronymus, aspero cilicio, è palmæ foliis contexto, corpus domabat. S. Simeon Stylites, octoginta annis, in columna per diem & pernox consistens, indutus erat cilicio, auctore Theodoro. Pari modo, alii ascetæ, Monachi & eremi incolæ, pœnitentes, se cilicijs armabant, testibus Palladio, Climaco, & Theodoro. S. Martinus Episcopus in cilicio & cinere, spiritum exhalare voluit, asserens, *haud decere Christianum, nisi in cilicio & cinere mori.* Nec his celsere illustres ac teneræ Virgines & Matronæ, Reginæ, Duces, Comites, Nobiles: in quibus emicant S. Margaretha Hungariæ Regis filia, S. Hedviggis Ducissa Poloniæ, S. Clara, S. Cæcilia, S. Radegundis Francorum Regina, S. Cunegundis Imperatrix, aliarque sexcentæ.

Alii sancti ac perfectionis cupidi, hostesque amoris proprii, corpus
Kkkk 2 suum,

III.

In operi-

III. Tertium castigationis corpo-

suum, ad sanguinis profusionem flagellis cæcidere; ut tum aliorum Sanctorum, tum nostrorum vitæ conscriptæ perhibent. S. Ignatius, teste Tannero l. c. sub vitæ melioris exordium, cilicium asperum nunquam corpore deponebat, ferreâ catenâ sese incingebat, indies corpus flagellabat, & interdum quinis, ternis interdum vicibus carenula ferreâ se cædebat. S. Franciscus Borgias è Gandiæ Duce, Societati nostræ adscriptus, operibus pœnosis, rigore tanto, in se desæviebat, ut illi frater Michael Marcus inspector dari debuerit, cui, ne excederet, obedi- ret. *Tannerus pag. 127.* R. P. Gaspar Azebedius Societatis nostræ Sacerdos, & flagellis in se animadvertibat, & cilicio hispido utebatur, intar sacci aut vestis usque ad talos protensæ, quod à morte in eo repertum, tam hisfutum, terrificumque fuit; ut omnibus intuentibus horrorem moverit, demirantibus, qui homo exsanguis, & jejuniis confectus, tanto rigori sufficere potuerit. *Tann. p. 106.*

Charissimi, omnes hujusmodi asperitates, utique Spiritu sancto inspirante, susceptæ à Sanctis, laudem suam merentur; & nobis admiranda potius, quàm imitanda proponuntur; nobis enim, tanquam, qui fragiles ac debiles sumus, tenendus est modus, & sequendus obedientiæ nutus, quò excessus evitetur. Consuevit diabolus ejusmodi corporis afflictionibus tentare Tyrones, maximè ferventiores eosque præcipuè, qui vitam sæcularem in vitis traduxere, persuadet enim iis, hand posse pro peccatis commissis Deo

fieri satis nisi corporeis castigationibus. Verùm sub specie pœnitentiæ lateat fraus maligna & fascino Cacodæmonis, nihil aliud molientis, nisi ut hominis valetudinem pessundet, vires prosternat, atque ita majus bonum, scilicet emolumentum proximorum sufflaminet. Nascitur inde & hoc incommodum, quòd rigore nimio attritus, & aliorum opem, & majorem sui indulgentiam postulet. Accedit denique error rudium & crassioris ingenii, existimantium interdum, se corporis pœnis voluntariis, peccatorum veniam consecuturos, quæ præ rubore exhomologesi expiare & aperire noluerunt; cujus rei exempla, etiam in Societate, in Laicis coadjutoribus, extitère.

Quare ne limites discretionis excedamus, Regulâ præsentè S. Ignatius remedium universale, in his omnibus, constituit; obedientiam scilicet Spiritus Directori, aut conscientiæ arbitro exhibendam, qui discretionis dono pollens, pro Regula communi teneri debeat.

Quæ cum ita sint, Dilectissimi, opera pœnitentiæ, à Sanctis passim de prædicata & usurpata, in vigiliis, jejuniis, aliisque castigationibus, nos nequam negligamus, aut amore proprio excæcati, oblivioni tradamus. Cavendum tamen nobis est, ne moderationis terminos transiliendo, hac in parte excessum committamus, majusque bonum, pro salute proximi præstandum, impediamus. Servus, & ancilla nec delicatè tractandi, ne rebellent, nec perimendi, aut ita debilitandi, ac frangendi, ut labores usitatos obire nequeant.

queant i Du
das, Spiritu
egrum suis co
tam volent
tilia verò
de corpore
sed ejus à
ut glorif
Cui con
Mellitum
birat, ai
quam da
REGI

D
I


Ho
Egrit
entiam
gant



ex adver

queant: *Docendus est*, inquit S. Bernardus, *Novitius, sic habere corpus suum, sicut agrum sibi commendatum; cui etiam multum volenti, inutilia neganda sunt, utilia verò etiam volenti ingerenda: sic de corpore suo agere, sicut de non suo; sed ejus à quo presio magno empti sumus, ut glorificemus eum in corpore nostro. Cui consonat, quod idem Doctor Mellissus serm. 10. in Psal. Qui habitat, ait: Diligat anima carnem, tanquam datam in adjutorium, & ad a-*

terna beatitudinis consortium preparatam: quibus verbis castigationem debitam non prohibet; persecutionem tamen nimiam minime permittit; quando adjutorem non odisse; sed amare & fovere in iis, quæ contra Deum non sunt, solemus atque debemus. Sequamur itaque obedientiæ ductum, & nec ad dexteram, nec ad sinistram declinabimus, sed medium tenebimus, & discretionis metam feliciter attingemus.



REGULA XLIX.

DE OBEDIENTIA TEMPORE MORBI.

EXHORTATIO I.

IN EANDEM,

Necessariam in morbis esse obedientiam, probat.

T H E M A.

Honora Medicum, propter necessitatem. Eccli. 38. 1.

V E L:

Ægritudinis tempore, non solum observare unusquisque obedientiam debet, erga Superiores spirituales; ut ipsius animam regant: sed etiam erga Medicos corporales, & Infirmarios, ut corpus ejus regant. Reg. 49.



Orbus virtutum officina & schola est, teste S. Ambrosio, in hac schola discipulus est, quisquis æger est: quemadmodum

ex adverso sanitas non paucis schola

vitiorum est; quos enim, dum sanitate gaudent, genio suo indulgent; epulantur, debacchantur, pergræcantur; qui si morbo attingerentur, rectè agerent, sobrietatem colerent, nec non temperantiæ leges observarent. In-

Kkkk 3 firmitas

firmitas gravis sobriam facit animam.
 Eccli c. 31. 2. Quot, dum infirmo sunt
 corporè, castè degant; qui viribus re-
 cuperatis, in pristinas libidinum sor-
 des revolvuntur? an non igitur hi tu-
 tius è morbo decumberent, quibus a-
 deò periculosa ac pestilens sanitas? quot
 mortales, dum viribus sunt integris,
 sexcentis curis, negotiisque profanis
 intricantur, dum interim de æterna
 animæ salute, cogitatio nulla. Dum
 verò eos providentia Divina compin-
 git in lecto, morbùmque velut moni-
 torem immitit, saniora agitant de cæ-
 lo & æternitate consilia. *Anima mor-
 bo affecta, Deo propinqua*, ait S. Gre-
 gorius Nazianzenus Orat. ad cives.
 Verè igitur morbus, virtutum ludus &
 palæstra est. Quamam verò in hoc
 Gymnasio virtutes doceantur, aut re-
 quirantur, S. Ignatius reg. 49. & 50.
 depromit: in illa solam proponit obe-
 dientiam, in hac humilitatem, patien-
 tiam, resignationem & ædificationem
 aliorum. Ac proinde in hac exhorta-
 tione obedientiam exponemus, in
 sequente ad virtutes reliquas digre-
 diemur.

I.
 Obedien-
 dum me-
 dico spi-
 rituali.

I. Ut discipulus in schola progres-
 sum, in studiis, scientiisque faciat, ante
 omnia necessaria est obedientia: alio-
 quin actum ager, & in cassum erunt
 omnia: si enim Magister jubeat lin-
 guam compescere, & indicat silenti-
 um: discipulus verò indefinenter fabu-
 las misceat: si Magister jubeat penum
 injunctum componere, lectiones me-
 moriæ mandare, & explicationi aures
 attentas præbere; discipulus verò nu-
 gastractet, & omnia aka agat; nun-

quam in literis proficiet. Pari ratio-
 ne, in morbo, tanquam in Gymnasio
 primum locum obtinet obedientia. Et
 hæc quidem, ut monet S. Ignatius in
 regula, primum exhibenda est Medi-
 cis spiritualibus, ut animam regant;
 cujusmodi sunt, Prælati ac Superiores,
 Patres spirituales ac conscientia dire-
 ctiores, quibus animæ morbos & in-
 firmitates, nempe vitia, passionis, &
 peccata, ex officio curare incumbit.
 His igitur obediendum est, idque tan-
 to magis, ut ait Rabanus, quanto ani-
 ma præcellit corpori, atque salus æter-
 na, quam confert Medicus spiritualis,
 præstantior est, sanitate corporali,
 modico tempore duraturâ, quam
 confert medicus corporalis. Hæc
 enim ratione obtemperamus Christo
 Domino, Medicorum Medico & su-
 premo Archiatro; dicenti: *Qui vos au-
 dit, me audit; qui vos spernit, me spernit.*
 Lucæ c. 10. 16. & verò cælestis ille me-
 dicus nostram perspicuens subjectionem
 & obedientiam, melius nos quo-
 ad corpus & animam gubernabit, cu-
 rabitque: qui tanto nos amore com-
 plectitur, ut theriacam præstantissi-
 mam, in omnium morborum & pa-
 roxyssorum nostrorum medelam,
 non aliunde, quam ex sanguine suo
 pretioso confecit, quam nobis indies
 exhibet in SS. Eucharistiæ mysterio,
 cæterisque Sacramentis. *Ipsius enim li-
 vore sanati sumus.* Ut loquitur S. Pe-
 trus Epist. 1. c. 2. 24. Et Isaias c. 53.
 4. Atque ex eo S. Matthæus c. 8. 17.
*Verè languores nostros ipse tulit; & dolo-
 res nostros ipse portavit.* Nimirum ipse
 verus est Samaritanus, qui primum
 hominem

hominem,
 bus interna
 ac spoliato
 sanavit.
 rus Sama-
 per Super
 quòque
 præstare
 ab eo a
 curabim
 His
 firmus
 gen du
 Ut Sac
 rum ca
 termin
 faciat
 tus, live
 tus sac
 vis ac D
 non in
 junium
 mandu
 conscie
 fin de
 tar; ut
 premâ,
 aut non
 aperueri
 cogitan
 ulque a
 eò usqu
 direxit
 tate no
 necessit
 rum,
 infirmi
 niar.
 Lucul
 præbet

hominem, ejusque posteros, à latronibus infernalibus ad mortem vulneratos ac spoliatos, oleo & vino gratiæ suæ sanavit. Lucæ c. 10. 34. Hic autem verus Samaritanus & cælestis Medicus, per Superiores nos regit, curat, sanat, quòque eis obedientiam exactiorem præstiterimus, eò melius, felicitusque ab eo adjuvabimur, dirigemur atque curabimur.

His ergo Medicis spiritualibus, infirmus penitus se submittat, ac dirigendum tradat; & securuserit, v. g. Ut Sacerdos infirmus pensum horarum canonicarum persolvat, aut intermitat: ut ad aram faciat, aut non faciat; ut sacerdotio nondum initiatus, sive scholasticus, sive laicus, ægrotus sacrosancto Missæ Sacrificio, festivis ac Dominicis diebus, intersit, aut non intersit; ut diebus esurialibus jejunium servet, aut non servet; carnes manducet, aut non manducet: vel si conscientiam angatur, ut exhomologesin de tota vita repetat, aut non repetat; ut viatico sacro, unctioneque supremâ, ad ultimam luctam muniatur, aut non muniatur, ubi statum suum aperuerit, acquiescendum est omnino, cogitandumque, Deum O. M. qui usque ad vitæ terminum, vel saltem eò usque suaviter eum per Superiores direxit, in præsentis quoque necessitate non derelicturum; quin potius in necessitate graviore, plus opis allaturum, ipsisque inspiraturum, quid infirmi salutis, & incolumitati conveniat.

Luculentum hujus rei exemplum præbet Sacerdos quidam de Socie-

tate, Oenipotenti in Tirolis, Collegii ministrum agens: qui cum, multis annis, hâc tentatione vexatus fuisset, tanquam si non esset in gratia Dei; & nihilominus, obedientiæ jussu sacrificium missæ celebrasset, more Societatis: paulò ante mortem admirandam cum dæmone luctam sustinuit, ingereunte, ipsum gratiæ divinæ expertem vixisse, adeoque perperam Sacrum peregrisse ac divinis abusum fuisse. Ipse verò Pater se obedientiæ paruisse respondit: ac spe animum firmante, dimidiâ circiter ante obitum horâ lumine & solatio divino perfusus exclamavit: *Vicinus, vicinus*: tandemque placidè ac piè in Domino obdormivit.

Obediamus igitur & nos, uti in vita reliqua; ita in morbo, Superioribus & animarum nostrarum Rectoribus: hâc viâ, ab ipso Christo, animarum & corporum nostrorum medico peritissimo atque expertissimo, tutius certiusque regemur, atque de dæmone victoriam reportabimus.

II. Obediendum præterea est medicis etiam corporalibus, ut corpus regant ac curent. Spiritus Sanctus per os Ecclesiastici c. 38. 1. monet: *Honora medicum, propter necessitatem.* Honor autem in Divinis Scripturis, tria significat; reverentiam, obedientiam, ac sustentationem. Ita filii jubentur honorare parentes, quia eos revereri, eis obedire, & si indigerint, sustentare tenentur. Triplex hic honor; similè ratione, medico debetur. *Honora Medicum* Id est, advoca, consule, reverere; deinde ejus consilia & præscripta magnè

II.
Obediendum medico corporali.

magni æstima & amplectere, denique laboris stipendium eidem persolve, *Propter necessitatem*: nam ad morbos curandos necessaria est Medici perita industria, utpote morbi naturam, ejusque remedia, infirmo ignota, calientis. Quemadmodum enim vestibus conficiendis sartor, calceis consuendis futor, cibis ritè coquendis magirus est necessarius: ita ad morbum explorandum, medicamenta, diætámque præscribenda necessarius est medicus: cuique enim in sua arte credendum est: quod, si infirmitate pressus neglexeris, ejusve ordinationibus non obtemperaveris, evenire poterit, ut in morbum lethalem & incurabilem incidas, ipsiusque mortis fauces incurras.

Deinde *Propter necessitatem*, Textus græcus habet *Propter utilitatem*. Τιμὰ ἰατρῶν, πρὸς τὰς χρείας. Honora Medicum ad, seu propter utilitates. Ex obedientia enim Medico exhibita variorum utilitates proveniunt. 1. Æger Medico obtemperans in lucris reponit meritum obedientiæ. 2. Deo obsequitur, illique rem gratam præstat: *Etenim illum creavit Altissimus* Eccli. c. 38. sanxitque & instituit, ut Medici operâ in necessitate utamur; eum in finem tot medicamina creavit, & herbis, plantis, succis, metallis, gemmis, mineralibusque, tot tamque salutaris & admirandas virtutes indidit, ad medelam scilicet hominum. 3. Vel ipsa comprobata experientia; pharmacorum virtute, complures sanitati pristinae reddi, dolorum acerbiter leniri, & de vita periclitantes, mortis faucibus eripi. 4. Tametsi Medicus

imperitiâ & ignorantia sua aberrans, medicamenta incongrua adhiberet, Deus tamen O.M. omnia in obedientis emolumentum novit convertere: quemadmodum enim ipse masâ ficum, Isaia jussu, in cataplasma redactâ, & vulnere Ezechiæ Regis impositâ, Regem potuit curare, licet aliâ obfutura, vulnerique nocivâ. *Isaia c. 38.* Et sicut ipse luto, oculis imposito, aliâ visui noxio, visum cæco restituere novit: ita pariter idem ille Deus, si voluerit, etiam pharmacis inconvenientibus, infirmum restituere poterit; *A Deo enim est omnis medela.* Eccli. 38. 2. 5. Aut si fortè Divina bonitas sanitatem ægro reddere noluerit: mors felix ac beata eidem eveniet, à Deo ad salutem ordinata; cum alioquin convalescitur, diutiusque vitam protrahitur prævidet, eventura damnationis aternæ pericula.

Illustre æquè ac mirabile obedientiæ Medico exhibitæ exemplum recenset P. Massæus L. 3. vitæ c. 7. de S. Fundatore nostro Ignatio, qui ita Medicis parebat, ut verba eorum pro oraculis duceret, & omnem prudentiam deposuisset, ac curam omnem in eum projecisset videretur. Cum stomacho gravissimè laboraret aliquando, ex nimio videlicet hepatis calore, adhibitus Medicus, quo Domus utebatur, juvenis, nec peritissimus; qui frigida corporis constitutioni causam illico attribuit; nec mora, quidquid excogitare potuit ad corpus & præcordia calefacienda, præscripsit: fenestras, forasque cubiculi bene obserari iussit; deinde languentem multâ veste cooperire

cooperire sese, postremò, quàm calidissimo cibatu, & exiguo mero; sed quàm austerissimo refici. Quæ omnia Ignatius licèt sibi, non levibus argumentis, minimè accommodata sentiret, & Medicum non peritissimum esse nõsset; tamen ne cum extremo quidem vitæ periculo, contra ejus edicta, quicquam effatus est. Ætas erat summa, calores in Urbe maximi, ingenti stomachus pondere premebatur, manabat è corpore & membris omnibus tanta sudoris copia, ut culcitrae ac vestes maderent: & tamen ex præcepto, intra calida fomenta, se continebat ægrotus; ardebat siti, sed nihil omnino refrigerans poscebat; discruciebatur doloribus acerbissimis, sed nullam vocem edebat; linquebatur animo interdum, nec id indicabat; donec Patres periculum advertentes, admonuère Alexandrum Petronium Medicum excellentem, qui audiens, cernensque hæc omnia, & modum malè procedendi, vociferatus est, hominem calore necari, pandi mox fenestras jussit, frigidaè haustum affatim dari præcepit, atque ita S. Pater obedientiaè merito auctus, pristinam sanitatem recuperavit.

Idem Doctor Petronius, cum S. Ignatius quadragesimam, quamvis affato corpusculo, perseveranter servasset, feriâ quartâ sanctioris hebdomadae feбри correptus est. Nec dubitavit idem Medicus, totum id ex infirmitate ortum nimiam; quocirca pulli gallinacei esum, circa vesperum illi præscripsit, abijtque incertus, an id facturus esset Ignatius. Altero die redux

quæsit, num factum? responsumque ita. Tum Medicus: Plures qui quadragesimam non servarunt, hoc tempore incidunt in morbum, quibus ego carnis esum præscripsi, sed nimis grande id piaculum putant, hoc tempore edere: tu verò, qui totam fere quadragesimam ad finem servasti, tamen edisti carnes: hoc ego miror. Tum S. Pater serenâ facie: *Atqui obediendum est.* Nec plura. Mirificè hoc dicto delectatus Medicus, magis sanctitatem Viri suspexit.

Idem & nos dicamus, Charissimi, in quovis morbo: *Obediendum est.* Medicus jussit: obtemperandum est. Difficile, quod imperatum est, accidit: sed parendum est.

III. Obedientia denique vi hujus regulæ præstanda est *Infirmariis*, ut corpus infirmi regant. Infirmariorum verò nomine I. Intelligimus Præfectum sanitatis, quem communiter in Collegiis domibive professis agit Minister, in tyrocinio Socius Magistri, à quibus Infirmarii inferiores diriguntur, & ad quos in rebus majoris momenti recurrunt. Hi autem Infirmarii plerumque sunt Laici, aut saltem non Sacerdotes, quibus proinde obedientiam exhibere majoris est meriti, deinde sanitatis Præfectus, cum non semper adsit, nec in omnibus particularibus infirmum dirigat; sed multa minuta Infirmarii charitati & discretioni relinquunt, & huic obediendum est. Tertio ordinariè non sanitatis Præfectus, sed Infirmarius, medicamenta, cibum, potum, & id genus alia porrigit, in quibus sumendis æger

III.
Obedien-
dum In-
firmario.

interdum se difficilem præbet, quandoque nociva sibi danda postulat, aut saltem eo tempore, quo nocumentum alatura essent. Itaque si præscripta à Medico Infirmarius præbeat, acceptanda sunt ex obedientia; si non præbeat, relinquenda: si potum neget, dum negare oportet, exercenda est patientiæ juncta obedientia, si è strato surgere non permittat, cum non oportet surgere, acquiescendum est ex obedientia, atque ita de cæteris.

Possent tamen interdum contingere, à sanitatis Præfecto atque Infirmario, Medici mentem de tempore, modove pharmaca sumendi, haud rectè percipi, errorèmq; admitti, & infirmum fortè vitæ periculo objici: verùm si id infirmo constet, ei licebit id ipsis proponere, ac rogare, ut Superiorem aut Medicum consulant, num eâ ratione procedendum judicet; in periculo præsertim morbi vel vitæ graviore. At si non liqueret eorum error, æger obediendo securus erit, etiamsi per errorem mortem oppeteret: foret enim obediens usque ad mortem, & obedientiæ victima: si verò Deo placeret, errorem eorum corrigere, ejus id foret singulare beneficium. Atque hæc ra-

tione, animo constituti cum Apostolo asserere valemus: *Sive vivimus, sive morimur, Domini sumus.* Rom. 14.

Quocirca, Dilectissimi, non sanitatis tantum, verùm etiam valetudinis adversæ tempore, obedientiæ virtutem nobilissimam exerceamus. 1. Erga Superiores, ut animas nostras dirigant & curent. 2. Erga Medicos & 3. Erga Infirmarios, ut corpora nostra sanitati restituant. Hoc pacto Deo Domino nostro ipsi obedientiam præstabimus, meritis nostris cumulum ingentem adjiciemus, & Dei dispositione singulari, sive sanitatem recuperemus, sive non, sive vivamus, sive moriamur, omnia in bonum & emolumentum nostrum cedent: obedientibus enim, Deumque diligentibus, omnia in bonum cooperantur; & obediens mori non potest, ut refert Climacus grad. 4. de obed. de Aethatio, in obedientiæ virtute mirè exercitato, qui cum post mortem è sepulchro à sene quopiam evocaretur, rogareturque, num mortuus esset, respondit: *Obediens mori nequit.* Obediamus igitur & mortem non videbimus, sed vitam æternam in cælis adipiscemur



lus dolores suos percipit, dùmque illos, exemplo Christi, cum humilitate, patientia ac resignatione tolerat, circumstantes ædificat, atque ad æmulationem provocat.

Quo autem pacto, in solitudine morbi, nos Religiosi, humilitatis & patientiæ exemplis alios ædificare debeamus, jamjam dilucidabimus.

I
Virtus in morbo exercenda est humilitas.

I. Prima virtus in solitudine morbi, ab infirmo exercenda (post obedientiam, exhortatione superiore expositam) est intima animi demissio, quâ ægrotus se, ob peccata sua, justè à Deo hâc morbi pœnâ plekti agnoscit. Solent enim homines, morbum à Deo infligi, cùmque Dei beneficium esse, ignorantes, existimare se injustè morbo puniri: quemadmodum filii immorigeri, à parentibus castigati, correptionem, iniquè ferunt: ideòque hujusmodi ægri, facillè in murmur & querelas, linguam laxant; & voluntati Divinæ repugnant. E contrario S. Ignatius filios suos, morbo correptos, cupit, ex vera humilitate, morbum de manu Dei demissè acceptare, seseque hâc punitione, ob peccata sua, undequaque dignos reputare: licet enim Divina Bonitas nonnunquam Viris perfectione & sanctitate inclytis, velut S. Jobo & aliis, eo fine, morbos immittat; ut eos tanquam aurum in fornace probeat, eorum merita magnis incrementis amplificet, eosdemque, tanquam clarissima patientiæ specula, aliis ob oculos ponat: ut plurimum tamen, præsertim, peccatoribus, ac Religiosis tepidis & imperfectis, morbos in peccatorum & ne-

gligentiarum pœnam, infligit, idque eos, animo demisso, agnoscere oportet.

Quamobrem enim Deus Oziam Regem leprâ percussit, nisi ob delictum, quo Sacerdotii munus temerè profanus invasit? 2. Paralip. 26. 18. Quamobrem Mariam Moysis Sororem pariter leprâ multavit; nisi ob crimen, quo adversùs Fratrem murmuravit? Num. 12. 10. Quamobrem Jeroboam Regem Israël manûs ariditate castigavit, nisi ob crimen idololatriæ, & manûs temerè in Prophetam extensæ? 3. Reg. 13. 1. Commune igitur est, à Divina Nemese morbos, ob delicta infligi. Idem testatur Spiritus Sanctus ore Ecclesiastici c. 38. 15. *Qui delinquit in conspectu ejus, qui fecit illum, incidet in manus Medici.* Id est: Qui peccatum patrare audet, contra Deum Creatorem suum, à quo sanitatem, vitam, omnèque bonum suum obtinuit, ipse ingratitude ac malitiâ suâ meretur sanitatem, imò vitâ, omnique bono privari, morbis exagitari, & ideo Medicorum manibus subjacere, à quibus multa dura, acerbâque sustineat. Eadem de causa, Salvator noster aiebat Paralytico Joan. 5. 14. *Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne deterius quid tibi contingat.* S. Chrysostomus, Cyrillus, & Theophylactus tradunt, Deum Paralytico isti, morbum adeò diuturnum, octo & triginta annorum, immisisse, ob delictum aliquot in juventute commissum, antequam Christus natus fuisset: quod Christus Dominus ex spiritu prophetico sciens, monuit ipsum, ut deinceps à peccato simili

simili sibi caveret. *Ecce sanus factus es ; jam noli simili peccato in posterum te obstringere, ne deterius quid tibi contingat. Qui enim priori supplicio non est emendatus, ait Theophylactus, ad majora tormenta servatur, tanquam insensatus & contemptor : idque, ut ait Euthymius, sive in presenti vita, sive in futura, sive in utraque.*

Itaque æger tanquam pelicanus solitudinis, sub morbi exordium, cum Rege Ezechia dicat : *Recogitabo tibi omnes annos meos, in amaritudine anima mea.* Isaïæ c. 38. 15. Revocetque sibi in memoriam vitæ totius delicta, tam gravia, quàm levia, quæ levia fortassis ad centena millia ascendunt ; & tamen vel unicum duntaxat reperiret, meritò tamen, cum latrone bono dicet : *Nos digna factis recipimus.* Justè pœnam subeo, multoties tormenta sempiterna & ignem purgantem commerui, ad eoque levis hic morbus, criminum meorum gravitati minimè respondet. Imiteturque Davidem, qui Psalmo 6. quem, ex mente gravium Doctorum, in lecto æger decumbens composuit, & quo morbum in peccatorum suorum pœnam inflictum esse, humillimè agnoscit, misericordiam Divinam implorat, pœnamque deprecatur. Ac 1. Maximâ animi demissione deprecatur pœnam æternam : *Domine ne in furore tuo arguas me.* 2. Deprecatur pœnam ignis purgantis : *Nec in irâ tua corripas me :* quemadmodum illa duo, D. Augustinus exponit. 3. Humiliter misericordiam flagitat : *Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum, sana me, Domine, quo-*

niam conturbata sunt omnia ossa mea. 4. Humiliter ac dolenter suspirat & gemit. *Laboravi in gemitu meo.* 5. Humiliter & amanter deflet peccatum : *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo.* 6. Propositum firmum concipit emendationis, ac de cætero non peccandi, atque occasiones peccatorum fugat : *Discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem.* Ecce hæc est humilitas Prophetæ, infirmitate corporis pressi, hanc nos quoque imitari studeamus, si morbus nos occupet. Et primam à S. Ignatio præscriptam virtutem, humilitatem scilicet, exercubimus.

II. Secunda virtus Infirmo Religioso, velut Pelicano solitudinis, morbi tempore, exercenda, est *patientia.* Virtus hæc, ex humili peccatorum, suppliciorumque æternorum quæ illis promeriti sumus, cognitione, tanquam ex radice enascitur : quis enim infirmorum, ob morbi dolores, molestias, ac diurnitatem, unquam impatientiâ se vinci sinat, qui toties pœnas æternas, mortemque se commertum agnoscat ? Qua de causa, hanc agnitionem, ortamque inde tolerantiam, strictè admodum requirebat S. Ignatius, etiam à Novitiis. Recenset in Societate Apostolorum imitatrice Tannerus de Sylvestro Landino, Societatis tyrone, morbo correpto, verum perquam impatiente, & infirmariis inobediente ; cum sanitate recuperatâ, à S. Ignatio, in patriam remissum, ita ut anceps hæreret, num à Societate dimissus esset, nec ne ; eò quòd

II.
Patientia.

absque socio mitteretur : quia tamen hanc impatientiam, postmodum Apostolicis Concionibus, admirandis laboribus, virtutum facinoribus heroicis, & incomparabili populi affluxu & concursu, abundè compensavit, à S. Ignatio receptus, atque ad votorum emissionem, admissus fuit, maximo Sylvestri solatio & mentis exultatione. Tantopere S. Fundatori etiam in Tyrone, patientiæ defectus displicuit !

Deinde quis infirmorum, morbum, à benevola Patris cœlestis manu, submissum, non patienti, inòlibenti animo amplectatur ; si multiplicia emolumenta, ex eo promanantia, non obiter perpenderit ?

Nam 1. Morbus patienti animo toleratus, velut caminus est, in quo anima, non secus atque aurum in igne, à peccatorum, vitiorum & passionum scoria perpurgatur. Hinc S. Gregorius L. 3. 4. Moral. c. 23. *Durum non astimes esse, quod patiaris ab externis cruciatibus: ab interna passione liberaris.* Cùm nonnemo à Joanne Anachoreta, à febris tertiana liberari flagittaret : Respondit. *Rem tibi necessariam, cupis abjicere? ut enim corpora ferre, à vitiosa anima languoribus & castigationibus purificatur.* Senex alius discipulum infirmitate oppressum, hisce verbis animavit : *Ne contristeris ob infirmitatem, aut plagam corporis: si enim ferrum es, rubiginem per ignem amittis: si verò aurum es, per ignem probaris.* 2. Morbis caro atteritur ac debilitatur, & Spiritus roboratur : ea de causa inquebat Apostolus: *Cùm infirmor, tunc*

potens sum. 2. Corinth. c. 12. *Quid mirum, ait S. Bernardus serm. 29. in Cant. si hoste debilitato, tu fortior efficiaris? Infirmetas corporis, infirmitatem mentis periculosiorem sanat:* nam juxta Sapientem: *Infirmetas gravis sobriam facit animam.* Eccl. c. 21.

3. Morbus meritum adauget, coronamque viro patienti in cœlis, fabricat. At quâ methodo ac ratione morbus merita accumulatur. 1. Morbus meritum auget, dum vitam emendat, & in melius commutat S. Basilius in Reg. ful. 35. *Morbi sunt flagella peccatorum, quibus nihil aliud agitur, quam ut vitam nostram in melius commutemus.* 2. Meritum auget, dum ad virtutum variarum exercitium, ansam & occasionem præbet. *Infirmetas corporis est sobrietas mentis, infirmitas virtutum officina est,* ait S. Ambrosius. 3. Meritum auget, dum ad Deum confugere compellit, ad orationem excitat, devotionem promovet. Quare sanctus nonnemo à milite rogatus, ut à morbo liberaretur, audiensque quòd in ægritudine melioris vitæ, devotionisque majoris esset, quàm tempore sanitatis, ei suavit : *Ora Deum, ut te seruet in eo, in quo melior es. Quàm multi scelerati sani sunt, qui innocentius aegrotarent!* Exclamat D. Augustinus Tract. 7. in Joannem. 4. Denique morbus meritum auget, quia patientia, fortitudo, constantia, lucta cum doloribus & tædiis, eorumque victoria, æternitatis gloriâ in cœlis coronatur. *Momensaneum enim & leve tribulationis nostra, æternum gloria pondus operatur in nobis.*

Quis

III.
Edifica-
tio proxi-
morum.

Quis ig-
in virtutis
lastra, e-
diximus
in signi p-
in muru-
Deum
tra pha-
relas p-
III.
virtus
infirm-
morum
in viler-
declara-
adifica-
stenda
num a-
stri:
est, q-
ex pra-
primò
ob pec-
tum el-
dia eju-
pendit
patern-
tanqua-
tot tant-
Ari-
portet
est pri-
dere.
tè, n-
promp-
firmo-
dura?
dinem,
loreu,

Quis igitur Religiosus, adeò parùm in virtutis Gymnasio & patientiæ palæstra, est exercitatus; ut si hæc, quæ diximus, ritè perpenderit, morbum insigni patientiâ non toleret? Quisnam in murmur linguam solvere, aut contra DEUM, aut contra hominem, aut contra pharmacorum amaritudinem, querelas proferre audeat?

III.
Edifica-
tio proxi-
morum.

III. Demissioni ac tolerantia tertia virtus, tanquam comes individua, ab infirmo jungenda est *Edificatio proximorum*, & bonum exemplum omnibus invifentibus præbendum. Id est, ut declarat S. Ignatius: *Verbis piis & ad edificationem facientibus utendo, qua ostendant, aegritudinem acceptari, ut donum de manu Creatoris ac Domini nostri: quandoquidem non minus donum est, quam sanitas.* Tertia hæc virtus, ex præcedentibus nascitur: qui enim primò demissè, humilique mente, se ob peccata sua, morbum promeritum esse, cognoscit; ac deinde grandia ejus commoda, antedicta, perpendit; nullo negotio, morbum de paterna Domini manu, acceptabit, tanquam donum præstans, è quo tottantaque emolumenta proveniant.

Aristotelis dictum est: *Dissentem oportet credere.* Hæc in patientiæ ludo est prima lectio: *Dissentem oportet credere.* Nemo suaviter, nemo expedite, nemo utiliter discet, qui non promptissimè credit. Quid ergo infirmo, & adversa patienti credendum? hoc nimirum, *Omnem aegritudinem, omnem afflictionem, omnem dolorem, omnem omnino crucem à Deo*

esse, à quocunque demum homine illa imponatur. Testatum id reliquit Sira- cides Eccli c. 11. 14. *Bona & mala, vita & mors, paupertas & honestas à Deo sunt.* Bona & mala in æstimatione hominum, qualia sunt, sanitas & morbus, vita & Mors à Domino Deo submituntur. Unde rectè interrogat Propheta Amos c. 3. 6. *Si est malum in civitate, quod non fecit Dominus?* tanquam si diceret, non est. Hoc ergo credendum est infirmo, morbum esse à Deo; morbum esse Dei donum: adeoque velut donum ac beneficium, de paterna Dei manu profectum, esse acceptandum. Quoniam verò hoc ipsum nonnullis difficile creditu accidit: non nihil id declaremus.

1. Quemadmodum passio, dolor, & cruciatus Christi, donum Dei singulare fuere; ita & quemvis morbum Dei munus censendum esse, nemo ambigat; etenim de passione sua Salvator ipse Petro testatus est, gladium stringenti: *Mitte gladium tuum in vaginam: calicem quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum?* Joan. c. 18. 8. Verùm quid loqueris Domine! an non amarum illum passionis tuæ calicem, Ilcariothes, Annas, Caiphas, Pilatus & Herodes miscuerunt? an non quini hi pharmacopæi, merum hoc absynthium, hanc aloën, fel hoc acerbissimum præparârunt? nequaquam. Sed hunc calicem Pater miscuit, Pater infudit, ac porrexit, absque cujus voluntate, nec guttula tristitiæ cruciari, nec spinula pungere, nec stillula sanguinis exprimi atque manere valeret. A paterna igitur manu,

hie

hic calix offertur, hic potus propinatur. Unde Redemptor ajebat: *Et sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio, surgite eamus hinc.* Joan. c. 14. 31. Sicut ergo Christi passio, ita & morbus quilibet est donum Dei, est calix à Domino temperatus, qui nec guttam continet, quam Dominus non infuderit. Agnovit idipsum & credidit R. P. Christophorus Mendez S. J. Sacerdos Anno 1623. Malagæ piè defunctus, qui inter sex postremorum vitæ annorum paralyfin, & inter omnes quantovis dolores, ingeminebat: *Nónne horum, que patior, author est Deus? Hoc unum satis est & abundè, ut patiar libens.*

2. Varia donari solent dona amicis & filiis, & his quidem hæreditas transferitur. Morbus utà & quævis crux & adversitas, artha & pignus est hæreditatis cœlestis; ut testatur S. Leo serm. 9. de quadrag. *Certa atque securæ est expectatio futura beatitudinis; ubi est participatio Dominica passionis. Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, si tamen compatimur, ut & glorificemur.* Ait Apostolus ad Rom. 8. 17. Et idem 2. ad Tim. 2. 12. *Si sustinebimus, & conregnabimus.*

3. Dona quoque varia à Sponso donari solent sponsæ, ut sunt, ornamenta, cimelia, & præcipuè annulus; Christus Dominus Sponsus cœlestis, cimeli & annuli loco, sponsæ submittit ægritudinem: velut ipse insinuat S. Gertrudi, teste Bloisio: sicut annulus in sponsalibus artha est fidelitatis inter sponsum & sponsam; ita

morbus & afflictio, si propter Deum patienter toleretur, Divinæ electionis, & sancti Deum inter & animam matrimonii, certum pignus est. Quos elegit, quos præcivit, hos & prædestinavit conformes fieri imagini filii sui, præcipuè in adversis.

4. Sunt & alia dona, quæ amicis donantur, ad solvenda debita, ut sunt thesauri & pecunia. Ejusmodi thesaurus & moneta morbus est, quo debita peccatis contracta diluimus. Ecclesiasticus ait c. 20. *Est qui multum redimat parvo pretio.* Morbo scilicet ignem purgantem, aliæ hujus vitæ supplicia. *Infirmetas carnis, ait venerabilis Beda in sent. si patienter sustineatur, sit quasi purgatorius ignis: & sine ferro Martyres esse possumus, si patientiam in animo servemus.* Quis autem debitor mille talentorum, non perfundatur lætitiâ, si totam hanc summam, obolo aut crucigero uno possit extinguere: unde R. P. Joannes Eusebius Nierenbergius S. J. ajebat se in doloribus suis admirabiles reperisse thesauros. R. P. Franciscus de Navarra S. J. æger impensè à Deo petit, ut hinc ignis purgantis penas, dolorum supplicio exolvere liceret; & verò impetravit, ingenti dolorum examine miserrimè cruciatus, non secus, ac si mille telorum generibus laniaretur.

5. Inter dona ac munera numeratur, honor, dignitas, nobilitas, quam Reges conferunt, dum gladio nobilitandos tangunt ac percipiunt, atque hoc ipso nobilitate donant, equestrisque Ordinis pugiles creant.

Pari

Pari ratione
milites laos
nat, nob
tangit ac se
ut eodem
æterno:
bos suscip
Dei cum
Manus
attactum
gnissimi
siderare
s. c. 1.
quid im
tem dat
miserice
suis, n
gratiam
attende
minus h
mentum
cutitur;
quia ext
vel quia
suum ac
tiam su
percussio
invenit,
non inve
giet se p
& fervo
Mutilip
postea

Pari ratione Rex cœlorum filios ac milites suos nobilitatis insignibus ornat, nobilitatēque confert, dum tangit ac ferit morbis ac doloribus: ut eisdem gloriā & honore coronet æterno: modò patienti animo morbos suscipiant, donum ac manum Dei cum Jobo agnoscant, dicentes: *Manus Domini tetigit me.* Arque hunc contactum seu ictum tanquam de benignissimi Patris manu acceptent. *Considerare oportet,* ait Umberto p. 5. l. 5. c. 1. *Quis morbum immittat, & ad quid immittat; & attendere infirmitatem datam esse à Patre luminum, & misericordiarum, qui non daret filiis suis, nisi sciret eis expedire; & ideo gratanter debet eam recipere. Deinde attendere debet, ad quid detur, & ad minus hoc debet intelligere, quod iumentum videtur cognoscere, cum percutitur; quòd scilicet percutitur, vel quia extra viam est, & ad viam redit; vel quia nimis lentè incedit, & gressum suum accelerat; scrutari debet conscientiam suam, quem Dominus infirmitate percutit, & si extra viam paradisi se invenit, compungi & confiteri: si verò non invenit se extra viam paradisi, cogitet se pigrum esse ad bene operandum, & fervorem assumat; juxta illud Psalmi: *Multiplicata sunt infirmitates eorum; postea acceleraverunt.**

Quapropter, Dilectissimi si Divina bonitas morbum immiserit, nòsque velut pelicanos solitudinis in lectum doloris conjecerit; 1. Magnā animi demissione, morbum de manu Domini acceptemus, eumque sapenmero nos pro meritis esse peccatis nostris, & agnoscamus, & profiteamur. 2. Nequaquam contra Deum, aut Infirarios, aut pharma murmuramus; sed morbum, tanquam peccatorum purgationem, spiritus firmitatem, meritorum radicem, virtutum officinam, non patienti solùm, sed & libenti animo perferamus. 3. Nos, morbi tempore, ex charitate invisentes, verbis ædificemus; morbum tanquam Dei donum, cum Jobo; tanquam calicem à Patre datum, cum Christo; tanquam salutis æternæ artham cum S. Leone; tanquam annulum sponsæ, cum S. Gertrude; tanquam aquam pro exstinguendo igne purgante, cum ven. beda; tanquam signum dignitatis & notam nobilissimorum filiorum Dei, cum Umberto, pronā voluntate suscipiamus, & à nobis suscipi, verbis declaremus: hoc faciendo nobis ingens meritum & lætitiā, proximis exemplum & ædificationem; Deo gustum, gloriā & honorem exhibebimus.





REGULA LI.

De petenda à Superioribus pœna, ob transgressionem
Regularum.

EXHORTATIO
IN EANDEM,

Ostendit pœnitentiam aliquam à Superioribus, ob violationem
Regulæ postulandam esse, ejusque causas explicat.

THEMA.

Qui in minimo fidelis est, & in majori erit. Marci 16.

VEL.

*Aliquoties singulis annis omnes à Superiore sibi pœnitentias in-
jungi, propter defectum observationis Regularum
petant.* Reg. 51.



Er primi parentis
Adæ prævaricatio-
nem, homo propter
passionum intempe-
rantiam, compara-
tus est jumentis insi-
pientibus, & similis factus est illis :
ideoque non minus indiget chamo &
fræno, quo constringi valeat, quam
equus indomitus & effrænis. Frænum
hoc est Decalogus, quo nonnihil com-
primimur. At cum jam domitus ac
mortificatus est equus, id est, animus
noster, non solum facillimè fræno cir-

cum agitur & gubernatur; verum eti-
am nutu, voce, aut manu infidentis
flectitur: cum non præceptis duntaxat
Divinis obsecundat; verum insuper
consilia amplectitur, quibus obtem-
peret. Tunc gratissimus est Deo, tunc
acceptus & sanctus: voluntaria enim
sacrificia gratiora sunt. Hoc in lege
gratiæ eventurum S. Propheta Zacha-
rias vaticinatus videtur, cum dixit :
*In die illa erit quod super frænum equi
est, sanctum Domino.* c. 14. 20. Post
adventum & Doctrinam Salvatoris,
cum sanctitas abundabit, non solum
fræno

fræno & i-
nitione servi
seu præ-
Evangelicæ
sanctosque
& in prin-
frænum
ultra cot-
mam le-
licorum
exactè
constric-
tas,
metu p-
Quo-
re frag-
dem,
manis
diligen-
do cesp-
tius,
tione de-
nitentia
verdè de-
deprom-
I.
petenda
pœnitentia
ob
transgres-
sionem
Regula-
rum.
I. Al-
tia à Sup-
fictum o-
prælati
fitentur
se exeq-
exeo no-
eo vir-
tiam; ju-
dator,
bit; dur-
gula &
obtempe-
dit. Luc-
dum def-

frano & rigidâ præceptorum obligatione servi Dei regentur ; sed super seu præter præcepta addent consilia Evangelica ; quæ illos Deo acceptos , sanctosque reddent. Quilibet Ordo & in primis Societas nostra , super frænum communium præceptorum , ultra constitutiones sanctissimas , summam seu florem consiliorum Evangelicorum continentes, suscipit : ad quas exactè servandas , plùs nos urgere & constringere debet spontanea charitas , quàm alios formido servilis , tamen si plurimæ sub peccato non ligent.

Quoniam verò ea est humanæ naturæ fragilitas , ut vix aut nè vix quidem , navis omnibus ac defectibus immunis degere valeat ; & maximâ etiam diligentiam , vix caveat , quin aliquando cespiret ; S. Parens noster Ignatius , ob hos in Regularum observatione defectus , aliquoties in anno , pœnitentiam postulari voluit : quibus verò de causis id jussit , in præsentibus depromemus.

I.
Petenda pœnitentia, ob transgressionem Regularum.

I. *Aliquoties, singulis annis pœnitentia à Superiore petenda sunt, propter defectum observationis Regularum.* Idque præstamus , dum defectus nostros profiteremur , injunctamque pœnam demissè exequimur. Quisnam verè fructus ex eo nobis nascitur ; aut quasnam in eo virtutes exercemus ? I. Obedientiam : jubet id enim in Regula S. Fundator , omnibusque id ipsum præscribit ; dum igitur illud implemus & Regulæ & Regularum Conditori & Deo obtemperamus : *Qui vos audit, me audit.* Lucæ 10. 16. 2. Humilitatem ; dum defectus nostros agnoscimus , ac

recensemus , & nonnullam confusio- nem , inde ortam , subimus ; defectus enim suos , natura nostra corrupta , libenter palliat ; eos aperire , illi repugnat. *Humilitatis filia est, sui ipsius perpetua accusatio :* ait S. Dorotheus doctrina 2. 3. Curam profectus nostri spiritualis , quam hoc ipso nos gerere demonstramus , ut in Regula indicatur. Sed de hac puncto sequente. 4. Amorem Regularis disciplinæ : Regularum enim transgressionem , eisdem quasi vulnus infligimus , pœnæ autem adimplerem emplastrum quodammodo vulnere imponimus , damnumque disciplinæ Regulari illatum resarcimus. 5. Honorem Sanctorum : Sanctos enim honoramus , in quorum pervigiis , ejusmodi humilitatis exercitiam obimus ; quemadmodum R. P. Franciscus Costerus , horum locorum Anno 1578. Præpositus Provincialis ; qui omnibus Fæstorum Divæ Virginis pervigiis , sese in publica cœnatione accusabat , pœnamque nonnullam de se sumebat : ut refert Bibliotheca Script. Societatis. 6. Sanctorum imitationem , dum illorum exemplo , defectus nostros palàm pronuntiare non veremur. Exempla hujusmodi desideratis ?

1. Intuemini primo loco magnum illud Africæ , imò Mundi universi lumen , S. Augustinum ; cujus sanè heroicum facinus prorsus est admirandum ; quo delicta juventutis suæ , eaque non levia , sed quæ vel maximum ruborem incutiant , libris Confessionum complexus est , & toti mundo , per tot sæculorum decursus , legenda proposuit

ac divulgavit. Quin & homiliâ 24. ex 30. tantus Ecclesiæ Doctor, erratorum suorum veniam publicè pro concione dicens, petiit, hisce verbis: *Diversarum curarum astibus ac difficultatibus conturbatus, si quem fortè, non ut poscebat, audivi; si quem tristius, quàm usus erat assexi: si in quem verbum durius, quàm oportebat, emis; si quem corde conturbatum & opis indigum, responsione incongruâ conturbavi: si quem pauperem, mihi in aliud intento, importunius insistentem, vel pratermissi, vel distuli, veletiam nutu aspero, contristavi: si quis in sua conscientia non agnovit, quod de illo humanitus suspicatus sum: vos, quibus pro his atque hujusmodi offensus, esse me fateor debitorem; simul me vestrum credite debitorem: nam pullos quos fovet, sepe in angustiis, sed non toto pedis pondere, calcat & mater, nec ideo desit esse Mater. Dimittite, ut dimittatur vobis; dimittite amanti vos, debita difficultatis, qui nec contra inimicos debita crudelitatis tenere debetis. Quanta humilitas tanti Ecclesiæ Doctoris ac fideris!!*

2. De S. Patre Seraphico Francisco, recenset Doctor Seraphicus S. bonaventura in vita c. 6. Vir sanctus, cum infirmitate gravatus, abstinentiæ rigorem, pro recuperanda sanitate, modicum relaxasset: non pepercit tubori suo, quin coram omni populo, proprios manifestaret defectus: *Non est, ajebat, conveniens, ut populus abstinentem credat, & ego carnaliter reficiar in occulto.* Pari modo Melliss. Doctor scribens ad Robertum Nepotem suum Episc. in culpam suam libens agnoscit & pro-

fitetur: *Si tuam, inquit, culpam agnoscis? ignosco: ignosce tu mihi, ubi meam agnosco.* Non absimili ratione, luculentum nobis exemplum hujus confessionis & humilitatis præbuit S. P. Ignatius, teste Ribadeneira L. 2. vitæ ejus c. 5. Qui Azperia in patria sua, publicè in cathedra pro concione dixit, se in adolescentia sua, aliquam fructuum copiam ex alieno horto, furto furripuisse, ob quod furtum alius innocens pœnam luisset: & narrationem hoc epiphonemate conclusit: *Ego sum reus, ille innocens*, simulque hominem fortè præsentem, nomine proprio compellabat.

3. Admirandum fuit exemplum latronis apud Cliniacum gradu 4. Qui à flagitiis ad Deum conversus, atque ad Monasterium admissus, coram ducentis ac triginta Monachis, scelera omnia, vitæ totius curriculo, admittit, ut veneficia, homicidia, aliæque contranaturam perpetrata, singulatim enarravit, nihil omnino reticens; atque hoc heroico humilitatis & victoriæ sui facinore præmissis, tonsus, ac fratribus aggregatus fuit.

Si Viri sancti Augustinus, Franciscus, Bernardus, Ignatius, publicè coram populo, defectus suos referre, culpamque veniam postulare non erubuerunt; imò ipsi latrones gravissima crimina detegere non sunt veriti; cum Religiosorum difficile accideret, defectus suos exiguis profiteri, ac pœnam nonnullam persolvere; quemadmodum Tyrones sapius, alii in anno aliquoties assolent?

II. Cau-
gole alleg-
cura, indi-
Regulis
minimus
bet. Cu-
pue sua el-
gularum
nes nosi-
fectionis
Ubi (sup-
tor, no-
indiciu-
esse; &
nem, &
petition-
rum ob-
tem ma-
lis curas
mit, &
consistit
foveamur
las ac me-
etiam mi-
1. Ma-
Religiosi-
rum etia-
demonstr-
mitificæ p-
ve bone &
isti fidei
Ex Marci
& in m-
saltem:
& ancill-
licet in p-
2. Mo-
enim fer-
regularum
ad eam ex-
stidivina

II:
Motiva
servandi
Regulas
minimas.

II. Causam potissimam hujus Regulae allegat sanctus Fundator, *Ut hac cura, indicium sit illius, quam de suo profectu spirituali, in via Dei, quisque habet.* Cura profectus spiritualis praeipue sita est in observatione exacta Regularum, etiam minimarum, quae omnes nos in via Dei dirigunt, & ad perfectionis metam tandem perducunt. Ubi supponit S. Regularum Conditor, nos hujus curam gerere, & illius indicium, signumque externum cupit esse; defectuum suorum manifestationem, & poenae cujusdam a Superiore petitionem ob defectus in Regularum observatione commissos. Ut autem magnam profectus nostri spiritualis curam, quam S. Ignatius supponit, & in observantia Regularum consistit, in pectore nostro constanter fovemus, visum est, rationes nonnullas ac motiva, observandi Regulas, etiam minimas, attexere.

1. Motivum primum est *Fidelitas* Religiosi, quam in accurata regularum etiam minimarum observatione demonstrat; quaeque Majestati Divinae mitissime placet. Matth. 25. *Euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisi fidelis, super multa te constituam.* Et Marci c. 16. *Qui fidelis est in minimo, & in majori fidelis erit*, communiter saltem: hoc enim pacto Domini servos & ancillas probare solent, num vide licet in parvis se fideles exhibeant.

2. Motivum est *Fervor*: signum enim fervoris est, minimarum etiam regularum observantia; qui Religiosos ad eam excitat & impellit; ac bonitati divinae oppidò gratis accidit: abs-

que fervore enim moraliter impossibile est omnia minuta observare: tum quia diligens cura requiritur, quae à tepidis declinatur; tum quia multi respectus humani pervincendi, multaque difficilia superanda, quae fervoris spiritu destitutos, datâ quavis occasione illico prosternunt.

3. Motivum est *Amor* & affectus, quem Religiosus in eo demonstrat, dum minimas etiam constitutiones custodit; qui nunquam supremo, perquam gratus & acceptus est: non enim Deus attendit, quantum, aut quid facias, sed quo affectu aliquid propter ipsum praestes. Nam ut ait S. Ambrosius L. 1. offic. c. 30. *Affectus rebus pretium imponit.* Hinc est, quod crebro res, quae videntur exiguae, pluris à Deo fiunt, quam in specie magna. Lucae c. 21. Duo aera minuta, quae vidua paupercula in Gazophilacium misit, magis Deo placuerunt, quam dona divitum, licet copiosiora. Confirmat hoc ipsum S. Ephrem tom. 3. de poenit. ubi ait: *Iusti parvis actionibus Deum magis flectunt, & placant, praenonnullis, qui multa faciunt: non enim ad actionem respicit Deus; sed ad propositum voluntatis: & non intuetur, quod fit; sed quo studio & propensione peragatur: vidua paupercula duobus obolis superavit divites auro abundantius.*

4. Motivum est exacta *obedientia*; quemadmodum Deo grata est obedientia exercita in minimis; ita major quodammodo videtur inobedientia, minimarum omissio. In Paradiso, inquit S. Augustinus L. 14. de Civit. c. 15.

tantiò major inobedientia fuit , quando id , quod præceptum fuit , nullius difficultatis fuit . Et S. Bonaventura in Spec. disc. *Nec minimum est contemnere minima , qua non minimam moribus maculam , eò turpiùs neglectut habita , ingerunt , quò vitari faciliùs cognita valuerunt . Certè si hac minima pro Deo non facimus , non est , quò credamus cordi nostro , desideranti majora . Multi , inquit idem Doctor Seraphicus , pro Christo optant mori ; qui pro Christo nolunt levia verba pati ; sed quem terret sonitus folii volantis ; quomodo sustineres ictum terribiliter vibrantis ?*

5. Motivum est premium , quod Divina Liberalitas , Regulas minimas observantibus , elargitur . Si enim non denegat præmium danti pauperibus haultum aquæ ; secundum illud Matth. c. 10. 42. *Quicumque potum dederit uni ex minimis istis , calicem aqua frigida tantum , in nomine discipuli , amen dico vobis , non perdet mercedem suam .* Quanto magis mercedem refundet vincenti seipsum , abneganti sensualitatem , superanti molestiam , quæ non ratò in observatione Regulæ minimæ deprehenditur ? Qualisv. g. est , silentium non rumpere , absque Superioris facultate nihil dare aut accipere , alienum cubiculum non intrare , in horto nec florem , nec fructum decerpere , nullam temporis partem otio transigere ; ad campanæ sonum extemplo opus inchoare , aut abrumpere . Unde Deus sæpe gratiam ad majora subtrahit , eò quod necdum præstemus

minora . V. P. Petrus Faber è prima decade Sociorum S. Ignatii primus , dicere solitus fuit : *Deus majora crebro dona negat , vel differt , ut dum homo comparandis minoribus invigilat , quasi quibusdam gradibus ad majora perveniat . L. 2. vitæ c. 11 .*

Ex adverso , quanta perfectionis & sanctimonix dona , Deus O. M. contulit iis , qui in minimis fideles extiterè ? Quæ enim viâ ad sanctitatis fastigium , tam citò evolârunt B. Aloysius Gonzaga , B. Stanislaus Kostka & Venerabilis juxta ac admirabilis ille noster Joannes Bergmannus ? Nonne exquisitissimâ observantiâ Regularum ? Quid præstitère aliud , nisi nec latum unguem à Regulis discedere , & minima exactissimè observare ? atque ex hoc æquiparati sunt multis viris , sanctimoniâ inclytis , grandia & heroica operatis .

Illustre hujus rei exemplum præbent paginæ sacræ , de Rechabitis , quanto hi honore & premio à Deo affecti sunt , quia jussu Patris sui transgredi noluère ? Jussit Deus , Jeremiam , convocare omnes Rechabitas , illisque propinare vinum ad bibendum ; at illi omnes uno ore responderunt : *Non bibemus vinum , quia lonadab Filius Rechab , Pater noster , præcepit nobis ; non bibetis vinum : & obedimus voci ejus : ut non biberemus vinum cunctis diebus nostris .* Jeremiæ c. 35 . Idque posteri observârunt , trecentis annis , licèt consilium duntaxat esset , non strictum præceptum . Sed hujus spontaneæ observantiæ præmium

minimam
crevitum,
Jonadab
de stirpe
conspicu
promissio
tæ & ext
men sine
Levitica
ta cura
quam d
tem inte
nâ Saco
atque et
ea flor
Institur
summa
grandis
tur plus
enim fan
gularum
Qua
super fra
præcept
gulas no
illas tran
quam à
postulem
spirituali

minum audite : *Hac dicit Dominus exercituum, pro eo, quod obedistis praecepto Jonadab Patris vestri ; non deficiet vir de stirpe Jonadab, Filii Rechab, stans in conspectu meo, cunctis diebus.* Magna promissio, quod licet essent Madianitæ & extranei, ac non Judæi, electi tamen sint, ad officia Sacerdotalia & Levitica. Tanti apud Deum est sollicita cura minimorum. Ausim dicere, nunquam deficient sancti (Sanctitas autem interna major est dignitate externâ Sacerdotali) in ordine Religioso, atque etiam in Societate nostra, si in ea floruerit stricta obedientia, vigor Instituti, omnium constitutionum summa reverentia, rerum exiguarum grandis cura, & consilia servabuntur plùs, quàm alibi præcepta. Via enim sanctitatis plana est, exacta Regularum minimarum observantia.

Quæ cum ita sint, Charissimi ; *Quod super frannum est equi*, id est, quod super præcepta est, scilicet consilia & Regulas nostras exactè custodiamus ; & si illas transgressi fuerimus, pœnam aliquam à Superiore nobis injungendam postulemus ; ut veram profectus nostri spiritualis curam, hoc modo demon-

stremus, ac deinceps, diligentiam accuratiore easdem, etiam minimas observemus : ita fiet, ut fidelitatem, fervorem, obedientiam, amoremque majorem Deo exhibeamus, magis illi placeamus, majoraque ab ipso præmia reportemus. Caveamus, ne Deus per S. Ignatium exprobet nobis : quod per Jeremiam Israëlitis : *Nunquid non recipietis disciplinam, ut obediatis verbis meis, dicit Dominus ? Filii Jonadab obedièrunt praecepto Patris sui : ego autem locutus sum ad vos & non obedivistis mihi.* Jeremiae c. 35. Rechabitarum obedière voci hominis : nos Deo & Evangelio, ex quo Institutum nostrum desumptum est, non obediemus ? Absit, absit, nos in minimis, non minùs, atque in maximis, obedientiam exhibebimus ; quod si præstiterimus, sperare licet, nos aliquando ex ore Salvatoris nostri amantissimi, in hora mortis, audiruros vocem hanc optatissimam : *Euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.*

Matth. 25. 21.





REGULA LI.
DE OBSERVANTIA REGULARUM.
EXHORTATIO
IN EANDEM.

Hortatur ad diligentem Regularum observationem,

T H E M A.

Hæc est via, ambulate in ea. Isaïæ c. 30. 21.

V E L :

Omnes demum observationi Regularum studeant. Reg. 51.



Efert magnus Ecclesiæ Doctor Gregorius L. 2. dial. c. 37. S. Benedicto Patriarcha gloriosissimo, vitâ functo, eodem die à binis ejusdem Religiosis, conspectam esse viam quandam amplam, rectam, palliis stratam, luminibusque innumeris coruscantem; & senem quandam ponè astantem; qui dixerit: *Hæc est via, quâ Dilectus Domini, Benedictus ascendit in cælum.* Quamnam verdè hanc viam fuisse arbitramini? aut cuiusnam symbolum ac signum? non alterius, quàm doctrinæ Christi Evangelicæ, in S. Benedicti regula & institutione comprehensæ, per quam sanctus

hic Patriarcha ad perfectionem, ad sanctimoniam, & gloriam cœlestem conscendit. Idem meritò, de regula S. Augustini, S. Brunonis, S. Norberti, S. Dominici, S. Francisci dixeris: *Hæc est via, quâ dilectus Domini Augustinus, Bruno, Norbertus, Dominicus, Franciscus ascendit in cælum.* Idem jure senserimus de regula nostra, quæ ex vita & doctrina Christi desumpta, nil nisi perfectionis & sanctitatis axiomata & documenta complectitur. *Hæc est via, quâ dilectus Domini Ignatius in cælum ascendit.* *Hæc est via, quâ dilecti Domini Xaverius, Borgia, Aloysius, Stanislaus & innumeri alii ad perfectionem, & gloriam cœlestem conscendêre.*

Ostendemus igitur in præfenti, regulam esse viam rectam, pulchram, plenam

pleam & planam ad perfectionem & æternam beatitudinem, quod stimulo nobis esse potest, ut ejusdem regulæ observationi sedulo studeamus & quot mensibus eandem, cum aviditate legamus vel audiamus.

1.
Via regulæ
via recta
est.

I. De omnibus & singulis sanctis Ordinum Fundatoribus ac Patriarchis verè asserere licet. quod Spiritus sanctus de Patriarcha Jacob, prolocutus fuit, Sapientiæ c. 10. 10. *Iustum deduxit (Dominus) per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei.* Quomodo enim Deus singulari suâ providentiâ Patriarcham Jacob per varios anfractus, pericula & difficultates, ab Esau Fratre ejus paratas, ex Chanaan in Mesopotamiam, illæsum, lætum & incolumem, ad suos amicos & simul ad pacem & felicitatem perduxit; & ostendit illi regnum Dei; quando scilicet vidit scalam, cujus cacumen tangebatur cælum, & Angelos per eam descendentes & ascendentes, & Dominum scalæ innixum. Ita pariter Deus, sanctos Ordinum Fundatores & Patriarchas deduxit per vias rectas, id est, illuminavit, direxit, deduxit; ut sibi, suisque regulam conscriberent; per quam, veluti per viam rectam ad perfectionem ac deinde ad regnum cœlestem conscenderent. Quod & ipsi feliciter assecuti sunt. Tamensi enim omnes diversum ferè modum tendendi & ambulandi habeant; una tamen est via perfectionis; Non secus atque Hierosolymam ad loca sancta proficiscentes, non uno omnes modo procedunt: unus enim preces fundere, soli-

tariè incedere ac divina contemplari potest, alius hymnos & psalmos decantare; tertius viam comites instruere, doctrinam christianam tradere, ac perfectionis documenta inculcare: Ita omnino inter Religiosos, alii contemplationi vacant, alii in psalterio ac choro Deum laudant, alii proximum docendo & instruendo ædificant; omnes tamen viâ rectâ ad Hierosolymam cœlestem properant.

Si enim SS. Fundatorum regulas perlustremus, quid in illis aliud, nisi viam rectam ad perfectionem, sanctitatem & regnum cœlestem, reperimus? 1. S. Basilus, magnus in Oriente Religiosorum Patriarcha, quid in Regulis suis præcipit, nisi charitatem erga Deum & proximum, timorem Domini, secessionem à strepitu mundi, cogitationis quietem, discretionem, & rerum temporalium abdicationem, Quid verò hæc omnia dixeris; nisi viam rectam ad perfectionem & regnum Dei? 2. S. Augustinus tot Ordinum celeberrimus Patriarcha, in regula sua, quid mandat? Primum (inquit cap. 1.) *propter quod in unum congregati estis, est, ut unanimes habitetis in domo, & sit vobis cor unum & anima una in Deo.* Deinde præcipit, orationem, humilitatem, jejunium, modestiam &c. An non hæc recta sunt via ad perfectionem & regnum Dei? 3. S. Benedictus tot sanctorum, doctissimorumque Virorum Patriarcha in occidente, quid suis injungit? in Regula sua præcipit, Deum & proximum diligere, Decalogum observare,

corpus castigare, delicias spernere, nihil amoris Christi præponere. Quid hic rursus reperias, nisi viam rectam, viam regiam ad perfectionem & ad regnum Dei? 4. S. Franciscus Seraphicus Patriarcha jubet suos servare Evangelium: ait enim, *Regula Fratrum Minorum hac est: Domini nostri Jesu Christi sanctum Evangelium observare vivendo in obedientia, sine proprio, & in castitate.* Ecce an non brevis & compendiosa via, ad perfectionem & regnum Dei? 5. S. Fundator & Patriarcha noster Ignatius, quid in Regula nobis præscripsit? *Finis*, inquit, *Societatis est non solum salutis & perfectioni propriarum animarum, cum Divina gratia vacare; sed eum eadem impense in salutem & perfectionem proximorum incumbere:* Deinde requirit mortificationem continuam, Christi insignia, contemptum & opprobria, paupertatem evangelicam, castitatem angelicam, obedientiam apostolicam & similia: quid verò sunt ista, nisi via secunda, via recta ad perfectionem & ad regnum Dei? quodnam igitur motivum efficacius, regulas servandi proferre possumus, quam istud, quod regula cuilibet Religioso, sit via recta ad perfectionem & ad regnum Dei?

Ad hanc viam nos Deus clementissimè vocavit, per hanc viam nos deducit: *Dei enim est*, ait S. Bernardus hic, *de via iniquitatis ad viam veritatis reducere & deducere. Rectus Dominus Deus noster* Psal. 91. 6. Ideoque *recta via Domini.* Osee c. 74. Cum igitur

tur regula via recta sit, per quam Dominus nos dirigit ac deducit, quis ab ea declinare audebit, nisi à perfectionis & regulæ Dei semita aberrare cupiat? *Quare dirigamus semitas nostras, nec tortuosi serpentis sequamur anfractus: via enim Domini recta, perversa autem via errantium, de quibus dicitur Proverb. 2. 17. Va qui reliquerunt semitas rectas.* S. Ambros. Psal. 118. Quantum à recta via Regulæ exorbitamus & recedimus, tantum à via recta perfectionis & cælestis patriæ declinamus.

II. Regula religiosa est via non solum recta; sed etiam pura, munda, immaculata, ac purgativa: de qua dicitur potest illud Psalmi 118. *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.* Reperiuntur variis in locis viae lapidibus stratae, quæ mundiores sunt aliis, lapide carentibus. Talis est via Appia, via celeberrima, lapidibus nigris & solidis strata, plurium dierum itinere, Romam ducens; via hæc munda est; sed si extra eam, & ad latera declinaveris, luti & sordium affatim reperies. Pari modo, si eucurreris per viam regulæ, immaculatus eris, si ab ea declinaveris, pedes affectuum cõtaminabis, Mundus plenus est limo concupiscentiæ carnis, ambula per viam Regulæ castitatis & immaculatus eris. Mundus repletus est luto concupiscentiæ oculorum & avaritiæ; incede per viam Regulæ paupertatis, & purus eris. Mundus scatet sordibus superbiæ vitæ; curre per viam Regulæ humilitatis & mundus eris. Eadem de via

Regulæ

II. Est via immaculata & purgativa,

Regulæ temperantiæ, silentii & aliis intellige.

Maculas & sordes peccatorum atque defectum Doctor Angelicus declarat, similitudine maculæ corporalis. 1. 2. q. 86. a. 1. *Macula*, inquit, proprie dicitur in corporalibus, quando aliquod corpus nitidum, perdit suum nitorem. ex contactu alterius corporis, sicut vestis, aurum & argentum. In rebus autem spiritualibus, ad similitudinem hujus, macula nominatur. Habet autem anima hominis duplicem nitorem, unum quidem ex resplendentia luminis naturalis rationis; per quam dirigitur in suis actibus: alium vero ex resplendentia Divini luminis, scilicet sapientiæ & gratiæ, per quam etiam homo perficitur ad bene & decenter agendum. Est autem quasi quidam anima tactus, quando inhaeret aliquibus rebus per amorem: cum autem peccat, inhaeret amore inordinato rebus aliquibus, contra lumen rationis & Divina legis; unde ipsum detrimentum nitore, ex tali contactu proveniens, macula anima metaphoricè vocatur. Hæc D. Thomas. Cui consonat sacer Codex, in quo omne peccatum animæ inquinamentum, scdario, & deturpatio nuncupatur. Deut. 32. 5. *Peccaverunt ei, & non filii ejus, in sordibus.* Et Isaia c. 4. 4. *Si ablueris Dominus sordes filiarum Sion.*

Quisquis igitur Religiosus, manet in via Regulæ mortificationis amoris proprii; non tanger creaturas, nec ab eis inquinabitur; quisquis verò ab hac via deviat & deflectit, illicò in lutum incidet, & per contactum rerum creatura-

rum maculabitur. *Es eris ibi semita & via, & via sancta vocabitur: non transibit per eam polluens; & hæc erit vobis directa via: ita ut stulti non errent per eam: non erit ibi leo & mala bestia non ascendet per eam, nec invenietur ibi, & ambulabunt, qui liberati fuerint.* Isaia c. 35. 8. Quam bellè ista Regulæ Religiosæ quadrant? Ipsa enim mundat & purificat, pollutos verò, & alios insufficientes, non tolerat: nec stulti mundi amatores & vanitatum affectæ errabunt per eam: non erit ibi leo, rugiens & circumiens, ut quærat quem devoret; mala bestia concupiscentiæ infrunitæ aut passionis indomitæ, non ascendet per eam; sed qui à mundi & vitiatorum jugo liberati fuerint, per eam ambulabunt. Quare hæc est via, *ambulate in ea, & non declinetis neque ad dexteram, neque ad sinistram, & immaculati eritis.*

III. Regula est via lucida, multisque luminibus illustrata, qualis erat illa, per quam S. Benedictum ascendisse diximus. Est via illuminativa, quæ Religiosos proficientes in via virtutum dirigit. *Iustorum semita quasi lux splendens, procedit & crescit usque ad perfectum diem* Proverb. c. 4. 18. Veluti è contrario, *Via impiorum tenebrosa, nesciunt, ubi corruant.* ibid. v. 19. Et proverb. 6. 23. *Lux lux & via vite.* Regula Religiosa Pharos est, tenebras maris mundi hujus discutens. Columna nubis est, per diem vlam ostendens. Est via illustris, luæ mira coruscans? quot virtutes sunt, ad quas dirigit; tot lampades & luminaria, in

III.

Est via lucida & illuminativa.

ta resurgit: hic micat lampas humilitatis & mansuetudinis, illic paupertatis & castitatis, istic obedientiæ & resignationis, alibi zeli & charitatis. In hac Tyrones recenter è sæculi calligine appulsi, caligantibus adhuc oculis & ad lucem nitentibus incedunt; hi enim similes sunt vaccis, quæ portabant arcam Domini, è regione Philistinorum, in Judæam, versus Bethsames, quæ significat domum solis. Vaccæ illæ rectâ tendebant, nec rediebantur, licet pullorum relictorum eas teneret desiderium, ideoque mugirent. 1. Reg. 6. 12. *Ibant autem in directum vacca per viam, quæ ducit Bethsames, & itinere uno gradiebantur pergentes & mugientes, & non declinabant, neque ad dexteram, neque ad sinistram.* Sic viam Dei primùm auspicientes & à peccatorum servitute, ad Christi lucem & confessionem pergentes, dolent quidem, ac difficultatem nonnullam in relinquendis rebus ac recreationibus mundanis sentiunt, ideoque nonnunquam mugiunt; sed ambulans tamen & progrediuntur, donec veniant Bethsames, ad domum solis, ut plenè illuminentur. At Tyrones jam propè emeriti & alii seniores, in via illuminativa gradiuntur celerius & alacrius; sicut animalia quatuor, quæ curram Dei stipabant, Ezech. c. 1. 12. *Ubi erat impetus spiritus, illius gradiebantur, nec revertabantur, cum ambularent.* Et qui in hac via lucis & regulæ currunt, similes sunt Cherubinis, figuram tamen habent anserinum, quia in corpore versantur. *Fedes co-*

rum pedes recti, ob rectitudinem intentionis & fervorem spiritus. Planta tamen eorum, quasi planta pedis vituli; ob infirmitatem carnis. Habent faciem hominis, ob justitiam; à dextris faciem leonis, ob fortitudinem; à sinistris faciem bovis, ob temperantiam; supra faciem aquila, ob prudentiam, junctaque sunt penna eorum alterius ad alterum, per charitatem. Tales ergo Cherubimorum instar, in via Regularum lucida, strenuè progrediuntur, & de virtute in virtutem ambulant.

IV. Denique Regula Religiosa, est via palliis strata, veluti fuit, per quam visa est anima S. Benedicti ascendere. Constrata nempe est vestitu deaurato charitatis, & perfectionis cyclade, circumdata varietate omnium virtutum. Hæc enim *Infirmorum semita quasi lux splendens procedit in virtutibus, & crescit de gradu in gradum, ascenditque usque ad perfectum diem, & meridie charitatis perfectæ atque unionis cum Deo, qui pascit & cubat in meridie.* Regula Religiosa est tanquam columna ignis, in nocte hujus sæculi, eos deducens in terram promissam. Est illis veluti scala Jacob, in qua ipsi velut Angeli ascendunt ad Deum per orationem & intimam cum Deo familiaritatem; & descendunt ad juvandum proximum; & Dominus apicem scalæ insititur, eamque sustentat. Est illis via strata, plana & ornata; per quam velut duabus alis charitatis Dei & proximi, instructi volant. Regula quævis Religiosa, & in primis nostra est regula charitatis, quæ

IV.
Est via strata
charitatis & unitiva.

à Dno

à Deo qui charitas est, ortum ducit, & ad eundem perducit: Est lex charitatis, quam Spiritus sanctus cordibus inscribit; in hac perfectionis avidi ambulant, proficiunt ac se perficiunt, implentes illud Apostoli ad Ephes. c. 5. 2. *Ambulate in dilectione.* Et in Regula dilectionis, eamque perfecte observate, ut *seis perfecti & integri in nullo deficientes.*

Ut quis perfecti grammatici nomen & omen sustineat, cunctas Grammaticæ Regulas servet, necesse est, si vel unicam transgrediatur, perfectionem amittit; idem de Rhetorica, Logica, alisque scientiis & artibus, etiam mechanicis, sentiendum est. Haud absimile est in Regulis Ordinum Religiosorum, ut perfecti Religiosi, Ordinis S. Benedicti, S. Dominici, S. Francisci, partes expleas, Regulas Ordinis tui exactè impleas oportet. Idem de Societatis nostræ Regula teneas velim, nisi eam perfecte expleveris, perfectus JESU Socius non eris; si verò perfecte observaveris, magnam perfectionem aut jam adeptus es, aut adipisceris.

Quâ viâ ad tam sublimem perfectionem evasit Beatus noster Aloysius? an per opera grandia, heroica, prodigiosa? minimè: sed per exactissimam Regularum etiam minimarum observantiam. Tam accuratus erat in silentii custodia, ut quod verbis binis profari posset, ternis non effaret: tam paupertatis exquisitè studiosus, ut nec icunculam, nec calammum, nec chartæ foliolum, absque Superioris facultate, sumeret, aut tribueret. Unde in lecto fatali candidè edixit, nunquam à se

Regulam ullam violatam fuisse; & si quandoque visus fuerit eam transgredi, id Superiorum jussu factum esse. Simili modo Venerabilis noster Joannes Bergmannus Belga, quibus viis ad perfectionibus fastigium evolavit? omnem ejus vitam exactè descriptam pervolvite; & ardua, inusitata, grandia haud reperietis; sed accuratissimam minimarum etiam legum nostrarum observationem; R. P. Cornelius à Lapide, quâ autoritate, quâ librorum vulgatorum multitudine ac præstantiâ clarissimus, & prædicto Bergmanno intimus, hoc ei testimonium præbuit, cap. 63. vitæ, hæc illum viâ, inter cætera perfectionem affectum fuisse, quòd propositum firmum fecerit, nunquam veniale delictum admittendi, aut Regulam ullam transgredendi: Unde, ut ait, in ejus notatis, sæpe reperitur scriptum: *Mors potius, quam vel levissimo peccato Deum offendere. Quanta potero animi contentione evitabo quæcumque vel parvum defectum. Mors potius, quam vel unicam violare regulam. Prius valetudinem, quam minimam aliquam Ordinis nostri legem pessundare.* Nec propositis executione detuit: nam conscientia ejus arbiter de interioribus, & Collegii Ministri de exterioribus testatus est, nunquam notatum fuisse, ullam ab eo regulam violatam esse. Idem de B. Stanislao, paucis tyrocini mensibus perfectionis apicem adeptus, legere est.

Quapropter, Dilectissimi, si vos quoque ad perfectionem aspiretis. *Hæc est via, ambulate in ea, & non declinetis neque ad dexteram, neque ad sinistram.*

Regula via est: & quidem 1. Via *recta*, per quam Deus Societatis IESU alumnos, ad perfectionem & regnum Dei deducit. 2. Est via *munda*, via immaculata, eam tenentes à peccatorum maculis præservans. 3. Est via *lucida*, via virtutis & iustitiæ; omnes in ea ambulantes illuminans, & virtutum splendore collustrans. 4. Est via *strata* palliis & vestimentis aureis charitatis, via dilectionis, via unionalis cum Deo; ad quam Divina Bonitas, in omnibus Religionis legibus, sine querela, ambulantes perducit. Ambulemus igitur alacres, curramus, volitemus per rectas, mundas, illustres ac stratas planasque Regularum nostrarum vias: *Via Domino, via recta, via pulchra, via ple-*

ne, via plana, recta sine errore, quia ducunt ad vitam; pulchra sine sorde, quia ducunt ad mundiciam: plena multitudine, quia totus mundus iam est intra Christi sagenam; plana sine difficultate, quia donans suavitate & iugum enim eius suave est, & onus leve. S. Bernardus sermone in hæc verba Sap. 10. His viis ducemur ad perfectionis culmen & ad regnum Dei æternum. *Et ostendit illi regnum Dei. Quod ut l. c. ait S. Bernardus, conceditur, promittitur, ostenditur, percipitur. Conceditur in prædestinatione, promittitur in vocatione, ostenditur in justificatione, in glorificatione percipitur; quando dicitur: Venite benedicti Patris mei & percipite regnum Dei.*



EXHORTATIO II. IN REGULAM LII.

Ostendit Regularum observatores obtinere pacem.

T H E M A.

Quicumque hanc Regulam secuti fuerint, pax super illos.

Ad Gal. c. 6. 16.

Velex Regula. 52.



Celestis Doctorum Aquila S. Augustinus, in explanatione Psalmi 84. utilissimam hanc questionem movet; *Pax quid est?* Et mox responsum

subnectit: *Ubi nullum bellum est, ubi non est contradictio, ubi nihil resistit, nihil adversum est.* Atque hæc est responsio per negationes: verum, Magne Doctor, affirmationem; assertionemque tuam

ex-

expectamus; *Pax quid est?* L. 19. de Civit. c. 13. Quæstionem istam distinctius ventilat, atq; exponit enucleatius, dum primò generatim asserit: *Pax est tranquillitas ordinis.* Deinde ad particularia descendens, hanc partitionem adjicit. Quid est pax corporis? *Est ordinata temperatura partium.* Quid est pax animæ irrationalis? *Ordinata requies appetitionum.* Quid est pax animæ rationalis? *Ordinata cognitionis, actionisque consensus.* Quid est pax corporis & animæ? *Ordinata vita & salus animantis.* Quid est pax hominis mortalis & Dei immortalis? *Ordinata in fide, sub aeterna lege, obedientia.* Quid est pax hominum? *Ordinata concordia.* Quid est pax Domûs? *Ordinata imperandi atque obediendi concordia cohabitantium.* Quid est pax civitatis? *Ordinata imperandi atque obediendi concordia civium.* Quid denique est pax cœlestis civitatis? *Ordinatissima, & concordissima societas fruendi Deo, & invicem in Deo.* Et hæc est perfectissima pax. *Qui posuit fines suos pacem* Psal. 147. 14. Et Hierusalem est visio pacis optatissimæ. In hac vita pax est imperfecta; sed ad illam cœlestem, quam proxime accedit pax illa, quæ in statu Religioso viget, & conservatur accuratâ observatione Regularum. Hæc enim obtinetur pax quadruplex, cum Deo, cum Prælato, cum proximo, cum semetipso: quæ quaterna puncta exhortatione præsentis exponemus.

I.
Observans
Regulam
habet pacem
cum
Deo.

I. Obedientia Regularum parit pacem cum Deo. Pax hominis cum Deo, ex Augustini sententia, est *ordinata in fide, sub aeterna lege, obedientia:*

quando verâ fide illustratus, ejus mandatis obtemperat. Declarat id ipsa Doctor Gentium in Epistola ad Galatas c. 6. 16. dum ait: *In Christo, neque circumcisio aliquid valet, neque præputium; sed nova creatura.* Id est, imperitans est, sive sis Judæus, sive Gentilis, neque hic præ illo aptior, digniorve est Christianismo, seu vitæ Christianâ; sed requiritur *nova creatura.* Id est, anima baptismo & gratiâ Christi regenerata, novaque spiritualis creatura effecta, novam gratiæ vitam sortita, & in novitate vitæ ambulans, Christi Domini vitæ & Doctrinæ se conformans, ac præceptis ejus obtemperans. *Et quicumque hæc Regulam secuti fuerint,* quam modo tradidi, & extra hanc viam non exorbitant atque descedunt, *pax super illos.* Illi pacem & tranquillitatem conscientie possident.

Quod S. Paulus de Christiana doctrina & vita, idem de Regula Religiosa, ex doctrina & vita Christi de prompta dici jure potest. *Quicumque hæc Regulam secuti fuerint, pax super illos.* Sive Prælati fueris, sive subditus; sive professione obstrictus, sive Marthæ munus destinatus; sive doctrinâ conspicuus, sive eâ destitutus; hæc enim per se sola, in Christo parum valet, parum ad pacem conducunt; *sed quicumque hæc Regulam secuti fuerint,* Regulam Ordinis, Regulam Societatis, ex doctrinæ & vitæ Christi axiomatis atque exemplis constatam; *pax super illos.* Illi pacem veram nanciscuntur. Et quidem.

1. Pacem cum Deo. Dum enim Religiosi, non solum Dei & Ecclesiæ præ-

præ-

præcepta; verum etiam consilia Evangelica, & Regulas ad horum observationem necessarias aut utiles custodiunt, omnino sequitur pax cum Deo, quæ ex S. Augustino est: *Ordinata in fide, sub lege æterna, obedientia.* Aut in Religiosis: *Ordinata in fide & Religione sub lege æterna, & lege Ordinis, in ea contenta, obedientia.* Ex hac legum obedientia, oritur pax cum Deo: *Ipse enim est pax nostra, qui facit utraque unum.* Ad Ephes. c. 2. 14. Id est ipse duos populos Judæum & Gentilem Deo reconciliat, & in unum Ecclesiæ corpus conjungit, & charitate admirabili connectit. Idem ille Deus in Ordine Religioso, & in Societate nostra, pax nostra est, qui è diversis nationibus, moribus, linguis, ingenis & gentis vocat, vocatosque charitate connectit, connectisque in unum Societatis corpus compingit. Hos inter vinculum pacis & nexus charitatis, est observantia Regularis: hæc florente, pax & charitas viget; hæc marcescente, pax & charitas collabescit; bellum verò & discordia nascitur, dum destruere nitimur, quod Deus fundat ac stabilit.

Quare, Dilectissimi, pacem hanc cum Deo, procuremus, ut monet Apostolus Rom. c. 5. 1. *Iustificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum, per Dominum nostrum IESUM Christum.* Id est ex fide Christi, confessione, poenitentia, conversione, ac vitæ mutatione, gratiam & justitiam adepti, pacem ad Deum habeamus, atque conservemus. Quæ in eo sita est, ut Deo tanquam Monarchæ ac Domi-

no supremo subdamur, ejusque præcepta ac monita servemus: quod præstamus, dum Regulis nostris paremus: duo enim sunt Regularum & præceptionum genera: alterum, quod Dei præcepta involvit; alterum, quod documenta, perfectæ observationi Legitima Divinæ servientia, comprehendit. Ad primum genus pertinent illa, quæ nulla Regula Religionis non clamat: *Paupertatem, quam Deo vovisti, servabis. Castum, mundumque te custodies. Prælati aliquid imperantibus, obedies, & similia.* Ad secundum, spectant illa: *Silentium custodies: Domo absque Superioris venia non exhibis. Cubiculum Fratris alterius, absque Superioris permisso, non intrabis. Qui primas illas præceptiones implet, implet præcepta Dei; qui has secundas implet, implet monita Dei salutaria, quibus se ad mandatorum observantiam præparat, & ad omnem perfectionem obtinendam disponit.* Ergo qui Regularis observator est, & præceptorum & monitorum Dei custos est; nec potest cum Deo bellum gerere, cujus decrevit voluntati servire.

II. Regularum observator pacem quodque habet cum Prælato. Pax enim Religiosa, est ordinata imperandi & obediendi concordia Religiosorum. Prælati Imperat, subditus obsecundat; & ex eo ordinata concordia nascitur: Prælati Regulam servari mandat, subditus non obtemperat; & ecce, deficit concordia, tollitur obedientia, oritur bellum, pax rumpitur & violatur. Prælati & Superior est Regularum & disciplinæ custos,

II.
Habet pacem cum Prælato.

custos, ut a
bus & Dial
vineæ cuju
viatore p
intraçam
is uvas de
tes evelli
valorem
cidit Præ
subditus
gulam sa
Regular
Superio
nre ten
præ dol
merito
6. Posu
neam m
(Regu
Regu
stendim
gus est n
Sion, Sa
antemur
rum divi
larum. N
à quoga
ne illo p
niatur qu
rum, A
taret, r
que ne
Regular
potest
præcept
tur. Prin
13. 4. non
mali. V
bonum fa
quoque

custos, ut ait Plato, Dial. 3. de Legibus & Dial. 6. de Repub. Qui custos vineæ cujusdam constitutus est, cum viatore pacem colit, quamdiu vineam intactam relinquit: at quamprimum is uvas decerpit, vites destruit, stipites evellit, illico custodem inter & invasorem bellum exoritur. Simile accidit Prælato Regulæ custodi, quocum subditus in pace degit, quamdiu Regulam factam testam servat: si verò Regulam violet, mox pax tollitur; & Superior delinquentem subinde punire tenetur, licet is pœnam sentiat & præ dolore clamet; alioquin Superior meritò cum Sponsa diceret Cant. c. 1. 6. *Posuerunt me custodem in vineis, vineam meam non custodi vi.* Quia vites (Regulas) impunè violari permisi.

Regula, uti in præliminaribus ostendimus, est antemurale: Decalogus est murus: *Urbis fortitudinis nostræ Sion, Salvator, murus in ea ponetur & antemurale*; murus scilicet præceptorum divinatorum, & antemurale Regularum. Nullus autem Gubernatorum, à quoquam antemurale violari finit, ne illo perrupto, aut destructo perveniatur quoque ad labefactandum murum. Ac proinde si quisquam id attentaret, mox bellum oriretur. Ita quoque nemo Prælatorum antemurale Regularum pessundari, dissimulare potest; ne paulatim murus quoque præceptorum impetatur & oppugnetur. *Principes*, inquit Apostolus Rom. 13. 4. *non sunt timori boni operis, sed mali. Vis autem timere potestatem? bonum fac & habebis laudem ex illa.* Ita quoque Prælati non sunt timori bo-

num facientibus & Regulam servantibus; sed malum operantibus, ac Regulas prævaricantibus. Bene enim operantes, viamque Regularum pede inoffenso decurrentes, Prælationem ac Potestatem Superiorum non timent; sed amant, & amantur, cujus amoris sigillum laus est, fructus pax & concordia, mentisque jugis tranquillitas.

Hæc igitur jugis & perpetua pax stimulo nobis sit ad exactam disciplinam Regularem; nisi quis in timore ac discordia cum Superioribus degere malit. *Ut civitas tunc pacem habeat, cum secundum Gubernatoris voluntatem omnia in ea aguntur: sic cum in cœnobio, secundum Præsidentis directionem rectam & rationabilem Fratres disponuntur & vivunt, pacem habet cœnobium.* Et va illi, qui illam impedit, aufert, odit. Ait Dionysius Richelius L. 2. de vita & sine solitud. art. ult.

III. Regularum observans pace gaudet cum proximo, quam Salvator noster nobis quasi pro testamento reliquit: *Pacem meam relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Joan. c. 14. 27. Et ideo Apostolus tories hortatur ad pacem: *Pacem habete, & Deus pacis erit vobiscum.* 2. Corinth. c. 13. 18. Et ipse Dominus in medio discipulorum consistens, ingeminat: *Pax vobis.* Joan. 20. & apud S. Marcum: *Pacem habete inter vos.* c. 9. Hæc autem pax in Ordine Religioso integra & inconcussa servatur, si vigeat observantia Regularum; hæc evertitur & tollitur, si illa infringatur.

Percurre singulas pacisurbationis antas, eaque Regulari observantiâ

III.
Habet
pacem
cum pro-
ximo.

amputari, eliminarique videbis. Quid in Ordine sapius pacem turbat, quam *mentem & iunm*, frigidum illud verbum, seu rerum temporalium possessio? hanc tollit Regula de paupertate. Turbat pacem impurus amor: Regula de castitate hunc eliminat. Turbat pacem propria voluntas: Regula eam refecat. Turbat contentio, & opinionum diversitas: Regula eam vetat; & idem sapere, idem dicere & ab omni contentione abstinere jubet. Verbo, nihil reperias in saeculo paci & quieti contrarium, quod Regula religiosa non averruncet & releget. Adeoque quis illam diligentiam magnam servaverit, cum omnibus pacem habebit.

S. Paulus ad Ephes. c. 4. 3. hortatur illos & in illis nos quoque Religiosos: *Solliciti (ut simus) servare unitatem spiritus in vinculo pacis.* Ut nimirum colligemur vinculo & funiculo pacis. In qua verba D. Chrysostomus hom. 19. scribit. *Quemadmodum si quando te ipsum alteri cuspiam alligari volueris, alia ratione illud non potes, nisi te ipsum illi colligaveris. Ita hic Apostolus alligari nos invicem vult, non simpliciter pacificos esse, neque utcumque diligere, sed in omnibus unam animam esse.* Quanam vero vincula sunt, quibus colligamur, aut quae chordae, quibus membra religionis connectuntur? non aliae nisi leges & Regulae nostrae, quibus membra omnia, in uno quasi corpore colligantur, & unita inter se pace fruuntur. Sicut enim dum nervi sunt integri, recteque dispositi, corpus totum membrorum unione ac pace perfruitur: si vero illi laedantur aut praescindantur,

corpus & dolorem ingentem percipit, & integritatem tuam, pacemque perdit: ita in Religione, stante regulari observantia, tanquam membra bene compacta, unione & pace gaudemus; ea sublatam, mox motibus contrariis dissidemus.

Vinculis hisce, nervisque perquam apte accommodabimus, quod Richardus Victorinus de mandatis exaravit tract. de stat. inter homil. tract. 3. c. 2. siquidem & Regulae specialia quaedam mandata sunt. *Congrua*, inquit, *similitudo vinculorum & mandatorum; vinculis siquidem coarctamur, & mandatis utique Divinis, a nostris voluntatibus coercesmur: vinculis trahimur, vinculis retinemur, vinculis astringimur. Vincula attrahentia praeceptiones; vincula retinentia prohibitiones; vincula constringentia admonitiones. Praeceptio est eorum, quae fieri oportet; prohibitio eorum, quae fieri non licet; admonitio eorum, quae quidem expedit fieri, cum tamen sine culpa possint praeteriri.*

Custodiamus igitur haec vincula illa; ex quibus mutua inter nos pax tota dependet; audiamusque S. Paulum monentem ac rogantem: *Cōsecro vos ego vinctus in Domino, ut digni ambuletis vocatione, quae vocati estis, cum omni humilitate & mansuetudine, cum patientia supportantes invicem, cum charitate, solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Unum corpus & unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae.*

IV. Demum Regularum custos se ipsum in pace constituit. Pax enim quam homo habet cum semetipso; est semetipso.

ordinata

*ordinata v
nata cogn
ordinata
omnia ex
gum no
mus: n
plinae so
sui, d
ordina
saluten
trario
qui ad
praeter
facit:
atque
tem,
non vo
tat; f
nere fa
biis: Se
c. 1. f.
bera;
gressio
gaude
futilim
nuam
Confir
Pfal 4
pliciter
cibus
ne sib
tur
Cate
tians
bona
mala
Si
petas
stude
trepid*

*ordinata requies appetitionum, est ordinata cognitionis, actionisque consensus, est ordinata vita & salus animantis, Quæ omnia ex Augustino audivimus; & legum nostrarum observatione obtinemus: nullus enim est in amore disciplinæ sollicitus, qui non in sinu cordis sui, donum tranquillitatis excipiat & ordinatam requiem, consensionem & salutem dictam reportet. Veluti è contrario, conscientia illum inquietat, qui ad illicita diffluit, qui sibi injuncta præterit, quique suo muneri non satisfacit: quem verò reperit observantem, atque ab eo, quod debet, non deficientem, non reprehendit, non mordet, non vellicat, non turbat, non inquietat; sed in tranquillissima pace permanere sinit. Teste Salomone in proverbii: *Secura mens quasi iuge convivium.* c. 15. Mens non solum à peccatis libera; verùm etiam à Regularum transgressionibus immunis, pace interiore gaudet, & quasi in opiparo & exquisitissimo convivio, deliciis & continuâ animi jucunditate perfunditur. Confirmat hæc omnia S. Ambrosius in Psal 45. dum ait. *Quis puritate & simplicitate pectoris dulcior fructus? Quis cibis suavior, quàm is, quem animus, bene sibi conscius, & mens innocentis epulatur?* Nec dissonat S. Augustinus de Catechiz. rudibus, verissimè pronuntians: *Jucundius est gaudere hominem de bona conscientia inter molestias; quàm de mala, inter delicias.**

Si igitur animi tranquillitatem expetas, Regularum observationi exactè studeas: sic enim nullo metu, ac pavore trepidabis: *Si in præceptis meis ambu-*


laveritis & mandata mea custodieritis, & feceritis ea, absque pavore habitabitis in terra vestra, dabo pacem in sinibus vestris, dormietis & non erit qui exterreat. Levit. c. 26. Igitur *Hic murus aheneus esto, nil conscire sibi, nullâ pallefcere culpâ.* Horat. L. 1. Epist. Et: *Hæc est summa boni, mens qua sibi conscia recti.* Juvenal. satyra 13.

Quare, Charissimi, cum pax tantum sit bonum, vel uti docet S. Augustinus in libris de civ. ut in rebus creatis nihil gratiosius soleat audiri, nihil delectabilius concupisci, & nihil utilius possideri, eam per Regulæ observantiam, & disciplinæ custodiam sollicitè quæramus: nam *Quicumque hæc Regulam secuti fuerint, pax super illos.* Pax cum Deo, cui nos per Regulæ observationem subijcimus: pax cum Superioribus, quibus per Regulæ observationem obsequimur: pax cum proximis; quia cunctas discordiæ ansas per regulæ observantiam, amputamus: pax cum nobismet ipsis; quia observantiâ regulari culpam & pœnam metumque pœnæ, inquietantem penitus refecimus; quâ relectâ, pax regnat: quæ ex mente S. Augustini term. 17. de verbis Domini, est *Serenitas mentis, tranquillitas animi, simplicitas cordis, amoris vinculum, consortiû charitatis. Hæc est qua simulates tollit, bella compefcit, comprimit iras.* Et quadruplicem ante dictam pacem nobis conciliat: servemus igitur Regulam, & pacem in hac vitâ auspicabimur, quam in altera, totâ æternitate perfectissimè prosequemur, ad laudem & gloriam Patris & Filii & Spiritûs S. Amen.

TERNÆ EXHORTATIONES

De Beneficiis seu Fructibus Statûs Religiosi à S. Bernardo relatis
 sermone de quærente bonas margaritas.

*In religione homo vivit purius, cadit rariùs, surgit velociùs &c.
 Quæ vacillantibus in vocatione, fulcrum & frænum, in eadem
 verò stabilibus, gratitudinis, æstimationis & observan-
 tiæ Regularis esse valent calcar & incitamentum.*



EXHORTATIO I.

De quatuor primis beneficiis Statûs Religiosi,

EX S. BERNARDO

*Religiosus vivit purius, cadit rariùs, surgit velociùs, incedit
 cautiùs:*

Tanquam motivis, gratitudinis, æstimationis, & obser-
 vantia Regularis.

T H E M A.

In omnibus gratias agite. 1. Thessal 5. 18.



Mnino necessarium est illi, quem miseratione divina è sæculo nequam eduxit; ut magnitudinem gratiæ, quam obtinuit, agnoscat, & frequenter de ea Benefactori gratias referat. Cùm eduxisset Dominus Filios Israël de Ægypto; ubi gravissimo servitutis jugo premebantur; voluit eos tantum beneficium jugi conservare memoriã, dicens eis: *Memento*

diei hujus, quæ egressi estis de Ægypto. Exodi c. 3. crebroque illis beneficii hujus memoriam reficabat. Non minus sanè, sed longè majus beneficium est,eductio de sæculo maligno, in quo graviter premebamur, vitiorum servituti miseræ subjecti: Malus enim, tot Dominorum servus est, quot vitiorum, ut ait S. Augustinus L. 4. de Civit. quàmeductio corporalis de Ægypto. Ut igitur tantum beneficium clariùs agnoscamus, pluris æstimemus, ferventiùs gratias agamus, & reipsa gratitudinem,

tudinem, regulari observantiâ demonstramus; novena illa beneficia, quæ nobis in Statu Religioso Divina Bonitas concedit, & S. Bernardus recenset, homil. de quærente bonas margaritas, trinâ Exhortatione explanabimus.

I.
Religiosus vivit purius.

I. Primum Status Religiosi beneficium; ut loc. cit. S. Bernardus innuit, est: *In religione homo vivit purius.*

1. Ob paupertatem, quæ ab omni peccatorum scoria, tanquam aurum in igne, animam religiosam emaculat. Isaia c. 48. 10. *Ecce excoxi te; sed non quasi argentum, elegi te in camino paupertatis.* S. Joannes Climacus grad. 17. ait; *Paupertas est abdicatio sollicitudinum sæculi, iter ad Deum sine impedimento, expulsio omnis tristitia, fundamentum pacis, mundatio vite, quæ facit, ut Dei mandata exequatur perfecte.*

2. Ob castitatem; quæ ab inquisitionibus illis, quas S. Jacobus Apostolus in Mundo videbat, & quemvis *Immaculatum se custodire ab hoc sæculo* desiderabat c. 1. liberamur; & pennas, in oratione liberius ad Deum evolandi assumimus: 1. Corinth. 7. *Qui sine uxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo, & præbet facultatem sine impedimento Dominum observandi, & mundo corde Deum videnti, eoque fruendi.* S. Cyprianus L. de sing. Cler. *Castitas est puritatis cūmen, hostis immunditia, Virginitatis mater, corruptionis exitium, fortitudinis firmitas, probitatis presidium, improbitatis excidium, pronuba sanctitatis, abolitio scandalorum, pax virtutum, & debellatio bellorum, lorica pudoris, spoliū*

probofitatis, portus honestatis, triumphatrix dissolutionis.

3. Ob obedientiam; quæ protegit, roborat, & in puritate conservat, dum hostes puritatis debellat: Prov. 21. *Vir obediens sequetur victorias.* S. Climacus gr. 4. *Obedientia est mors voluntaria, vita sine sollicitudine, navigatio sine damno: est iter facere dormiendo, suo onere aliis imposto, & super aliorum ulnas, ne mergaris, natate.*

Contrà verò sæcularis vivit impurius.

1. Ob divitiarum studium. 1. Tim. 6. *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum Diaboli, & desideria multa nociva & inutilia, quæ mergunt homines ad interitum.* Matth. 19. *Amen dico vobis, quia dives difficile intrabit in regnum cælorum, facilius est, camelum transire per foramen acus, quàm divitem intrare in regnum cælorum.* Sed unde obsecro, tanta salutis difficultas nascitur? Quia nimirum magna divitiis, cum vitis est cognatio; cum omnium prope scelerum sint origo: ut rectè probat D. Chrysostomus Hom. 2. in Epist. ad Hebr. *Qui, inquit, in divitiis est, multa sunt, quæ eum à bene agendo impediunt. Inspiciamus, quid facis dives: rapit aliena, æstuat cupiditate, libidini laxat fræna, maleficia cuncta committit. Nonne hæc ex divitiis vides generari?*

2. Ob corporis voluptates, quæ in mundo grassantur & ubique dominantur; & propter quas innumerum æternum damnantur. *Omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est,* ait S. Joannes & Olias Propheta cap. 4. 1.

Maledictum & mendacium, & furtum, & adulterium inundaverunt (instar diluvii) & sanguis sanguinem tetigit. S. Thomas de immunditia mundi loquens, hos versus allegat: Mundus non mundus, qui mundos polluit; ergo Qui manet in mundo, quomodo mundus erit?

S. Augustinus verò tract. 38. in Joann. *Si dilectae te mundus, semper vis esse immundus.* Nec sibi fortissimus etiam, nimium fidat; nam idem S. Doctor in Soliloq. c. 1. *Nihil, ait, esse sentio, quod animum magis ex arce virtutis dejiciat virilem, quam blandimenta foeminarum.*

3. Ob libertatem vivendi propriamque voluntatem: quæ plurimorum delictorum est scaturigo. Job. c. 11. *Vir vanus, inquit, in superbiam erigitur, & tanquam pullum onagri se liberum natum putat.* S. Bernardus serm. 3. de Rurr. *Quid odit aut punit Deus, præter propriam voluntatem? cesset voluntas propria, & infernus non erit: in quem ergo ignis ille desaviet, nisi in propriam voluntatem.* Hæc ergo viperæ pessima est, venenum inferens, hæc omnis impuritatis origo est, & innumeris est causa damnationis.

II.
Cadic
tarius.

II. Alterum beneficium Religiosi Statûs, à S. Bernardo insinuatum est: *Religiosus cadit rarius.*

1. Ob custodiam sensuum. *Super custodiam meam stabo & figam gradum super munitionem.* Habac. 2. 1. Et ab hostibus ero securus, clausis munitio- nis portis. Cassianus L. 2. c. 2. *Sicut certâ agritudine laborantibus, utile est, ut cibi noxi, ne oculorum quidem*

obtusibus offerantur; ita plurimum confere ad depellendum animæ morbum, quies & solitudo, sensuumque exacta custodia.

2. Ob custodiam cordis. Psal. 118. *In corde meo abscondi eloquia tua, ne non peccem tibi.* Hujus custodiæ animæ vitam spiritualem servamus, & mortem arcemus, secundum illud: *Omni custodiâ serva cor tuum, quia ex ipso vita procedit.* Prov. 4. 23. S. Gregorius L. 5. in L. 1. Reg. c. 14. *Quia semper cogitamus: Exquirenda sunt nobis bona, ne mala cogitemus.*

3. Ob exempla bona. Psal. 17. *Cum sancto sanctuseris, & cum perverso perverseris.* S. Gregorius L. Moral. c. 35. *Qui præceptis non accendimur, saltem exemplis excitemur, atque in appetitu rectitudinis, nil sibi difficile mens nostra aestimet, quæ ab aliis perfici perfectè videt.*

E contrario secularis cadit sæpius.

1. Ob negligentem sensuum custodiam. Jeremiæ c. 9. *Ascendit mors per fenestras nostras, ingressa est domos nostras.* S. Chrysostomus præclare pericula hæc explicat hom. 15. ad Pop. *Cognosce, inquit, quia in medio laqueorum transis: processit quispiam in foro, vidit inimicum, & ex solo aspectu exarsit: vidit amicum honoratum, invidit: vidit pauperem, contempsit: vidit infestantem, & indignatus est: vidit speciosam mulierem & captus est: & uxor saepe laqueus factus est, saepe filii, saepe amici, saepe vicini.*

2. Ob negligentem custodiam mentis: ex qua patula, malæque custodi- ta, omnia crimina turmatim ebulliunt.

III.
Surge
videlicet.

DE
liunt. De
ne mala,
catione.
mia, hæc
ait Ma
Quid est
variarum
& inoro
mundu
homil.
tiatur
gratum
lupana
multa
misti
3. C
que oc
tur vid
gerit pi
quis com
perbian
Procliv
Epist. 7
rum vir
ris viti
dit L. c
plis mal
unt, quia
timorum
invitent
totam n
S. Basil
clacat,
quit, lo
corpori
convers
haurium
sentiam
III. T
neficiam

liunt. De corde enim exeunt cogitationes mala, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemias, haec sunt, quae coinquinant hominem: ait Matth. 15. 19. aeterna Veritas. Quid est cor mundanum, nisi patens variarum cogitationum belluarum & inordinatarum diversorium? Ecce mundus universus, inquit S. Macarius homil. 12. obambulat in terra, & negotiatur; sed nihil cogitat, quod Deo sit gratum: tanquam si essent diversoria & lupanaria, aut loca similia, in quibus multa inordinatè & intemperanter committi solent.

3. Ob mala exempla: quae cum ubique occurrant, velint nolint, coguntur videre saeculares, *Qui autem tetigerit picem, coinquinabitur ab ea, & qui communicaverit superbo, induet superbiam*, ait Spiritus sanctus Eccli. 13. Proclivis, enim, ut ait S. Hieronymus Epist. 7. est malorum imitatio, & quorum virtutes assequi nequeas, citò imitatoris vitia. S. Chrysostomus verò addit L. de Provid. Si etiam sine exemplis mala homines per se facile inveniunt, quid non faciendi existimantur, si plurimorum exemplo ad perniciosos actus invitentur? Modicum sanè fermentum totam massam corrumpit 1. Corinth. 5. S. Basiliius præclarè id similitudine declarat, homil. 9. *Ut in pestilentibus, inquit, locis sensim attractus aër, latentem corporibus morbum invehit, sic in prava conversatione, maxima à nobis mala hauriuntur, etsi statim incommodum sentiamus.*

III. Tertium Status Religiosi beneficium, à Doctore Mellifluo rela-

tum est: *Religiosus resurgit citius & velocius.*

1. Ob Sacrae Scripturae meditationem Psal. 118. *In justificationibus tuis meditabor, non obliviscar sermones tuos.* S. Bernardus de Consid. ait: *Consideratio divinarum humanarumque rerum scientiam confert, mentem purificat, regit affectus, dirigit actus, corrigit gressus, componit mores, vitam honestat & ordinat.*

2. Ob verbi Dei auditionem. Itaiæ c. 29. *Nunquid non verba mea, quasi ignis, & quasi malleus conterens petras?* Promisit Deus S. Catharinae Senensis in Dialogis c. 164. *Religio tutior est, quia si quis ibi ruat, aptior est ad surgendum, quia cum majori subsidio se reperit: qualia sunt, crebra verbi Divini auditio, Superiorum, tanquam Medicorum, curatio, Domesticorum colloquia pia & exempla. Qui cum sapientibus graditur sapiens erit.* Proverb. 33.

3. Ob leviolem ex infirmitate lapsum. *Iustus cum cecciderit non collidetur: etenim Dominus supponit manum suam*, Psal. 36. S. Basiliius Reg. brev. c. 81. *Levius peccat Religiosus, cum enim de ineunda Dei gratia sollicitus sit, non de industria; sed casu aliquo & præter animi sententiam labitur, caditque.*

E contrio saecularis resurgit tardiùs.

1. Ob ignorantiam voluntatis Dei, & considerationis defectum: dum novissima & aeterna non meditatut. Itaiæ c. 5. *Propterea captivus ductus est populus meus, quia non habet scientiam*

& no-

III.
Surgit
velociùs.

& nobiles ejus interierunt fame, & multitudo siti exaruit. Id spiritualiter hodie quoque patimur, ait S. Hieronymus hic, sustinentes non famem panis, sed audiendi sermones Dei: quia nec respexerunt opus Domini, nec consideraverunt opera manuum ejus, nec habuerunt scientiam ejus, qui locutus est per Prophetas.

2. Ob Verbi Dei raram & infructuosam auditionem. Ezech. 39. Et eriseis quasi carmen musicum, quod suavi dulcique sono canitur; audiunt verba tua, sed non faciunt ea. Causam assignat Christus Dominus Lucæ c. 5. Quod autem in spinas cecidit: hi sunt qui audierunt, & à sollicitudinibus, & divitiis & voluptatibus vita suffocantur. In quæ verba S. Gregorius homil. 15. in Evangel. ait: Sollicitudines, divitiæ, & voluptates suffocant Verbum, quia importunas cogitationibus guttur mentis strangulant; & dum bonum desiderium ad eas transire non sinunt, quasi aditum flatûs vitalis negant.

3. Ob graviorem ex malitia lapsum. Malach. c. 3. 14. Dixistis: Vanus est, qui servit Deo: & quod emolumentum, quia custodivimus præcepta ejus? & quia ambulavimus tristes coram Domino exercituum? ergo nunc beatos dicimus arrogantes: siquidem adificati sunt facientes impietatem, & tentaverunt Deum & salvi facti sunt. S. Basilius reg. brev. c. 81. Qui verò de vulgo est, & in utramque partem nihil pensi habet, is cum nullam neque sui, neque Dei rationem habeat, neque quicquam omnino referre existimet, peccetne, an rectè agat, gravissimis duobus malis laborat; videlicet, quòd aut Deum contemnit aut

tollit penitus. Non est timor Dei ante oculos eorum. Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt. Psal. 35. & 52.

IV. Quartum beneficium Statûs religiosi, à S. Bernardo adductum est: *Incedit Religiosus incedit cautius.* IV. Incedit cautius,

1. Ob peccatorum præteritorum recordationem. Psal. 17. Et ero immaculatus cum Deo, & observabo me ab iniquitate mea. S. Chrysostomus de compunct. Oportet recordari priora delicta, ut intuentes, quàm ingentem molem debiti nobis remisit Deus, & amplius eum diligere possimus, & pudorem concipere, atque ex his corde compungi.

2. Ob periculorum præsentium considerationem. Proverb. 1. Frustra jacitur rete ante oculos pennatorum. Religiosi quotidianis, iisque profundis meditationibus perpendunt & ruinant hujus vitæ pericula, quæ enumerat S. Bernardus serm. de lig. fœn. & Itip. Nusquam est securitas, nec in cælo, nec in paradiso, nec in mundo: nam de cælo Angelus, de paradiso Adam, de schola Christi, Judas excidit. Non locus homines, sed homines locum sanctificant. Atque ita fit, quod ait S. Theodorus Studita: Ut piis implexi cogitatis & distenti, hostiles laqueos evadamus. Sermone 42.

3. Ob præmiorum futurorum retributionem. Psal. 118. Inclinaui cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum, propter retributionem. S. Bernardus de tripl. Ind. Ad portum voluntatis, in qua solent manere carnalia desideria, tanquam in domestica familia. Statuatur ostiarius, qui vocatur recordatio. cælestis patria: hic enim potest, prævium

pravum desiderium, quasi cuneus cuneum expellere, & ipsum, qui ait, ego sto ante ostium & pulso, sine cunctatione recipere.

Contrà verò secularis incedit inconsideratiùs.

1. Ob oblivionem præteritorum peccatorum. Jerem. 8. *Nemo est, qui agit poenitentiam super peccato suo, dicens, quid feci? omnes conversi sunt ad cursum suum, quasi equus impetu vadens ad prælium.* S. Chrysostomus de compunct. *Consuetudine contemnendi, dum de præteritis nullus dolor est, faciliùs supervenientibus malis locum damus, quasi ex anima omnis stimulus auferretur: Quis eam de præcipitiis revocabit?*

2. Ob præsentium periculorum neglectum. Rident mundani pericula, nec timent, sed amant; *Qui, autem, amat periculum peribit in illo,* Eccli.

3. S. Gregorius Nyssenus de Virg. c. 4. *Qui Sodoma habitavit, igneos imbres effugere non poterit, neque ab Egyptiorum servitute, se quispiam vindicabit, nisi Egyptum deserat.*

3. Ob Dei præsentis oblivionem. Psal. 9. *Exacerbavit Dominum peccator; non est Deus in conspectu ejus, inquinate sunt visus illius in omni tempore.* S. Ephrem tom. 2. c. 10. *Nihil pejus graviùsque, quam Dei oblivionem capere.*

In continua Dei recordatione, turpes animæ passiones recedunt instar maleficorum, Præiore accedente. Ubi verò Dei memoria abest; ibi tenebra cum fixore dominatur, omnisque res improba exercetur.

Quare, Charissimi, cum omnipotens, Dei miserentis manus, nos ex Ægyptiacâ mundi servitute eduxerit; & in statu Religioso collocarit, ubi homo ex sensu D. Bernardi, & experientia teste, *Vivit puriùs, cadit rariùs, surgit velociùs, incedit cautiùs.* Est, quòd summas benignissimo Numini grates referamus: tot tantaque nobis exhibita beneficia in hoc statu felici, agnoscamus; Benefactorem laudemus & glorificemus, & re ipsa gratos nos exhibeamus, non solum puriùs vivere, rariùs cadere, velociùs surgere, & cautiùs incedere conando; verum etiam omnes statûs nostri Regulas, in animi grati signum, accuratione quàm maximâ observare satagendo. *Felix, ait S. Bernardus, qui ad singula dona gratia, redit ad eum, in quo est plenitudo omnium gratiarum, cui dum nos pro acceptis, non ingratos exhibemus, locum in nobis facimus gratia, ut majora adhuc accipere mereamur.*



EXHORTATIO II.

DE ALIIS TRIBUS BENEFICIIS,

In Statu Religioso nobis à Deo exhibitis,

Religiosus quiescit suavius, irroratur frequentius, purgatur citius.

Tanquam motivis gratitudinis, æstimationis, & observantiæ Regularis.

T H E M A.

Grati estote. Ad Coloss. 3.

Lumina, ad locum unde exeunt, revertuntur, ut iterum fluant. Eccl. 3. Flumina gratiarum, ad fontem, unde manarunt, revertantur oportet, per animi grati memoriam & testificationem. Qui enim gratiam acceptam non agnoscit, & de ea gratias non agit, alterius gratiæ susceptione se indignum reddit. Unde S. Augustinus: *Quod Deus dederat gratis, tulit ingratias, non est dignus dandis, qui non agit grates de datis.* Sanè noster Pater Didacus Martinez, Regni Peruani Apostolus, ab incolis nuncupatus, quotidie, quadringentis vicibus, interdum sexcentis, quas globulis rosarii numerabat, hæc verba proferebat; *gratia Deo; vel Deo gra-*

tias: idemque aliis faciendum suadebat, asserens, non esse orationem breviorē, oculisque divinis acceptiorē. Lancic. opusc. 11. c. 10. n. 104. Gratiæ igitur referendæ, tum ob alia beneficia, tum ob grande beneficium vocationis ad statum religiosum, atque ut magis gratum animum demonstremus, tum affectibus, tum verbis, tum operibus, ac præcipuè regulari observantiâ; præter quaterna beneficia priore exhortatione explicata, nunc terna alia adjungemus: scilicet Religiosus *Quiescit securius, irroratur frequentius, purgatur citius*, quibus omnino contraria, secularibus accidunt.

I. Quintum ordine beneficium statui Religioso annexum, recensente Doctore Mellisuo, est: *Quiescit securius.*

1. Ob gustam vittatam: quibus Reli-

V.
Religiosus quiescit securius.

DE
Religiosus
& sub patre
in ac dicitur
det. Op
c. 32. pax
securitas
huius populi
& in tab
lenta.
Pop. L
aliquid
scientia
intrinseca
sermon
2. C
cem,
me affe
debo in
mentis
circum
tam cor
monilib
dam ho
servos,
dum p
suavita
si in reg
accum
sam in
luptate
corpor
& sum
si corp
sancti
& Sap
rescere
ceantur
explica
3. O
Religio

Religiosus, à curis sæcularibus liber, & sub paterna Superiorum providentia ac directione quiescens, unice studet. *Opus autem justitiæ, ut ait Isaias c. 32. pax & cultus justitiæ silentium & securitas usque in sempiternum. Et sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiducia, & requie opulenta.* S. Chrysostomus hom. 63. ad Pop. *Licet virtus in ejus exercitatione aliquid laboris habet, multa tamen conscientiam implet delectatione, tantam intrinsecus exhibet voluptatem, ut nullo sermone exprimi possit.*

2. Ob dona Spiritus sancti: quæ pacem, tranquillitatem & gaudium animæ asserunt. *Isaias c. 61. Gaudens gaudebo in Domino, quia induit me vestimentis salutis; & indumento justitiæ circumdedit me, quasi sponsam decoratam coronâ, & quasi sponsam ornatam monilibus suis.* S. Macharius in quadam homilia, testatur Religiosos, Dei servos, tanto Spiritus S. gaudio interduos perfundi, tantæque dulcedine, suavitate, ac consolatione repleri, ac si in regio convivio magnificentissimo accumberent; aliàs non secus, ac sponsam in divinis amplexibus, cælesti voluptate liquefcere; aliàs ut Angelos corporis expertes, tantam levitatem & simplicitatem acquirere, tanquam si corpore carerent. Aliàs, Spiritus sancti dono, quod intellectus dicitur & Sapientiâ, eorum mentes ita inclarescere, ut momento temporis, ea doceantur, quæ nullius oratio valeat explicare.

3. Ob solatia interna: quibus in Religionis horro irrigamur, & tan-

quam manna, in deserto Ordinis reficimur: secundum *Isaias c. 51. vaticinium: Ponet desertum ejus quasi delicias, & solitudinem quasi hortum Domini; gaudium & lætitiâ invenietur in ea, gratiarum actio & vox laudis.* Et *Psal. 117. Vox exultationis & salutis in tabernaculis justorum:* unde fatetur S. Augustinus L. 9. Confess. c. 1. *Quam suave mihi subito factum est, carere suavitatibus nugarum: & quas dimittere metus fuerat; jam dimittere gaudium erat: ejiciebas enim ea à me tu vera & summa suavitas: & intrabas pro eis, omni voluptate dulcior; sed non carni & sanguini.* Hic ergo est lectus ille floridus, in quo dulciter quiescimus: teste S. Bernardo serm. 46. in Cant. In Ecclesia, lectum in quo quiescitur claustra existimo esse & monasteria, in quibus quietè vivitur à curis sæculi & sollicitudinibus vitæ.

E contrario sæcularis vivit perturbatius.

1. Ob vermem conscientie; diu notuque instar spectri territantem, instar inimici insultantem & minantem: instar vermis corrodentem, nullamque requiem permittentem. Docet id Sapientissimus Regum Salomon Sap. c. 1. *Cum sit timida nequitia, dat testimonium damnationis, semper enim presumit perturbata conscientia.* Ac proinde rectè dixit S. Gregorius in *Psal. 45. Inter omnes tribulationes humane animæ, nulla est major, quam conscientia delictorum.*

2. Ob vitiorum tyrannidem. Joan. 8. *Qui facit peccatum, servus est peccati.* S. Chrysost. in 2. ad Corinth. hom. 9.

Barbarum est peccatum, tyrannidem exercens in animam semel captam. Et S. Augustinus L. 8. de civ. Dei c. 3. Malus servus est, non unius hominis, sed tot dominorum, quot vitiorum.

3. Ob Dæmonum vexationem. 1.

Joan. 3. *Qui peccatum facit, ex Diabolo est; quoniam ab initio Diabolus peccat.* Tertullianus de lu. *Peccator traditur Diabolo, quasi carnifici in pœnam ut Saul.* S. Augustinus L. 8. conf. c. 5. *Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenâ fecerat, & constrinxerat me.*

H.
irroratur
frequen-
tiss.

II. Sextum Religionis beneficium ex mente Doctoris Mellisui est: *Irroratur Religiosus frequentiss.*

1. Ob bonam dispositionem: cum enim Religiosi, omnia amore Dei relinquunt, & ad Deum quam proximè accedant, ad ejus similitudinem aspirantes, & gratiæ ejus cooperari fatigentes, Deus erga illos se liberaliorem, quam erga mundanos exhibet, eisdemque rote Divinarum Illustrationum, inspirationum, consolationum, & auxiliorum gratiæ perfundit. *Deus enim, ut docet S. Dionysius L. 1. de div. nom. §. 1. Radium illum super substantiam sibi perseveranter insitum cuiuslibet rei, congruis illuminationibus, clementer attemperat: nec non, quantum fas est, ad contemplationem, ac communionem similitudinemque sanctas mentes trahit, quæ ad ipsum, quo ad possunt, conituntur.* Dilata ergo ostium, & implebo illud. Psal. 82.

2. Ob custodiam Divinæ gratiæ. matth. 13. *Qui habet dabitur ei & abundabit, qui autem non habet, & quod habuit auferetur ab illo.* S. Hieronymus Epist.

127. ad Fabiol. ait: *Timor virtutum custos est, unde cum Propheta dixisset: Dominus regit me & nihil mihi deerit, in loco pascuæ, ibi me collocavit; jungit timorem qui custos est virtutum: virga tua & baculus tuus, ipsa me consolata sunt.* Unde B. Egidius, ut refert Surius, & Wadingus L. 2. Annal. Ann. 1262. n. 34. dicebat: *Mallet ego gratiam unam in Monasterio, quam decem in seculo: quæ enim in Monasterio obtinetur gratia, & crescit faciliè & bonè custoditur.*

Ob familiaritatem cum Deo, in vocatione, meditatione & contemplatione. *Latificabo eos in domo orationis meæ.* S. Bernardus serm. 18. in Cant. *Orando, inquit, bibitur vinum latificans cor hominis, vinum spiritus; quod inebriat; & carnalium voluptatum inducit oblivionem.* Religio autem est domus orationis; in quâ Deus lætitiâ animabus puris infundit, suâ luce illabitur, sanctitatis suæ radiis illustrat, & consolatione spirituali delectat, dum modò cum Angelis, modò cum Sanctis, modò cum horum Regina, modò cum suprema Dei Majestate familiari conversatione.

E contrario sæcularis irroratur rariùs.

1. Ob terrena solatia. Job. 28. *Sapientia ubi invenitur! nescit homo pretium ejus, nec invenitur in terra suavitè viventium.* S. Bernardus Epist. 2. *Quo modo ignis & aqua simul esse non possunt; sic carnales & spirituales deliciae se in eodem non patiuntur.*

2. Ob neglectum Divinæ gratiæ. Hebr. 6. *Terra enim sapor super se venientem bibens in herbam, & generans*
herbam

herbam opportunam illis, à quibus colitur, accipit benedictionem à Deo: proferens autem spinas & tribulos, reprobata est, & maledictioni proxima, cuius consummatio in combustionem. Neglectus verò ille, unde oritur in mundanis, nisi ex regno vitiorum & scelerum in mundo dominantium, & regnum gratiæ evertentium? *O, misera servitus*, exclamat ingemiscens Augustinus L. 1. de lib. abit. c. 11. *Cùm cupiditatum regnum tyrannicè seviet, & variis, contrariisque tempestatibus, totum hominis animum, vitamque perturbet. Quaquaversum potest illum coarctare avaritia, dissipare luxuria, inflare superbia, torquere invidia, desidia sepelire &c.* Et quid hæc aliud agunt, quàm gratiæ regnum impugnare & evertere? & quis mundanorum ab his tempestatibus liber evadit?

3. Ob infrequentiam orationis: tum quòd vel innumeris curis & negotiis distentus rariùs orationi se totum dedat; tum, quòd etiamsi orationi vacet innumeris sollicitudinibus, tanquam importunis interpellatoribus, mens avocetur & perturbetur. *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me.* Matth. 15. Et qui cor ejusmodi, non collectum, sed dissipatum, Divinæ consolationis rorem excipiet? S. Chrysostomus serm. 1. de orand. Deum: *Quisquis non orat Deum, is mortuus est. ex persque sana mentis, & simpliciter impossibile est absque precationis præsidio, cum virtute degisse. Cùm video non amantem orandi studium; nec hujus rei fervidâ curâ teneri: continuo mihi palam est, eum nihil egregia dotis*

in anima possidere. Adeòque nec dignum esse, qui manna cœlestium consolationum degustet, aut rore spirituales dulcedinis perfundatur.

III. Septimum Religiosæ vitæ beneficium, à S. Bernardo insinuatam est: Religiosus purgatur citiùs: scilicet à peccatis venialibus, sine quibus hæc vita mortalis non ducitur, etiam à Religiosis: tum etiam ab eorum pœnis, tam in hac vita, quàm in flammis purgantibus persolvendis: purgatur autem citiùs Religiosus, cæteris paribus, quàm secularis.

1. Ob sanctas admonitiones, quibus à Superioribus corripitur & citiùs corrigitur. Eccles. 12. *Verba sapientum sicut stimuli & quasi clavi in altum infixi, qua per Magistrorum consiliùm data sunt.* S. Climacus gradu 4. *Qui increpationem suscipit, iste suorum delictorum veniâ & remissione potitur.*

2. Ob Divinas inspirationes. Osee 2. 14. *Ecce ego lactabo eam, & ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor ejus.* S. Augustinus serm. 13. de verb. Apost. *Tunc bene agis, si à bono agaris spiritu: spiritus enim Dei qui te agit, adjutor est agentibus: nemo agitur, si ab illo non agatur: spiritus enim adjuvat infirmitatem nostram.*

3. Ob usum Sacramentorum crebriorem; Pœnitentiæ nimirum & Eucharistiæ. Isai. c. 12. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.* Aquas remissionis, ad diluendas culpas, ut exponit S. Bern. serm. 1. de nativ. Dom. Et idem in serm. de cœna Domini. *Duo operatur Sacramentum! Eucharistia nobis, ut videlicet sensum minuat*

in minimis, & in gravioribus peccatis tollat omnino consensum. Hic accedit quod Religiosus plura opera satisfactionis, mortificationis & pœnitentiæ præster, quàm sæcularis: & post mortem pluribus Fratrum suorum precibus atque operibus satisfactoriis adjuvetur.

E contrario sæcularis purgatur difficilius.

1. Ob rariorem Sacramentorum usum. Joan. 6. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, nō habebitis vitam in vobis.* S. Chryostomus in 1. Corinth. Homil. 24. *Frigida ad Eucharistiam accessio periculosa est: ita nulla mystica hujus cœnæ participatio pestis est & interitus: ipsa namque mensa, anima nostra vis est, nervi mentis, fiducia vinculum, spes, salus, lux & vita nostra.*

2. Ob rariiores divinas inspirationes: quibus, sæcularis vel ob alia negotia & curas, vel ob peccata, animum præparat, vel locum non præbet. Sap. 5. *In malevolam animam non introibit sapientia, Spiritus sanctus disciplina, effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu.* S. Bernardus serm. 54. in Cant. ait. *Superbia inventa est in me, & Dominus declinavit in ira à servo suo; hinc ista sterilitas anima mea, & devotionis inopia, quam patior. Non compungor ad lacrymas, quia non sapit Psalmus; non legere libet; non orare delectat; ubi mentis serenitas, gaudium & pax in Spiritu sancto?*

3. Ob rejeetas admonitiones. Proverb. 1. *Via vite custodienti disciplinam: qui autem increpationes relin-*

quit, errat. S. Gregorius L. 10. Mor. c. 3. *Ut recti correptionis vocem ministerium charitatis æstimant; sic perversi contumeliam divisionis putant: illi se potius ad oberliendum sternunt; isti ad insaniam defensionis eriguntur. Illi correptionis adjutorium, vita patrocinium deputant: isti, cùm se impeti redargutione conspiciunt, gladium percussionis credunt.*

Quare, dilectissimi, cùm etiam terrena hæc beneficia in nos contulerit larga miserentis Dei manus; quod scilicet in Societate quiescamus securius, irroremur frequentius, purgemur citius; quæ sanè maxima dona sunt, immeritis liberalissimè collata, facilè cernitis, quas laudes, quas gratiarum actiones, propter illa Deo reddere debeamus; & simul quanti beneficium vocationis nostræ æstimandum, in quo tantis bonis fruimur. Nec solùm beneficia hæc agnoscenda sunt, & gratiæ referendæ; sed & pro viribus compensanda sunt: nam ut S. Ambrosius ait, L. 6. Hexam. c. 4. *Vel ipsis bestiis insita est natura, ut grates referant, & canes sollicitas custodias pro Dominorum salute præstant.* Quæ verò ratione beneficia tanta melius liberaliusque compensabimus, nisi vitam vocationi nostræ conformem ducendo, & Regulas, nobis porrectas, ad amissim observando: quod si præstiterimus, ingentem animi pacem, tranquillitatemque obtinebimus, cœlestibus deliciis ac solatiis crebro irrorabimur, citiusque & in hac vita & in igne purgante, ab omnibus inquinamentis nostris emundabimur.

EXHOR-



EXHORTATIO III.

DE DUOBUS ULTIMIS BENEFICIIS IN STATU
RELIGIOSO NOBIS COLLATIS,

Religiosus moritur confidentius, remuneratur copiosius.

Tanquam efficacibus motivis, gratitudinis, æstimationis, &
observantiæ Regularis.

T H E M A.

Confitebor tibi Domine in toto corde meo. Psal. 110. 1.



Anst. Chrylostomus in prædicatione Psalms verba scribens: *Confessionem, inquit, hinc mihi videtur (Propheta Regius) dicere gratiarum actionem. Laudabo, ait, gratias agam: totam enim vitam in hoc consumpsit, ab hoc exorditur, & in hoc desinit. Et Deus nihil aequè atque hoc postulat. Hoc est sacrificium, hoc oblatio, hoc est pii & grati animi signum, hoc vulnus infert diabolo.* Prophetam imitari decet nos Religiosos, qui tam excellentibus, præ mundanis, à Deo beneficiis cumulati sumus: quod si negligamus, sanè ipsi brutis animantibus deteriores sumus. Draco juvenem, à quo educatus fuerat, à latronibus defendit Patris in Achaia. Ut

refert Ælianus L. 13. Leo servum Androdum, qui sibi spinam extraxerat, diu Romæ aluit, & eidem in theatro non nocuit, sed blanditus est, ut narrat Gellius L. 5. c. 14. Aquila à serpente implicata, à messore liberata, ei poculum venenatum è manibus excussit. Causs. Pol. 6. 22. Alia aquila Virgini altrici suæ, aves aliòsque venatus ingessit, & in mortuæ rogum se injecit ibid. Ciconia, Heraclei femina, quæ illi vulnus obligaverat, præstantem lapidem in sinum demisit. ibid. 40. S. Macarius Alexandrinus visum reddiderat duabus parvis lenibus cæcis, earum mater attulit altero die viro sancto pellem ovis, ut narrat Palladius in histor. Lausiac. c. 20. scdum igitur est, Religiosos à bestiis superari, & ingratos sese pro majoribus, præstantioribusque beneficiis, Deo exhibere. Quare gemina beneficia.

ficia Statûs Religiosi , à S. Bernardo ultimo loco recensita , sed longè maxima consideremus : scilicet Religiosus *moritur confidentius , & pramiatur copiosius* , ut nos gratos & æstimatione tantorum beneficiorum , & Regularum observantiâ exhibeamus.

VIII.
Moritur
confiden-
tius.

I. Octavum beneficium , à liberalitate divina Religiosis probis præstari solitum est : *Mori confidentius*. Ob- eunt enim diem suum , spe & fiducia pleni.

1. Ob bona opera facta. Quid est vita omnis Religiosorum , nisi catena bonorum operum ? percurre diem ab ortu solis ad occasum , & nil nisi orationem , meditationem , studia , laboresque pro Deo & animarum salute susceptos reperies ; quibus peractis , tandem , post mortem tanquam navis pretiosis onusta mercibus cœlestis patriæ portum feliciter ingreditur. Rectè enim Job. c. 5. 26. de talibus ait : *Ingredieris in abundantia sepulchrum ; sicut infertur acervus tritici in tempore suo*. Cui consentit S. Hieronymus Epist. 34. *Felix* , inquit , *& omni dignus beatitudine , quem senectus Christo occupat servientem : quem extrema dies invenit , Christo militantem Salvatori : qui non confundetur , cum loquetur inimicis suis in porta ; cui in introitu paradisi dicetur : recepisti mala in vita tua : nunc autem hic latare*.

2. Ob mala opera omissa. *Timentis Dominum bene erit in extremis , & in die defunctionis sua benedicetur*. Eccli. c. 1. In illa enim hora , bene illi erit , quia sæculum fugit , quia scelera graviora declinavit , aut si quæ in sæculo

admisit , totius vitæ homologesi expiavis Bene illi erit : quia negotiationis suæ rationibus non implicaturo , quia mundi aut diaboli retibus non constringitur , nec carnalibus concupiscentiis detinetur. Ac proinde securè & confidenter diem suum obit. S. Bernardus ad mil. templ. c. 1. *O vita* , exclamat , *secura , ubi pura conscientia ! O inquam vita secura , ubi absque formidine mors expectatur , imò & expectatur cum dulcedine , & excipitur cum devotione !*

3. Ob auxilia Fratrum. Quanto enim est solatio , Viro Religioso , in corona Fratrum , amicorum Dei & filiorum dilectissimorum , fide magnâ & fiducia orantium , Dei opem implorantium ac consolantium , vitam suam claudere ? certè ex historiis fide dignis constat , Dæmones cæteroquin calcaneo vel maxime insidiantes Fratribus piè orantibus , infirmorum lectulo appropinquare non ausos. Proverb. 18. *Frater , qui adjuvatur à fratre , quasi civitas firma* : Quæ à pluribus melius contra hostes defenditur , quàm ab uno : ut rectè notat S. Leo serm. de jejun. sept. mens. *Ecclesiasticus miles* , ait , *etiamsi specialibus praeliis possit fortiter facere : tutius tamen dimicabis , ubi non suis tantum viribus certamen inest : minore enim discrimine multis conflagunt cum hoste , quàm singuli : nec tam facile patet vulneris locus , quem opposito scuto fidei , non sua tantum , sed etiam aliorum fortitudo defendit , ut ubi una omnium est causa , sit una victoria*.

Contrà secularis juxta mundi leges

D
in peccatis
1. Ob
in hora m
quam leon
no territa
replent.

Antiochu
tribulatio
tristitia
eram &
vero tem
salem ;
nerunt
gnâ in
rectè t
Evang
terribili
vor me
ria : qu
malign
ra regu
replica

2.

preces
junia
nas eg
convi
quo ef
lare, n
instan
Tbetel
suum
stater
s. O
siones
fuisse
operib
ur ait S.
ad Eph
facere.

Pa

in peccatis vivens, moritur desperatius.

1. Ob peccata commissa: quæ eum in hora mortis ceu hostes capitales, tanquam leones & tigrides, circumdant, ac territant: & mœrore atque angustia replent. Ut expertus est impius Rex Antiochus, qui dicebat: *In quantam tribulationem deveni! & in quos fluctus tristitia in qua nunc sum, qui jucundus eram & dilectus in potestate mea; nunc verò rememiscor malorum, quæ feci in Jerusalem; cognovi ergo, quia propterea invenerunt me mala, & ecce pecco tristitiâ magnâ in terra aliena.* 1. Mach. 6. 11. Quare rectè monet S. Gregorius hom. 39. in Evang. *Cogitandum nobis, quantum erit terribilis hora nostra resolutionis; qui pavor mentis: quanta tunc malorum memoria: quæ oblivio transactæ felicitatis: tunc maligni spiritus, egrediente animâ, sua opera requirunt; tunc mala, quæ suaserunt, replicant; ut sociam ad tormenta trahant.*

2. Ob bona omissa. Quoties enim, preces & sacra intermisit? Quoties jejunia statâ violavit? Quoties elemosynas egentibus denegavit? Quoties in convivia & luxum fastumque impendit, quo esurientes pascere, infirmos refocillare, nudos amicare valuisset. Sed nunc instante abitûs obitûsque horâ: *Mane, Thecel, Phares, numeravit Deus regnum tuum, & complevit illud: appensus es in statera, & inventus es minus habens.* Dan. 5. O quo dolore tot meritum occasiones & quasi aurifodinas, à se neglectas fuisse deplorabit! nec sese de omnis operibus bonis, purgare poterit? Nam ut ait S. Chrysostomus hom. 10. in epist. ad Ephes. *Nihil boni facere, hoc est mala facere. Dicis enim velim, si famulum ba-*

Pars Regular.

beres, qui non furaretur, non convitiaretur, nec quicquam malis faceret; sederet tamen toto die otiosus, non flagellaret illum.

3. Ob Judicis metum. Et quis non timeat Deum omnipotentem, justum & terribilem in consiliis super filios hominum? Quis non timeat Judicem, quem sapius gravissimè offendit; nec placavit? Quis non trepidet ad conspectum illius, qui omnes machinationes malignas plenè cognoscit, & nihil impunitum relinquit? Quis impiorum non reformidet ac tremat ad intuitum illius, coram quo etiam columnæ cæli contremiscunt? Et sanè: *Si justus vix salvabitur; impius & peccator, ubi parebunt?*

1. Petri 4. Rectè S. Hieronymus in epist. ad Titum: *Sicut impietas magni Dei reformidat adventum; ita secunda de opere suo pietas illum prestolatur.*

II. Nonnum denique beneficium, & reliquorum coronis ac bravium, Religio: vitæ à Deo promissum, est: *Remuneratur copiosius.*

1. Ob vota religiosa. Quanta enim præmia Salvator noster Religiosis ore suo sacrosancto promittere dignatus est, omnia relinquentibus? Et quibus natâ aliis similia spondit? Matth. 19. *Omnis, qui reliquerit domum vel fratres aut sorores, aut Patrem, aut Matrem, aut uxorem, aut Filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Ia quæ verba S. Bernardus serm. Ecce nos reliquimus. *Hec, ait, sunt verba, quæ contemptum mundi in universo mundo, & voluntariam pauperatatem hominibus persuadere. Hec sunt, quæ Monachis claustra replent, deserta anachoretis: hæc, inquam, sunt verba quæ Egyp-*

inim spoliant, & optima quaque ejus vasa diripiunt. Hic sermo vivus & efficax, convertens animas felici emulatione sanctitatis, & veritatis promissione fideli.

2. Ob victoriam illustrem de debellato mundo, carne & diabolo. *Qui viderit, dabo ei edere de ligno vite. Qui viderit, dabo ei calculum candidum*, scilicet æternæ beatitudinis: *Qui viderit, faciat illum columnam in templo Dei mei*: ait S. Joannes in Apocalypsi. Hæc sunt præmia & coronæ Religiosorum generosè certantium, victoriamque de hostibus suis reportantium, & cum Apostolo gloriantium: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi; de reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus Judex, non solum autem mihi; sed & iis qui diligunt adventum ejus.* 2. Tim. 4. Augustinus L. 2. Conf. c. 13. *Posthac dedit mihi Deus gratiam promerendi bona vite æternæ, quam in tribus maximè positam arbitror: in odio præteritorum malorum, in contemptu præsentium bonorum; in desiderio futurorum.*

3. Ob imitationem Christi. *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris; sed habebit lumen vite.* Joan. 8. & Matth. 19. *Vos qui reliquistis omnia & secuti estis me, in regeneratione cum sederit filius hominis in sede Majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israël.* S. Gregorius L. 26. Moral. c. 20. *Qui præcepta legis perfectione virtutum transcendunt; hi in extremo iudicio non judicantur, quia cum Authore suo etiam iudices veniunt: relinquentes quippe omnia, plus promptâ devotione executi sunt, quàm juberi generaliter audierunt.*

Contra, sæcularis, mundi principiis se conformans, & in sceleribus vitam finiens torquetur copiosius.

1. Ob agnitam & non servatam viam justitiæ. Lucæ 12. *Servus qui cognoscit voluntatem Domini sui & non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis.* Venerabilis Beda in cap. 12. Lucæ. *Majori gratiâ donatos, si deliquerint, major vindicta sequetur.*

2. Ob neglecta Dei dona. Matth. 11. *Va tibi Corozaim, va tibi Bethsaida; quia si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere penitentiam egissent.* Audient enim Judicis exprobrationem: *Serve nequam quare non dedisti ad mensam pecuniam & talenta tibi tradita ad negociandum? Auferite ab isto namam. Habenti enim dabitur, & non habenti, etiam quod habet, auferetur ab eo, & inutilem servum projicite in tenebras exteriores, illic erit fletus & stridor dentium.* Matth. 25. Cur autem horrendum illud vix, prædictis civitatibus intentat benignissimus Salvator? rationem reddit S. Hieronymus ibidem: *Hoc idè est, quia Tyros & Sidon naturalem tantum legem calcarunt: ista vero civitates, post transgressionem naturalis legis & scriptæ, etiam signa, quæ apud eos facta sunt, parvi duxerunt.*

3. Ob diaboli imitationem. Matth. 25. *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis ejus. Qui enim facti peccatum, ex Diabolo est.* 1. Joan. 3. 8. *Sicut qui facit justitiam, justus est, & ex Deo natus; ita ex adverso, qui facit peccatum, injustus est, & natus ex Diabolo, quia ejus actiones & suggestiones sequitur. Esse ex Diabolo*

*Diabolo, est imitari Diabolum, ait Sa-
ctus Augustinus. Cùm ergo peccator,
in mundo degens Diabolum imitetur,
ejus opera patrando: Quoniam Diabo-
lus ab initio peccat. l. c. est quasi de ejus
regno, profapia & familia; eumque
sequitur ac imitatur ceu filius Patrem.
Quid igitur miri, si cum eodem dirius
abundantiùsque in carcere infernali tor-
queatur?*

Quæ cùm ita sint, ut ex divinis li-
teris, Sanctorumque Patrum volumini-
bus comprobavimus, Charissimi, si
quem vestrum Dæmonis astutia tenta-
verit, & sæculi voluptates oculis mentis
objecerit; beneficia ista sanè maxima
perpendite, & omnes mundi illecebras,
ut fluxas, ut vanas, ut puerorum cre-
pundias deridebitis. Si quis vestrùm,
quod absit, in vocatione sua religiosa
vacillaverit, aut retrò respicere cœperit;
dicta beneficia seriò meditetur; &
damna ac pericula iis contraria confide-
ret, & fluctuantem animum instar frœ-
ni continebunt, ne cespitet; instar fulcri

firmabunt, ne corruat. Deinde ag-
noscite, quanta sint ista munera, quæ in
in vos benignitas divina contulit; quan-
ta damna, quantaque discrimina, à
quibus vos misericordia Dei infinita li-
beravit: & gratias, quas potestis, maxi-
mas reddite; magno perfectionis desi-
derio, ingenti vocationis amore atque
æstimatione, exactaque Regularum ob-
servatione, tantos Dei favores compen-
sare studete. Quæ si præstiteritis, non
solum moriemini confidentiùs; sed & re-
munerabimini copiosius; ea enim beati-
tudinis æternæ præmia, ea cœlestis Pa-
radisi gaudia, ea Sanctorum oblecta-
menta referetis, quæ in hoc mundo nec
oculus vidit, nec auris audivit, nec in
cor hominis descenderunt. Quod no-
bis omnibus largiatur Deus Pater,
& Filius, & Spiritus San-
ctus. Amen.

F I N I S

Primæ Partis.

EX

R

P

CI

P

Qu

CO

R

—
Sump


Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8

Centimetres

TIFFEN Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



A 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

R **G** **B**

M **W** **G** **K**

C **Y** **M**

TIFFEN Gray Scale

© The Tiffen Company, 2007